LAPIS LYDIVS

CIRCA MATERIAM

DE PRÆSCIENTIA, PRÆDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

SACRÆ SCRIPTVRÆ, CONCILIORVM, ATQVE AVGVSTINI, ET ANGELICI DOCTORIS AVREAM PROBANS, SEIVNGENSQVE DOCTRINAM.

Vbi

Quamplurimæ Lutheri, & Caluini hæreses,

Nec non

Quinque Iansenij propositiones, quæ eamdem concernunt materiam, profligantur.

ATQVE

NONNIHIL DE ABSOLVTA SVMMI PONTIFICIS IN DEFINIENDIS REBVS FIDEI, INFALLIBILITATE STABILITVR.

AVCTORE

FRATRE GABRIELE FILORAMO

ORDINIS MINIMORVM,

In Regno Siciliæ S. Inquisitionis Qualificatore, olim pro Italica Natione Collega, & in duodecim Prouincijs Italiæ Vicario Generali, deinde totius sui Ordinis apud Romanam Curiam Procuratore, & in præsenti Messanensis Prouinciæ Prouinciali.

Coll.

MESSANÆ,

Ex Typographia Vincentij de Amico 1687.

Superiorum Facultate.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

FLAVIO CHISIO

S·R·E· CARDINALI AMPLISSIMO,

EPISCOPO ALBANESI,

ALEXANDRI PRÆCLARISSIMÆ MEMORIÆ VII. EX FRATRE NEPOTI, SACRI ORDINIS MINIMORVM AVSPICATISSIMO PROTECTORI.

LApillus iste, Princeps Eminentissime, non tam à mearum lucubrationum textura deprōptus, quàm á tuis montibus, (sic iucundissima interiùs sufflante incomparabilis tuæ Protectionis aura,) discissus est, & ad hereticæ tēporum nostrorum prauitatis fictiles statuæ detegendos, fortiterq; conterendos pedes præordinatus: hæc siquidem non minùs, quàm prisca illa Danielis, ex plurium Sophistarum deliramentis assurgens, aureo procerum hominum capite, argenteo item non vulgaris notæ virorum pectore, ac brachijs, cæteris tandem aliorum vulgarium Scholasticorum æneis, ferreisq;, ac argillaceis inferioribus membris, inter sese compaginatis, in maximum, sed sanè teterrimum simulacrum adoleuit, quod vtinam, vt olim antiquum, nostro in pedibus Lapillo percussum dissoluatur, ac pereat. Priscus profectò Lapis, postquam antiquam percussit, prostrauitq; statuam, in magnum mōtem excreuit, ità sanè, vt vniuersā terram impleuerit: nonne & mihi sperare præstat, quòd & Lapillus noster sub auspicatissimo tui Præsidio progrediés,

(cuius vbique ſic generoſa diffuſa eſt humanitas, vt vna ab omnibus voce celebretur,) vbique pariter in optimam partem accipiatur? Quàm benè, Eminentiſſime Princeps, ſex tui, in vnum confluentes Montes adaptantur. Si enim ex Montibus erūpentes, quæ in Valles defluunt aquæ, earū ſiccitatem explodunt; eaſque beneficis viuificant, atque reſtaurant imbribus: nonne tua in ægenos beneficentia pluribus debuit conglutinatis Montibus præſignari, quippe quæ circumquaque in ~~pluribus~~ effuſa fontes, plurimorum pauperum ægeſtati vberrimè, affluenterque ſuccurrit? Seni profectò Montes, ſingularem ſenenſium Chiſiorum munificentiam, atque pietatem aſtruunt, quarum quidem in Orbis Chriſtiani capite, Alma nimirum Vrbe, vniuerſoque Statu Eccleſiaſtico Alexander VII. Pōtifex Optimus, Maximus, (cuius ex Fratre digniſſimus Nepos exiſtis) præclara reliquit monimenta, quæ demirari quidem, numquam autem calamo ſatis poterunt recenſeri. Fœlix noſter puſillus Ordo, tuorum ſub vmbra Montium reſpirans: Montes ſiquidem Populo pacem ſuſcipiunt, quam Minima noſtra Religio in eorum ſoliditate innixam, imperturbabilē ſeruare non dubitat. Tuæ proindè validiſſimæ Protectioni, inconcuſſæq; tutelæ meas haſce elucubrationes commendatas exopto, eaſque, vt ea, qua polles benignitate, ſuſcipere dignaris humiliter obſecro; Deus quippe adhuc humilia reſpicere non dedignatur, &c.

V. E.

Humillimus, & Addictiſsimus Seruus
Frater Gabriel Filoramo Minimus.

AD

AD BENEVOLVM
LECTOREM

SIste parumper Benigne Lector; noli quæso me, operis huiusce, quod tibi Lydij Lapidis inscriptione libens exhibeo, facie dumtaxat inspecta, censurare; quasi verò nomine non minùs, quam re ipsa Pygmæus, respectiuè saltem ad materiam, quam disserendam suscepi, memet Gigantum agminibus immittere præsumpserim, quòue illi penetrare reformidant, me peruadere potuisse crediderim. Quæso, inquã, gradum contrahe, & quòusque nondum producta partis sura perpendas, iudiciũ suspende: sæpè quippe numero falli consueuerunt, qui ex facie præcisè iudicare nequaquam dubitarunt. Quid profectò mirum, si magnalia gesta Gigantum seu dispersa colligere, seu forsan obumbrata, resecatis caliginibus, quas tempus inducere potuit, in pristinum lumen Pygmæus reuocare contendat? An ne hoc quoq; eius vires excedere dixeris? Ipsũ ne propterea censura dignũ existimabis? At sanè velim id vnũ consideres, adhuc nimirum puerulos prouectorum sudoribus productos flores, eosque, inter sese dissitos, atq; dispersos, colligere, necnon in venustissimos, & gratos fasciculos eleganter posse componere. Equidem me, vti Minimum inter Minimos Pygmæum vltro cõfiteor; nihilominùs tamen, si in perdifficili de Præscientia, necnon Prædestinatione, & Reprobatione materia, Augustini, & Angelici Doctoris, inter Theologicos Corypheos, vndequaque maximorum, à proprijs discerptas sedibus: Sacræ insuper Scripturæ, & Conciliorum in proprijs pariter contextuum Codicibus tibi proponam percurrendas, atque perlegendas doctrinas, gratas potiùs habiturum, quàm censura dignas à te fore meas hasce elucubrationes existimãdas duxerim: id profero: perlege igitur attentè, meque fidum sponsorem experieris. Diù viue, & vale.

FA-

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS

ALPHONSI LAVRENTII DE PEDRAZA

ORDINIS GENERALIS.

NOs Fr. Alphonsus Laurentius de Pedraza, Lector Iubilatus, in Regio, ac Supremo Sãctæ Inquisitionis Hispaniarum Senatu Qualificator, Regis Catholici Concionator, totiusque Ordinis Minimorum Sancti Patris nostri Francisci de Paula Corrector Generalis.

Reu. Adm. P. Gabrieli Filoramo, eiusdem Instituti Lectori Iubilato, Sancti Officii Qualificatori, in Prouincia nostra Apuliæ olim Prouinciali, nunc verò in Romana Curia zeloso, seu Procuratori Generali, præsentium litterarum vigore facultatem cõcedimus prelo subdendi opus quoddã, quod sic inscribitur, *Lapis Lydius circa Præscientiam, Prædestinationẽ, & Reprobationem*: præuia approbatione RR.PP. Ioannis à Belloniderio, & Isidori à Montalto, Collegij nostri ad Montes Sac. Theologiæ Lectorum, quibus prædicti Operis reuisionem committimus: seruatisque de iure, & consuetudine seruandis. Et in fidem, &c. Datum Matriti in hoc nostro Sanctæ Mariæ de Victoria Conuentu Die 28. Maii 1684.

Fr. Alphonsus Laurentius de Pedraza
Corrector Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Reuerendissimi Patris nostri Generalis
Fr. Honoratus Puig Collega Hispanus, & Secretarius.

Approbatio duorum Lectorum Ordinis, quibus à Reuerẽdissimo Patre Generali fuerat commissa reuisio.

OPus, quod *Lapis Lydius* inscribitur, à Reu. Adm. P. Gabriele Filoramo, Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, S. Officii in Regno Siciliæ Qualificatore, necnon Ordinis Nostri Minimorum optimè meritò Procuratore Generali, accuratissimè elucubratum, Reuerendissimi Patris nostri Generalis præuio mandato, sedula percurrimus inuestigatione, attentaque mente perlegimus, nihilque in eo Catholicæ Fidei dogmatibus contrarium, aut S. Romanæ Ecclesiæ decretis dissonum, quin potiùs omnia germaniori Sacrarum Scripturarum, Sacrorumue Conciliorum sanctionum intelligentiæ, atque etiam saniori Sanctorum Patrum doctrinæ, egregio quodam ordine congesta comperimus. Lapis verè Lydius, qui inania errorum figmenta, & futilia hæreticorum deliramenta detegit, eaque à solido veritatis auro secernit. Vt igitur quantociùs in publicam lucem prodeat, dignissimum censemus: & vt Typis quamprimùm excudatur summoperè peroptamus. Datum in Nostro S. Patris Francisci de Paula Almæ Vrbis Collegio ad Montes die 26. Septembris 1684.

Fr. Ioannes à Belloniderio præfati Collegij Lector Iubilatus.

Fr. Isidorus à Montalto eiusdem Collegij Sac. Theol. Lector.

NO-

NOVA LICENTIA REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS ORDINIS, RECENTER ELECTI.

NOS FR. ANTONIVS PERRIER Sacri Ordinis Minimorum humilis Corrector Generalis.

FAcultati, iampridem à Reuerendissimo Patre Alphonso Laurentio de Pedraza Prædecessore nostro, ad Episcopatum Palentinum euocato, Reu. Adm. P. Gabrieli Filotamo Ordinis nostri Sacræ Theologiæ Lectori Iubilato, Sanctę Inquisitionis in Regno Siciliæ Qualificatori, & Ordinis nostri Exprocuratori Generali collatæ, quatenus opus, ab eodem elucubratum, quod inscribitur *Lapis Lydius circa materiam de Præscientia, Prædestinatione, & Reprobatione*, præuia duorum Sacræ Theologiæ Lectorum reuisione, & approbatione, Typis demandare posset, authoritatis pariter nostræ robur adiungimus: illudque, iuxtà eiusdem Reuerendissimi Prædecessoris nostri mandatum, sedula iam inuestigatione reuisum, & omnibus absolutum numeris repertum, & approbatum, vt quatenus prælo committere satagat, dictū Reu. Adm. Patrem perhortamur. Datum Marsiliæ in hoc Sancti Raphaelis Archangeli Cōuentu die 13. Iunii 1685.

Fr. Antonius Perrier Corrector Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

REcognoscatur ab Adm. Reu. P. D. Ioseph Maria Cortesio ex Cl. Reg. in Messanensi Seminario Theolog. Lectore, & referat in scriptis.

D. Caietanus de Castillo ex Cl. Reg. Vic. Gen.

Approbatio Lectoris Theologiæ, substituti à Reuerendissimo Vicario Generali ARCHIEPISCOPI MESSANENSIS.

EX mandato Reuerendissimi Domini D. Caietani de Castillo ex Cl. Reg. huius Vrbis Messanæ Vicarij Generalis summa voluptate perlegi, quod summo desiderio optauera m, Volumen Reu. Adm. Patris Fratris Gabrielis Filoramo Minimorum Ordinis, difficultates omnes de Dei Præscientia, Prædestinatione, & Reprobatione complectens. In quo fateor, quòd nihil, quod meliùs tam difficiles quæstiones enodare posset, desiderare potuerim: quare non in aliud meū desinere poterit iudicium, quàm in laudes. Admiror igitur in primis eleuatissimum Authoris ingenium, cui nihil, quantumuis in obscura difficultatum caligine delitescens, occurrit, quod non summa claritate explanetur: & tam ipsum, quæ solida sunt delectant, vt & venustas sine robore, & perspicacitas sine profunditate, & subtilitas sine soliditate omninò ab hoc Volumine exulent. O vtinam in manus Prædestinationis ordinem subuertentium hoc Opus peruenisset, forsitan à via iniquitatis pedē subtraxissent. Quapropter non solùm ad Studiosorum vtilitatem, verùm etiam, vt magis Catholicę Veritates Theologica doctrina elucescant: & vt æternitatis lumen obtineat, quod sapientiæ claritate præfulget, Typis tradendum existimo.

D. Ioseph Maria Cortesè Cl. Reg. Sac. Th. Professor.

Imprimatur	*Imprimatur*
D. Caietanus de Castillo ex Cl. Reg. Vic. Gen.	D. Petrus Natoli pro Ill. de Ramondetta R. P.

Publicetur.

D. D. Petrus Miranda, ✠ Gayarre Vic. Gen.

ER-

ERRORVM CORRECTIO.

Prior numerus marginalem; secundus lineam eiusdem numeri significat.

Errata.			Correcta.
adiuare	1.	11.	adiuuare.
ingredienter	8.	41.	ingredientur.
fiat	29.	15.	tiat.
consensiat	29.	15.	consentiat.
excutina	39.	3.	executina.
conditionatè	40.	15.	conditionatè.
tenentur	43.	64.	tuentur.
gente	45.	22.	gente ad.
malnm	46.	4.	malum.
virtntis	62.	3.	virtutis.
vt tamen	66.	1.	vt tamen ostendam.
subsisteret	67.	13.	subsisteret.
prædeterminatium	73.	31.	prædeterminantium.
indiciorum	76.	58.	iudicium.
consideratur	90.	43.	consideratur.}
dumtaxat	93.	18.	dumtaxat ter.
vsque	97.	11.	vsque ad.
promissoria	99.	4.	promissoria.
dilectanti	103.	42.	delectanti.
distinguens	104.	22.	distinguens.
mediororum	105.	3.	mediorum.
sanè	110.	14.	sane.
ea	113.	40.	eos.
fucus	113.	52.	fucos.
diciiur	134.	48.	dicitur.
punibililitatem	134.	53.	punibilitatem.
obycerant	140.	17.	obiecerant.
supponiuitur	142.	27.	supponitur.
constitusionem	144.	47.	constitutionem.
misereretur	149.	49.	misereretur.
præmorate	174.	3.	præmemorato.
essertio	176.	1.	assertio.
ego	192.	13.	ergo.
Semimipelagiani	196.	39.	Semipelagiani.
arbitri	211.	17.	arbitrij.
spiritus	218.	7.	spiritum.
lapsæ	224.	9.	lapsa.
inflectur	226.	4.	infletur.
attrbuendum	227.	57.	attribuendum.
sola	231.	34.	solam.
obicerat	232.	33.	obiecerat.
Dei	234.	24.	dij.
prorsu	242.	19.	prorsus.
furuitionis	253.	6.	futuritionis
expecturi	257.	71.	experturi.
promissionem	265.	45.	permissionem.
prccato	285.	15.	peccato.
qe.	286.	36.	quæ.
concilium	287.	5.	consilium.
moriatur	289.	34.	moriatur.

Errata.			Correcta.
exiberi	289.	50.	exhiberi.
hoc	292.	10.	hos.
De	307.	21.	Dei.
negagat	311.	28.	negabat.
audutorium	316.	19.	adiutorium.
respodendo	332.	80.	respondendo.
quoad	336.	12.	quod ad.
inclitur	415.	35.	inclinetur.
virumlibet	434.	14.	vtrumlibet.
determinarionem	459.	17.	determinationem.
cohexistentia	480.	26.	coexistentia.
communatoria	543.	28.	comminatoria.
exprobat	651.	8.	exprobrat.
exprobans	655.	14.	exprobrans.
at sit de	688.	7.	at de.
quesiio	704.	6.	quæstio.
exiberi	706.	38.	exhiberi.
voluisti	725.	7.	noluisti.
lnmen	739.	42.	lumen.
bibliotheticis	737.	62.	bibliothecit.
testantur	761.	15.	testantur.
quadoquidem	835.	49.	quandoquidem.
singolorum	836.	39.	singulorum.
intrinsecum	839.	30.	extrinsecum.
eneruam	839.	98.	eneruem.
præcisisset	849.	19.	præcessisset.
Demonum	884.	27.	Dæmonum.
adiunguntur m, andata	863.	67.	adiunguntur mãdata
aducsis	912.	21	aduersis.
indubitantis	939.	20.	inhabitantis.
scrbentem	974.	13.	scribentem.
refer	1000.	9.	refert.
multiplcare	1014.	34.	multiplicare.
ha	1037.	11.	habi.
est	1058.	39.	est.
est	1062.	33.	est.
discplina	1065.	39.	disciplinæ.
relinqeretur	1089.	39.	relinqueretur.
auxilijs	1147.	39.	auxilij.
quinqua	1172.	12.	quinque.
vul	1229.	27.	vult.
tur: hos	1241.	7.	ter hos.
anteccederet	1250.	13.	antecederet.
insigendam	1262.	44.	infligendam.
rettebutio	1263.	37.	retributio.
voluntalis	1270.	38.	voluntatis.
hoo	1305.	66.	hoc.
bonum; autem	1315.	21.	bonum autem.
iu	1327.	10.	in.

TRA-

TRACTATVS
DE DEI PRÆSCIENTIA, Prædestinatione, & Reprobatione.

NIHIL fanè homini in Terris peregrinãti fuauius, quàm fixos in suę peregrinationis terminũ dirigere Mẽtis obtutus: ficut nihil, quod fortiùs, potentiùsq; eius animũ deijciat, quàm cùm timor inuadir, nè à recto itineris tramite declinans, spem omnem exuat ad eum perueniendi; satagendũ ergò viam addiscendi? ita profectò; sed non indè quisq; perficiet: vndè autem perfectio, quis audiat perscrutari? cũ quò plures, proprij ingenij acuminibus confidentes, illam inuestigare curarunt, eò longiùs ab eadem errantes, viam veritatis prorsùs amiserunt. Quid ergo? incedentes in tenebris, fecuriùs ad lucem pertingent, cùm, qui ambulat in tenebris, nesciat quò vadat? Arcanum est hoc procul dubio Sapientiæ, & Sciẽtiæ Dei, diuidentis, fecundùm consilium Voluntatis fuæ, lucem à tenebris, & qui Scrutator fieri vult Diuinę Maiestatis, opprimetur à Gloria. At est etiam mysterium Fidei, & qui, quale est, non credit, faluus esse non potest. Illud proindè oportet fapere, fed ad sobrietatem, altiora Nobis nõ quærentes, nec Nobis fortiora scrutantes; sapiemus autem ad sobrietatem, si de huius secretioris Consilij Diuini Arcano tantum fentiamus, quantum Deus ipse Nobis dignatus est in Scriptura detegere. Adhuc nihilominus in hoc ipso cauendum, ne, dum spiritum in ea inquirimus viuificantem, litteram, si in Nobis fidimus, addiscamus dumtaxat occidentem. Consulenda itaque est Sacra Scriptura in ijs, de quibus agimus, fed fecundùm fensum, quẽ Nobis exhibent, vel infallibilis Summi Apicis, & Conciliorum Authoritas, vel etiam fidi, ijdemque approbati Interpretes Sãcti Patres, præfertim verò Magnus Pater Augustinus, qui in præsenti materia, ex duorum, vt constabit, Summorum Pontificum approbatione, primas inter reliquos Sanctos Patres tenet; & cum eo Angelicus Doctor.

Hoc tamen adhuc Opus, hic labor est: ferè enim omnes, qui de Præscientia, Prædestinatione, & Reprobatione pertractant materiam, in id specialiter suũ dirigunt studiũ, vt quisque propriam, iuxta Concilia, necnõ Augustini, & Doctoris Angelici ostendere curet esse sententiam; quamuis oppositas inter sese tueantur: Et quidem tam mira industria verba illorum, è suis discerpta locis, proprijs accomodant, vt qui vnius sententiæ solùm legerit Propugnatores, credere compellatur eam esse Augustini, atque Angelici Doctoris: qui verò etiam Aduersantium opinionum peruoluerit Doctores, distinguere haud valeat, cui fidẽ præ alijs adhibeat: hoc autem non indè, quod præfati Sancti Doctores ita obstrusè loquuti fuerint, vt difficulter eorum germanus fensus percipi queat, fed quia facile est, verbis solitariè acceptis, aliam competere significantiam, quã habeant adiuncta alijs. Hinc ergo monitum duxi, aliquid de præsenti materia scribere, non quasi quòd quidquam de me ipso præsumpserim, sed præcisè quatenus realẽ Augustini, & Angelici Doctoris mentẽ, nõ quidẽ per discerpta, fed per contextus irrefragibilem fensũ, manibus pertractandam exhiberem. Duo porrò funt capita præcipua, in quibus præsẽs materia ita redditur captu difficilis, vt & plures, quàm par est, præsumentes, in abrupta dilapsi fuerint præcipitia; Alij verò fatis timidi, adhuc fermonem de ea audire refugiant. Primum est ex parte Dei, quomodò videlicet Bonitati, atque Æquitati Dei, cohæreat, vt qui diligit omnia, quæ fecit, idem ipse ex eadem hominum massa, alios condat in vasa honoris, quæ præparauit in Gloriam, alios in vasa contumeliæ, apta ad sempiternũ interitum, iuxta Apost. ad Romanos: 9. Secundum verò est, quomodò fubsistat in hominibus

minibus liberum Arbitrium, præcipuè post lapsum Adæ, non solùm ad malè, sed etiam ad benè, prout ad salutem expedit, operandum, cùm ratione peccati originalis læsum fuerit, & ratione essentialis indigentiæ præmoueri à Deo indigeat, & Deo volenti nemo resistere possit, cùmq; Gloria Electis danda sit, tanquam merces, ac corona meritorũ, & damnatio reprobis in pœnam demeritorum, prout vbique Scriptura edocemur.

Ex primo difficultatis capite ortum sumpsit Pelagianorum, & Semipelagianorũ hæresis, quorum primi falsò sibi persuadentes, Deum neminem posse iustè punire ob peccatum, aliena, non propria, operante voluntate, commissum: nec, sine nota acceptatoris personarum, & veluti duarum in eadem natura humana conditoris, de eo dici posse, quòd gratis quidquam tribuat aliquibus, & alijs deneget: Negarunt in primis posteros Adæ peccato obnoxios nasci originali: ex quo deindè sanum in hominibus cõfingentes liberum Arbitrium, validumque ex se ad omne bonum opus, non esse necessariam Christi Gratiam, blasphemarunt, ad posse; sed ad summum, vt faciliùs benè operemur, eamque dari quærenti, petenti, & pulsanti ex proprio, & solo libero Arbitrio, æquè parato ad omnes se habente Deo. Semipelagiani autem, vt nomen ipsum indicat, non ex toto Pelagianis adhæserunt, sed in eo, quòd falsò pariter arbitrantes Deum futurum acceptatorem personarum, & duarum naturarum conditorem, si ex seipso primò diuideret, etiam post communem lapsum originalem, vasa Misericordiæ à vasis Iræ, asseruerunt, neminem ad Gloriam, vel ad pœnas destinari, nisi post præuisa merita ex gratia, vel demerita, quæ contracturus præuisus est: Gratiam verò his præ alijs dari merito, vel occasione Fidei naturalis, aut naturalis bonæ voluntatis recurrentis ad Deum, & ab illo implorantis; Sicque vtrique Gratiam Christi euacuarunt, illi negantes eius necessitatem, isti asserentes eam non gratis datam; atque vtrique debiti iuribus Deum adstrinxerunt, vt nihil gratis vni pro alio dare possit.

Ex secundo autem difficultatis capite hæresis orta est Lutheri, & Caluini dicentium non dari in homine liberum Arbitriũ, modo infrà explicando: sed, post peccatum originale præcipuè, necessitate duci, more Brutorum: atque ità Deum non magis sua præcisa voluntate saluare, quos saluat, ad se ostẽdẽdũ bonum, gratuitum, liberalemque largitorem: quàm eadem damnare, quos damnat, vt item se ostendat Dominum, & Omnipotentem, necnõ simul vindicatorem, atq; punitorem eorum malorum, quæ idem ipse sua efficaci, eaque, vt vocant, terribili volũtate antecedẽti facit in hominibus. His quo ad punctum Libertatis, aliosque subsequentes errores, relatè ad homines post Originale, se adiunxit Iansenius, prout suo loco ostẽdam, licet non quoad omnes, in quos illi præcipites ruerunt.

Hos tamen hæreticos redarguit, ac damnat Ecclesia Catholica, & omnes Orthodoxi Theologi, dicentes Deum, quos saluat gratis, & insimul iustè saluare, neminem autem gratis, sed iustè damnare: nec indè sequi esse acceptorem personarum, & veluti duarũ naturarum in vnica natura humana conditorem, aut non diligere quidquid ipse fecerit; punire item absque vllo suæ Iustitiæ dispendio delicta Parentum in filijs, eadem in illis participantibus: nec non tandem, sauciatione libertatis non obstante per originale, nec etiam essentiali dependentia creatæ voluntatis à Diuina, vt præmouente, hanc suos illi sinere liberos agere motus. Hæc verò omnia componunt partim per altitudinem Sapientiæ, & Scientiæ Dei, partim per incompræhensibilitatem Iudiciorum eius, quæ non ideò iniusta contingi valent, quia compræhendi non possunt; & tandẽ quia nemo prior Deo dedit, vt retribuatur ipsi, iuxta Apostolum, de hac eadem materia ad Romanos 11. scribentẽ. Vt ergo & Nos sobriè, & quãtum fas erit, iuxta Scripturam, Concilia, & Patres, præsertim verò Augustinum, & Angelicum Doctorem, pro viribus eadem benè composita ostendamus, initium facimus à Dei Præscientia. Vndè sit.

QVÆ

QVÆSTIO PRIMA
DE DIVINA PRÆSCIENTIA
Secundùm quod spectat ad finem Prædestinationis.

1 NON opus est Nobis hùc integrum de Diuina Præscientia trāsferre Tractatum, cū non de ea agere hic proposuerimus, nisi secundū quod ad aliquas enodandas difficultates, quas ex materia de Prædestinatione, & Reprobatione concipimus, fortè adiuare potest: vndè nō est Nobis hic probandum, quod nemo vnquam negauit, Deum videlicet comprehendere sua Scientia, quæ vocatur simplicis Intelligentiæ, creaturas omnes possibiles, omnesque earundem possibiles modos, aut combinationes, quas habere possunt; nec item discutiendum an Deus cognoscat sua Scientia, licet incommutabili, quæ vocatur visionis, omnia præterita, præsentia, & futura: quamuis enim non ità facilè sit explicatu, quomodò Deus immutabilis vitalitèr cognoscat ea, quæ, vt talitèr cognoscibilia, potuerunt non esse, id tamen non pertinet ad difficultates, de quibus in præsenti agimus; sufficit hic Nobis taliter esse inconcussum, & Fide, & ratione, nullatenùs posse similem Scientiā Deo deesse, quod summæ stultitiæ iure notentur vel pauci ex antiquis Gentilibus Philosophis, qui eam Deo negarunt. Quæ autem hic de Diuina Scientia partim breuitèr tangenda, partim verò omni possibili studio probanda occurrunt, de ipsa sunt, prout respicit futura quædam, quæ dicuntur conditionata: De Scientia namque huiusmodi conditionatorū, & si indubitatum sit cōmuniter, probeturq; tū ex Scriptura, tum etiam veluti ingenito omnium hominum sensu, eam Deum habere, solet tamen inquiri, an certa sit, non solū ex parte modi cognoscendi Dei, verùm etiā ex determinata veritate futuri? An item in Deo sit formaliter, an quodam eminentiali modo? & circa quæ obiecta? Præcipua verò, & maxima his temporibus difficultas circa horum conditionatorum scientiam in eo sita est, an videlicet similia futura conditionatè, præsertim, quæ pendent à libertate creatæ voluntatis, Deus cognoscat in aliquo suo actuali Decreto efficaci, quod habet de illis, & vi cuius fiant ità conditionatè futura, quo pacto etiam hæc Scientia erit Visionis? sed nihil iuuare poterit pro componenda libertate creatæ voluntatis, & Diuina Prædestinatione, cùm etiam ipsa supponat efficax Decretum, ac antecedens Diuinæ Voluntatis, contineatque cōsequenter eandem omninò difficultatem? An verò pro iisdem cognoscendis, vt conditionatè futuris, non solùm nulla sit necessitas actualis Decreti in Deo, neque prærequirant, vt à Diuina Voluntate determinata intelligantur ad vnum; sed ad sui futuritionem conditionatam sufficiat, si Dei Decretū intelligatur, vt conditionatè existens, & determinatio haberi possit à voluntate creata, Diuina Volūtate indifferēter ad opposita se habente; quo pacto talis scientia nec esset simplicis Intelligentiæ, quia eius obiectum non esset purè possibile, nec Visionis, cùm nec obiectum, nec ratio motiua cognoscendi esset quid actuale: sed Scientia Media, habens pro obiecto quid medium inter possibile, & actuale, quod esset; & ideò nec purè potens esse, nec absolutè existens, vel futurum? & si ita erit Scientia futurorum conditionatò, non parū iuuabit pro componēda libertate creatæ voluntatis cum efficacia antecedenti Prædestinationis Diuinæ, vt suo loco patebit. Vt ergo hæ omnes, quæ de Scientia Diuina circa futura conditionatò occurunt scrutādæ difficultates, suo ordine enodentur, fit.

ARTICVLVS PRIMVS.
An Deus certò, & formalitèr cognoscat futura conditionatè.

2 EX vsu solent pro eodem accipi hęc duo: Futurum conditionatum, Futurum cōditionatè; cùm tamen sint diuersa; Nam conditionatum adiectiuè appellat supra rē, quæ à conditione denominatur conditionata; aduerbialiter autem conditionatè modum significat

gnificat futuritionis; vnde futurum absolutè non potest dici futurū conditionatè, potest tamen dici futurum conditionatū, quia non propterea, quod conditio transit ad statum absolutum, & cum ea effectus, tollitur quòd hic ideò sit, quia conditio est: propterea namque de ipso non solū valent propositiones absolutæ, sed etiam conditionatæ: supposito enim, quod ignis e.g: sit absolutè futurus, valet quidem: ignis erit, erit etiam calor, sed non hoc dumtaxat valet, verùm etiam, calor erit, si ignis erit. Aliud ergo est dicere futurum conditionatū, quod etiam verificatur de futuro absoluto, vt tali, quatenùs eius futuritio dependens est à futuritione alterius siue absolutè, siue conditionatè. Aliud est futurum conditionatè, quod, vt tale, nec includit, nec excludit, sed præscindit à futuritione absoluta; non, inquam, includit, quia plurima essent, si existerent suæ causæ, & tamen nec istæ, nec illa erunt; non excludit, quia, sicut quæ essēt, si essent suæ causæ, Deus potuit nolle, vt sint: ita multò magis potuit velle, vt sint. Et ratio est, quia futuritio conditionatè non est denominatio desumpta à futuritione absolutè, sed aliundè, & antecedenter, vt patebit infra, & ideò postquam cognouit Deus aliquid, tanquam conditionatè futurum, adhuc est indifferens, vt pro subsequenti signo velit, vel nolit, quod sit futurum absolutè. Hæc ita sunt, sed indulgendum est vsui.

3 Notandū præterea pro maiori cognitione futurorum conditionatè, ea significari à Nobis per particulam illam, Si, vt cùm dicimus, Deus scit quid facerem ego, si adirē ad Ecclesiam, si natus fuissem Rex, &c. Nō ideò tamen, vbicumque conditionalis est vera, datur futuritio conditionatè; nam plures propositiones conditionales sunt verę, & obiecta sunt impossibilia, tantū abest, vt futura dici possint, e: g: Si esset alter Deus, essent duo Dij, si lapis esset homo, esset risiuus, &c. Tripliciter ergo particula, Si, sumi solet. Aliquando pro eodem, ac particula cōiunctiua, Et: sed tunc non est particula cōditionalis, sed concomitans, vt cùm dico, si tibi non placet ludere, nec mihi placet; si tu es Prælatus, & Ego quoque; In his enim, & similibus propositionibus, & vniuersaliter quando affirmantur duo, quorum vni præponitur particula, Si, sed neutrum habet dependenter ab alio id, quod dicitur habere, semper particula, Si, est concomitans. Aliquando eadem particula, Si, solùm assumitur ad significandam præcisè connexionem inter subiectum, & prædicatum propositionis, non verò veritatem subiecti, & prædicati in seipsis, & tales sunt propositiones cōditionales de terminis impossibilibus, in quibus solùm intendimus affirmare connexionem prædicati, seu conditionati cum conditione secundùm se, non verò, quòd talis connexio sit de facto in tali conditionato, & tali cōditione: cùm enim dicimus, si lapis esset homo, esset risiuus, non intendimus affirmare, quòd sit, vel possibilis sit risiuitas identificata cum humanitate lapidis, imò scimus hæc esse impossibilia, sed dumtaxat affirmare, vt quid verum, intendimus connexionem, quæ esset inter terminos, si essent in se possibiles: Quo pacto etiā Intellectus potest idem facere inter terminos reales, & possibiles, aut existentes; cum enim Intellectus sit præcisiuus, benè poterit suum Iudicium dirigere ad solam cōnexionem conditionati cum conditione, absque eo, quòd se extendat ad iudicandum, an tale conditionatum esset de facto realiter in seipso realitate, quæ includit, aut supponit de facto in ipso conditionato possibilitatē; & istæ vocantur veritates conditionales, & propositiones conditionales potiùs, quàm conditionatæ. Aliquando tandem particulam eandem, Si, non applicamus connexioni, vel non illi soli, sed vel soli conditionato, vel vni, & alteri. Exemplum primi clarè liquet in rusticis, qui, cum, interrogati quid facerent, si essent diuites, vel Iudices, &c. respondent Deus scit, nihil aliud cogitant, quàm quòd Dei Scientia se extendit etiam ad illud, quod tunc esset, ceterùm de connexione, siue conditionati cum conditione illa indifferenti, siue cum Dei actuali Voluntate, qua determinauerit, quid in tali casu deberent facere, nullatenùs cogitant; & crederem, quòd etiam id accidat omnibus, vt attendentes ad Scientiam Dei in similibus casibus, nihil cogitent de præfata connexione. Exemplum autem secundi est, cùm affirmamus, quòd, si plueret, madefieret Terra, si ignis semper duraret, semper calefaceret, &c. in his enim & connexionē affirmamus, & ratione connexionis affirmamus etiam conditionati existentiam, quòd in seipso esset. Scio Thomistas in his vltimis casibus negare, conditiones reddere conditionatum sub cōditione futurum, sed aiunt esse puras veritates conditionales, de hoc tamē redibit infrà sermo cū ijsdem. His autem adnotatis, ad difficultatis punctum accedo, pro qua discurienda.

4 Aliqui primò senserunt Deum futura conditionatè non cognoscere, nisi coniecturaliter, non quidem coniectura se tenente ex modo cognoscendi, quasi Deus de illis ferat iudicium cum dubio de opposito; hoc namque modo posset Diuina Cognitio subesse falso, quod esset maxima imperfectio: sed coniectura se tenente ex parte obiecti, & rei

rei iudicatæ, quatenus nimirùm Deus de futuris conditionatis solùm iudicat, quòd conie-cturale sit ea esse futura; Sicut autem verissimum est Iudicium, quo iudico rem falsam esse falsam, quandoquidem res falsa verè falsa est, ita verissimum est Dei Iudicium, quo iudicat futura conditionatè esse coniecturaliter futura. Fundamentum horū Doctorum inde desumitur, quòd similia futura non sunt cognoscibilla in seipsis, vtpotè quia in seipsis non sunt mutata de statu possibilitatis, sed mutarentur, si esset conditio in re: conditio autem merè cognoscitur actu conditionalo, & non ponitur in re, ergo talia futura in seipsis nihil noui dicunt extra statum possibilitatis, & consequenter in se non sunt cognoscibilia, nisi vt possibilia: Nec possūt cognosci in aliquo Decreto actuali Dei de illis, eò quòd simile Decretū, quo Deus actu velit, e: g: Petrum conteri, si ipsum voluerit efficaciter vocare, cùm sit suspensiuum conditionis vocandi, ad nihil iuuaret: si enim Deus vult ipsum conteri, & ideò vocare, hoc solum Decretum sufficit, ergo illud Decretum de effectu, sub conditione suspensa, nullum potest habere finem in Deo, & est quid superfluè confictum. Restat ergo, inferunt, quòd solùm possit Deus illum cognoscere in inclinatione conditionis, quam hæc habet, vel non habet ad effectum, & secundùm hanc iudicium facere, si effectus coniecturaliter erit, vel non erit. Hæc sententia tribuitur aliquibus veteribus Thomistis, puta Zumel, Nugnos, Ledesme, & Cabreræ, quamuis Ioannes à S. Tho. pri. par. quæst. 14. disp. 20. art. 1. à num. 7. eos ab hac nota vindicare satagat, de quo nihil mihi est curandum.

5 Alii secundò dixere hæc futura cognosci à Deo virtuali, vel eminentiali quodam modo certò, & infallibiliter, sed non formaliter. Fundantur isti in ratione supra tacta, quia videlicet Decretum actuale, & formale pro similibus futuris, conditione suspensa, non videtur Deo congruere posse, ergo non possunt cognosci formaliter in aliquo Dei Decreto, neque in seipsis propter rationem iam etiam supra relatam, aliundè ex Scriptura habemus ea cognosci certò à Deo, ergo in aliquo Decreto virtuali Dei cognosci debent; in motiuo autem solùm virtualiter habente esse, & consequenter virtualiter cognoscibili, cùm cognoscibilitas sequatur ad esse, non possunt, nisi virtualiter cognosci. Hanc sententiam tuetur Nauarrete in materia de Scientia Dei cōtrouersia 56. §. 2.

6 Communis autem tum Thomistarū, tum Scotistarum, tum Neutralium sententia propugnat Deum certò, & formaliter futura conditionata, quæ reuera talia sunt, cognoscere; quæ autem sint ista futura, & an in omni conditionabili, non est modò inuestigandum: pendet namque ex illa grauissima difficultate, in quo videlicet cognoscātur ista futura, in seipsis, an in Decreto actuali Dei de illis, de qua postea. Cum hac ergo communi sententia.

7 Dico, Deum futura conditionata, quæ taliter futura sunt, non solùm cognoscere coniecturaliter secundùm primam sententiam, sed etiam certò, & infallibiliter: nec solùm virtualiter, prout asserit secunda, sed etiam formalissimè, non minùs, ac futura absoluta. Duas habet partes conclusio.

8 Prima autem probatur duobus præcisè Scripturæ locis ex innumeris, quæ possent afferri, eò quòd reliqua facilè possent explicare tuentes primam sententiam de cognitione coniecturali. Primus ergo sit ex prim. Regum 23. vbi narratur, quòd fugiens Dauid iram Saul, se transtulit in Ceilam, quod sciens Saul præparabat exercitum, vt vel vi compræhensa Ciuitate, compræhenderet & Dauid: cùm autem totum hoc nunciatum fuisset Dauidi, Dominum iste consuluit, vt sciret, si defacto Saul descenderet in Ceilam, & si supposito, quòd descēderet, Ceilitæ traderent ipsum Saul: & Dominus respondit, *Descendet, & tradent*, quo responso habito Dauid fugit Ceila, & rescita hac eius fuga, Saul non perrexit Ceilam; consequenter tā Saul descensus, quàm Ceilitarum traditio fuerunt reuelata, tanquam pura futura conditionatè, si nimirùm Dauid moratus fuisset Ceilæ. Quis autem hic non videt Dauidem Dominum non consuluisse pro certitudine coniecturali, vel morali, sed pro infallibili? notum namque erat Dauidi mortale odium Saul contra ipsum, & quòd non semel, ad eum in manibus habendum, cum exercitu è Ciuitate exierat; notum præterea erat, quòd iam ira accensus, exercitum præparabat numerosum, vt inuaderet Ceilam, ergo iam non tam coniecturaliter, sed etiā moraliter erat certus, quòd Saul foret descensurus, ergo à Domino plusquam moralem certitudinem habere exoptabat, cui Dominus respondens absolutè *Descendet, & tradent*, certitudinem exhibuit, quam ille exposcebat. Secundus locus sit ex 3. Regum 11. vbi habetur, ita Dominum suum allocutum fuisse populum, *Nō ingrediemini ad eas*: nimirùm ad mulieres alienigenas, *Neq; de illis* scilicet hominibus alienigenis *Ingredienter ad vestras, certissimè enim auertent corda vestra: vt sequamini Deos eorum*: particula autem illa, *certissimè*, cùm superlatiua sit, non potest stare cum sola certitudine coniecturali, vel morali, quæ in genere certitudinis sunt

sunt infimæ, & aliàs Deus vsus fuisset termino valdè plùs significante, quàm significare potuisset, quòd non esset omninò vacuum falsitate, à qua Deus longè abest.

9 Neque obstat, quòd sæpè in Scriptura, dũ sermo habetur de Dei Scientia, apponitur particula, *fortè, vel forsitàn*, quæ indicat in Deo non esse omnimodam certitudinẽ, vt *Matth.* 11. *Quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque ad hodiernum diem*, & Heremiæ 26. *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant, & conuertantur vnusquisque à via sua mala.* Non, inquam, obstat, quandoquidem similes particulæ non appellant supra Deum cognoscentem, vt quasi dubium indicent de futuro euentu, sed vel supra libertatem operaturi, prout prædictum locum Hieremiæ explicat, ita loquens, Hieronymus: *Verbum ambiguum, forsitàn, Maiestati Diuinæ non potest conuenire, sed nostro loquitur affectui, vt liberum hominis seruetur Arbitrium.* Vel pura particula est Grammaticalis, spectans ad ornatum elocutionis, prout esse vult Ambrosius 3. *de Pœnitentia cap.* 5. dum ait: *Non ignorantia eo verbo exprimitur, sed in Scripturis Diuinis frequens huiusmodi cõsuetudo aduertitur, eò quòd simplex sit elocutio.* Aliquãdo præterea, iuxta sẽsũ Gregorij homilia 9. restrictionem, vel paucitatem operis insinuat, *Particula*, inquit Gregorius, *Fortè, non significat dubitationem, aut ignorantiã in Deo, sed paucitatem eorum, qui responsuri erant.*

10 Probatur secundò eadem prima pars authoritate Augustini, ex quo etiam, relictis alijs ex motiuo supra adducto, duo loca offero, quibus applicari non potest responsio de cognitione coniecturali; quorum primus desumitur ex lib. de Correctione, & Gratia cap. 8. vbi loquens de Reprobis, qui aliquãdo fuerant in Gratia, sed deindè cadunt, & in peccato moriuntur, Pelagianos oppugnans, sic ait: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter, & piè viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit; ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Vtrum hoc inpotestate non habuit? aut eorum mala futura nesciuit? nempè nihil horum, nisi peruersissimè, atque insanissimè dicitur.* Agi autem in his verbis de Præscientia cõditionatè futurorum cuique euidens est: nam agitur de Præscientia malorum, ita vt Deus impedire ea potuerit, quæ autẽ sunt cognita, quod erunt, implicat, quòd Deus faciat, vt non sint. Si autem Augustinus de sola cognitione coniecturali sermonem haberet, iã totum suum argumentum rueret, eò tendens contra Pelagianos, vt probaretur per illud Prædestinatio ex Gratia, & non ex meritis naturalibus; respondere namque potuissent Pelagiani, Deum eos non rapuisse, quia non certò, sed solùm coniecturaliter eorum futura mala præsciebat, ac cõsequẽter potuisset etiam accidere oppositum. Nisi ergo supponeret Augustinus infallibilem in Deo de conditionatè futuro notitiam, valdè defectuosè, ac inaduertenter dixisset: *Respondeant, si possunt*; Supposita enim sola coniecturali cognitione, possent, & optimè respondere: at non possunt supposita cognitione infallibili. Secundus autem desumitur ex lib. de Bono Perseuerãtiæ cap. 9. Vbi in illud Lucæ 10. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pænitentiam egissent*, quod continet reuelationem futuri conditionatè, sic loquitur: *Sed numquid possumus dicere etiã Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent, cùm de eis ipse Dominus attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pænitentiam?* Si autem Dei attestatio non esset, nisi de cõiectura, quis non videt, posse Nos suspicari, aut dicere oppositum? coniectura namque fallibilis est.

11 Augustino addo Angelicum Doctorem 3. *p. qu.* 1. *art.* 5. vbi quærens, vtrum conueniens fuerit Deum incarnari ab initio Mundi, & proponens pro responsione affirmatiua argumentum, quod ità, plures, remedio Sacramentorum, & prædicationis Euangelij, saluati fuissent ex ijs, qui illud ignorantes, perierunt; ad illud soluendum recurrit ad gratuitam Prædestinationem Dei, eos saluantis, quos gratis saluare dignatur, non obstante, quòd præuiderit aliquos benè operaturos, si eis prædicatum fuisset Euangelium; pro quo refert, & approbat relata verba Augustini ex cap. 9. de Bono Perseuerãtiæ, videlicet: *Sed numquid possumus dicere, etiam Tyros, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent, cum ipse Deus attestetur, &c.* quibus deindè subiungit, *Proindè, vt ipse*, Augustinus nimirùm, *soluens, subdit, sicut Apostolus ait non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his, quos præuidit si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit, subuenit, alijs autem non subuenit, &c.* quibus in verbis iterùm Scientiam de futura fide sub conditione in Deo stabilit. Adderem etiam Gregorium Nissenum in lib. quem scripsit de ijs, qui præmaturè de hac vita præripiuntur, & Cirillum *lib.* 3. *contra Iulianum*, sed relinquo hos duos, quoniam video facilè posse explicari de Scientia coniecturali. Sufficere cuique credo ex Sanctis Patribus Augustinum, & Angelicum, vltra tres alios prius adductos, nempè Hieronymum, Ambrosiũ, & Gregorium, qui à Scientia Dei de futuris

cor-

conditionatè, de qua loquebātur, explicando Scripturæ loca, in quibus de simili Sciētia est sermo, à Deo, tanquam tantæ Maiestati indignam, particulam illam *Fortè, aut forsitan* omninò propulsant.

12 Probatur præterea 3. eadem prima assertionis pars ex horribilitate absurdi, quod ex prima sententia sequeretur: quando quidem indè ineuitabiliter infertur, quòd, si quispiā Deum consuleret, prout consuluit Dauid, quatenus ab eo certificetur de determinato euentu, qui esset sub aliqua conditione, nō aliter posset respondere Deus, nisi coniecturo futurum hoc, sed an ita certè eueniat, nescio; quis autem de Deo, non dicam fidelis, sed etiam barbarus, id concipere non exhorrescat, cùm commune sit omnis Sectæ hominibus, interrogatis de similibus futuris, ad Deum, tanquam solum, & vnicum futurorum cognitorem, recursum habere, dicēdo: Ego quidem crederem, quòd facerem itá; sed an tunc reuera hoc modo facerem, Deus scit; tribuendo sibi quid ex nunc coniecturare possit, soli autem Deo Sciētiæ certitudinem? Possem tandem eandem assertionem probare ratione à priori, sed idipsū reseruo, cùm ostendere curabo, talia futura esse in seipsis cognoscibilia.

13 Secunda restat nunc probanda pars assertionis, quam facillimè conuinco, quandoquidem Decretum Dei liberum formale, nihil aliud superaddere potest Deo immutabili intrinsecè, vtpotè summè perfecto, & actui purissimo, nisi terminationem purè actiuam ad obiecta volita, vi cuius ipse immutatus, mutat reliqua, ergo Decretum virtuale, vel eminentiale liberum nihil aliud est, quàm virtus, vel continentia eminentialis de tali mutatione, hæc autem necessariò est in Deo, non liberè, estq; virtus Potentiæ, non actualis mutatio, ergo in ea possibilitas cognoscitur obiectorum volibilium, non futuritio: quia illa, quæ est necessaria, connectitur cum principio necessario: non hæc, quæ est libera: & si connexa esset cum principio necessario, necessaria, non libera esset: ergo talis cognitio futurorum liberorum in Decreto eminentiali Dei chimeram continet, quod videlicet effectus liber, & potens non esse, connexus sit cum principio necessario, & implicante non esse, sub ratione principij.

14 Relinquo autem hìc rationem, quam afferunt Patres plurimi Societatis pro ostendenda in Deo tali scientia, fundatam in eo, quòd ex contradictorijs necessum est alterū esse verum, alterum falsum; Cùm ergo hæc duo sint contradictoria; Petrus, si esset sub tali circumstantia, contereretur, Petrus, si esset sub tali circumstantia, non contereretur, non potest alterum ex his non esse verum; ergò, cùm nulla veritas obiecti actualis Deum latere valeat, cognoscat necesse est, quodnam ex dictis contradictorijs sit verè futurum. Relinquo sanè, eò quod regula cōtradictoriorū tunc est vera, quando in illis fit suppositio subiecti, affecti eisdem requisitis circumstantijs; Cæterum, si subiectū non supponatur, non valet regula, sed ambo possunt esse falsæ defectu subiecti in ambabus propositionibus; Si enim dicam, nūc Antichristus liberè amat, nūc Antichristus liberè non amat, ambæ propositiones sunt falsæ, quia deficit in Antichristo nunc principium liberè amandi, vel liberè non amādi. Cū autem illi, qui negant à Deo posse cognosci futura conditionata libera, ideò negent, quia ad futurum liberū, vel eius liberam carentiam requirunt actuale Dei Decretum, quod pro statu futuritionis conditionatè omninò negant: hinc est, quòd, iuxta horum principia, ambæ propositiones de futuro conditionato essent falsæ, ac de subiecto non supponente, & potiùs esset verū, quod nec vnum, nec alterum ex conditionatis sit futurum conditionatè, cùm ad vtrumque deficiat principium essentialiter requisitum.

15 Relinquo etiam probare assertionem ex Scriptura ijs locis, quibus Thomistæ, & Scotistæ eam probant; plura namq; ex Scriptura congerunt loca, volentes ostendere dari in Deo defacto efficacia Decreta de futuris conditionatè, in quibus, vtpotè efficacibus, & infallibiliter connexis cum obiectis volitis, benè hęc cognosci poterūr, vt cōditionatè futura: nō vtor, inquā, his Scripturæ locis, quibus vtuntur præfati Doctores, eò quòd non faciunt ad rem, de qua agimus: sermo namq; noster totus eò tendit, vt probemus, quomodò nec essentialis dependentia creatæ voluntatis à Deo, nec Prædestinatio Electorum, aùt damnādorum reprobatio creatæ voluntatis libertatem offendat: vndè totus consequenter dirigitur circa futura conditionatè, dependētia sub ratione futuri cōditionatè à voluntate creata libera. Et quidem difficultas in præsenti non nisi de his apud quempiam esse potest. Cæterùm quis vnquam negare potuit Deum potuisse, aùt defacto plura promisisse vel Angelis, vel hominibus, sub aliqua conditione operis danda, quæ, vt connexa cum simili conditione, benè possint cognosci, vt futura conditionatè, si videlicet foret talis conditio? Sed hoc modo, vt euidens est, conditio requisita à Nobis, pendet à Nobis: sed non connexio, vel futuritio conditionata effectus promissi, qui, si non esset Dei promissio, nullatenùs esset

set conditionatè futurus ex vi conditionis à Nobis liberè pendentis. Talia autem sunt omnia loca, quæ Thomistæ, & Scotistæ afferunt ad probanda in Deo actualia Decreta, conuincentia scilicet Decreta promissoria: nullum verò prorsùs afferunt, sed nec etiam afferre possunt, quo probent actuale Decretum Dei de futuro conditionatè opere nostro, prout infra, singula adducendo, euidenter ostendam: ergo ea afferre pro probatione principalis nostræ Conclusionis, est probare, quod non difficultatur, & quod probandum est, improbatum prætermittere.

16 Quæri hic solet ab aliquibus primò: An Deus cognoscat futura conditionata disparata, quæ scilicet ex se nullam connexionẽ, vel dependentiam vnius ab alio dicunt: vt, si Petrus percusserit terram, Turca dormiet, & similia. Sed hoc quæsitum est prorsùs vltra propositum: aut enim quæsitum hoc procedit supposito, quòd fierent connexa aliquo Decreto Dei, sicut, iuxta quod habemus 4. *Regum* 13. Dei Voluntate erat connexa percussio Syriæ cum percussione Terræ, facienda à Rege Ioas baculo; & hoc supposito non sunt ampliùs disparata, sed summè connexa, puta connexione orta ex efficaci, & insuperabili Dei Voluntate; nec quà taliter connexa, in dubium reuocari potest, si in conditione tali cognosci possint cõditionatè futura. Si verò quæsitum procedit de disparatis, vt disparatis, est de subiecto falsò supponente, nam quomodò vnum potest esse cõditio alteriùs, si disparatè se habeat ad illud, & in nihilo prorsùs ad illius esse cõducẽs? In similibus ergo propositionib' negãda sẽper est suppositio cõditionis, tãquã falsò suppones.

17 Quæri solet secundò, An & Deus cognoscat aliqua sua Decreta, vt futura conditionatè præcisiuè. Notanda est particula, *Præcisiuè*, nam Deus nihil velle potest de nouo in tempore, sed sua Voluntas non potest esse, nisi æterna, vt alibi probatur communiter: ergo nullum Decretum Dei potest esse positiuè futurum, quasi aliquando non extiterit; possũt nihilominus Dei Decreta dici futura præcisiuè, quatenus in aliquo signo naturæ, vel rationis Deus ex se est indifferens, & non determinatus, determinandus verò in posteriori signo, quo pacto pro primo signo Decretum non intelligitur existens, sed futurum tale in secundo signo; In hoc ergo sensu quæritur: An illo primo signo indifferentiæ Deus cognoscat, quòd haberet aliqua Decreta pro secundo signo, si supponerentur alia in ipso, tanquam conditiones ipsorum: e: g: quòd vellet merita, si vellet dare Gloriam hominibus.

18 Hoc quæsitũ non habet locũ apud illos, qui volunt futura conditionatè fieri talia per Decretum Dei actuale: nam cogitare in Deo tertiũ Decretũ, quo connectantur alia duo, vnũ, vt conditionatũ, alterũ, vt conditio, est chimerizare de Deo: v. g: vt priùs decernat volo, vt si vellẽ creare Mundũ, velim etiam creare in eo homines; quidquid etenim obtineret per hoc Decretũ, adhùc potest obtinere per illa duo, volo creare Mundũ, & homines in eo; non enim aliqua efficacitas participanda est in his duobus ab illo primo Decreto, hæc connectente: ergo illud Decretũ actuale connectens ad nihil inseruit, nisi ad se ligandũ, vt non possit deindè velle vnum, & nolle aliud, quasi, timens Deus, ne in secundo signo aliàs velit, ideò se ligat in primo; quis autem in Deo multiplicet Decreta absq; nouitate obiectorum, sed per præcisam sui ligationem, cũ Decreta libera in Deo non addant, nisi determinationem actiuam ex parte sui, & passiuam extra se, ac consequenter, vbi nõ est assignabilis extra Deum noua aliqua mutatio, nec distinguibile est nouũ in Deo Decretũ. Solùm ergo præsens difficultas locũ habet in eorũ sententia, qui ad futuritionem conditionatã non requirunt Decreta Dei actualia efficacia, connectentia futura cũ conditione: sed dicunt, quòd præcisè, sicut causa libera actu existens vi sua, vel ita inclinata per seipsam ponit extra se effectum: sic, posita sub conditione futura, vel se sola, vel cũ tali inclinatione reddit etiam eundem effectũ extra se conditionatè futurũ: vndè sensus difficultatis est, Vtrũ Deus in primo signo indifferentiæ suæ Volũtatis cognouerit, quòd, si pro secundo signo se determinauerit producere Mundum, se determinaret etiam producere in eo homines. In qua difficultate

19 Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia iuxta hanc sententiam, futurum conditionatè redditur in seipso cognoscibile sub tali ratione futuri, eò quòd, sicut, dũ causa existit realiter, ex propria determinatione, & non à determinatione alterius habet (de causa loquimur libera) vt ponat extra se physicè, & in seipso effectũ, vel nõ ponat; ita, cũ cognoscibilitas sequatur ad esse, dũ eadem causa cognoscitur, & ponitur obiectiuè in mente, trahit etiam extra se, & in seipsa cognoscibilitatẽ effectus eo modo, quo ponitur causa in mente, aut scilicet absolutè, si causa cognoscitur, vt existens, vel vt absolutè futura: aut conditionatè, si causa sub conditione cognoscitur futura; quamuis autem Decreta Diuina libera non admittant causalitatem vnius ab alio, admittunt tamen existendi consequentiam, vt ideò existat in Deo vnum, quia existit aliud, aliàs non extiturũ,

pro-

ut patet in eo, quòd ideò est in Deo volitio, seú electio mediorum; quia intendit finem, & alias non esset mediorum electio; sicut ergo vnú decretum est ratio, vt consequenter existat aliud; ita vnius cognitio est ratio, vt cognoscatur aliud, siue scilicet absoluté, siue conditionatè; ergo benè stat, quòd in primo signo, in quo decreta non adhuc intelliguntur, vt determinatè existētia, neq; vt absolutè futura determinatè: cū sermo sit de signo indifferentiæ voluntatis, cognoscantur, vt conditionatè futura, sicut verè cognoscibilia sunt ab ipso Deo; vt futura inquam præcisiuè, non positiuè.

20 Ex his remanent soluta fundamenta tū primæ, tùm secundæ opinionis, in eo vim totam facientium, quòd talia futura non sunt cognoscibilia nec in decreto, nec in seipsis, eò quòd non datur decretū actuale ad ea in Deo, nec in seipsis mutationem habent. Remanent, inquam, soluta; quandoquidem ex dictis patet, benè posse cognosci in seipsis; quamuis enim non sint mutata in seipsis physicè, redduntur tamen mutatà intentionaliter secundùm eorundem esse physicū; sicut enim quod cognoscitur, res ipsa physica est, licet nō physicè existēs, sed intentionaliter existens, ita futurum conditionatè mutationem sui physicam dicit, non quidem actū in se, sed in mente.

21 Quòd si indè replicet quis: ergo non est assignabile cui obiecto conformetur cognitio Diuina, vt sit vera: veritas enim est conformitas cognitionis cum obiecto; atqui in casu nostro obiectum in se nullo prorsùs modo est mutatum: cum causa mutans non supponatur in se: in mente autem Diuina repræsentaretur physica eius mutatio: ergo potiùs cognitio Diuina esset falsa; hoc autem implicat: ergo, & cognoscibilitas futurorum conditionatorum, ex qua id sequeretur.

22 Respondeo idem argumentum, si valeret, impugnare etiam cognitionem in Deo cōiecturalem; nam nec etiam causa coniecturaliter immutans actū supponitur. Dico ergo cognitionem illam diuinam non esse iudiciū de mutatione actuali obiecti absolutè, quasi iudicet Pettum v. g. fore absolutè conterendū, si ita vocaretur; sed quòd contereretur: ista autem contingens coexistentia contritionis Petri cū tali vocatione verè in se connexionem contingentē dicit; nā si de facto physicè in se ponitur gratia, & talis vocatio, physicè Petrus conteritur; in hac enim suppositione dicimus, talē contritionem fuisse conditionatè cognoscibilem, vt futuram; ergo diuina cognitio, quæ non affirmat rem esse, sed quòd esset, si esset conditio, verè conformatur suo obiecto in se, non quidem, quod est, sed quod esset physicè, si physicè esset conditio, ac cōsequenter verissima est.

23 Obijcies nihilominùs. Adhuc aliquas Sāctorum Patrum authoritates, nempè Augustini *lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14.* vbi in illud *Sapientiæ 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* ita loquitur, *dictum est secundùm pericula huius vitæ, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Ex quibus verbis patet concedere solūmodò Deo, Augustinū cognitionem periculorū præsentis vitæ, quæ est cognitio coniecturalis, nō verò præscientiā futuritionis eorū, quæ nō erant futura. Et clariùs *lib. de Anima, & eius origine cap. 12. Ipsa,* inquit, *exinanitur omninò præscientia, si quod præscitur, non erit: quomodò enim dicitur præsciri, quod non est futurum?* Item Diui Prosperi in Epistola ad Augustinū, in qua: *Nouo,* ait, *absurditatis genere, & nō agenda præscita dicuntur, & præscita actū non esse.* Ac tandem Damasceni in lib: in quo agit contra Manichæos, vbi ita loquitur: *Si Deus aliquem non condidisset; quia præsciisset peccaturū, non esset hæc præscientia, sed impostura: nā sicut cognitio est earum rerum, quæ sunt, ita prænotio est earum rerum, quæ certò futura sunt.*

24 Respondeo cùm communi Theologorū sensu, & ex locis ipsis, qui citantur, præfatos Sanctos Patres non agere in illis de futuritione conditionata rei secundùm se, sed sub ratione operis meritorij, vel demeritorij: attribuere autē rationem meriti, vel demeriti futuro conditionatè, chimæra est, tantùm abest, vt sit meritū futurū; Etenim futurum conditionatè, vt paulò ante dicebam, non dicit rem in se esse, sed puram connexionem inter effectum, & conditionem, vt cognitam: cùm autem meritū, vel demeritū debeant dignificare, vel indignū reddere operantem, vt actū moueat præmiaturū, vel puniturū ad mercedem, aut pœnam, non possunt ita mouere actū, quæ nec sunt, nec erunt; sed solū essent, si esset conditio: haberēt ergo, sed nō habēt rationē meriti; vndè tribuere illis actū sub statu futuritionis cōditionatæ rationē meriti, vel demeriti, actū mouētis, est impingere futuris solùm conditionatis futuritionem absolutā falsam, & chimærizatam.

25 Augustinus ergo in lib. de Prædestinatione Sanctorum Semipelagianos impugnans, incipit à capite 12. refutare illud, quod de paruulis morientibus ante vsū rationis ex sēsu eorū hæreticorū ei scripserat præcipuè Prosper in illis verbis: *Tales aiunt perdi, talesque saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina prauiderit,* indè videlicet haberi, quòd

quòd alij non moriuntur, nisi accepto Baptismate, vt saluentur; alij verò antequā lauacro regenerationis mundentur, & dānantur; quia illi præuisi sunt, quòd si vixissent, bene operati fuissent; isti contra, malè. Hoc autem oppugnare incipiens Augustinus à capite iam dicto 12. ait; *Quis enim audiat quòd dicuntur paruuli pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita, & ideò alij non baptizati in eadem ætate mori, quia, & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala, &c.* & hoc impugnans in toto etiam capite 13. & 14. præfata verba habet, quæ adducuntur in argumento. Pari etiam modo loqui in libro de Anima, & eius origine, constat; ibi enim Manichæos refutat sito; quòd asserebant transmigrationem Animarū, vt postquam moritur homo, si malè vixerit, in alio corpore purganda, releganda sit anima, etiam in animalibus, & arboribus, vel herbis; postquam autem plura capita, ex quibus id dici possit, refert, ac respuit, quartū caput impugnans ait: *Nec illud quartum eas animas paruulorum, sine Baptismate moriturorum à iusto Deo in carnem peccatricem relegari, atque damnari, quas præsciuit, si ad ætatē peruenissent, inqua libero vterentur arbitrio, malè fuisse victuras.* Vtrobiq; ergo non negat futuri conditionatè præscientiam in Deo, sed præscientiam meriti in his similibus futuris. Cæterum, præscientiam simpliciter in vno; & in altero admittit; in primo quidem: cùm ait cap. 14. *Si enim iudicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non haberent, morte præueniente, sed habituri essent, si viuerent, nihil prodesset ei, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Admittit ergo quòd essent merita, sed negat esse iudicanda, si nūquam erunt: & clarius in secundo loco, vbi talem pœnam pro demeritis, quæ non erunt, sed essent, oppugnans, ita habet. *Et de nullo mortuo baptizato potest esse securitas: quia & post Baptismum non qualitercumque peccare, verùm etiā apostatare homines possunt. Quid si ergo, qui baptizatus, hinc raptus est, Apostata erat futurus; si viueret?* Nonne totū hoc assertū est Augustini? quid autem post hoc negat, subsequētibus patet. *Nullū ne, subiungit, putamus esse collatum beneficium, quod raptum est, ne malitia mutaret intellectum eius.* ecce in quo consistit beneficium Dei rapientis: quia videlicet rapiendo, à malitia, quam præuisus est, quòd haberet, liberat. Et addit. *Et propter Dei præscientiam, non sicut fidele membrum Christi, sed sicut Apostatam iudicandum esse censebimus;* supponit ne hic scientia apostasiæ conditionatè futuræ, an negat? quis non videt supponere, sed non secundū eam asserat, iudicandū taliter præscitū; at potiùs secūdùm quòd actū, vt membrū Christi ex hac vita decedit.

26 Eodem modo loqui Prosperū, inde patet quia verba adducta ex ipso in argumento, illis annectit, quæ paulo antea retulimus. *Tales, videlicet, aiunt, perdi, talesque saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit*, quòd irridens subiungit; *sed in tantū quibuscunque commentitus meritis electionem Dei subijciunt, vt quia præterita, quæ non extant; futura, quæ non sunt, futura configant, nouoque apud illos absurditatis genere, &c.* Simili etiam modo loqui Damascenū, ex verbis ipsis adductis in argumento cōstat: etenim *Si Deus aliquem non condidisset: quia præsciisset peccaturū*, iam priuatione creationis puniret ob peccatū, ita præuisum, quòd solùm denominationem habere potest peccati, sed non tale in se est, *non esset* ergo hæc *præscientia, sed impostura*, imponēs homini peccatū, vbi nō esset peccatum, &c.

27 Possent hic afferri plurima, & plurima argumenta, quibus cognoscibilitas futurorū conditionatorū in seipsis oppugnari solet, & alia ad impugnandū actuale decretū circa eadem futura; sed quia hoc decretū ego nullatenùs admitto, & infra totis viribus, pluribus ostendam, nec posse dari, illæsa libertate, inibiq; probaturus sum, talia futura esse in seipsis cognoscibilia; ideò illùc argumenta impugnantia cognoscibilitatem similium futurorū conditionatè, tanquam in opportuniorē locū transferenda fore extimaui; interim ad grauiorem, imò grauissimam, quæ in toto tractatu de scientia Dei reperitur, difficultatem gradū facio. Vndè sit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Futura cōditionata libertatis creatæ cognoscantur à Deo in suo decreto efficaci, ac antecedenti, & per scientiā visionis; an potiùs in seipsis, & per scientiam mediam?

HÆc sanè difficultas hisce præsertim temporibus grauissima est, totq; ex capitibus discutienda, vt nisi in plura distribuatur, ac diuisim trutinetur, confusionem potiùs, & nauseam apta sit inducere, quàm claritatem, & legendi curiositatem; ad primas igitur vitandas, secundas verò conciliandas, eā in plures partes diuidere præstat. Sit ergo.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Proprium ſcientiæ mediæ ſignificatũ ab ijs, quæ falsò illi imponuntur, ſeiungitur.

28 OPpugnatores ſcientiæ mediæ, vt prima fronte eam odibilem reddant eorũ ſcripta legentibus, inde initiũ ſumunt, quòd adhuc nomen ipsum nouum ſit in Scholis; cũ nullus ex antiquis, loquens de futurorum conditionatè ſcientia, hoc nomine vſus fuerit. Deindè tranſeunt ad eius ſignificatũ, & quaſi, adhuc dũ nõ loquuntur, intelligi volentes, quid ſentiant, eam dicũt nulli alij ante vltimos illius Propugnatores, niſi Semipelagianis, qui, alio nomine, vocãtur Maſſilienses, familiarem fuiſſe. Ac poſtremò in ea explicanda in ſenſu, ſecundũ quem defenditur ab illius Sectatoribus, alia immiſcẽt, ab his, nec sõniata, alia verò quæ ab his adſtruũtur, ita imminuũt, vt reuera, nec Lectoribus, niſi mõſtrũ tradãt cõſpiciẽdũ; nec ipſimet impugnẽt, niſi quã ſibi fingũt ſciẽtiã mediã, nõ verò quæ à Doctoribus catholicis defẽditur. Hæc eadẽ ergo etiã à nobis ſub ipſo principio ita clarificanda ſunt, & vera ab adiunctis falſitatibus ſeiungenda, vt ſatis cuiq; appareat, quòd adhuc veri homines aliquando ſub adiunctis monſtrorũ figuris continentur.

29 Non eſt dubium, quòd nomen ſcientiæ mediæ nõ fuit in vſu apud antiquos, ſed ſub nomine ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, ſignificatam fuiſſe ex eo, quòd eius obiectum in ſe non tranſgreditur limites poſſibilitatis; ſed quid inde? numquid qui nomina noua adinueniũt ad diſtinguẽda ea, quę primitùs cõfusè ſignificabãtur, ex hoc debẽt reddi odioſi, ſi reuera diſtinguenda diſtingunt? quid autem certiùs eſt, quàm quod futurũ conditionatè aliquid addat ſupra poſſibile? de poſſibili enim tam Petrus vocatus conſentire poteſt, quàm non conſentire; ſed impoſſibile eſt, vt ſimul futurũ ſit, quòd conſentiat, vel non conſentiat. Et ſi ſcientiam mediam oppugnantibus, licet cognitionem Dei de talibus futuris conditionatè reducere ad ſcientiam viſionis, quamuis obiectũ eius nũquam ſit extiturũ, ex eo præcisè, quòd cognoſcitur in aliquo decreto, vt aſſerunt, exiſtente; quid ſi hoc decretũ non admittatur? vocari ne etiam debet, ſcientia viſionis? certè quòd non; quia hæc eſt de obiecto, vt in ſeipſo phyſicè mutato; vocare autem ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, eſt confundere ſcientiam de obiecto, vt determinato ad vnũ, cũ excluſione alteriùs, tanquã eandem cum ſcientia æquè reſpiciente oppoſita; qui ergo negant talia decreta actualia in Deo circa obiecta conditionatè futura, nonne meliùs faciunt, ſcientiam illorũ vocando, mediam? Quid ergo eſt vociferare contra nouitatem nominis, quando iam in re aliundè contra eoſdem ſcientiæ Defenſores clamatur, quòd familiaris fuit antiquis Semipelagianis, qui fuerunt tempore Auguſtini, & etiam ſaltem aliquando Auguſtino, ipſis Aduerſarijs concedentibus, vt infra patebit, & Ego probabo, ſuo loco, familiarem eſſe, & veluti ingenitam toti generi humano?

30 Quòd autem hæc ſcientia media fuerit familiaris Semipelagianis, numquid, quia etiam illis fuit familiaris ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, propterea iſtæ maculam inde contraxerunt? Ego puto, & infra probabo, tunc temporis, & ab initio, familiare fuiſſe omnibus; ſicut etiam nunc, Aduerſarijs exceptis, Deũ cognoſcere omnia, quæ in quacumq; poſſibili combinatione euenirent ſub talibus, & talibus circumſtantijs, ſi eſſent, indè præcisè, quia in ſe taliter euenirẽt, nulla habita reflexione, & reſpectu ad Dei decretum actuale, quòd ita ſcilicet determinauerit Deus, de quo nullus audet ſcrutari, quid liberè voluerit. Hæc autem eſt in terminis ſcientia media; non ergo eam adinuenerunt Semipelagiani, ſed etiam ipſi ex communi omniũ ſenſu didicerunt: quam ùis deindè, & ea malè vſi ſunt, & præterea eã dilatauerũt ad obiecta impoſſibilia; & quoad hæc, non quoad ſcientiã mediam ſimpliciter, & ſecundùm ſe, fuerunt ab Auguſtino impugnati, vt ſuis in locis conſtabit.

31 Venio iam ad ſignificatũ ſcientiæ mediæ, vt ex hoc eluceat, & quantũ diuerſa ſit ab ea, quam adſtruebant Semipelagiani; quantũ item conformis ſit ſui obiecti veritati; ac tandem quomodo in ſe includat omnem prorsùs dependentiam à Deo, vt à prima cauſa præuolente, & præmouente, non verò quaſi Dei voluntatem præcedat, vt ſaltem in modo loquendi, volũt ipſi attribuere, qui ipſam oppugnant. Vt tamen hoc lucidiùs exhibeam, eam è regione ponam cũ ſententijs oppoſitis; hinc namque forſan ſuo gratiori aſpectu, non tam animos intuentiũ ſibi reconciliabit, verùm etiam præ alijs ad ſui amorem corde compellet.

32 Thomiſtæ in eo conſtituunt dependentiã creatæ voluntatis, ſicut & cuiuslibet creaturæ à Deo, quòd non solùm eſſe habeat ab ipſo, & nihil poſſit, niſi Deo præuolente cum

ea ad vtrúlibet concurrere, verùm etiam nihil præ alio velit de facto, nisi præuolēte determinatè illud Deo, & determinante etiam ipsam creatam voluntatem ad illud idem; inde autem nos operari liberè, quòd licet vt à Deo formaliter determinati non possimus oppositum, vel operationem relinquere; quia tamen, spectata voluntate secundū se, posset vel vnum, vel alterum (in quo cōsistit libertas,) dum Deus vult suo decreto, quòd voluntas, vt determinata, non valeat, nisi vnū; vult etiam, vt secundùm se possit vtrumlibet; & ita, dicunt, voluntas creata omne, quod operatur, infallibiliter, & necessariò operatur in sensu composito; idest prout determinata à Dei voluntate: sed fallibiliter, & liberè in sensu diuiso; hoc est, spectata secundùm se, & præcisa illa determinatione à Deo: quamuis hic sensus diuisus, seu voluntas secundùm se, nunquam sit reducibilis ad actum, nisi vi sensus compositi, seu vt determinata à Deo; eo quòd creatura non potest se primò determinare; & ita liberè actū operari dicit hæc, quòd potentia potens vtrumlibet, sed vt talis numquam reducibilis ad actum, reducatur ad actum per id, sub quo formaliter operatur, vt non potens oppositū. Vt autem hanc doctrinam, quæ suo aspectu conspicientium oculos turbat, blandam reddant: dicunt, quòd illa Dei determinatio se tenet ex parte actus secūdi; non ex parte actus primi: & ideò nostram nō offendit libertatem; sicuti, dum sedemus, nō possumus nō sedere; sed non ideò, nō liberè sedemus. Pulchra certè paritas inter actum secundum nostrum sedendi, & actum secundum Dei, non nostrum; determinatio namque illa certè actus secundus Dei liberè volentis est, sed antecedit, tamquam causa determinatiua nostri, omnem actum secundum à nobis possibilem: non est ergo actus secundus noster, sicut est sessio: & ideò paritas nulla prorsùs est; sed de hoc, sermo suo loco redibit.

33 Iuxta hanc doctrinam dicunt, quòd, sicut non potest Deus per scientiam visionis cognoscere futura absoluta, nisi in suo decreto efficaci, & antecedenti determinatiuo non solùm effectus, sed etiam voluntatis creatæ; (loquimur semper de futuris liberis, pendentibus à voluntate creata) ita nec potest similia futura conditionatè cognoscere infallibiliter, nisi in suo simili decreto, nempe quidem sub conditione accepto huiusmodi, si vellem, vt Petrus contereretur, & vellem dare gratiam efficacem, ipse contereretur; quia, inquiunt, hoc modo non est cognoscere futura conditionatè, vt futura, sed cognoscere in vi connexionis: non aliter, ac cū Deus cognosceret, si lapis esset homo, esset risiuus: sed requirunt decretum actuale, antecedens, efficax, & absolutum ex parte sua, & conditionatum ex parte obiecti, hoc est, absolutam voluntatē Dei de aliquo dependenter ab aliqua conditione, non adhuc volita: e: g: volo, vt Petrus conteratur, si voluero dare talem gratiam efficacem. In quo etiam notanda est ista volūtas qualis sit, dum est efficax volitio operis Petri, & suspensio gratiæ efficacis, quæ ad illud est medium omninò necessarium: quomodo namque stat, voluntatem Dei esse efficacem de fine, & suspensiuam de medio necessariò ad finem, non ab alio pendente, quā ab ipso volente finem?

34. Scotistæ verò, iudicantes decreta hæc ita antecedentia, & determinatiua voluntatis creatæ ad vnū, libertatē in operando huic adimere, recursum habuerunt ad decreta cōcomitantia, vt simul conseruetur dependentia voluntatis creatæ à Deo, & quòd nonminùs, quàm Deus determinat seipsū, creata etiam voluntas determinet se; consistit autem hæc decreti concomitantia in ratione causæ, non tempore: videlicet, quòd licèt voluntas Dei de concurrendo cū Petro determinatè ad hunc actum contritionis potiùs, quàm ad oppositū, sit ab æterno: nō tangit tamen, nec voluntatem creatam operaturam in tempore, ad illū determinat: sed relinquit ipsam à se determinandam. At quoniam hinc sequi vident, quòd stante hac indifferentia voluntatis creatę cum decreto Dei purè comitante, non est vnde voluntas creata semper ad idem determinet se, ad quod se determinat Deus; cùm enim indifferēs remaneat, nihil impediet quominùs, determinante Deo contritionem, ipsa nō se determinet ad oppositū: & ita vel illius determinatio non potest habere effectum: & iam non poterit, nisi vnū, quod determinat Deus: ac consequenter libera non est: vel ipsa, & non Dei decretū habebit effectū: & ita decreta Dei non supponuntur efficacia ad vnū, sed indifferētia ad quod voluerit voluntas creata. Huic, inquam, difficultati occurrere volentes, iam in re transeunt ad partes Thomisticas de decreto antecedenti, retento solo nomine decreti comitantis: quandoquidem dicunt, velle diuinū, ratione suæ eminentiæ, connexionem habere cū tali determinatione creatæ voluntatis: & ratione huius connexionis, semper voluntatem creatam ad idem se determinare, ad quod se determinat Deus. Quis hic non videt, Deum esse continentiam virtualem nostræ volūtatis: ex eo, quòd quidquid creatū est, Dei participatio est, non formaliter; quia creatura non est Deus: sed efficienter; quoniam à Deo est? Iam ergo tanquam causa, decretū

tũ Dei determinat, etiam voluntatem creatam. Et adminus, cùm non possit creatura subterfugere eminentialem Dei continentiam, non poterit aliud determinare, quàm determinauerit Deus; ergo iam vi determinationis Dei fit ipsa non potens, nisi vnum: ergo determinata; & nonne est ista sententia Thomistarũ? Euanuit ergo decretũ cõcomitans non tangens, nec determinans voluntatem creatam ad vnũ, sed eã relinquẽs ad vtrũlibet indifferentem, & à se determinandam.

35 Propugnatores autem scientiæ mediæ, hoc modo discurrunt; Quòd nimirùm, nihil penitùs possit creata voluntas, nisi præuolente Deo concurrere ad illud idem: sed quoniam creaturæ sunt Dei participatio, nec possunt aliquid exigere, vel posse, quod illis non valeat subministrare, tanquam Dominus, & à quo omnia, Deus, non verò iure necessitatis; hinc fit, quòd, cùm libertas in eo sistat, vt potens vtrũlibet, ipsa ex illis determinet sibi, quod maluerit, exigit, vel indiget sub propria participatione libertatis ad liberè operandum, vt præsupponat Deum non volentem, aut determinatum ad vnũ; quo pacto voluntas creata non fieret potens, nisi vnũ: sed volentem, & determinatũ ex parte sua ad vnũ, & alterũ, relicta voluntati electione, vt se applicet, cui maluerit.

36 Ex hac autem doctrina, nõ sequitur, quòd creatura se determinatura erit, antequàm Deus se determinet; nam nisi Deum, potentem ex suo dominio cum illa concurrere, vel non; aut concurrere siue ad vnũ, siue ad vtrumlibet, supponat iam determinatũ, vt velit cũ illa concurrere, nihil poterit determinare voluntas creata: quod autem solùm sequitur, est, non debere Deum supponi determinatũ ad vnũ, sed ad vnũ, & alterũ, vt relinquatur libertati creatæ eligere sibi vnũ ex illis duobus, quod ad cõplementũ potẽtiæ liberæ, offert Deus, vt Conditor perfectus naturæ. Non loquor pro nunc, an cũ Prædestinatis in ordine ad benè operandum, præter hæc, aliquid aliud exhibeat; sed loquor vniuersaliter de Deo, vt Conditore, & Authore liberi arbitrij creati, præcisè ad liberè operandum: atq; hoc modo dico, supposito, quòd Deus velit, vt creata voluntas possit liberè operari, debet etiam antecedẽter velle cũ ea concurrere siue ad vnũ, siue ad alterũ: vel, vt meliùs loquar, ad omne, quod potest ex se voluntas creata, ad nihil eam determinãdo, sed relinquẽdo ipsi, vt se applicet, cui voluerit; & aliter non se gerer, vt Author naturæ, complendo eam iuxta indigentiam, & exigentiam, sed vt Dominus absolutus.

37 Sed ecce nunc ob omniũ oculos conspiciendũ, atq; diiudicandũ trado, in quo Thomistas, & Scotistas offendit prærecensita doctrina: dicunt namq; ex ea euidenter sequi, perturbari essentialem ordinem subiectionis creaturæ ad Deũ; si enim nõ priùs Deus se determinat ad concurrendũ ad hũc determinatũ effectum potiùs, quàm ad alium, sed solũ se determinauit ad vtrũlibet, ergo vt deindè concurrat determinatè potiùs ad hunc, quàm ad alium, id habet à determinatione creaturæ: ergo ordine inuerso, causa secunda determinat primam: Dominus fit seruus, & seruus Dominus. Sed quàm infœliciter ex præfata doctrina, ista inferantur, mox ostendam.

38 Doctrina præfata supponit, vt patet, Deũ, qui ex propria voluntate, & determinatione voluit creaturam condere liberam, ex proprio etiam dominio, voluntate, & determinatione, qua vult illam complere, vt sit proximè potens liberè operari, se determinasse ad concurrendũ tali pacto cũ illa: Volo exhibere meũ concursũ ad actũ amoris, huic voluntati, si ipsa ad actũ amoris, se determinare voluerit; & ad actũ odij, si odio potiùs se applicauerit: vel in vniuersum volo cũ ea concurrere ad omne, ad quod in suo genere habet posse, iuxta quod, vt in se libera, se determinauerit; stante autem hac Dei prima, & voluntaria sui determinatione, cui quæso obuiũ non statim est, non posse vi eiusdem voluntatis vlterius cohibere, se Deũ à concursu determinatè exhibendo ad amorem, si voluntas creata se determinabit ad amorem? nemini certè. Sed scrutemur modò: vnde sit ista necessitas: vnde nãque est ista Dei necessitas, inde est, eiusdem Dei determinatio Pone ergo Deum non determinatum ad concurrendum cum voluntate creata, & quòd hæc per impossibile se determinet ad amorem, numquid inde fiet determinatus Deus ad præstandum suũ concursum ad amorem? si hoc esset, tunc inferrentur absurda, quæ congerunt Thomistæ, & Scotistæ: sed hoc nec somniant scientiæ mediæ Defensores; sed dicunt, ex efficacia Diuinæ voluntatis, quæ facit omnia, quæ vult, haberi, vt non possit non poni id, quod Deus voluit, eo modo, quò voluit poni: voluit autem Deus iuxta datam doctrinam, poni suum concursum ad amorem, si ad ipsum accedat concursus creatæ voluntatis; non ad amorem, sed ad odium, si ad hoc se applicat voluntas creata; ergo hac purificata conditione, decretum illud non potest sua efficacia non exire in actum secundum; ergo voluntas creata determinat præcisè se, non Deum, sed iste vi suæ antecedentis determinationis exit in actum per hoc, quòd

vo-

voluntas creata determinet se, quæ erat cõditio requisita, vt decretum Dei exeat in actum.

39 Insurgit nihilominùs aliud offendiculũ, quòd ita decreta Dei sint veluti suspensa, & non executiua suorum obiectorum, nisi expectato consensu, & determinatione creaturæ. At si hæc sunt Scrupuli, necesse est, vt velint isti scrupulosi Deum nemini malè operãti pœnas cõminari posse, ne Deus suspẽsus remaneat in executione, quæ requirit malitiam ab ipso Deo impossibilem. Nec posse prætetea Deũ velle cõcurrere, nec quidẽ antecedẽter, & inefficaciter cũ volũtate ad vtrumlibet; cũ enim hoc decretũ debeat esse reale à parte rei, vt à parte rei voluntas sit potens vtrumlibet, iam esset vacuum, & suspẽsũ ex vna parte. Rursus necessitabũtur isti scrupulosi dicere, æquè Deum futurum prouisorem naturæ, ac nunc est, si igni præparasset concursum ad frigefaciendum; & aquæ ad calefaciendum, ne dicatur Deus ab exigẽtia creaturæ expectare, vt dicatur iuxta eius indigentiam munus peragere Authoris naturæ. Sunt ne isti rationabiles scrupuli? Dico ergo Dei decreta nihil expectare à creatura, tanquàm ex necessitate, vel iure orto ex creatura; sed iure, & necessitate orta ex ipsa suppositione decreti; sicut enim si vult aliquid dare, vt præmium, vel pœnam, non potest hæc voluntas executionem habere, nisi expectato merito, & demerito creaturæ; si vult munus Authoris naturæ agere, non potest id exequi pro suo libitu, cõcurrendo cum igne siue ad calorem, siue ad frigus, sed debet sic agere cum igne, sicut iste exigit, & idem dico relatè ad cætera agentia: ita si cum creatura rationali munus vult exercere Authoris naturæ, non debet ità velle concurrere, vt ab ipso sit determinata executio operis, sed à libero arbitrio, cuius natura talis est, vt ipsum sibi determinet opus. Nota verba illa *Si vult*, nam liberum est Deo id velle, vel nolle, sed si vult agere conformiter ad naturas rerum, non potest ex suppositione huius voluntatis, creaturæ rationali determinare vnũ in ijs, in quibus exigit sibi relinqui electionem.

40 Iuxta autem prædicta de subiectione essẽtiali creatæ voluntatis, & indigentia, quam habet in statu absoluto, vt possit operari, pariter est discurrendum de futuris conditionatè liberè, pendentibus ab eadem voluntate, translatis ijs, quæ dicta sunt de statu absoluto ad statum conditionatum, vt videlicet, sicut cõtritio Petri nõ ideò est, vel erit; quia Deus illã priùs determinatè voluit, & volũtatẽ Petri ad illã determinauit; sed benè potest esse quia Deo cõcurrente indifferẽter cũ Petro ad opposita, iste sua voluntate se determinauit ad contritionem potiùs, quàm ad oppositum: ita eadem contritio fuit aliquando conditionatè futura; nõ quia Deus illam ita determinauit: volo, vt Petrus cõteratur, si illi voluero has conditiones, & circũstãtias; sed quia causæ talis cõtritionis fuerunt cognitæ cõditionatè: hoc modo, à Deo, si voluero creare Petrum, & concurrere indifferenter cum illo in talibus circumstantijs, ipse se determinabit ad contritionem: sicut enim veritas absoluta effectus requirit suas causas in statu absoluto, & istæ ponunt absolutè extra se veritatem absolutam effectus: ita eædem, positæ conditionatè, ponent conditionatè extra se eundem effectum futurum: & eædem, vt possibiles, reddũt extra se possibilem eundem effectum; & talem effectum, vt extra causas conditionatè futurũ cognoscere, est scientia, quæ vocatur, media.

41 Colligitur autem ex his primò: non benè ab insectatoribus huius scientiæ dici, quòd Deus iuxta huius scientiæ principia, sua præscientia media perscrutatur ante omne suũ decretum, quid voluntas creata in talibus circumstantijs efficeret; malè enim, & falsò id imponitur huius scientiæ Defensoribus; sicut namque asserimus nihil penitùs posse creatam voluntatem, nisi prævolente Deo illam complere, & cum ea concurrere; ita dicimus, nihil posse à Deo cognosci tanquã conditionatè futurum à voluntate creata, nisi præsupposito Dei decreto completiuo: sed eo modo, quo est futurus effectus, scilicet, in statu conditionato, si effectus est purè conditionatè futurus; in actu verò, si effectus est absolutè futurus. Scio, quòd Aduersarij, dùm dicunt ante decretum Dei; intelligant decretum, vt absolutè existens: sed vellem, vt loquentes de effectu sub conditione futuro, dicerent, sicut dicunt Assertores scientiæ mediæ, videlicet, effectum nostræ voluntatis semper eo modo, quo est, supponere Dei decretum, sed non alio modo; sic enim debent loqui, ne falsò Auditores concipiant, quòd nos doceamus aliquid posse concipi, vt exiens à nobis quoquo modo, & non primò eodem modo, exiens à Deo.

42 Colligitur secundò: falsò etiam doctrinæ de scientia media impingi, quòd in ea asseratur, voluntatem creatam esse primum determinatiuum effectus, ab eo pendentis; sic enim nudè nunquàm admittitur talis propositio in doctrina de scientia media: quandoquidem prædicta propositio, vt iacet, negat etiam, voluntatem creatam prædeterminari à Deo ad hunc, vel illum effectum disiunctiuè, quod negari non potest; nam tantũ potest voluntas, quantùm determinatè vult Deus

Deus illam posse: quòd ergo se determinet ad hûc effectum, habet etiam à determinatione Diuina, sine qua se determinare non posset; quòd autem secundùm puram propriam determinationem habet, & non immediatè à Deo, modò suo loco explicando, dumtaxat est, ad hunc determinari præ illo, quòd non haber, nec potest à Deo habere, quòusq; Deus velit cum illa exercere munus Authoris naturæ, & non absoluti dominij, vt patet ex dictis: sed quo ad hanc præcisam rationem electionis vnius effectus, vel obiecti præ alio, nec benè dicitur voluntas creata primum determinatiuum: sed debet dici vnicum determinatiuum, cum eidem soli relinquatur electio: loquor, vt supradixi, vniuersaliter, præscindêdo pro modo, si in statu absoluto respectu Prædestinatorum aliquid speciale sit dicendum; licet id nunquam dici possit in statu conditionato.

43 Colligitur tertiò, quòd sicut apud Catholicos de fide est, nullum, posse voluntatem creatam, & præcipuè post lapsum originale, elicere actû bonum, & multomiùs meritorium præmij supernaturalis, siue Fidei, siue voluntatis petendi, quærendi, pulsandi, aut cuiuscumq; alterius boni contra errores Pelagianorum, & Semipelagianorum, absq; auxilio gratiæ, per Spiritum sanctum infusæ: ita pariter nec potest dari scientia media, nisi chimærica, de futuritione similiû operum conditionatè, sine suppositione conditionata eiusdem gratiæ: & talis est scientia media, quâ defendunt Catholici. Scientia autem media familiaris Semipelagianis præcipuè erat de fide naturali in Deum, & Christum, ac naturali voluntate implorâdi à Deo auxilia gratiæ, vt infra probabo: ea namq; vtebantur, prout colligitur ex Epistola Prosperi ad Augustinum, ad respondendum obiectioni, quæ ipsis ex Augustino opponebatur, desumpta ex morte Infantium ante vsum rationis, quorû aliqui baptizantur, & saluantur sine proprijs meritis, ac cósequenter ex gratuita Dei voluntate: alij absq; Baptismo decidunt, & damnantur, nô miserente Deo horum, sicut illorum: ergo Dei est, alios ex misericordia condere in vasa honoris, & alios in vasa iræ, operante sua iustitia; & non ex antecedêti nostra fide, & bona voluntate; Et respondebant tales saluari, talesq; damnari; secùdùm quod eos præuidit futuros, si ad actiuam ætatem peruenissent: vbi cùm agatur de discretione saluatorum per Baptismâ, de ijs operibus loquuntur, quæ possunt antecedere, vel esse meritû, & occasio collationis Baptismatis: non verò de operibus subsequentibus ad illud; scilicet, de Fide, & Voluntate, quâ habituri essent post Baptismâ, si vixissent, usque quo ratione vti potuissent. Et præterea in assignando quare his temporibus, & nô alijs fuerit prædicatum Euangelium, & ad hos, & non ad omnes peruenerit Euangelica doctrina: cui interrogationi, vt ex Prospero liquet: respondebant, iis non fuisse temporibus prædicatum Euangelium, quando præuidebantur non credituri, & eis fuisse concessum, qui fuerant præuisi credituri. Scientiam ergo mediam specialiter adstruebant, eaq; vtebantur in ordine ad fidem, & bonâ voluntatem naturalem recurrendi ad Deû sub conditione præuisam; quæ quidem scientia est chimærica, sicut chimærica erat scientia visionis, quam astruebant de similibus obiectis impossibilibus: nemo enim, vt probat Augustinus, potest viribus proprijs in Deum credere vera Fide, nec bona voluntate absq; auxilio gratiæ, ad Deum conuerti. Scientia ergo media, de qua mentionem faciunt Prosper, & Hilarius ex sensu Semipelagianorum, chimærica erat, ratione obiecti impossibilis, & valdè aliena ab ea, quam tenentur Doctores catholici; quod clarius patebit; cum Semipelagianorum errores referam infra.

CAPVT SECVNDVM.

Decreta Dei efficacia, & prædeterminantia voluntatem ad vnum in ordine ad actus liberos voluntatis creatæ ex Scriptura, & Côcilijs reprobantur.

44 Explicata iam differentia inter eos, qui scientiam mediam oppugnant, & eos, qui ipsam læto animo fouent, ac tuentur: vt stabiliùs huius scientiæ notitia apud legentium corda radices figat, operæ pretium duxi, priùs ostendere, nô satis Scripturæ, & Concilijs oppositas sententias cohærere. Et quoniam, vt suo loco clariùs ostendam, opinio Scotistica ore tenus, non re à Thomistica differt, ab huius, incipiam refutatione; primò quidem ex Scriptura, & Concilijs, deindè authoritate Augustini; postea ex mente Angelici Doctoris; ac postremò euidentia rationum.

45 Antequàm autem ad impugnationes deueniam, notare oportet vnum tam ab Aduersariis, quàm à nobis habitum tamquam quid euidens: videlicet, quod si aliquid in-

sta-

statu absoluto positum, libertatem, aùt operari proprium principij liberi destruit; eodem modo, si in statu conditionato ponatur, idem præstabit in suo genere; ratio est euidens; quia status conditionatus, nihil nouũ, vel diuersum importat ex parte principij efficientis, & ex parte effectus; sed eædẽ causæ, & effectus, qui actù sunt, fuerunt conditionatè in illo statu, & solùm differentia est ex parte modi essendi, vel cognoscendi; sic, siue in nostra, siue in aduersariorum opinione, Petrus, qui nunc absolutè conteritur; vel quia ita voluit Deus suo decreto efficaci; vel quia ita, stante Dei decreto indifferẽti, ex sui determinatione id facit, idem ipse conditionatè acceptus, si scilicet, esset, & esset simili decreto Dei siue efficaci, siue contingente, vtrumlibet reddit contritionem eãdem, vt conditionatè futuram; ergo si hoc Dei decretum in statu absoluto Petri facit, vt non operetur liberè; idem faciet in statu conditionato. Quocunq; ergo argumento probabo, repugnare decretum Dei cum libertate, & modo operandi principij liberi, siue id probem in statu absoluto, siue conditionato, pro vtroque statu indiuisibiliter valebit: sicut, & ego concedo Thomistis, quòd si probent de facto in statu absoluto decreta Dei efficaciter prædeterminantia voluntatẽ creatam ad suos actus liberos dari, vel non repugnare; non repugnabunt; vel etiã benè admittentur in statu conditionato. Hoc ergo supposito.

46 Arguo primò contra sententiam, talia decreta prædeterminatiua voluntatis, admittentem, ex illo Eccl. 15. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ex cuius loci vltimis verbis, sic argumentũ efformo: Locus iste Ecclesiastici nõ est de vita, & morte finali, seu perpetua beatitudinis, & damnationis, sed de vita operũ bonorum, & morte operum malorum; vt patet ex toto contextu, qui talis est. *Non dixeris per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris, nõ dicas ille me implanauit, nõ enim necessarij sũt ei homines impij omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eũ in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua; si volueris mandata seruare conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere.* Nonne hæc omnia sũt de operibus, vt liberè procedentibus ab homine? secundum hanc autẽ libertatem, subiungitur. *Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, &c.* vt scilicet, significetur à libertate hominis esse, si applicetur operi bono, vel malo, & secundùm quod voluerit, erit illi opus, siue bonum, siue malum; ergo, vt verum sit, sicut verùm est, *quod placuerit ei, dabitur illi,* debet esse talis libertas ad opus, vt valeat: ideò Deus dat illi hoc opus, siue bonum, siue malum; hoc est, subministrat ei, quod ex parte sua subministrare debet, vt prima causa, quia ita placet volũtati hominis: atqui id non verificatur in sententia, adstruente decreta determinata ad vnum; sed in sententia, astruente decreta indifferentia: ergo hæc, non illa consona est huic Scripturæ loco: minor probatur: quia in aduersariorum sententia, non ideò Deus concurrit actù ad hoc: quia creata voluntas se determinat ad hoc: sed è contra: ideò voluntati placet, & se determinat ad hoc; quia ad hoc illam Deus determinauit; sub qua formali determinatione, infallibiliter sequitur determinatio voluntatis; ergo non est verùm: ideò datur illi iste concursus ad hoc opus; quia ita illi placet; sed contra: ideò hoc illi infallibiliter placet: quia hoc fuit illi datum: non ergo verùm esset, *quod placuerit ei, dabitur illi,* quibus verbis, complacentia voluntatis ponitur, vt præterita; & datio Dei tanquàm futura, ad insinuandum ipsum velle creatæ voluntatis præcedere Dei datum; sed potiùs verùm fuisset dicere, quòd datum fuerit ei, placebit illi. In sententia autem de decreto indifferenti, manifestè stant præfata verba: nam Deus, antequam voluntas creata se determinat, nihil determinatè exhibet; sed euadit decretum Dei determinatum ad hoc præ illo, purificata conditione: quia scilicet, creata voluntas se determinat ad hoc: ideò Deus dat concursum ad hoc.

47 Respondebunt Aduersarij primò: præfata verba procedere de vita, & morte perpetua, quæ in executione nõ dantur, nisi supposita voluntate creaturæ rationalis merentis, vel demerentis; quamuis in verbis antecedentibus iam adductis Contextus, sermo fit de operibus; inchoatur tamen sermo de vita, & morte æterna à versu 16. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere,* & ita argumentum ruere.

48 Verùm hanc responsionem non posse vllatenus subsistere; patet non solùm ex contextu antecedenti, sed etiam toto subsequẽti; qui semper est de operibus; quod autem in versu 16. tangatur conseruatio, & stabilitas vitæ æternæ, indirectè id ponitur, tãquã correspondens operibus, de quibus sermo directè est in eodem versu; cùm dicitur. *Si volueris mandata seruare.* Cæterùm, communi sensu, per illa verba: *apposui tibi ignem, & aquam, ante hominem vita, & mors; bonum, & malum,* libertas in operando significatur: cũ præcipuè per illud; *porrige manum tuam,* vbique opus significetur apud omnes Sanctos

Pa-

Patres: nemo enim ad mortem æternā porrigere dicitur manus, ſed inuiti trahūtur, qui illas patiuntur. An non eodem modo ſunt illa verba Deuteronomij 30. verſ. 15. *Conſidera, quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum: & econtrario mortem, & malum?* quid tamen priùs dixerat? *Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in ſobole vteri, &c.* quæ in ſenſu viuificante opera bona ſignificant, *ſi tamen*, ſequitur, *audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta eius, & reuertaris ad Dominū Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, &c.* Quid item ad prænarrata verba de vita, & bono ſubſequitur? *vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius*; ecce ergo quæ eſt vita, & bonum, quod propoſuerat. Verſu item 19. *Teſtes inuoco*, replicatur; *Cælum, & Terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & mortem: benedictionem, & maledictionem; elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum.* Sed audiant, quæ ſit iſta vita, *& diligas*, ſubiungitur, *Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas: ipſe eſt enim vita tua, & longitudo dierum tuorum*; hæc eſt vita prima libertatis, ad quam exhortamur, & cui ſucceſſura promittitur alia perpetua per ſubſequentia verba, *Vt habites in terra, pro qua iurauit Dominus Patribus tuis Abraham, Iſac, & Iacob, vt daret eam illis.*

49 Reſpondebunt ſecundò forſan in præcitatis locis ſermonem eſſe de formali bonitate, & malitia actionis, quæ naſcitur, vt talis, à libertate. Sed, ſi fiat reflexio ad verba prima citata ex Eccleſiaſtico, nemo ſimilem cogitabit reſponſionem: dicitur namque, *quodcumque voluerit, dabitur illi*: numquid homo vult malitiam, & Deus illam ipſe dabit? quis hoc ſomniabit?

50 Reſpondebunt tertiò argumentum plus probare: nam ſequitur opus bonum potiùs eſſe à nobis, quàm à Deo, ſi ideò illud nobis dat potiùs, quàm concurſum ad malum, quia nos volumus: quod eſt contra innumerabilia loca Scripturę, quorū aliqua adduxerūt. Sed cōtra: quia ſicuti ſunt plurima loca Scripturæ, quæ gloriam Prædeſtinatorum dicunt eſſe ex gratia: alia, quòd ſit corona iuſtitiæ: & vtraque loca componuntur per antecedentiam intentionis, & ſubſequentiā executionis: ita verificatur opus bonum eſſe ex gratia Dei potiùs, quàm à nobis: quia gratia præueniens trahit noſtrum velle. Verificatur item, quòd Deus illud nobis dat, quia illud volumus, in ordine ad determinationem operis, ſeu concurſum non determinatum, ſed determinandum à nobis.

51 Arguo ſecundò: ex prætacto loco Deuteronomij 30. *Teſtes inuoco hodie Cælum, & terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem; elige ergo vitam, vt viuas.* Cui ſimilis eſt ille Ioſue vltimo, *Optio vobis datur, eligite hodie, quod placet.* Et ille 2. Regum 24. *Trium tibi datur optio, elige vnum, quod volueris ex his.* In quibus locis, vt patet, non ſignificatur ſolùm, quòd voluntati relinquatur, vel detur potentia ad vnum, aut aliud, ſed præterea, quòd electio, & optio vnius ex pluribus, ei oblatis, relinquatur ipſi voluntati, vt illud potiùs, quàm hoc eligat, vel ecōtra, ſecundùm quòd placuerit, vel voluerit. At hoc nullatenus ſtat cum decreto Dei prædeterminatiuo voluntatis creatæ; ergo, &c. Probo minorem. Ante hoc decretum Dei, in hac ſententia, implicat voluntatem creatam eligere: quādoquidem implicat creaturam operari, non operante Deo, tāquam prima cauſa primò mouente, & determinante ſecundam; ſtante autem Dei huiuſmodi decreto, implicat, implicantia orta ex ipſo decreto, omnis alia operatio, præter illam, quæ eſt determinata à Deo; ſed hoc modo operans voluntas nullatenus dici poteſt eligere; ergo, &c. Prima pars maioris eſt doctrina Aduerſariorum, ſecunda verò euidens eſt, nec vllo modo negari poteſt: nam non poteſt facere creata voluntas, vt Dei decretum non habeat effectum; ergo, ſtante Dei decreto, non poteſt eſſe alia operatio oppoſita, imò neque extra Dei decretum, cùm nulla poſſit eſſe, non primò determinata à Dei decreto. Minor verò argumenti indè patet, quia electio, & optio ibi eſt, vbi non minùs à voluntate poteſt amplecti vnum, alio recuſato, quàm econtra: vbi enim non eſt poſſibile, niſi vnū, non ſunt eligibilia, ſeu non eſt vnum alteri præferibile, vel econtra: ſed pura tendentia ad vnum; ergo, ſi ſtante decreto, non eſt poſſibile, niſi vnum, ſtante decreto, non poterit relinqui voluntati creatæ electio, vel optio vnius ex pluribus: ſed potiùs Deus eligit illi vnum ex pluribus, non verò voluntas creata.

52 Reſpondent Aduerſarij concedendo nō eſſe poſſibile voluntatem creatam eligere ante diuinam voluntatem: ſed negant non poſſe eligere poſt Dei decretum determinatum ad vnum: quandoquidem, dicunt, licèt voluntas, formaliter ſumpta prout ſubſtat determinationi decreti, non poſſit eligere, qui a vt ſic formaliter ſolùm tendit, vt determinata ad vnum: nihilominus, quia vi eiuſdem decreti opus eſt volitum, vt liberè eliciendum à voluntate: datur etiam poſſe voluntati ad vnum, & alterum, non quidem conſiderata, prout ſubſtat determinationi decreti, ſed ſecundùm ſe, & relatè ad effectum, quatenus voluntati in ſe datur poſſe vtrumlibet: quod breui explicant illis

terminis, dicendo voluntatem nō posse eligere in sensu composito, posse autem eligere in sensu diuiso. Hoc est confugium sententiæ Thomisticæ, sub quo tutè se putant omnia contra eos iacienda argumentorum tela effugere: imò clypeus fortis, quo omnia confringant.

53 Sed æquiuocationem eorum, & aufugiū in argumento ipso detegi, quod transiliunt, qui tali responsione vim eius se credunt effugere: semper enim Aduersarij recursum habent ad vim voluntatis diuinæ, & posse voluntatis creatæ, ab illa communicandū: quatenus videlicet Deus ita determinatè vult actum nostrum, vt velit esse à nobis, sed liberè, & consequenter communicando nobis posse vtrumlibet, & simul determinationem ad vnum, quod non obstat, inquiunt, libertati: cùm, dū quis sedet, determinatus est ad sessionem, sed adhuc liberè sedet, potens non sedere: ad hæc, inquam, recurrūt, vt obiicientes infinitam voluntatis potentiam, oculos arguentium obfuscent, & multiplici acceptione potentiæ voluntatis creatæ remotissimè, remotè, proximè, & in actū, muscipulas pedibus imponant, ne vis argumenti vltrà percurrat: huic tamen recursui aditū occlusit argumentum, dū vim non desumit ex parte voluntatis eligentis, sed ex parte obiecti eligibilis, ne recursus præfatus fiat ad potentiam voluntatis: procedit autem argumentum ita: sicut non potest dari electio actiua, vbi non potest potentia, nisi vnum: & secundùm quòd non potest, nisi vnum, secundùm id non potest eligere: & ideò, concedentibus Aduersarijs, in sensu composito, in quo non potest, nisi vnum, non potest dici eligere: ita non datur ex parte obiecti eligibile, vbi non est possibile, nisi vnū: atqui ante decretum nihil est, quod ante illud possit terminare electionē: post decretū de vno, fit vi decreti impossibilis terminatio altorū, cùm implicet componi v. g. odium cum amore, infallibiliter futuro vi decreti diuini, antecedentis vsum voluntatis electuræ; ergo vi decreti, antecedentis actum electionis voluntatis, hic impossibilitatur pro tempore, pro quo est decretum.

54 An verò etiam ex parte obiecti, & effectuū propugnare prætendunt Aduersarij distinctionem illam sensus compositi, & sensus diuisi, vt videlicet sit impossibile odiū in sensu composito cum amore, non autem secundùm se? Si hoc prætendant, etiam euidenter conuincam oppositum. Tum quia ita sensus compositi, & diuisi distinctio euadet puræ rationis, non realis, & à parte rei, & ita non defendent Thomistæ libertatem realem, & à parte rei in volūtate creata, sed purè conceptibilem per conceptus præscindentes. Antecedēs probo: realiter, & à parte rei nūquā esse potest operatio odii, prouenies à volūtate sine decreto Dei efficaci de illo, quamuis possit cōcipi odiū, vt prouenies à voluntate, non concepto decreto: sed in casu à me posito non supponitur decretum Dei efficax, & determinans odiū secundùm se, & præscindendo ab amore, sed solius amoris: imò implicat, vt Deus efficaciter velit simul vtrumq; secundùm se; ergo à parte rei in casu implicat odiū, etiā secundùm se. Tum quia ad rationem libertatis, & electionis non sufficit eligibilitas obiecti secūdùm se, & relatè præcisè secundùm se ad voluntatem: nam in omnibus impedimētis inauferibilibus à volūtate, in quibus volūtas aliūde impeditur ab aliquo opere, quod ex se posset, effectus secundū se est à voluntate eligibilis, & tamen quia ab impedimento redditur ineligibilis, aufertur libertas, & ratio electionis: non enim Beati sunt liberi ad eligendum odiū Dei, licèt tale odium sit eligibile à voluntate secundùm se: nec cui os obstruitur, liberum est eligere clamare, licèt id non sit ei impossibile secundùm se: nec catena, muro affixa, deuincto liberū est eligere aliò commeare, & si secundùm se id possit, &c: non ergo ad rationem physicę electionis sufficit eligibilitas rei secundùm se: sed prætereà requiritur, vt nihil sit priùs ipso, illud impediens: at in casu supponitur futuritio amoris vi decreti diuini antecedētis electionem voluntatis creatæ, cum quo est incompossibile odium; ergo, stante eo decreto, deficit ratio eligibilitatis in obiectis voluntatis.

55 Contra secundò, etiam ex parte voluntatis, argumento desumpto ex modò dictis; vbi est impossibilis hic, & nunc effectus, implicat, stante illa impossibilitate, quòd hic, & nunc sit potentia libera eligēdi, alias Deus posset mihi dare potentiam ad id, quod soli Angelo est possibile: sed implicat ex sententia opposita actualis determinatio voluntatis creatæ, vbi non est primò à Deo mota, & prædeterminata, cùm in sententia Aduersariorum ideò prærequiratur decretū prædefiniens, quia nō potest voluntas se primò determinare, tāquā creatura essentialiter indigens præmoueri à prima causa; ergo implicat habere posse hic, & nunc agere, vel se determinare, vbi non est determinata à Deo per Aduersarios: atqui implicat prædeterminari à Deo voluntatem ad vtrūlibet; ergo implicat dari posse ad vtrūlibet, requisitum ad libertatem, & ad electionem.

56 Vrgeo. Vel voluntas, absque vlla præcedenti determinatione Dei neque ad vnum, neq; ad alterum ex oppositis, potest exire

in

in actum secundū, ita vt, si staret actus secūdus voluntatis creatæ absq; vlla prædeterminatione Dei de facto, nihil ex eo diminueretur de causa increata, nec creatæ voluntati aliquid competeret supra suū causæ secūdę statū: vel implicat, vt sit actualis positio determinationis creatæ absq; prædeterminatione primæ causæ. Si dicant primùm aduersarij; ergo iam cessat necessitas antecedētis decreti; si dicant secūdùm, ergo ad quod actù non pręcedit determinatio decreti, implicat esse in actù, quousq; stet carentia decreti: sed nunquam decretum determinat, vel determinare potest vtrumlibet in oppositum: ergo, dùm Deus conqueritur de nobis, quòd operamur hoc opus, & non illud, conqueritur, & punit nos, quia non ponimus hic, & nunc, quod hic, & nunc impossibile est, vt ponatur à nobis.

57. Contra est tertiò: Quia sensus compositus, & diuisus, qualem ponunt Thomistæ, est purè in verbis, non in rebus: ergo saluat rationem libertatis, & electionis in sola pronunciatione, sed in re negat. Antecedens probo; posse vtrumlibet in sensu diuiso, dicit in re voluntatem creatam posse exercere, & impedire efficaciam decreti diuini, ac consequenter habere etiam posse in sensu composito, & Deo volenti resistere: Sed hoc non concedunt aduersarij, nec vllus rationis compos concedere potest: ergo non concedunt, nisi verbis, & nunquam in re, libertatem, & rationem electionis in creatura. Maiorem probo euidentèr. Sensus diuisus non est per aduersarios potentia voluntatis, prout antecedit ad decretum Dei determinatiuum; tùm quia hunc sensum nullus hæreticorum negauit, videlicet, quòd voluntas ex se sit potens ante Dei decretum sine determinari, & necessitari ad bonum, siue ad malum: sed solùm necessitatem adstruebant ad vnum, supposito Dei decreto, applicante illam cum necessitate ad vnum, & non cum potentia ad oppositū. Tùm quia cum creatura essentialiter indigeat per aduersarios præmoueri, & prædeterminari à Deo, tanquàm causa secūda à prima, nunquam est proximè potens, & libera, quousq; non accedat Dei voluntas de concurrendo cū ea, quantùm opus est ex parte Dei. Sensus ergo compositus, & sensus diuisus debēt per aduersarios verificari, prout de facto verificare conantur, adhùc stante decreto, dicendo, quòd per decretum est quidem determinatè volitus effectus: v. g. Amor Dei, sed vt liberè eliciendus à creata voluntate, & consequenter, vt à voluntate potente vtrumlibet. Itaq; sensus compositus est voluntas, prout formaliter subiacet determinationi decreti diuini: sensus diuisus est eadem voluntas, quatenùs vi eiusdem decreti habet in se potentiam ad vnum, vel alterum ex effectibus. Hæc est medulla doctrinæ Thomisticæ; sed totū hoc non continere, nisi verba, in re autem implicantiam inuoluere, quòd videlicet, in ea contineatur sensus diuisus eneruans sensū compositum, sic probo; si posito decreto Dei determinante ad amorem, voluntas, quomodocumq; ab aduersariis considerata, nō poneret de facto amorem, sed odium, eneruaret de facto decretum Dei de amore, & totū sensum compositum; non enim staret, quòd vi decreti actu esset amor à voluntate, cùm hoc, quòd actu voluntas ex se poneret odiū, non amorem: implicat namq; simul esse amorem voluntatis vi decreti, & simul in re carentiam amoris vi voluntatis secundùm se; ergo positio actualis sensus diuisi destruit omnimodè efficaciam diuini decreti in toto sensu composito; ergo pari modo posse non ponere amorem, & posse ponere odium in sensu diuiso est posse euacuare Dei decretum, & totum sensum compositū. Euidens est consequentia: quādoquidem posse euacuare, & eneruare Dei decretum, & totum sensum compositum est posse ponere id, quod est euacuatio, & eneruatio diuini decreti, & totius sensus cōpositi: sed actualis carētia amoris, & positio odij à voluntate prædeterminata ad amorē vi decreti diuini, si esset, iam actù esset eneruatio decreti, & totius sensus compositi, adhùc si actù esset à voluntate secundùm se, & in sensu diuiso; ergo, si posset esse, posset eadem eneruare; atqui voluntatem, stante decreto, posse in sensu diuiso ponere vtrumlibet, est posse in sensu diuiso facere, vt sit amor, vel odium, & vt sit, vel non sit amor; ergo est posse ponere id, quod est eneruatio decreti diuini, & totius sensus compositi. Quid ergo est, nisi Deo monstrum confingere, tale excogitare decretū efficax, quod, vtpotè Dei, cui volenti nulla creatura resistere potest, sit in se infallibile, & insuperabile, quodq; simul det voluntati creatæ, vt, sit ab ea superabile, eneruabile, & fallibile; quādo nec Deus ipse sua efficacia decreta eneruare possit?

58. Respondere possunt secundò: hanc impotentiam eligendi, quod placuerit voluntati, esse impotentiam ex suppositione actus liberi, non antecedentem, & absolutam; nascitur enim ex eo, quòd vi decreti determinatiui voluntatis creatæ ad amorem, v. g. liberum, iam euadit futurus amor liber; ex suppositione autem amoris, non potest non esse amor, vel esse odium; ergo decretū prędeterminans secū solùm affert impotentiā ad vtrūlibet, & necessitatem ad vnū ex suppositione

poſitione actus, qualis eſt impotentia ad nō ſedendum in aliquo ex ſuppoſitione, quòd ſedet: ſimiles autem inpotentiæ libertatem, aût rationem electionis non offendunt.

59 Sed ecce reſpoſionum continua variatio, vt hinc ſaltem argumentorū euidentia eludatur. Stemus primæ reſponſioni iam datæ, & videamus, an poſſit Deus ſuo indiuiſibili decreto, vel quocumq; alio, creatæ voluntati tribuere, vt decretum Dei efficax actū eneruetur per poſitionem habitam à voluntate ſecundùm ſe actus oppoſiti: ſi enim Deus ipſe per ſeipsū non poteſt ſua decreta efficacia eneruare, moltòminus non poteſt talem potentiam creaturæ tribuere; poſſet autem id creaturæ præbere, ſi ſtante decreto, poſſet voluntas creata ponere id, quod eſſet eneruatio ſui decreti, nimirùm, ſi poſſet, ſtante efficaci decreto de amore, ponere ex ſe id, quod quodcunq; ponatur Dei decretū, priuaret effectu, quomodo eſſet poſitio odij, vel carentiæ amoris; concedant ergo priùs diſtinctionem illam ſenſus compoſiti, & diuiſi eſſe diſtinctionem verbalem, non realem ex ſuppoſitione decreti diuini prædeterminatiui volūtatis creatæ ad vnū: vel argumento reſpondeant, ſi poſſunt, abſq; tranſitu ad aliam reſponſionem. Oſtendam tamen, ſecundam eſſe nimis debiliorem prima. Vndè.

60 Contra eam ſit primò ex dictis. Voluntas ante decretū Dei efficax non eſt proximè potens vtrūlibet, pro vt requiritur ad libertatem electionis, quia talem potentiam nullus hæreticus negauit, ſed neceſſitatem volūtatis in eo adſtruerunt, quòd vi decreti volūtas fieret neceſſitata ad vnum, vt patebit, cùm agemus infra contra Caluinū, & Lutherū; non enim negabant poſſe cuiuslibet hominis voluntatem poſt originale neceſſitari ſiue ad bonum, ſiue ad malum: ſed dicebant, ad quodcunque ex his feratur, neceſſitate, non libertate ferri: ergo concedebant poſſe vtrumlibet, ſed nō reducibilem ad actum, niſi neceſſitate, per Dei voluntatem neceſſitantē; ſi ergo libertas non eſt aliud, quàm potentia volūtatis ad vtrumlibet, ſolùm reducibilis ad actū per decretū neceſſitans, non fuiſſent damnati in hoc Caluinus, & Lutherus. Non hæc dico, quaſi volens opinionem, quam impugno, cenſurare; Scio enim non in hac antecedenti potentia adſtruere aduerſarios, contra quos ago, libertatem, ſed id ſolùm aſſero, vt clariùs eluceſcat meū argumentum, quod iterùm repeto; ad libertatem nō ſufficit illa potentia voluntatis, qua ſecundum ſe eſt potens remotè, & ante diuinū decretum vtrumlibet: atqui, iuxta reſponſionem ſecundò datam, voluntas non haberet aliud poſſe vtrumlibet, niſi ſolùm illud, quod in ſe habet voluntas, remotum, & ab ea inſeparabile: ergo præfata reſponſio non ſaluat eam rationem libertatis, & electionis, quam omnes catholici requirimus, & etiam aduerſarij contra præfatos hæreticos; ergo præfata reſponſio verbo tenus, non re ſaluat libertatem: minorem probo, quia per Dei decretum non datur volūtati poſſe vtrumlibet ſecundùm ſe proximum, imò illud impediret, ſi eſſet, ne creatura poſſe haberet fruſtrandi idem Dei decretum, vt patet ex dictis contra primam reſponſionem: ergo poſt decretum non retinet, niſi poſſe remotum ab ea inſeparabile, & impeditum, ne proximè poſſit agere: ante decretum nec habet proximè agere: ergo nūquam habet requiſitam libertatem, & potētiam eligendi.

61 Vrgeo. Quouſq; volūtas nō ſupponat Dei determinationē, impoſſibile eſt, vt ſit determinatio ſui, cùm per aduerſarios hæc, vtpotè à creatura, eſſentialiter ſupponat primā determinationē Dei, cui creatura ipſa eſſētialiter ſubijcitur in operari; ergo quouſq; nō ſupponatur Dei determinatio, nūquā creata voluntas eſt proximè potens ſe determinare: atqui nūquā Deus poteſt ſimul habere determinationē & decreta efficacia ad oppoſita: ergo, ſi creata volūtas, vt ſe determinet, indigeret præſupponi decretum Dei determinatiuū, nūquā haberet proximū poſſe vtrūlibet, quale requirimus cōtra hæreticos: ſed vel remotū poſſe, vel proximū neceſſitatū ad vnū, quod totū cōcedebāt hæretici.

62 Inſto. Tunc potentia eſt proximè potens, quando non ſolùm nihil deficit ex parte virtutis, ſed etiam nihil deficit ex parte applicationis prærequiſitæ ad determinationem potentiæ; nunc enim nihil nihil deficit, vt tangam cælos, niſi approximatio paſſi, quæ eſt pura conditio neceſſaria ad actū ſecundum tactus, & non ideò ſum liber, manente tali diſtantia, tangendi cælos: ergo ad hoc, vt voluntas creata ſit libera, & potens eligere proximè, neceſſe eſt, vt non deficiat aliquid neceſſariò prærequiſitum ad ſui determinationem: atqui per aduerſarios impoſſibilis eſt actualis determinatio voluntatis creatæ non præſuppoſita determinatione Dei, & hæc nunquam ſimul eſſet ad oppoſita; ergo nunquam voluntas creata eſſet libera ad vnū, vel aliud ex oppoſitis.

63 Contra eſt ſecundò; quia, ſi omnis ſuppoſitio actus non tolleret libertatem, nunquam daretur neceſſitas, nam quælibet neceſſitas actus ponit actum, & ſuppoſito, quòd

sit actus, non potest non esse; alia ergo est suppositio actus, orta à libertate ipsa volũtatis, vt cũ quis liberè sedet; alia est suppositio actus, aliundè oriens, quàm à libertate voluntatis, vt cũ quis aliunde, quàm propria voluntate sedet, puta ligaminibus adstrictus: prima non tollit libertatem, quia ipse actus sedendi est à libertate, & exercitium illius, vndè necessitas consequens suppositionem, non potest auferre libertatem, quàm supponit: at secunda suppositio, quæ libertatem non supponit; & secum necessitatem affert, omnem prorsùs locum libertati aufert, eamque omninò iugulat; atqui actus v. g. amoris præuolitus, & prædeterminatus à Deo, est vi eiusdem antecedenter ad vsum libertatis, tanquàm causæ prædeterminatiuæ voluntatis, infallibiliter futurus, & ex eius suppositione implicat positio odij: ergo voluntati creatæ clausus esset aditus ad exercitium odij, non ex suppositione propriæ libertatis, sed antecedenter ad omne eius exercitium, quod est libertatem iugulati.

64 Locis autem in argumento adductis similia sunt, paremque vim habentia, innumera alia: qualia sunt illa Gen. 4. *Nonnè si benè egeris, recipies: si autem malè, statim in foribus peccatum aderit; sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Dominium namque in appetitum, & quidem actuale, vt significatur per verbum, *dominaberis*, vsũ illius importat, siue hoc, siue illo modo, prout à nobis determinatum, atque effectũ fuerit; vbi autem ante vsum nostrũ est ad vnum determinatio; & impossibilitas ad alterum, non est dominium ad vtrũlibet. Et ille Actorum 5. *Nonnè manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate.* Nec non ille 1. ad Corinth. 7. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem habens suæ voluntatis.* Quomodò namque erit potestas, non necessitas in id, ad quod, ante vsum propriæ libertatis, quis alligatur, & impossibilitatur ad oppositum? Talia præterea sunt omnia illa loca Scripturæ, in quibus dicitur, Deus stare ad ostium, & pulsare, vt si quis aperuerit, ingrediatur ad illum: vel quòd expectauerit à vinea Israel, vt faceret vuas, & fecit labruscas. Vt quid namque aperitionem, stante suo decreto de eiusdem clausura, impossibilem, fructumue impossibilem vuæ, stante sua voluntate efficaci de labruscis, expectat Dominus? an sufficit dicere, potens est potentia, quando non expectat Dominus, vt sit potentia, sed vt sit aperitio, & fructus vuæ impossibilis? Ac postremò, ad quid exhortationes ad bonum, dehortationes a malo, & querimoniæ de operibus à bono deuiantibus, quibus Scriptura plena est? Nonnè primæ essent frustraneæ, cũ sine ipsis impossibile foret non esse, quæ Deus determinauit futura? Num fortè exhortationes voluntatem nostram determinant, vel adiuuant insufficientem determinationẽ decreti? Secundæ autem ad quid iuuabũt? possunt ne frustrare diuinũ decretum? Et tertiæ quomodò rationales erunt, si præcedente Dei decreto, vi eiusdem antecedenter ad vsũ libertatis, impossibile est, vt non sint ea, de quorum existentia conqueritur Deus? Nonnè hinc apparet huiusmodi decretorũ antecedenti determinatione totam diuinam Scripturam frustrari, atque euacuari?

65 Arguo tertiò ex illo Matthæi 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia, si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ in vobis factæ sunt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* quem locum, & si sibi proponant Aduersarij, non tamẽ, nec acu tangunt vim difficultatis, sed sibi eo modo obiiciunt, prout commodè possunt responsionem accõmodare.

66 Vt tamen qualiter hic locus conuincat, apud quemlibet veritatis amicum, intentũ, notare priùs opus est valde inter se diuersa esse hæc duo, an nimirùm aliquis sit in se, absolutè, & solitariè acceptus, dignus laude, vel vituperio: & an præferendus, vel postponendus alij. Pone namque duos esse Regis milites, ita in viribus æquales, vt cuique euidens sit, & præcipuè Regi, quòd, si isti, æqualibus muniti armis, ad bellũ procederent, cũ æqualibus hostibus pugnaturi, æquè etiam vincerent, aut vincerentur: sed vni Rex, ne vincatur, arma conferat impenetrabilia, alijsque collateralibus adiutoribus præmuniat, vt inimicus, nec quidem lædere possit; alteri verò non ita, sed taliter ad certamen mittat, vt impossibile sit telis inimicorum non sauciari; si autem deinde è prælio his reuertentibus, illo incolumi, isto sauciato, exprobraret Rex hũc comparatione ad illum, quòd iisdem, quibus ille, armis indutus, sauciatus regressus fuerit, & ille incolumis, nonnè iniusta ab omnibus censeretur comparatiua exprobratio? quis ita executit, vt id inuerecunda fronte negare audeat, cùm, si iustè propter huius vulnera, & illius incolumitatem, stare posset iustitia exprobrationis, adhùc staret in hoc alio casu, cum videlicet primus esset viribus inferior, animo vilior, & in prælio minùs fatigauerit, sed ob impenetrabilitatem armorũ lædi non potuerit: alter verò viribus præstantior, animo robustior, & fortiùs in certamine dimicatus, ob armorum fragilitatem, euitare vulnera omninò impossibile

le fuerit, nūquid, & hic qui incolumis è prælio reuerſus eſt, laudandus eſt præ iſto, ſaucio reuertente? non ergo in laude, vel vituperio comparatiuis attendenda eſt ſolùm præcellentia effectus, niſi quando cætera ſunt paria. Quis autem neſciat militiā eſſe vita hominis ſuper terram: quæ ergo dicta ſunt de militibus in bello humano; applicanda æquè ſunt militantibus in bello ſpirituali. Pari modo; ſi duo ſunt iuuenes æqualis ingenij, & volūtatis, ex ſe, æquè profecturi, aùt non profecturi in ſtudijs, ſi æquales haberent magiſtros, & æquè commoditate ſtudendi præmunirentur, ſed vni detur magiſter doctior in ſcientijs, clarior in communicando, lucidior in Scriptorum compoſitione, & diligentior in vigilantia, ne diſcipulus aliò diſtrahatur: alteri verò ex oppoſito taliter, vt impoſſibile ſit, facta ſuppoſitione taliū magiſtrorū, quòd iſtius diſcipulus proficiat, & ille nō proficiat, nūquid iſte poterit iuſtè, comparatione illius, exprobrari? quando etiam ſi iſte melioris ingenij, & ſtudioſior eſſet, ac ille, adhùc non poſſet, ſtante defectu, vel inæqualitate doctrinæ magiſtrorū, ſicut ille proficere? ſtudere debent homines profectui vitæ ſpiritualis ſub magiſtro, alias vni, alias alij, diuerſaq; prout ei placet, non eſt dubiū, diſcipulis doctrinas, & bona communicante; ſed non exigente ab illo, cui duo præſtitit talenta, quintuplū fructū, ac exigit ab illo, cui præſtitit quinq; ſed ſolùm arguente illū, qui non reddidit iuſta proportione, ac comparatione ad alios, vnū, dùm receperat vnum. Caderet autem eò ipsò comparationis, & proportionis iuſtitia, ſi quinque, & duo ex ſe eſſent connexa cū fructu quintuplo, & duplo; vnū aurem talentū ex oppoſito eſſet connexum cū carentia fructus; & iuſtiſſimè reſponderet diſcipulus, ait ſeruus, rectè proportionatè fructū vnicū à me exigeres, qui ab illo, cui quinque dediſti, recipis quinque, & ab eo, cui duo, recipis duo, ſi vnū dediſſes, ſeruata etiam proportione, quòd meū vnū ſit eodem modo ex ſe connexū ad fructū vnicū, ac quinque cū quinque, & duo cū duobus; ſed ſi vnū, quod mihi dediſti, eſt in ſe infertile, etiam ad vnicū fructum, non ſic illa ad ſuos proportionatos fructus, nec erit proportionatū ius exigentiæ à me, & ab illis: & ſaltem comparatiuè defeci, in quo defeciſſent & illi. His ergo notatis tamquam rationi cuique obuijs.

67. Sic primò argumentor ex præcitato loco Matth. Ex illo namque patet non exprobrari Corozaitas, & Bethſaiditas dumtaxat abſolutè, quòd pœnitentam non egerint, factis ſignis, & virtutibus, quæ apud eos facta fuerint: ſed præterea exprobrātur comparatione, & antepoſitione Tyriorū, & Sidoniorum, ex eo, quòd iſti egiſſent in cinere, & cilicio dignos fructus pœnitentiæ, ſi apud eos facta fuiſſent, quæ apud illos facta fuerant: atqui ſuppoſita neceſſitate, vel actuali exiſtentia decretorū Dei prædeterminantiū, non ſubſiſteret Iuſtitia huius exprobrationis comparatiuæ, ergo ſi hæc neceſſe eſt ſubſiſtat, neceſſe erit non ſubſiſtat ſententia de talibus decretis. Minor probatur: etenim, ſi ad opera præquiruntur ſimilia decreta, infallibiliter ex ſe connexa cū eo, ad quod determinant, infallibili etiam conſequentia ſequitur, quòd ſi ab initio vitæ vſque ad finem eiſdem decretis, & alijs adiumentis præmuniſſet Deus Corozaitas, & Bethſaiditas, ac præmunierat Tyrios, & Sidonios, iſti in nihilo potuiſſent præuideri antecellere illos: & econtra, ſi quibus præmuniuit Tyrios, & Sidonios, præmuniſſet Corozaitas, & Bethſaiditas; quibus verò præmuniuit hos, præmuniſſet illos: iſti illos præcellerent, non illi hos; ergo ſtantibus decretis, non eſt, in quo alij alijs ex hominibus ratione ſui poſtponi poſſint, & comparatione ad illos hos exprobrari, niſi velint aduerſarij cauſam exprobrationis refundere in decretū Dei, & non in inæqualitatem voluntatum hominis, ſicut inæqualitatem in bono refundimus omnes in Dei gratiam.

68. Secundò ſic argumentor, cùm dicitur in præfato loco; *Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ in vobis factæ ſunt, olim in cinere, & cilicio, &c.* vel nomine virtutum apud Corozaitas, & Bethſaiditas factarum, volūt intelligi ſola ſigna, & virtutes extrinſecas, nō incluſo decreto, & intrinſecis auxilijs neceſſarijs, & falſum eſſet, quòd per eadem ſola potuiſſent Tyrij, & Sidonij præuideri pœnitentiam acturi, quia impoſſibilis eſt futuritio effectus ſine ſua adæquata cauſa; ergo impoſſibile eſt præuideri effectum, vt futurū, ſine ſuppoſitione, atque præuiſione ſuæ cauſæ adæquatæ. Vel intelligunt nomine virtutū factarū, &c. tū ſigna, & virtutes exteriores tū decreta, & auxilia Dei, quæ habuit, & præſtitit Corozaitis, & Bethſaiditis, & falsū etiā eſſet, q̄ ſi eadē feciſſet ſigna, eadē habuiſſet decreta, ac eadē præſtitiſſet auxilia Tyriis, & Sidonijs, quę fecit habuit, & præſtitit Corozaitis, & Bethſaiditis, potuiſſent illi videri pœnitentiam acturi: quandoquidem, decreta, quæ habuit cum Corozaitis, & Bethſaiditis, & auxilia, quæ iiſdem præſtitit, fuerunt inefficacia, & ſi talia fuiſſent cū Tyrijs, & Sidonijs, nec iſti acturi fuiſſent pœnitentiam; vel tandem intelligunt de iiſdē ſignis

signis, & virtutibus exterioribus, sed diuersis decretis, & interioribus auxilijs: & nec staret veritas textus Scripturæ, quæ diuersitatem arguit, supposita paritate signorum; non enim Corozaitæ, & Bethsaiditæ arguūtur, quia præcisè pœnitētiā nō fecerūt, sicut fecissent Tyrij, & Sidonij, sed in exprobratione mētio fit de paritate virtutum: dicitur namque, *quia, si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in vobis factæ sunt*: si autem ista conditionalis paritas causa non esset, vndè obiurgata sit effectuū imparitas, sed potiùs ista ortū haberet ex imparilitate virtutum interiorum, impertinenter, & fallaciter adducta esset, vt causa iustæ obiurgationis, paritas virtutum factarū cum imparitate effectuum. Si ergo nullum ex his defectibus somniari potest in verbis Sacræ Scripturæ, eradenda est sententia de decretis Dei prædeterminatiuis, secundùm quā non potest paritas Scripturę in præfato loco Matthæi subsistere.

69 Respondent autem Aduersarii argumēto, quod ex præfato loco Matthæi sibi, secūdùm quòd faciliùs possunt aliquid dicere, proponunt: & tot diuersa in vnum congerunt, vt potiùs videantur velle plurium confusione difficultatem, imò euidentiam argumenti obtegere, quā vt vel in minimo solutionem tangāt. Dicunt ergo argumentum, primò iam factum, (nā de secundo nō cogitarunt,) eò tendere, vt non magis videatur procedere contra decreta de futuris conditionatè, quàm de futuris absolutè: taliter, vt nec Deus iustè possit exprobrare peccatores impœnitentes præ illis, qui pœnitentiam agunt: & perseuerantes præ perseuerantibus; cùm tamen Scriptura plena vbique sit similibus increpationibus. Improbare præterea efficaciam, quam ex se habet diuina gratiā: & insuper in tantum procedere, vt etiam eo probari satagatur, non aliàs posse Deum iustè conqueri, vel increpare peccatores præ iustis, nisi dicatur, quòd iustorum ab impiis discretio à nobis sit, & non à Deo: semper enim, quòd talis discretio ponatur à Deo, non videretur posse Deum de peccatore conqueri, vel illum exprobrare comparatione ad iustum, secūdùm argumentum nostrum, iam factū. Atqui omnes tenemur credere discretionem iusti ab impio esse ex speciali gratia, & fauore Dei, iuxtà illud Pauli prima ad Corinth 4. vbi, vt sæpè probat Augustinus, ad obtundendam superbiam aliquorum, inflantium se aduersus alios fratres, quasi ex se fuissent illis præcellentiores, & ex bono vsu liberi arbitrii, ita ait, *Vt in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis*? ergo, inquiunt, argumentum debemus soluere omnes, etiam scientiæ mediæ Defensores, nisi velint præfacto Apostoli loco contradicere. Vel, si soluere non possumus, debemus omnes recursum habere ad inscrutabilem profunditatem iudiciorū Dei. Apostolus siquidem, subiungunt, hanc difficultatem, quæ in hac materia est molestior, sibi proposuit ad Romanos 9. cùm, postquam dixerat, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, quod est Deum discernere vnum ab alio, statim quasi ex parte impii sibi respondeat, subiungit, *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur, voluntati enim eius quis resistit*? & ecce dubium propositū in argumēto: si videlicet non ex parte hominū est discretio, sed Dei miserentis, cuius vult per suā voluntatem, ac decretum: & per eam, quē vult, indurantis, vt quid de impio queritur comparatione ad eum, cuius miseretur, cū voluntati eius, ita discernentis, nemo resistere possit? Nonne istud idem, dicunt Aduersarii, est argumentum, iam factum: sed nūquid Apostolus respondit negādo esse ex efficaci voluntate, ac decreto Dei discretionem? aut per recursum ad præscientiam mediam iustitiā querimoniarum Dei substinuit? Protsùs non ita. Sed ita arguentes increpauit, dicens, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo*, volens hoc modo indicare id pertinere ad profunditatem iudiciorū Dei, & nullo modo à nobis perscrutandum. His addunt Augustinum ideò librum de Correctione, & Gratia instituisse, vt eos impugnaret, qui asserebant neminē debere corripi de malè peractis, cùm non à nobis, sed à gratia, & voluntate Dei sit facta ista discretio. Ac tandem subiiciunt Prosperi authoritatem libr. 1. de Vocatione Gentium cap. 25. ità loquentis, *Profunditas illius quæstionis, quam, secundùm admirationem Apostoli, impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle, vel nolle, non soluitur: quantùmlibet enim impiorum malignitas accensetur, resistens gratię Dei, numquid probabuntur eam, quibus est collata, meruisse*? His autem maiori industria, & fuco, quàm ad propositum, vel veritate constructis, vim apparentiæ solùm ex confusione, & æquiuocatione terminorum exhibentibus.

70 Pro directa argumenti solutione dicunt verissimum esse, ideò Tyrios, & Sidonios fuisse præuisos acturos fructus pœnitentiæ, quia fuit in Deo decretum efficax de tali pœnitentia: & si fuissent præuisi, factis apud eos virtutibus, quæ apud Corozaitas, & Bethsaiditas factæ sunt, cum solo decreto, & gratia inefficaci, quod defacto habuit Deus re-

respectu horum, non potuisse præuideri, vt acturos fructus pœnitentiæ: sicut econtra Corozaitæ, & Bethsaiditæ de facto tales fructus pœnitentiæ habuissent, si respectu eorũ similia decreta absoluta habuisset Deus, ac habuit conditionata ex parte obiecti relatè ad Tyrios, & Sidonios. Negant tamen indè sequi hos præ illis non esse obiurgationẽ dignos, & huius rationem indè assignant, quòd obiurgatio prædicta non est fundata in æqualitate omnium donorum, quæ se tenent ex parte Dei dantis, sed in æqualitate potentiarum in his, & in illis: vtrique enim erant æquales in posse fructus pœnitentiæ facere per decreta, & auxilia data posse, licèt non fuerint æquales in applicatione, quę nõ pertinet ad posse, sed ad operari: decretum enim Dei, quà efficax, & eodem modo gratia illius executiua, non pertinent ad posse, sed ad operari: quòd autem meritum contrahit obiurgationis, potentia est, non operatio; quia ergo æquale erat in vtrisque posse, sed non æquè Corozaitæ, & Bethsaiditæ coniunxerunt cùm posse, operari, factis apud eos virtutibus: sicut coniunxissent Tyrii, & Sidonii, si apud eos similes factæ fuissent virtutes: ideò illi præ his fuerũt obiurgatione digni: secundùm hanc autem responsionem credunt doctrinæ inhærere Apostoli, Augustini, & Prosperi, absque figmento scientiæ mediæ, quæ indè specialiter hic insubsistens probatur, quòd speciale argumentum, cui innititur, non solùm aliud, quàm scientiam ipsam mediam, probat: sed arguibiles, iuxtà Apostolum, reddit, qui pro illa tuenda eo vtuntur.

71 Verùm crederem, quòd, & si, hanc Aduersariorum congestam seriem Lectori, aliquid inuenirent apparentiæ in prætacta doctrina ad directam responsionem argumenti: nullus tamen esset, qui responsionem exhibitam, non vt deficientem, infirmam, ac nullatenùs vim argumenti tangentem, statim agnosceret. Nihilominùs, quia ex distinctione eorum, ac æquiuocorum detectione, quæ in tota doctrina, ab Aduersariis confusè, & æquiuocè constructa, continentur, non tantùm scio omnẽ apparentiæ fucum fore dispergendum: sed etiam plura fore, vt innotescant, quæ viã sternant ad dignoscendas infra plures, & plures similes doctrinæ confusiones, & æquiuoca: ideò minutim totam, & quamlibet doctrinæ Aduersariorum partem ad statetam veritatis, per rationis iudicium, pendendam adduco.

72 Primò ergo in prætactis ad responsionem directam dicunt argumentum à me primò propositum non tendere dumtaxat contra decreta de futuris conditionatè, sed etiam de futuris absolutè. Quid prætendunt per hoc? nonne suprà monui eamdem esse rationem de his, & de illis? an non infra omnia ferè argumenta, quæ afferunt Aduersarii contra scientiam mediam, patebit desumi ex rebus pertinentibus ad furnitionem absolutam? Sed Assertores scientiæ mediæ, replicabunt, admittunt decreta de facto efficacia in Deo de futuris liberis absolutè. Benè, sed distinguant Aduersarii ista, & non confundant cum decretis, quæ ipsi admittunt, & nos impugnamus. Nos admittimus in Deo de facto decreta efficacia determinatiua effectuum, sed non determinatiua vllo prorsùs modo voluntatis creatæ: quo pacto benè possunt esse decreta directa à scientia media, & nullo modo sine illa. Si ergo argumentum à me propositum impugnat tum decretũ de futuro conditionato, tum de absoluto, quod sit prędeterminatiuũ voluntatis, quod ego intendo: quomodò ex argumento meo id inferunt, tamquam absurdum? quo pacto autem decretũ efficax actuale directum à scientiam media codẽ argumento nõ impugnetur, suo loco patebit: pro nunc sufficiat dicere, quòd voluntatem eodem modo finit operari, ac si non esset: quandoquidem effectus solùm intentiuè est efficaciter à Deo, executiuè verò fallibiliter à volũtate creata eodem modo, ac si non esset decretum, vt videre quis poterit à numero 590.

73 Secundò eodem argumento probari dicũt, si vim haberet, quòd nũquam Deus posse iustè arguere, vel conqueri de impio præ iusto, & non perseuerante præ perseuerante, cum Scriptura similibus obiurgationibus sit plena: sed in primis, cui, argumẽtum meum consideranti, non pateat, me in illo non agere de obiurgatione absoluta, sed comparatiua? An pro eodem volunt Aduersarii habenda illa duo, comparationẽ ad illum, & præ illo, vt ab æquiuocis non discedamus? Si enim Rex punit, vel arguit seruum deficientem in aliquo, sed non arguit filium in eodem magis peccantem: arguit certè seruum præ filio, sed non arguit comparatè, vel anteponendo illi filium, tãquam in eo non deficientem, aliàs iniusta esset, & falsa obiurgatio: sed obiurgatio serui, non obiurgato filio, iusta est, & vera. Aliud ergo est obiurgare vnum præ alio, & aliud obiurgare vnum per comparationem, & antepositionem alterius: & omnis obiurgatio comparatiua est obiurgatio vnius præ alio, sed non econtra. Quamuis autem ex meo tertio argumento, prout stat non probetur Deum non posse vllum impium præ iusto, vel perseuerantem præ non perseuerante obiurgare, concedo tamen ex infra

infra dicendis, & ex dictis in primo; & secundo argumento, sequi ex positione antecedentium, & prædeterminatium decretorum Dei, nullum prorsùs futurū dignū obiurgatione; eò quòd talia decreta libertatē omnimodè adimerent, & ita ex eorum positione, etiam Adæ peccatum, in quo defacto omnes facti sumus massa Iræ, & contumeliæ, euanesceret; quid autem iuuat dicere Scripturam esse vndiq; plenam similibus obiurgationibus; est ne aliquis, qui id neget? quia ergo hoc verùm est, indè dico conficta esse decreta prædeterminantia, quibus meritum, & demeritum euacuentur.

74 Tertiò dicunt per nostrum argumentum improbari efficaciam diuinæ gratiæ, quā habet ex se. Sed nego hanc improbari. Ergo dicent, cur negas decreta Dei efficacia? dico negare, quia vt determinatiua efficaciter voluntatis creatæ, auferrent libertatē; quàm ergo, subiungent, efficaciam concedis gratiæ diuinæ? Respondeo non posse id dicere, quoniam prohibitum est per Sanctam Sedem. Quia tamen hæc prohibitio non fuit facta, vt catholici adhùc impediātur ab impugnandis, & conuincendis hæreticis, errantibus in materia de Gratia; sed potiùs ad euitandas lites inter Catholicos ipsos, cùm agam contra Iansenium, qui ideò attribuit ex Augustino hominibus post lapsum necessitatem ab indifferentia, quia ex Augustino decretū, & gratia efficax indifferentiam propellunt omnem à creata volūtāte, ibi, quantùm fas erit, ostendam, vt Iansenistas conuincam, quæ efficacia ex se ingratia ex Augustini doctrina colligi valeat, ad expugnandā necessitatē, quā confingūt.

75 Quartò afferunt argumentum iam factū in tantùm procedere, vt non aliter Deus possit conqueri de peccatoribus præ iustis, nisi dicatur discretionem iustorum ab impijs esse à nobis, & non à Deo, quòd, cùm aduersetur doctrinæ Apostolicæ, debemus illud soluere omnes Catholici, vel omnes recurrere ad profunditatem iudiciorum Dei. Sed hic confundunt, non discernunt aduersarij inter discretionem iustorum ab impijs, & discretionem impiorum à iustis; verum, & catholicum est iustos ab impijs discerni à Deo per suam gratiosam misericordiam, quasex eadem massa perditionis, aliquos, quos voluit, condidit in vasa honoris: massa tamen hæc, in qua qui remanent vasa iræ, apta in interitū in perditionem, hoc est voluntate primi parentis, omnibus posteris moraliter communis non facta à Deo: hæc inquam, infectionis massa ratione propriæ indignitatis discernit se à segregatione iustorum, & non voluntate Dei, qui homi- nem condidit rectum, & ad sui imaginem. Qui item in eadem massa permanentes magis, ac magis peccatores fiūt, seipsos, per seipsos discernunt à iustis: nec id habent ratione Dei volentis materialia peccatorū, à quibus, cū non possit homo segregare malitias, consequens esset, vt etiam à Deo in maiores implanarentur culpas. An ignorāt aduersarij, quòd homo ab intrinseco potēs est in malū; eò quòd potest ex se tendere in delectabilia, non curando de prohibitione, vel difformitate ad rationem: non ita tamen ex proprijs intrinsecis est potens bonū: & ideò etiam ab initio conditionis, vt potuerit bonum, indiguit iustitia originali, & Gratia eleuante. Vt ergo homo, amissa iustitiā originali, & addictus massæ perditionis, ab ea separetur; opus est miserentis Dei gratuitò; vt autem alij ratione originalis, vel etiam propriorum peccatorum discernantur à iustis, sufficit quòd negatiuè se habeat Deus, non impertiendo misericordiam indebitam; cæterum quilibet ipsorum, tùm per originale; tùm per actualia, tribuente Deo consensum indifferentē, & vires sufficientes, se discernit, & magis, ac magis à iustis.

76 Iuxta ergo hanc doctrinam, quæ cuilibet nota est, nec quoad hoc præcisum punctū formalis discretionis profunditatem vllam continet, euidens etiam fit, quo pacto decretis prædeterminatiuis Dei depulsis in ordine ad actus liberos creatæ volūtatis, & admissis solùm indifferentibus, tanquam completiuis potentiæ eiusdem voluntatis, non tantùm iustissimè Deus conqueritur de peccatoribus omnibus secundùm se; & absolutè verùm etiam ferè de omnibus, post vsum rationis adijcentibus peccata ad peccata aūt saltem de pluribus, potest comparatè ad alios conqueri, & obiurgare, sicut fecit cū Corozaitis, & Bethsaidiis relatè ad Tyrios, & Sidonios: cùm enim ad malū, sufficiat homo ex se, sicut etiam ad maius, vel minùs malum, vel ad opera, nec mala nec bona, si dari possunt in actu practico, possunt homines ex seipsis fieri magis, vel minùs mali, euitando scilicet maius peccatum ex amore minoris; v. g. odium proximi, ne ab eodem incurrat aliquod malū: occisionem hominis, ne cogatur exulare, vel soluere pecunias: fugere fornicationem ex amore extimationis vanæ hominū, &c. alij verò econtra, maiori callentes malitia, ad plura labi; & in maiora ruere. His autem positis, quæ nemo rationis compos inficiari potest, quis non videt quòd maior requiratur gratia, vt possint à peccatis retrahi magis habituati, & in pluribus, quàm minùs habituati, vel in minoribus? hoc ergo

modo gratia, quæ sufficere potuisset Tyrijs, & Sidonijs, non ita, & in tanta scelera lapsis, ac lapsi erant Corozaitæ, & Bethsaiditæ, non sufficiet, vt dignos fructus pœnitentiæ facerent isti, sicut fecissent illi, si eā habuissent. Est ne hic aliquod profundum mysteriū, vt ad iudiciū, & consiliū inscrutabile Dei pertineat, vnde vnus homo fit alio deterior, vt gratia, quæ sufficeret pro vno, non sit sufficiens pro alio? An potius id euidens est, & obuium cuicunque? Profunditas autem Consilij diuini, quæ non nisi spiritus, qui in ipso est, cognoscit, consistit ex Apostolo, cur sciens Deus Adamum peccaturū, voluit illum instituere caput posterorum, vt omnes in eadem massa concluderentur perditionis? postquam enim ad Roman. 11. scribit, *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur*, subiungit, *O Altitudo diuitiarū Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehēsibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius; quis enim cognouit sensum Domini, &c.* Cæterùm in capite ad eosdem Roman. 9. non recurrit Apostolus ad inscrutabile iudiciorum Dei, vt assignet rationem illius dicti, *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*, sed statim post conquestum impiorum, *Quid ergo adhuc queritur, voluntati enim eius quis resistit? &c.* Subdit clarissimam rationem dicens: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa* corruptionis, videlicet peccati *facere*, volens misereri, *aliud quidem vas in honorem: aliud verò*, nolens misereri, sed iustitiam suam ostendere, *in contumeliam*, relinquendo illud in sua aptitudine ad interitum. Nullus profectò altitudinem inperscrutabilem inuenire potest in eo, quòd offensus possit, si velit, remittere iniuriam, & gratum sibi reddere iniuriantem: vel non remittere, sed exigere ab illo, quod debet. Potest tamen hic esse aliquid à nobis inscrutabile circa actum secūdum discernentem, de quo innumeris locis id fatetur Augustinus, quare scilicet Deus, potens misereri omnium, vel exigere ab omnibus; non pariter cum omnibus se habeat? adhùc tamen quoad hoc sæpè respondet Augustinus, vt misericordiam in his, quorum miseretur: & iustitiam suam in illis, quos indurat, ostendat; sed cùm venitur ad indiuidua, omnis ratio, & scrutabilitas cessat; quare scilicet ex eadem massa, hunc potius liberat, quàm illum, & nō econtra; & vrget inscrutabilitas in eo, quòd plurium miseretur Deus, quibus plurima, & grauia permisit peccata: & aliorum non miseretur, quibus minora permisit; vnde hæc! certè inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ [illegible]

77 Quod, si quis hic adhùc quærat, quomodò Deus est, qui discernit iustos ab iniustis, si nec decretū, nec gratia præcedit efficax. Respondeo & hunc, qui ita inquirit, confusè de decretis Dei sentire. Dico ergo gratiam Dei esse ex se discretiuam, & facere benè operari, quos sibi ex seipsa, & non ex præscientia operis, subijcit; sed de modo tecum loqui, nec debeo, nec possum. Quoad decreta autem distingue in Deo decretum de gloria, vt mercede, & consequētes de electione meritorum; deindè decretum de gratia faciente operari; & tertiò decretum de exhibendo actuali concursu, quo indiget omnis causa secunda. De primo dicam suo loco, quod est efficacissimū ex se ordine intentionis, sed non ordine executionis; nec posse antecedere scientiā mediam, sed necesse est subsequatur; at nō propterea efficacitatem habere ab illa, sicut eam non habet à scientia simplicis intelligentiæ per Aduersarios, & si eam necessariò supponat. De secundo dico esse omnimodè efficax, nec vllatenus, vt Deus possit velle gratiam quamlibet, vel cuicunq; debet præsupponere scientiam mediam, cùm etiam ipsa scientia media supponat conditionatā voluntatem Dei de gratia; si tamen volitio huius gratiæ præ alia est ex fine gloriæ, vt mercedis, & voluntate antecedenti operis liberi, tunc, ne offendatur libertas, necesse est, præcedat scientia media, non quidem ad decretum de gratia ratione sui, sed quia ad hoc decretum præsupponitur volitio Dei efficax intentiuè de opere libero. De tertio autem dumtaxat decreto dico, quod omnimodè debet esse indifferens ad hoc, vt sinat, iuxta Augustinum, & fidem, creatam voluntatem suos motus agere liberos, seipsam ad eos, & cum dominio ex seipsa determinando

78 Quintò antecedenti discursui annexuerāt Aduersarij eandem difficultatem sibi proposuisse Apostolum ad Romanos 9. quam continet nostrum argumentum, in illis verbis, *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur: voluntati enim eius quis resistit?* & nec respondisse per recursum ad decreta indifferentia, nec ad scientiam mediam: sed argumentantes, vel id proponentes arguere, volens ostendere id pertinere ad imperscrutabile iudiciū Dei. Sed quantùm in hoc distortè velint ad propriū trahere sensum Apostoli, & patet ex mox dictis, & nunc euidentiùs ostēdam Et quidem in primis relinquo, quòd in Biblia vulgata Sixti V. non lego, *Quid adhuc queritur*, sine dipthongo, vt significet querimoniā. Sed ita, quid adhùc quæritur, vt significet, quid vltra opus est, vt ita cuenlar; voluntati enim Dei quis resistit? atque ita potiùs importat querimoniām ex parte ho-

hominis, quòd Deus alios liberans, ipsum reliquit in massa perditionis, vndè meruerit ab Apostolo audire, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? an non est in potestate figuli, &c.* quo pacto totus contextus est vniformis: quàm ex parte Dei, quasi Deus conqueratur de malè operante. Relicta, inquam, ista responsione, vt ex omni capite voluntariā Aduersariorum conuincam distorsionem: & admisso, quòd in loco citato loquatur Apostolus de querimonia prolata ab impiis ex parte Dei, quid quæso hic casus Apostoli cum casu mei argumenti, qui toto cœlo distant? Ecce euidentiam differentiæ exhibeo: Ponas duos æquè peccatores, quorum vni Deus misereatur, non alteri; poterit ne Deus tunc vnum arguere antepositione alterius, dicens, quòd ipse peccauerit, non ille, præcipuè si ambo sint attriti, sed vnus baptizatus, & alius non, ex defectu ministri? quis hoc somniabit? sed num propterea non potest arguere non baptizatum, & adhuc peccatorem? nemo sanè ita desipit, vt id neget; valde ergo differt meritum arguibilitatis absolutæ à merito arguibilitatis comparatiuæ: in casu autem argumenti arguuntur Corozaitæ, & Bethsaiditæ per antepositionem Tyriorum, & Sidoniorum, quòd isti fecissent fructus pœnitentiæ, & non ita fecerint illi, &c. In loco autem citato ab Apostolo non ita, sed quasi impius vult suam culpam refundere in Deum, eò quòd non ipsum liberauerit, sicut liberauit alios, quasi ex debito id teneatur facere, & non gratia faciat, cui facit: & ideò subiungit Apostolus, *An non est in potestate figuli, &c.* Notent ergo Aduersarii aliam esse comparationem per antepositionem in eadem re, vt cùm dicitur iste peccat, ille non peccaret: aliam comparationem per exclusionem vnius, incluso alio, vt cùm dicitur, ex istis horum miseretur Dominus, non illorum: ex æquè namque peccatoribus nō potest argui vnus comparatione ad alium, quia ille peccauit, & non iste: sed optimè argui vnus, non arguente, sed miserente Deo alterius: si autem hæc animaduertant, recognoscent argumentum meū continere ex Scriptura arguibilitatem comparatiuam per antepositionem vnius alteri in eadem re: sermonem verò Apostoli esse de nolente argui cū exclusione alterius, misericorditer impartita. Et de nolente ita corripi librū instituit Augustinus, vt cuicumque patere potest, afferens inter alia, exemplum cuiusdam, qui dum corripiebatur, respondit, non me corripias, sed ora Deum, vt det mihi gratiam. Legatur caput 4. Eodem pariter modo loqui Prosperum, non quidem de correctione, sed de profunditate diuinæ voluntatis, cùr istos potiùs quàm illos liberet, patet ex ipsissimet verbis adductis ab Aduersariis, sed omninò extra propositum pro argumenti vi labefactanda.

79 Ne tamen, quæ in præcedente numero de distorsione verborum Apostoli, quis credat gratis à me dici, Augustinum affero, hunc eumdem Apostoli locum tractantem in lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. post medietatem, & signanter post conclusionem, vbi in illa verba, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, post exemplum quoddam, quod affert ex humanis, sic habet, *Quis non videat iniquitatis argui neminem posse, qui, quod sibi debetur, exegerit: nec eum certè, qui, quod ei debetur, donare voluerit? hoc autem non est in eorum, qui debitores sunt, sed in eius, cui debetur, arbitrio. Hæc imago*, subsequitur, *vel vestigium negotij hominum de fastigio summæ æquitatis impressum est. Sunt igitur omnes homines vna quædam massa peccati, supplicium debēs diuinæ, summæque iustitiæ, quod siue exigatur, siue donetur, nulla est iniquitas; à quibus autem exigendum, & quibus donandum sit, superbè iudicant debitores, quemadmodum conducti ad illam vineam iniustè indignati sunt, cùm tantumdem alijs donaretur, quantùm illis redderetur. Itaque huius impudentiam quæstionis ita retundit Apostolus: homo tu quis es, qui respondeas Deo? Sic enim respondet Deo, cùm ei hoc displicet, quòd de peccatoribus conqueritur Deus, quasi quemquam Deus peccare cogat, si tantummodò quibusdam peccantibus misericordiam iustificationis suæ non largiatur, & ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur.* Nonne ex his patet hunc sensum tribuere Augustinum verbis relatis ex Apostolo, *Cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Dicitis itaque mihi, &c.* vt, qui ita respondet, cùm debitor sit, iniustitiæ accuset Deum, quòd non misereatur ei, sicut & alii, quasi ex eo, quòd Deus illius non misereatur, indè cogatur peccare, ac propterea non debere de illo conqueri: non verò quia Deus conqueratur de illo per comparationem ad alios non peccantes, &c. Sed audiatur præterea quid deindè subdit; *Iustè ergo*, ait loquens de Deo, *conqueritur, & misericorditer: sed, si hoc monet, quòd voluntati eius nullus resistit: quia, cui vult, subuenit: & quem vult, deserit: cùm & ille, cui subuenit, & ille, quem deserit, ex eadem massa sint peccatorum: & quamuis debeat vterque supplicium, ab vno tamen exigatur, alteri donetur: si hoc ergo monet, homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Patet ergo hoc modo Apostolum intellectum fuisse ab Augustino supra præfata verba ad Romanos 9. quòd videlicet superbè impius, cùm debitor sit, iudicet non debere Deum de ipso conqueri, si ex hominibus

in eadem corruptionis massa inclusis, cuius vult, miseretur, subueniendo: & quem vult obdurat, non miserendo, seu deserendo: cùm nemo possit facere, vt non subueniat, cui vult: & non deserat, quem vult: falsò indè etiam Deo tribuens, quòd, non miserendo, cogat ipsum ad peccatum: vbi est hic obiurgatio comparatiua Dei erga impios præ aliis, ad quam hunc Apostoli locum reducere volunt Aduersarii, iactantes se Apostoli, Augustini, & Prosperi sensibus, relatè ad argumentum, quod procedit de arguibilitate comparatiua, velle inhęrere: cùm potiùs, si comparatiuè loquamur, querimonia sit impii de Deo?

80 Venio nunc ad responsionem directam, quamuis terminos in se ita contradictorios, & implicantes contineat, vt quilibet eam omninò ineptam pro argumenti solutione iudicare possit. Dicitur enim, quòd obiurgatio prædicta non fundatur in æqualitate omnium donorum, quæ se teneat ex parte Dei dantis, sed solùm in ęqualitate in vtrisq; potentiæ sufficientis: ratione cuius æqualitatis potentiæ obiurgantur illi, qui non operati sunt fructus pœnitentiæ, quos poterant operari, sicut illi, qui æquales in posse, licèt inæquales in applicatione, fuissent operaturi. Notentur verba, non fundatur obiurgatio in æqualitate omnium, quæ dãtur à Deo pro operari, sed in æqualitate potẽtię amborũ, quę poterat operari, & nõ in vtrisq; esset coniuncta operatio. Non ergo potentia, quia æqualis est in vtrisq; per hoc præcisè est obiurganda: nam vt talis est à Deo, & æqualis in vtrisque: sed reprehenditur in Corozaitis, & Bethsaiditis, quia non est cõiuncta cum opere, sicut fuisset in Tyriis, & Sidoniis; hęc ergo nõ coniunctio cum opere in illis est ratio, cur potentia fiat repræhensibilis: sed hæc non coniunctio actualis in illis non habetur primò ex parte potentiæ, sed ex inæqualitate applicationis: implicat namque per Aduersarios ista actualis inæqualitas à causis secundis, nisi supponatur inæqualitas in causa prima, reddente potentias creatas inæquales; ergo non est repræhensibilis potentia vna præ alia, quà æqualis, à qua, vt tali, non est inæqualitas effectus, propter quam potentia est repręhẽsibilis: sed quà inæqualiter tendens ad effectum: hoc autem habet à decreto Dei, inæqualiter determinante; videant ergo Aduersarii, ne, dum volunt talia decreta tueri, Deo confingant notam arguibilitatis. Rursus responsio ista nec quidem argumẽti vim tangit: quandoquidem tota argumenti vis in eo sita est, quòd comparatè ad alium, nullus est repræhensibilis, quando ille in omnibus esset isti æqualis, si cætera essent æqualia; atqui per solam æqualitatem potentiæ sufficientis, non attenta inæqualitate applicationis, æquè non fuissent operaturi fructus pœnitentiæ Tyrii, & Sidonii, si non fuissent voliti applicati: & operaturi Corozaitæ, & Bethsaiditæ, si fuissent, applicati, ac econtra; ergo considerata sola æqualitate potentiæ, & æquè præcisa, vel non præcisa applicatione, æquè ambo se haberent; ergo non est cur Tyrii, & Sidonii pręponantur conditionatè Corozaitis, & Bethsaiditis, qui eodem modo possent, & de facto illos præcellerent, si applicationẽ, quã illi habent, haberent, & quam non volunt considerandam Aduersarii, vt fundamentum obiurgationis.

81 Respondent secundò eidem argumento Corozaitas, & Bethsaiditas fuisse obiurgatos comparatione ad Tyrios, & Sidonios ex eo, quòd, licèt de facto non essent à Deo æquè applicati, ipsi tamen Corozaitæ, & Bethsaiditæ huius inæqualitatis causam dederant propter maiora peccata, quæ antecedẽter commiserant, quanta non patrauerant Tyrii, & Sidonii.

82 Sed non vident Aduersarii, quòd argumentum, iam factum, huic responsioni præcluserat locum, cùm dixi vtrosque futuros æquales ab initio vitæ vsque ad mortem, si æqualiter eodem tempore Deus eos pręmunisset gratiis, & decretis. De hac ergo antecedenti inæqualitate peccatorũ etiam procedit meum argumentum, quòd non potest vnus alteri præponi in eo, in quo esset illi æqualis, si aliunde, quàm ex se, iste inæqualitatem habeat: quam, si habuisset ille, præcelleret istum: non enim iustè posset Deus conqueri de illo, cui dedit duo talenta, quòd non reddiderit fructum quintuplũ, sicut reddidit, qui accepit quinque: eò quòd inæqualitas ista fructuũ ortum ducit ab inęqualitate talentorũ; si ergo ipse Deus ab initio fuit inæqualis cũ Corozaitis, & Bethsaiditis, ab eo, quòd fuerit cũ Tyriis, & Sidoniis, qui aliàs ęquales semper fuissent, si Deus cũ eis æqualiter se habuisset, non possunt illis anteponi, & præferri isti in obiurgatione.

83 Arguo tandem ex Conciliis, præsertim Tridentino Sess. 6. cap. 5. vbi, damnans errores Lutheri, & Caluini, asserentium homines post lapsum libertate omnimoda carere siue ad bonum, per gratiam: siue ad malũ, per concupiscentiam ex eo, quòd per originale deperdidit vim eligendi vnum, vel alterum, licèt non perdiderit vim effectiuam actus voluntatis bonę, vel malę in suo genere: ideòque à Deo necessitate duci siue ad bonum, siue ad malum, non minùs, quàm irrationalia: ac cõsequenter modo quodam mortuo procedere in sui iustificatione,

stificatione, recipiendo ab alio, etiam ipsū operari, non vitaliter se mouendo: ita definit, *Declarat præterea i psius iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse: ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illā recipiendo, quippequi illam, & abijcere potest.* In quibus verbis sermonem esse de Gratia efficaci, seu de homine, actū gratiæ cooperanti, ex verbis ipsis patet: si enim sermo esset de gratia sufficiente, verba Cōcilii essent de subiecto non supponente: nō enim agit homo adultus in sui iustificatione, nisi quando actū operatur, & iustificatur per gratiam preueniētem efficacem: cęterùm cum sola gratia sufficiente nec agit, nec iustificatur: definiens ergo Concilium, quòd homo agat in sui iustificatione, loquitur de Gratia efficaci, cum qua operatur: & tamen non solum Concilium definit posse hominem talem gratiam abiicere, resistendo, & non cooperando: verùm, quod valde considerandum est, indè probat hominem agere, nimirum liberè, prout requiritur ad meritum, quia potest illam abiicere, iudicans ex hoc, quòd si in sua potestate est abiicere, vel non abiicere, sui etiam est aliquid præbere, dum non abiicit, *Neque homo ipse*, ait, *nihil omninò agat, inspirationem illam recipiendo, quippe qui illam, & abijcere potest.* Rursus Canone 4. *Si quis dixerit*, statuit, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil operari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo, ad obtinendam iustificationis gratiam, se disponat, ac præparet, &c* numquid definit Concilium hominem operari ad iustificationis gratiā obtinendam, & ad illam se disponere, ac præparare, cùm solùm sufficienter, & non efficaciter mouetur, atque excitatur, cùm tunc nec per Aduersarios, nec per vllum Catholicum homo operetur, neque iustificetur? loquitur ergo de motu, & excitatione efficaci: sed vide quid subiungat Concilium, *Neque posse*, ait, *dissentire, si velit: sed, veluti inanime quoddam, nihil omninò agere, merèque passiuè se habere, anathema sit.* Gratię ergo efficaci, quæ in Aduersariorum sententia supponit in Deo decretum efficax, potest homo cooperari, liberè assentiendo: vel non cooperari, dissentiendo, si velit; ergo adhuc in sensu composito, & comparatus homo cum gratia, & non solùm in sensu diuiso, prescindendo à gratia, & decreto Dei, potest dissentire, & resistere ex Concilio Tridentino; ergo ex huius definitione tota obruitur Aduersariorum sententia.

84 Respondent aliqui primò ex Aduersariis Concilium in præfato loco sermonem habere de vocatione, & decreto Dei, prout dant sufficiens posse, non prout applicant, & dant homini operari ad sui iustificationem. Sed contra hoc iam satis superque dictum est: ex verbis namque Concilii explicitè constat, loqui de homine benè operante: & decernit debere ipsum hominem operari: ita tamen, vt possit resistere, & non operari, gratiam abiiciendo.

85 Addunt tamen alii subtiliùs, non sensum germanum Concilii scire curantes, sed vim argumenti subtiliate potiùs effugere satagentes, quòd Concilium in citato loco de duplici gratia mentionem facit: de Gratia scilicet mouente, atque applicante: & de Gratia excitante, seu vocante, & preueniente. Hæc secunda, aiunt, pertinet ad posse, & concurrit moraliter, excitando scilicet voluntatem dormientem ab operibus bonis: prima verò est gratia operans, & faciēs operari, quia voluntatem mouet, & applicat, vt simul ipsi cooperetur: cùm autem Concilium dicit posse hominem abiicere, vel resistere gratiæ, loqui asserunt de excitante, & non de mouente.

86 Sed in primis (quidquid sit pro modo an Concilium in hoc loco duplicis illam gratiæ diuisionem nominet, nec ne?) certum tamen est in prædictis verbis Concilium loqui de gratia, vt faciente operari, quæ non est gratia eleuans, & physicè concurrens ad actū, vt volūt Aduersarii, sed gratia excitās, vocans, mouens, præueniēs: omnibus nāq; his nominibus vocatur gratia actualis, qua volūtas peccatoris, vel etiam iusti, dum aliò est distractus, primò per illuminationem à Deo tangitur: excitans videlicet, quia dormientem voluntatem suscitat: vocans, quia eam ad Dominum conuertit cogitatione, & affectu: mouens, quia sua delectatione cogitationis, & affectus pollicetur, trahit, inclinat: præueniens, quia priùs Deus mouet, & excitat, & deinde cùm expergefacta voluntate ad opus concurrit: hoc autem probo tum euidenti ratione, eò quòd scilicèt in iustificatione, quod eleuat physicè voluntatem, & cum ea physicè concurrit, sunt habitus infusi, qui propterea dicuntur potentiæ supernaturales, dantes voluntati posse, non facilitatem ad operari: isti autem non applicant, nec mouent potentiam, cum etiam sint in iustis dormientibus, vel amentibus: in peccatoribus autem suppletur iste concursus per aliquod auxilium transiens, & præbens id, quod præberet habitus, si esset: vndè in his non deficit, nisi, vt cogitent, & pio affectu afficiantur eorum voluntates ad velle operari: quæ quidem cogitationes, & piæ affectiones voluntatis

luntatis eò magis conuincuntur applicatiuæ, quia experientia constat, quòd, dum vnum cogitamus, non possumus nolle illud: si verò plura habemus in mente, illud semper eligimus, ad quod magis inclinamur; quæcumque ergo maior applicatio requiritur in gratia, benè potest indè nasci, quòd, vt à Deo proueniens talis cogitatio, & pius affectus, taliter voluntatem allicit, vt omnes alias delectationes suo ardore vincat, vt suo loco probabo ex Augustino, & Angelico, qui indè tribuunt ex Scriptura, quòd Diabolus *operatur in filijs diffidentiæ*, vel quòd concupiscentiales motus, vincentes, captiuam ducunt voluntatem in legem peccati, eò quòd cogitationes, & appetitus excitant fortes ad obiecta turpia. Secundò autem, id probo ex verbis ipsis Concilii: nam in primo loco non facit mentionem, nisi de Gratia præueniente, & de hac asserit, quòd, dum cor tangit per pium affectum, simul & cogitationem, quæ est illuminatio Spiritus Sancti, reddit hominem agentem ita, vt etiam ipse agat. In secundò verò loco pro eodem sumere Concilium mouere, & excitare, atque vocare, patet ex verbis ipsis: nam eùm dixisset, *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, atque excitatum nihil cooperari, assentiendo*, non ait Deo mouenti, atque excitanti, sed *Deo excitanti, atque vocanti*, vbi est ergo motus? An non assentietur homo Deo mouenti? nonne euidens est, quòd idem sint Deum mouere, excitare, atque vocare? Tertiò numquid non gratia vocans est eadem, ac gratia præueniens, & excitans? & excitare dormientem non est idem, ac vocare? sed quomodò cum hac responsione cohærent Aduersarii infra, dum plurima loca Augustini pro eorum sententia ex efficacia vocationis desumunt: vt cùm dicit Augustinus ex Apostolo, *Sine pænitentia enim sunt dona, & vocatio Dei*: & cum alibi non semel distinguit vocationē Electorum ab ea, de qua dicitur, *Multi vocati, pauci verò electi*. Quid ergo est, quòd confingunt nunc de distinctione gratiæ excitantis ab ea, quę fecit operari? Agnoscenda ergo est, iuxtà principia physica de causis, duplex gratia cooperans, alia scilicet, quæ physicè immediatè concurrit effectiuè cum voluntate, & hoc in ordine ad actus supernaturales præstant, vel habitus infusi, vel auxilium actuale transiens, supplens id, quod cum iustorum voluntate, faciunt habitus: alia quæ cooperatur in genere causæ inclinantis potentiam, quæ reducitur ad genus causæ finalis: quo pacto gratia eadem præueniens, & excitans, dum perseueranter mouet, seu dum voluntas, vt mota, & inclinata, operatur, dicitur adiuuans, cooperans, & concomitans. Cùm autem omnes hæreses in materia de gratia semper fuerint circa gratiam primo mouentem, & excitantem, semper de hac, vt pręueniente, & adiuuante loquuntur Concilia, dum contra eosdē aliquid definiunt.

87 Contra secundò ex verbis ipsis, & collatione eorumdem, quæ attulimus ex Concilio. In primo namque locò de eodem, de quo asserit Concilium, quòd operatur, & ipsi cooperatur homo, determinat etiam, quòd abiici potuerit, nolente cooperari homine: ecce replico Concilii verba, *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præuenientē gratia sumendum*. Ecce gratiam inchoatiuā operis, quæ est prima: & ideò pręueniens, excitans, & vocans, ac primò mouens, quęque consistit in illuminatione Spiritus Sancti, tangentis cor hominis per pium affectum voluntatis, prout idem Concilium ostendit, subiungens, *itaut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illustrationem*. Nonne ista est gratia excitans, de qua loquimur, per quam cogitatione, per Spiritum Sanctū infusa, & pio voluntatis affectu, item infuso, illuminatur hominis intellectus, & tangitur cor, seù voluntas? quòd autem ista agat, & faciat agere, excipe ex eodem Concilio, subdente, *Neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiendo*. Certè neque Aduersarij ipsi vnquam somniarūt hominem liberè agere in primam gratiam, quæ fit in nobis sine nobis: consentire autē ei ad opus, vel dissentire proprium voluntatis est, vt ex Augustino infra omnes Catholici sentiunt: & certum est contra hæreticos, id negantes, definiisse Concilium. Quidquid tamen sit de hoc, nulli dubium est hominem non coagere soli gratiæ sufficienti, quæ, vt talis, numquam actū agit, sed gratię efficaci agenti. De hac ergo, quęcumq; sit illa, definit Conciliū, quòd cum illa agit etiam liberū arbitrium, sed vide ad illa verba eadem, *Neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiendo*, quid subiungat Concilium. *Quippe qui illam abijcere potest*. Particula namque *illam*, demonstratiua est eiusdem, de quo præcedit locutio immediata, non de aliis remotis verbis, vt cæci ipsi vident; illam ergo gratiam abijcere potest, quæ agit, & cū qua agit liberū arbitrium: non duę sunt gratiæ in pręfatis verbis: altera cui coagit: altera, quam abijcere potest liberum arbitrium, vt confingūt Aduersarij. Simili modo loquitur Concilium in 2. loco: de eodem namq; gratia de qua definit, *Si quis dixerit liberum arbitrium*

a Deo

à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, de eadem, inquam, subiungit. *Neque posse dissentire, si velit*, & de hac determinat posse hominem ei dissentire, si velit, non de alia, dùm subiungit. *Sed, veluti inanime quoddam, nihil omninò agere, mereque passiuè se habere, anathema sit*; aliter quæ connexio esset inter verba Concilij? esset potiùs confusio certè, quam definitio.

88 Contra est tertiò ex fine, & intentu Concilij; nam hoc Conciliũ fuit destinatum ad damnandas hæreses Lutheri, & sequaciũ, qualis in ijsdem temporibus erat Caluinus; isti autem non de Gratia sufficiente, quàm, vt infra patebit, inficiabantur: sed de Gratia omni Christi, quàm volebant efficacem; asserebant talem esse, cui homo resistere non possit; ideòque, cùm sine tali gratia homo non possit benè operari, necessitantem asserebant, & vacare in homine, qui non nisi necessitante gratia, vel concupiscentia, benè, vel male operari possit, liberum arbitrium: Si autem Conciliũ hos hæreticos damnans, solùm definijsset liberum arbitrium posse resistere gratiæ sufficienti, nec quidquã contra eos definijsset, nec falsum eorundem fundamentum destruxisset, quòd vbi implicat resistentia, ibi est necessitas. An forsan hoc fundamentum non est ita verùm, vt, si verùm esset hominem gratiæ efficaci nullo modo posse resistere, ineuitabiliter consequatur necessitate, non libertate trahi? Hoc ergo fundamentum destruere volens Conciliũ definit falsũ esse hominem cooperantem gratiæ, & consequenter efficaci, ità cooperari, vt non possit, vel conseruare cooperando, vel eidem resistendo, abijcere.

89 Respondent secundò, & communiter argumento Aduersarij, recurrendo ad solitas phrases, hominem videlicet posse ex Concilio gratiam efficacem abijcere, vel eidem dissentire in sensu diuiso, non in sensu composito.

90 Verùm quàm insubsistens, & chimæricus sit iste sensus compositus Aduersariorũ, desumptus non ex suppositione exercitij libertatis, sed ex suppositione alicuius omninò antecedentis ad omnem vsum libertatis, euidenter ostensum est à numero 52. vsq; ad 64. exclusiuè. Volo tamen in præsenti, vt aduertant hic Lectores, qualis sit hæc verbalis distinctio Aduersariorũ; nec non qualiter vbiq; tradant, putantes ea omnia confusione tegere, nihil attendentes, si distinctio ipsa contradictoria in se deferat, nec ne? Sistant paulisper quæso Lectores, & mente ex dictis, iuxta aduersariorum sententiam, reuoluãt quisnam sit sensus compositus, quisnam diuisus? Dicunt namque voluntatem in sensu composito cum decreto non posse non agere, cum Deo volenti nihil resistere possit; hoc est voluntas relata, & vt subiecta decreto Dei; seu vt formaliter illo affecta, non potest non operari ratione huius affectionis, & subiectionis: si verò sumatur secundùm se relatè ad effectũ præcisè, & non prout affecta decreto, hoc modo considerari in sensu diuiso, & posse non agere; Videtis ne Lectores Carissimi, quòd sensus compositus est considerare voluntatem in ordine ad decretum, quatenùs ab eius vi, cui subijcitur, deuiare non potest; sensus verò diuisus est eandẽ voluntatem considerare, vt completam in ordine ad effectum secundùm se; cæterùm in ordine ad decretũ ipsum non datur sensus compositus, & diuisus, vt vno modo possit voluntas creata voluntatem Dei, qui omnia quæcunq; voluit, & sicut voluit, fecit in cœlo, & in terra; frustrare: non ita alio modo. Hæc ergo Aduersariorum doctrina de sensu cõposito, & diuiso potentiæ voluntatis relatè ad Dei decretũ applicetur ad omne aliud, quod ex parte Dei efficaciter trahat, vel determinat voluntatem creatam; & sensus compositus erit, cùm consideratur eadem voluntas relatè ad hoc determinatiuum ex parte Dei; prout scilicet secundùm quòd voluntas ab eo afficitur, potest, vel non potest ab eo dissentire. Sensus verò diuisus erit, cùm consideratur eadem voluntas secundùm se in ordine ad effectum liberũ, præciso illo determinatiuo, & affectione, quàm ab illo habet ipsa voluntas. Cæterùm non datur sensus compositus, & diuisus in ordine ad idem determinatiuum; vt idem determinatiuum ex parte Dei possit vno modo à voluntate creata frustrari; non ita alio modo: quandoquidem conditionem importat, quòd voluntas creata consideretur in ordine ad tale prædeterminatiuũ, & quòd consideretur præscindendo ab illo, qui esset sensus diuisus. His autem pro inconcussis, etiam iuxta doctrinam aduersariorũ habitis, quisnam locus adesse potest Aduersarijs vti distinctione ista sensus compositi, & diuisi pro aufugienda vi argumenti, firmati in authoritate infallibili Tridentini, quando in eo non est sermo de voluntate in ordine ad effectum, vbi do pro modo, quòd volũtas posset considerari, & secundùm se, & vt est affecta gratia; sed est sermo de volũtate in ordine ad abijciendam gratiam, vel non abijciendam; in ordine ad quam non potest considerari secundùm se, præcisa ipsa gratia; si enim consideratur præscindendo ab ipsa, non erit potentia abijciendi ipsam.

Non-

Nonnè euidens est in hac distinctione absq; vlla consideratione, sed solo sonitu verbòrũ procedi ab Aduersarijs?

91 Replicabit quis forsitan Concilium loqui de potentia voluntatis remota abijciendi gratiam, quatenùs scilicet, dùm volũtas habet potentiam in sensu diuiso non operandi, habet etiam remotè potentiam abijciendi gratiam; ad posse namque non operari annexum est posse gratiam respuere, & illi dissentire. Sed qui præ oculis veritatem habet, & per vias obliquas eam se reperturum credit, faciliùs amittit, & loco inueniendæ veritatis, tortuosas ambages, & inextricabiles labyrinthos incurret. Hunc ergo, sic respondentem, suismet responsionũ laqueis præpedio, ita arguens; Concedis ergo, volens nolens, quod potentia volũtatis creatæ in sensu diuiso non operandi trahit secum potentiam in sensu composito, idest resistendi gratiæ, & Deo, ac, dùm ea in se afficitur, per hoc, quòd potest secundùm se non operari voluntas creata, indiuisibiliter habet, vt affectionem ipsam, & efficientem gratiam efficacem à se abijciat; aliter Conciliũ explicare, nec per tortuosos calles, potes; & si hoc concedis, valet, quòd vbi est potentia in sensu diuiso non operandi, est indiuisim potentia remota in sensu composito; hoc autem iam à te concesso, vide quid subiungo; atqui sensus compositus proximus, & directus, quem tu negas, aliud non importat, quàm voluntatem creatam esse potentem secundùm se non operari; ergo concedis simul, & negas potentiam proximam non operandi in sensu composito, seù resistendi Deo, & abijciendi gratiam. Probo minorem; quia volũtas nullo alio modo potest dici proximè potens abijcere gratiam, nisi per hoc, quòd secundùm se potest non operari: sed hoc concedis, vt concedas sensum diuisũ: ergo simul concedis potentiam resistendi proximam: Probo maiorem; respectu gratiæ inefficacis concedis potentiam proximam resistendi, sed ibi non aliter resistit voluntas, nisi per posse non operari secundùm se, ergo si idem concedis relatè ad gratiam efficacem, etiam respectu huius concedis posse proximũ. Minor patet, nam gratiæ inefficaci non resistit voluntas per posse habitũ à gratia, hæc enim solùm dat benè agere, non verò posse malè, quòd habet natura ex se, sed resistere illi proximè est non cooperari illi, ergo proximè resistere est per potentiam, quàm habet secundùm se ad non agere. Vel ergo admittendo decreta antecedẽtia, teneberis cõcedere simpliciter creatam voluntatem Deo, vnum efficaciter volenti, posse, etiam in sensu composito, resistere, contra illud Esther 13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* & Iob 41. *Quis enim potest resistere vultui meo?* vel costringeris negare voluntati creatæ omnem potentiam, tùm proximam, tùm remotam resistendi, & consequenter etiam potentiam in sensu diuiso operandi oppositum, quod est omninò libertatem creatam inficiari.

CAPVT TERTIVM.

Obiectiones, quas ex Scriptura, Concilijs, & alijs Ecclesiæ statutis cõgerunt Aduersarij, referuntur, & illarum omnimoda fucacitas ostenditur.

92 NVllum sanè ex innumeris argumentis, quæ contra Scientiam Mediam congerunt Aduersarij, reperiet Lector, si quas tradam responsiones, considerare æquo animo, vt a pluribus spero, voluerit, quod non à confusione diuersorum, vel à confictis ad suum eorundem sensum scientiæ mediæ attributis, & a Defensoribus illius nec somniatis, vim apparentiæ sumat; ea autem eodem ordine adducam, quo meam stabiliam sententiam.

93 Obijciunt ergo primò Aduersarij ita ex Scriptura. Plurima de facto ostenduntur ex Scriptura dari in Deo decreta efficacia de futuris conditionatè, in quibus eadem futura possunt per scientiam visionis cognosci: ergo, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio futuro conditionatè, vacat ex Scriptura scientia ista media. Antecedens probant primò ex illo Matth. 16. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.* Vbi notandũ, aiunt Aduersarij, quòd non dicitur exhiberet, sed exhibebit, ad designandam actualem, & firmam Patris voluntatem. Secundò ex illo 4. Regum 13. Vbi refertur, quòd, cùm iussus fuisset Rex Ioas ab Eliseo, vt terram baculo percuteret, & ille duntaxat percussisset, iratus Eliseus ait, *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem.* Consumptio autem illa Syriæ conditionatè futura, si videlicet fuisset quina, vel sena, aùt septena terræ percussio baculo, nõ poterat, nisi ex actuali Dei voluntate esse con-

connexa cum eadem terræ percussione. Tertiò ex illo Ecclesiast. 17. *Testamentum æternum constituit cum illis, & Iustitiã, & iudicia suã ostendit illis*, conseruaturum se scilicet illos in Iustitia originali, cæteraque promissa præbiturum, si non peccarent: nõ ita, si peccarent, & ei obedientes non essent. Quartò ex illo 3. Regum 9. *Si ambulaueris coram me, sicut ambulauit Pater tuus, in simplicitate cordis, & æquitate: & feceris omnia, quæ præcepi tibi, & legitima mea, & iudicia mea seruaueris, ponam Regnum tuum super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David Patri tuo.* Quintò tandem ex Apostolo ad Galatas 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius; non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus.* Illud autem, quod promisit Deus Abrahæ, est fides gentium, vt filij eius essent ex fide: sicut idem Apostolus habet ad Rom. 4. dicẽs; *Vt sit Pater omnium credentium per præputium: Non enim per legem promissio Abrahæ, sed per iustitiam fidei*; & deindè, *ideò ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio*. In quem locũ Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. sic loquitur, *Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium, dicens, Patrem multarum gentium posui te, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua Prædestinatione promisit.*

94 Respondeo ex locis adductis in argumẽto, vt ea consideranti patet, quatuor solùm prima procedere de futuris conditionatè: vltimum verò de futura absolutè fide gentium; quoniam autem hic vltimus locus, vt constabit, materiam continet valdè diuersam ab ea, quàm continent quatuor prima; ideò non confusè, vt obijciunt Aduersatij, soluam: sed, secundùm eorum diuersitatem, diuersas exhibendo responsiones, eorum detegam insubsistentiam in ordine ad finem, pro quo adducuntur.

95 Quo ad prima ergo loca, quibus similia innumera possent adduci ex Scriptura, dico, hoc esse illud, quod tetigi numero 15, quòd videlicet non vsus sim pro probanda in Deo scientia futurorum conditionatè, de quibus apud Doctores est difficultas, ratione, qua vtuntur Thomistæ, & Scotistæ; præfatis quippè locis in argumento adductis, alijsque similibus, continentibus Dei decreta promissoria, vel comminatoria, vtũtur, omninò impertinentibus ad materiam, de qua agimus: nulli namque dubium est, Deum, non solùm posse, verum multa defacto promisisse vel Angelis, vel hominibus dependentet ab aliqua conditione, ab ipsis exigita; vt, *Amen dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum Sinapis, & dixeritis huic mõti transi hinc illùc, transibit*; item, *petite, & accipietis; quærite, & inuenietis, &c.* &, ne longior sim, tota Scriptura similibus promissis, sicut, & minis plena est, quæ voluntatem in Deo promittente, vel comminante significant actualem, dependenter in executione à conditionibus, sub quibus est facta promissio, vel comminatio; sed deberent aduertere Thomistæ, & Scotistæ, omnia similia decreta, quæ sunt promissoria, vel cõminatoria sub conditione, & non absolutè, respicere effectum conditionatè futurũ, ponendum à Deo, vel saltem speciali eius auxilio: non verò ponendum à nostra voluntate libera efficienter, sed solùm à nobis exigitur conditio; si ergo à Deo sunt ponendi, quomodò erunt ponendi sine voluntate Dei, determinatiua sui, non nostrũ, ad tales effectus conditionatè futuros? in his tamen decretis nec vestigium inuenient Thomistę, quòd Deus promittens, vel comminans sub conditione nostri operis, determinet nostrã voluntatem, vt ponat conditionẽ: difficultas autem, de qua in præsenti disputamus, est, an futura conditionatè libera voluntatis creatæ sint ita futura, quia volita sunt à Deo sub aliqua conditione saltem primò ab ipso Deo ponenda; qualia continentur in ista; & similibus propositionibus: volo, vt Angelus, vel homo faciat hoc, vel illud, si voluero creare, & dare illi has circumstantias, &c. inter reliquas namque conditiones prima est creatio, vel conseruatio, quæ non est, nisi à solo Deo. De similibus futuris cõditionatè nostræ liberæ voluntatis, circa quæ solùm propugnatur ab eius sequacibus scientia media, exoptarem, vt vel vnum locum afferrent Thomistæ, aut Scotistæ ex Scriptura, in quo vestigiũ sit similis decreti efficacis, & prædeterminatiui voluntatis creatæ: at si totam Sacram Scripturam peruoluant, non inuenient.

96 Quantùm porrò differant ista duo futurorum conditionatè genera, nemo non videt: nam effectus conditionatè futuri vi promissionis, vel comminationis, cùm sint à Deo ponendi, & conditio solùm requiratur à nobis, Deus debet suam voluntatem determinare ad promittendum, vel comminandũ: non nos Deũ, vt ita, vel ita promittat. Nos verò solùm nostra voluntate mouere Deũ possumus, ponẽdo conditionem in statu absoluto, vt promissa ex sua voluntate, vel cõminata ante omne exercitium, etiam præuisum, nostræ libertatis deindè seruet, vel exequatur in statu absoluto. Hæc ergo futura talia sunt ante omne exercitiũ nostræ libertatis, etiam conditionatè præuisum, sola voluntate Dei, assumentis operationem nostræ voluntatis, tanquam puram conditionem, sub qua promittit, vel minatur, nõ

verò volendo, vt sit futura, etiam conditionatè; cùm ipse actus noster assumatur, vt conditio; non vt conditionatè futurus. Illi verò effectus, qui sunt futuri conditionatè à nostra libertate, conditione saltem primò ponenda à Deo, debent, vt libertatem seruent, determinari à nobis, præhabentibus in signo causæ potentiam ad vtrumlibet; & ideò de his, vt probauimus vsque modo ex Scriptura, & Concilio Tridentino, dicimus non posse esse decreta Dei prædeterminatiua voluntatis creatæ; nec quidem conditionatè cognita, & non solùm actualia. Ecce ergo quàm diuersa confudit argumentum, vt vim aliquam apparentiæ ei tribuant Aduersarij.

97 His addò, neque ideò præfata decreta de futuris, à Deo ponendis, debere esse actualia, vt hæc reddantur, tanquam futura conditionatè, à Deo cognoscibilia; adhùc enim Deus in priori signo ad eorum existentiam potest eadem cognoscere, vt futura hoc modo: Si vellem, vt percutiente Ioas baculo terrã quinquies, aut sexies, siue septies, percutiatur Syria vsque ad consumptionem, & Ioas ita terram percuteret, Syria esset percutienda vsque consumptionem. Neque enim, vt asserunt Aduersarij, hoc modo esset cognoscere in vi consequentiæ, & connexionis; quando verò decretum Dei est actuale, tunc est ea cognoscere, vt conditionatè futura: eò quòd, in primo casu nihil est actu, vi cuius effectus mutet statũ in seipso de possibilitate ad futuritionem conditionatã, prout mutat in secundo vi decreti actualis, in quo, subiungunt, hallucinari Defensores scientiæ mediæ. Non, inquam, vera est ista disparitas, quòd probo euidenter, simul ostendens Aduersarios in hoc ipso, eorũdem pace, hallucinari, non Defensores scientiæ mediæ: Sic argumentor; Effectus non mutat statum in seipso vi solius causæ inadæquatæ, sed vi causæ adæquatæ: quandoquidem suum esse indiuisibiliter habere debet ab vtraque, tanquam ab vna indiuisibili causa; ergo, nisi tota causa variet statum, nec effectus variabit statum in se; & aliter, si vi decreti Dei actualis præcisè variat statum, cùm hoc decretum varians in se sit actuale, & ex parte sui absolutum, & solùm ex parte effectus, seù potiùs obiecti, sit cõditionatum, non variat se solo, & vi sua, conditionatè, sed variaret effectum absolutè; non ergo se solo variat, sed simul cũ conditione, & indè effectus non variatur absolutè, sed conditionatè; atqui conditio non mutat statum in se, sed solùm attingitur conditionatè: ergo, ideò effectus variatur conditionatè, non quia decretũ est actù absolutũ, sed quia tota causa, indiuisibiliter accepta, conditionem includit. Et vrgeo: nam, vel solùm decretum variat, & ita variatio erit absoluta: vel etiam conditio; hæc autem vel variat virtute decreti, & variabit absolutè, sicut est virtus decreti: vel ratione sui, & iam aliquod, purè conditionatè attactum, variat effectum; ergo, siue tota causa accipiatur conditionatè, siue partim sit absoluta, partim conditionatè accepta, semper vi sua variaret effectũ acceptabiliter in statu obiectiuo, non in seipso à parte rei. Hæc dixerim, vt Aduersariorum doctrinam, adhùc stando eorum principijs, in consequentiæ arguerem: cæterũ falsissimum est effectum à Deo volitum sub aliqua conditione euadere futurum conditionatè: euadit namque præcisè cõnexum ab extrinseco cùm conditione, per decretum Dei attracta, non verò vllo modo futurum. Ratio est euidens, quia nihil potest induere rationem futuritionis, & nulli tempori, nec etiã imaginario correspondere, sed ab omni præscindere determinato tempore, cùm res existens, saltem connaturaliter alicui tempori correspondere debeat determinato; res ergo futura conditionatè debet alicui tempori determinato conditionatè correspondere, quod scilicet esset in tali tempore; decreta autem Dei, volentia effectum dependenter ab aliqua conditione, non respiciunt determinatum tempus, sed indifferenter quandocũque esset conditio, esset effectus. Quod autem aliquando tempus requirat, non indè requirit, vt ei correspondeat: sed quia connexio pro tali dumtaxat tempore durat, & non vltra; ergo talia decreta non reddunt effectum volitum conditionatè futurum.

98 Ratio ergo, cur decreta prædicta sint de facto in Deo, aliundè oritur; quàm, quia, vt existentia, debent reddere effectus volitos conditionatè futuros: Sunt autem actù, quia de facto voluit creare creaturam rationalem, & eam eleuare ad gloriam acquirendam per opera bona: ex hoc enim omnia, quæ promisit, ideò promisit, vt promissione incitaret ad bonum amplectendũ & econtra minatus est pœnas, vt terreret à malo; non possent autem actù incitare, nisi actù sint: quod enim esset, incitaret, non verò actù incitat; sicut infra dicemus contra Semipelagianos, qui attribuebant rationem meriti, mouentis actù ad præmiũ, etiã operibus conditionatè præuisis. Rursus nulla operatio creaturæ est in se connexa, saltem infallibiliter, cũ aliquo effectu ponendo à Deo, sed vel sũt omnimodè disparata, sicut erat percussio terræ baculo cũ consũptione Syriæ: vel etiam, si

si in se habeant aliquam vim meriti, sicùt essent opera bona ex gratia, ad mouendũ Deum, vt det gloriam; nisi tamen Deus ita voluisset cõnectere talibus operibus gloriam, potuisset opera bona exigere à creatura titulo supremi dominij, & debiti cultus, vel titulo gratitudinis: & non sub obligatione ad retribuendum prœmiũ gloriæ; vt ergo creaturas rationales magis ad talia opera incitaret, & suam magis ostenderet bonitatem, vel iustitiam in rebelles, illis se voluit ligare promissis, istis minari pœnas; & ad hunc finem necessarium fuit, quod actù Deus habuerit similia decreta promissoria, vel cõminatoria, nõ quia nõ sufficerent conditionatè cognita pro cognoscendis effectibus, vt in se conditionatè futuris; quãdo autẽ cognoscere cõditionatè sit cognoscere in vi consequentiæ, & connexionis: & quando in vi consequentis, & in seipso effectũ, explicaui numero tertio.

99 Venio iam nunc ad vltimum locum ex Scriptura, qui, cùm procedat de promissione fidei gentium, procedit iam de voluntate Dei promissioria, & volente efficaciter opus liberũ creatæ voluntatis; nõ quidẽ de voluntate fidei conditionatè futuræ, sed de voluntate fidei eorum, qui ex gentibus defacto euadunt filij Abraham, & veri Israelitæ, quibus spiritualiter fuerunt facta omnia promissa in Christo, secundùm sensũ Scripturæ viuificantem, prout in capitibus in argumento citatis, probat Apostolus. Hoc ergo totum verùm est, & totũ ex intimo cordis plures scientiæ mediæ Defensores admittunt, quamuis aliqui promissionem fidei velint solum esse de fide causaliter, non formaliter, quatenùs videlicet Deus gentibus eam ad fidem prædestinauit gratiam, quam præuidit habituram effectũ; omnes tamen alij communiter, admittentes defacto prædestinationem gloriæ his, & non illis ante præuisionem absolutam meritorum, dicunt etiam Deum prædefinisse efficaciter in his opera bona, & consequenter initium bonorũ operũ, quæ est fides; sed nõ ad ea prædeterminasse volũtatẽ creatã; in quo tota cõtrouersia est inter Defensores sciẽtiæ mediæ, & alios ex opposito.

100 Quòd, si, quæras hic aliquam notitiam anticipatam, quomodo possit Deus in statu absoluto prædefinire, & prævelle, ac prędeterminare opus liberũ, non prædeterminando volũtatem creatam ad illud; si enim remaneat potens non ponere, videtur posse frustrare Dei decretum; si autem ad non potest, iam prædeterminabitur ad vnum vi decreti absq; læsione libertatis; pari ergo modo erit determinabilis ad effectũ conditionatè futurum, & vacabit omnino necessitas scientiæ mediæ.

101 Si quis, inquam, id scire exoptat, breuitate maiori, qua possum, ab hoc scrupulo solutũ reddam ex Augustino, & Angelico Doctore. Ex primò quidem lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. prope medium, vbi in illud Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, distinguens vocationem Electorum ab illa, qua vocantur etiam non Electi, sic ait. *Cuius autem miseretur, si eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantẽ non respuat.* Vides ne, quòd, quem Deus vult saluare, & propterea bene operari, non vocat, nec vult cæco modo eũ saluare, vel operari benè, sed consilio eius præscientiæ, qua scit talem gratiam, & non aliam inferiorem, ei congruere, vt vocantem non respuat. Hanc autem præscientiam non esse simplicis intelligentiæ, euidens est: quandoquidẽ hæc tendit ad præcisè possibilia, quo ad possibilitatem autem voluntas potest verũ libet; ergo dum cognoscitur cum maiori congruitate ad vnum, accedit ad actum determinatum, supra præcisum statum possibilitatis: ac consequenter extra obiectũ scientiæ simplicis intelligentiæ. Item nec esse scientiam visionis etiã ostenditur; vel enim esset de non respuentia, vt absolutè futura, &, cùm hæc sit vi decreti, non potest esse obiectum scientiæ antecedentis, & dirigentis decretum: nec potest esse scientia de non respuentia conditionatè futura vi decreti absoluti in se, & conditionati ex parte obiecti, sicut defacto docent Aduersarij, quod euidenter ostendo ex contextu Augustini; Ex eo namq; Sanctus Doctor ad prælata verba peruenit; quia cùm dixisset ex Apostolo ad Romanos 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, vidit ex hoc inferri vocationem esse effectricem bonæ voluntatis; & sibi ipsi opposuit Augustinus, *Sed si vocatio ista, ita est effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus sequatur, quomodò verùm erit: multi vocati, pauci electi?* in quod dubiũ sic subiũgit Augustinus. *Quod si verum est, &c. non consequenter vocationi vocatus obtemperat; atque, vt obtemperet, in eius est positum voluntate, rectè etiam dici potest, igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur.* Videant Aduersarij in quas difficultatis angustias dubiũ trahit Sanctus Doctor, vt vel auferri debeat ab homine libertas, si verùm est, prout verissimum est, quòd *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; vel, si requiritur vocati hominis obedientia, non sit verùm, quod miserentis sit Dei, sed volentis, atque currentis hominis: cuius, cùm requiratur libertas, posse videtur frustrare

strare Dei voluntatem. Sed *non iam verum est*, ait Augustinus, *igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit*. Nonnè eadem est difficultas de futuro opere conditionatè creatæ voluntatis, quòd, si decretum est huius futuritionis causa, non à libertate creata esset operis futuritio conditionatè; vel si ab ista, igitur non vi decreti? Sed videamus qua via soluit Augustinus difficultatem. *An fortè*, ait, *illi, qui hoc modo vocati non consentiunt, possent, alio modo vocati, accommodare fidei voluntatem; vt & illud verum sit, multi vocati, pauci electi; vt quamuis multi vno modo vocati sint, tamen, quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei? Et illud non minùs verum sit, igitur nõ volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodò aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem? Ad alios autem vocatio quidem peruenit: sed, quia talis fuit, qua moueri non possent, vt eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi: & non iam similiter verum est, igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis, quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit: quia, si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt mouerentur, & intelligerent, & sequerenter*. Hanc autem viã approbans Augustinus, totam difficultatẽ per præscientiam soluit, hoc modo concludens, *Verùm est ergo, Multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, vel contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamuis vocati. Item verum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia, etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocare aptum est, vt sequantur. Falsum est autem, si quis dicit, igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis; quia nullius Deus frustra miseretur: cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem non respuat*.

102 Ex hac Augustini doctrina ita ad longũ adducta, vt viam fictis commentis præripere m Aduersari s, euidens cuiq; fit, indè Augustinũ totum opus misericordiæ, & nõ volentis, atque currentis hominis, adstruere prædestinationem, illæsa eiusdem libertate, quia ex præscientia operans, non ita, quem saluare vult, vocare præfinit, quomodo præuidit, cum non fore obtemperaturum ob incongruitatem vocationis ad propriam ineptitudinem; sed eo modo, quo prænouit aptum fore, vt gratiæ illi obtemperaturus, taliter, vt eidem vocationi possit vnus præuideri obtemperaturus, quia vitijs, & malis, inclinationibus minùs implicatus, magis delectatur de obiecto bono vi vocationis, quàm de obiecto turpi; alter verò habituatus, vel ex mala dispositione naturali intensiùs, & fortiùs ad turpia propensus, & si eadem vocetur gratia, non est tamen aptus, sicut ille, ei obtemperare: regulam enim millies præscribit Augustinus, & præcipuè in expositione capitis quinti Epistolæ ad Galatas, *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*. Ergo, & si ex Deo miserente sit opus bonũ, non ideò tamen, quia præcisè illud Deus vult; sic enim nõ esset attẽdenda aptitudo hominis, vt eidẽ vocationi obtẽperet, cui nõ obtẽperat alius; sed quia taliter Deus vult, qualiter præuidit, collata aptitudine huius hominis cũ tali vocatione, fore obtẽperaturũ, & si eidem obtemperaturus non est alter; cuius tamen, si etiam vellet Deus misereri, sciret respectu qua lis vocationis esset obtemperaturus: sed non ita statuit eũ vocare; & hinc neque volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei, qui, *cuius miseretur, sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem non respuat*: at non ita vocat, cuius misereri non vult, sed debitũ iustitiæ exigit.

103 Concedunt totum hoc Aduersarij, sed adhùc dicunt illam maiorem aptitudinem vocati ex Deo esse, etiam cùm primò incipit actus fieri. Verùm quem similis respõsio non fastidiat? numquid enim Augustinus in doctrina citata non loquitur etiam de primo actu bono, & etiam ad hunc requirit aptitudinem obtemperantis? Præterea ex modò dictis nonnè patet, quòd eidem gratiæ, v. g. vt quatuor delectanti, aptus est obediat delectatus obiecto turpi vt tria, sed non ita delectatus vt quinque: hæc autem maior, vel minor delectatio ex maiori numero peccatorũ in altero prouenit, & in alio ex minori: vel ex intemperata naturali dispositione, qua vnus magis exardescit in concupiscentias, quàm alter: concedere ergo debent Aduersarij, si Augustino consentiunt, dicenti, *Quod magis nos delectat, secundùm id operemur necesse est*, aptitudinem istam, ex parte subiecti præsuppositam ad congruitatem vocati, non solùm esse ex parte Dei supernaturaliter miserentis, verùm etiam ex parte Dei cõdentis naturas; & quòd præscientia boni operis absolutè futuri, fundatur quidem in Deo antecedenter miserente, & volente ita hic, & nunc vocare, sed præsupposita præsciẽtia, non solius vocationis ad opus, sed, & voca-

vocationis, & aptitudinis naturalis, ac voluntatis ità, vel ita se oblectantis in opere turpi, quod non est ex Deo; concupiscentia enim carnis, & huius sæculi, non est ex Deo, ex Apostolo Ioanne: & multò minùs maior, quę ex operis mali vsu prouenit; est ergo scientia non fundata in solo decreto Dei volentis opus conditionatè, sed in collatione voluntatis, vt delectatæ minùs ab obiecto turpi, quàm à gratia vocante, & erit scientia media, quam nos ponimus, voluntatis scilicet accomodantis se vocationi magis dilectanti, vt verbis vtar Augustini, relatis numero antecedenti.

104 Ex Angelico autem idem non minori claritate ostenditur. Hic enim lib. 3. contra Gentiles cap. 94. loquens de operibus Prouidentiæ, ita in primis ait, *Cum in quolibet Prouidente duo considerari oporteat, scilicet ordinis præmeditationem, & præmeditati ordinis institutionem in rebus, &c.* vbi, vt patet, prerequirit ad institutionem in rebus per prouidentiam præmeditationem ordinis, non quidem dumtaxat mediorum inter se, sed etiam cum fine, vt præcedenti lib. 2. contra eosdem Gentiles cap. 24. docuerat his verbis, *Ordinatio enim aliquorum fieri non potest, nisi per cognitionem, & proportionis ordinatorum ad inuicem, & aliquid altius, quod est finis eorum.* Et sanè, si Deus vellet aliquem, nesciens priùs si, & quæ sint media proportionata ad illum, non esset ordinata, sed cæca voluntas; quæ autem sit ista proportionata habitudo mediorũ ad finem, habeas ex eodem secunda secundæ quæst. 48. artic. vnico in corpore, vbi distinguens tres partes requisitas ad prudentiam, *primò quidem*, ait, *vt ordinet aliquid accommodum ad finem*; Non sufficit ergo velle ordinare hoc mediũ ad finem, vt sit aptũ ad finem: sed, quia in se aptitudinem habere præcognoscitur, ideò est prudenter ordinabile ad finem. Hæc autem aptitudo non consistit in sola entitate medij, in se spectata, sed cum relatione ad voluntatem executiuam; adhùc namq; Angelicus, vt probabo num. 381. iuxta Augustini antecedentem doctrinam, docet in id voluntatem determinari, in quod magis propendet, ac consequenter in præmeditatione proportionis medij ad finem debet prænoscere non solùm mediũ secundùm se, sed simul cũ volũtate, taliter in se minùs, vel magis concupiscentijs obsistentibus malè affecta, vt indè discernat, si cũ hoc medio congruenter ordinaretur ad finem, nec ne; hoc autem modo cognoscere, est scientia media, quam defendimus; & secundùm hanc concludit Angelicus prefato loco lib. 3. contra Gentiles. *In prouidẽdo igitur suæ Sapientia præmeditatione sempiterna omnia ordinat.* Et pari modo quæst. 24. de Veritate artic. 5. in corpore ait, *Et hunc quidem modum rebus Diuina voluntas præfigit ex ordine suæ Sapientiæ.* Ergo etiam Angelicus ad actualẽ institutionẽ in rebus per decretũ absolutũ prærequirit directionẽ sciẽtiæ mediæ.

105 Constabit autem ex dicendis à numero 597. quod præsupposita in Deo præscientia hac media de aptitudine mediororum collatorum cum creata voluntate, ad hoc, vt deindè Deus velit absolute, & efficacissimè futuritionem actus liberi creatæ volũtatis, non requiritur, vt prædeterminet volũtatẽ ipsã, sed sufficit, si determinet se ad actum intentiuè, & effectiuè ad concursum indifferentem, & propterea ad ponenda illa media, sub quibus præuidit voluntatem creatam se fore accomodaturam: etenim, si Deus sic determinet, volo, vt volũtas creata ponat hoc opus eo modo, quo illam præuidi sub tali medio liberè posituram, & propterea do ei illud medium, non poterit non esse tale opus ex suppositione, quod voluntas creata fuit præuisa fore cũ tali medio illud positura; Quod autem voluntas conditionatè præuisa ponatur in statu absoluto cum tali medio, cui consequitur opus, totũ ex Deo est: ergo pari modo ex efficaci intentione Dei de actu est, quod sit actus: non quidem immediatè effectiuè, cùm debeat effectiuè etiam concurrere creata voluntas: sed intentiuè, vt cuius intentionis ponuntur omnia requisita ex parte causæ, non præcisè secundùm se, sed vt iam ex suppositione ponentia actũ in statu conditionato, & vt positura in statu absoluto vi decreti, prout ponentis causas; Ideóq; nec potest voluntas frustrare Dei voluntatem, vt frustra misereatur Deus, si creatura nolit; non quidem impotentia orta ex decreto, sed antecedenti ad illud, videlicet ex suppositione proprij exercitij libertatis, iam conditionatè præcogniti; ac proindè supponens Dei decretũ in potentia proprium exercitium libertatis, illud lędere non valet. Hæc ergo prædefinitio, vel prædeterminatio Dei ad actum, supposita scientia media, non est volitio actus secũdùm se præcisè, sed volitio illius, vt vt causatum, præuisarum sub statu conditionato, transferatur ad statum absolutum per translationem earundem ad statum absolutũ eodem modo, ac fuerant præuisæ in statu conditionato: ac consequenter vt determinandæ per seipsas in statu absoluto, sicut fuerant præuisę in statu conditionato. Si verò non præsupponatur scientia media ad Dei decretum de actu voluntatis creatæ, nihil supponens exercitij in eadem voluntate creata hoc Dei decretum, necesse est ad efficaciam

ficaciam diuinæ voluntatis, vt ipsum decretū trahat determinationem voluntatis, quā non supponit, & ita voluntatem reddit non à seipsa, prout ad libertatem requiritur, sed ab alio determinatam ad vnum; Et indè est, quòd nūquam ego nego Deū posse preuelle, prædefinire, & prædeterminare actū liberū, sed decretū nego voluntatis creatæ prædeterminatiuum.

106 Instat tamen contra responsionem, à me datā primis quatuor locis Scripturæ, recentior quidam Doctissimus Scotista, nimirùm Mastrius ita: in illis duobus locis Scripturæ Matth. 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, pœnitentiā egissent*. Et Ezechielis 3. *Si mitteteris ad eos, ipsi audirent*. Sermo est de futuris conditionatè liberis, & tamen in istis locis continetur implicitè decretū Dei actuale, ergo ad futura conditionatè datur decretū Dei actuale. Secundam partem antecedentis probat indè, quia in prædictis locis solùm ponitur conditio ex parte mediorum, non ex parte voluntatis diuinæ, quod non aliundè oriri potest, nisi quia conditio non se tenere debet ex parte decreti, sed ex parte mediorū ad effectum.

107 Respondeo in primis concedo secūdam partem antecedentis, sed nego consequentiam; cùm enim sermo sit de hominibus, qui actù erant, & cuius voluntas actù libera erat, indigebat consequenter actuali volnntate Dei, volentis cū illis concurrere, & dantis media sufficientia, licet non dederit efficacia, sub quibus prævidit operaturos, & inde conditio non ponitur ex parte voluntatis Dei, sed hæc voluntas Dei nec colligitur efficax, nec pro futuritione conditionata, sed pro libertate absoluta illorum, ad quam necessarium est decretū indifferens actuale. Debuisset tamen aduertere Mastrius, quòd, si ex eo posset inferri, decretum esse actuale, quia de eo non fit mentio conditionata, cùm etiam in iisdem locis adductis, nec fiat mentio, nisi de virtutibus exterioribus, & de missione exteriori conditionata Ezechielis, non verò de Gratia efficaci interiori; necesse esset asserere, quod hanc dederit illis absolutè ad effectum conditionatè futurum, & non futurum absolutè, quo nihil magis ridiculum: Cùm ergo ad futurū conditionatè sufficiat conditio ex quacunq; parte ponatur, non est necesse, vt ad significandū futurū conditionatè, omnia, quæ requiruntur, tanquam causa, nominentur, nec conditionatè, nec absolutè; sed sufficit aliquid nominare conditionatè ex parte causæ.

108 Obiiciunt secundò, hæc alia loca Scripturæ Esther: 13. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel*. Ad Romanos 9. *Voluntati enim eius quis resistit* Iob. 41. *Quis enim potest resistere vultui meo.* Et Isaiæ 47. *Non resistet mihi homo*. Ex quibus ita argumentum conficiunt. Loca hæc non possunt verificari, nisi de Decretis efficacibus, & antecedentibus Dei de actibus nostris; ergo datur ex Scriptura hæc decreta. Probant antecedens: Non possunt verificari de decretis indifferentibus: quandoquidem respectu ad hæc non est conceptibilis resistentia: cùm enim sint ad vtrumlibet, quidquid elegeremus, esset iuxta decreta. Nec item verificari possunt de decretis post scientiam mediam, quia essent de subiecto non supponente; hæc enim decreta supponunt exercitium libertatis, ìa præuisum, cui se accommodant: illud autem, quod iam supponitur, non potest aliter esse, quàm supponitur; quid ergo de Dei potentia magnificaretur in prædictis, si impotentia resistendi non oriretur à magnitudine potentiæ, sed ex suppositione libertatis creatæ? ergo, inferunt, debent intelligi de decretis efficacibus omninò antecedentibus.

109 Respondeo primò per instantiam: si, vt arguunt Aduersarij, respectu voluntatis Dei indifferentis non datur locus conceptibilis resistentiæ, nec item respectu voluntatis efficacis post scientiam mediam, relatè verò ad decreta Dei efficacia, & antecedentia, nemo est qui resistere possit: de quo ergo Dei voluntate verificabunt Aduersarii illud Actorum 7. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui Sancto resistitis*, & plura alia loca similia Scripturæ in quibus malè operantes dicuntur Deo resistere, & contra eius voluntatem agere? Secundò dico loca iam adducta meam confirmare sententiam, tantùm abesse, vt sint contra illam: & mirandum sanè est, quòd Aduersarij pro probanda sua opinione, loca ex Scriptura afferant, quæ illam destruunt. Id autem euidenter ostendo; nam præfata loca ostendunt non esse liberum homini Deo volenti efficaciter resistere; ergo ostēdunt, quòd vbi debet esse libertas hominis, non debent præcedere decreta Dei, ita efficacia, & antecedentia. Probo antecedens examinando singula; nam primus locus Esther non est de salute spirituali, sed de imminente nece, quæ præparabatur ab inimico Aman populo Israel, pro cuius liberatione rogabat Deū Esther, sciens quomodo aliàs liberauerit ab Ægyptiis, demersis his in mare, non liberè, sed potentia Dei. & alia vice ab exercitu formidabili Sennacherib, occisis ab Angelo 185. millibus

tibus

tibus, non liberè, sed coactè, sicut de facto liberauit, iuxta preces Esther, tunc etiam populum suum, suspenso in patibulo persecutore Aman vi, non libertate. Secundus autem locus est de voluntate Dei miserentis, cuius vult, & non miserentis, cuius non vult: hoc autem non est nobis liberû, sed Deo: nec à nobis vllo modo pendere potest, vt Deus voluerit, vel noluerit misereri. Tertius locus est de conuersione Beemot in bestiam, & de successiua restitutione in pristinum: postquam enim cap. 40. dicitur. *Ecce Beemot, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet*. Deindè cap. 41. reassumitur sermo hoc modo. *Non quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo?* numquid hæc libera fuerunt Nabuchodonosor? Quartus tandem est de vltione illata à Deo Babilonicis, contra quã prophetabat Isaias, dicens. *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum, vltionem capiam, & non resistet mihi homo*: Quis autem non videt vltionem Dei non esse liberam, sed contra voluntatem hominis illatam à Deo?

110 Vt tamen in hac materia, quæ maximæ est considerationis, maiori, qua possũ, claritate distinguenda distinguam. Quatuor operum genera pro modò considero. Primò quidem, quæ pendent à sola voluntate Dei, & nullo modo à nobis, qualia sunt in naturalibus motus cœlorum, & effectus, qui ex tali motu, omnimodè independenter à nobis proueniũt; in supernaturalibus autem velle dare his gratiam præuenientem efficacem, & velle misereri: aliis verò dare gratiam ad posse, quæ nulli est debita, imò est positiuè indebita, ratione saltem peccati originalis: & de his nullus sanè mentis potest vel in dubium vertere, an homo possit Deũ impedire, aut vllo modo resistere, quin faciat quid ei placuerit.

111 Secundò alij sunt effectus, qui, & si pendent à Deo, à nobis tamen possunt aliquo modo pendere meritoriè, vel demeritoriè, sicut sunt augmentum gratiæ, præmium Beatitudinis, & omne aliud, quod præcibus à Deo obtinemus, ac etiam pœnæ, quas nobis Deus infert propter peccata: & isti, sicut non sunt nobis liberi in seipsis, cùm non ponantur à nobis, sed solùm in causa meritoria, vel demeritoria: ita nec respectu horum possumus Deo resistere, nisi eo modo, quo possumus resistere in ordine ad actus meritorios, vel demeritorios, de quibus postea.

112 Tertiò alij effectus sunt, qui nec à nobis, siue à nostra libertate immediatè pendent, sed à suis propriis causis necessarijs: possunt tamen à nobis pendere siuè imperatiuè immediatè, vt eleuare manum, vel oculos, mouere pedes, siue mediatè, vt scribere, fodere terram, applicare ignem ad comburendum, &c. & circa istos dupliciter potest Deus se gerere nobiscum: vno videlicet modo impediendo causas proximas: sicut fecit pluries cum Tyrannis sæuientibus contra Martyres, aliquando immobiles reddendo manus, aliquando impediendo ignem applicatum, ne fideles aduereret, item impediendo calamum, ne redderet atramentum, &c. & hoc etiam modo nullum posse habemus resistendi Deo: non enim isti effectus pendent à nobis, nisi imperatiuè; si ergo stante imperio aliundè impeditur opus, nihil vltra potest voluntas agere, vt Deo resistat. Alio verò modo se potest nobiscum gerere Deus, vt videlicet nec nos, nec agentia immediata velit impedire, sed permissiuè ad vtrumque se habere; & ita eo modo, quo voluntas potest, vel non potest resistere in actu suo imperij, eodem prorsus modo potest resistere, vel non resistere Deo in ordine ad tales effectus. Hæc, quæ vsque modo dicta sunt, euidenter constant vnicuique, & probatione non indigent; sicut euidens etiam est de similibus effectibus ab homine nullo modo impedibilibus, vtpotè non ab eo immediatè pendentibus, procedere loca Scripturæ in argumento adducta.

113 Quartò tandem considerandi se offerũt actus voluntatis creatæ immediatè, & effectiuè pendentes ab ea; & præcipuè illi, ad quos voluntas ex se exigit liberè procedere. De his autem in mea sententia adhuc in primis, vt certùm habeo, eos non esse essentialiter actũ, sed solùm exigitiuè liberos: ita vltrò concedo posse Deum, tanquam absolutum Dominum, velle efficacissimè voluntatem creatam in eos prorumpere, atque ita nullatenùs hanc posse Deo volenti resistere: sed nego tunc voluntatem operaturam liberè, quo pacto asero esse possibilia decreta Dei omnimodè antecedentia in ordine ad actus nostræ voluntatis, sed non ad eos, vt ab ipsa liberè eliciendos, prout probaui, & infra adhuc diuersimodè probabo. Si autem sermo fit de ijsdem actibus, vt liberè eliciendis: dupliciter procedo: vel enim loquimur de actibus bonis, ad quos suppono ex dicẽdis Deũ habuisse decretũ efficax post scientiam mediam de congruitate mediorum; vel de actibus malis, & prohibitis, in ordine ad quos nullam in Deo suppono voluntatem efficacem, nec quidem de materiali actuũ, sed puram voluntatem indifferentem: quãuis cum hac voluntate simul stet voluntas Dei, qua magis vellet actum oppositũ bonum,

num, de cuius bonitate inefficax, vt ita dicam, habet desiderium, sicut inefficax odiū de actu malo, & propterea non discedendo à terminis inefficacitatis, ad bonum hortatur, promittit prœmia, subleuat voluntatem sua gratia indebita, &c. in ordine verò ad actum malum intimat nobis suā indignationem; minatur pœnas, &c. In ordine ergo ad hos actus malos creatura non solùm potest, sed defacto semper Deo resistit, quando ea operatur: non quidem decreto indifferenti Dei de concurrendo cū voluntate creata, cui, vtpotè indifferenti, vt benè dicitur in argumento, nullus actus est oppositus: sed voluntati illi inefficaci eiusdem Dei, qua vellet à nobis opus bonū, quod ei placet: & non malum, quod displicet: & respectu huius voluntatis Dei, non respectu decreti de præparando concursu suo indifferente, est locus à me allatus ex Actorum 7. Sed de hac mentionem non faciunt Aduersarij, volentes in confusione fucus apparentiæ quærere. In ordine autem ad actus bonos subtiliùs est res secernenda; nam post scientiam mediam, & decretum Dei efficax de opere bono, cùm voluntas creata transeat de statu potentiæ conditionatè ad statū absolutum eodem modo, quo fuit in eo statu præuisa, sicut ibi ex se potens vnum, & oppositum, fuit cognita vt conditionatè determinata ad vnum, ac consequenter potens vtrumlibet potentia antecedenti, & causæ: sed non potens, nisi vnum, impotentia orta ex effectu, qui non compatitur secū oppositum: pari modo transit ad statū absolutū cum potentia antecedenti ad vtrumlibet, & cū sola potentia ad vnum ex suppositione præscientiæ Dei. Ex quo fit, quòd creata voluntas potest potentia antecedenti, & in sensu diuiso à proprio effectu, non vt docent Aduersarij, in sensu diuiso à præsuppositio decreto, vel gratia, &c: non benè operari, gratiam abijcere, ac eidem resistere; licet non possit impotentia orta ex suppositione sui proprij effectus præuisi; sicut sedens potest non sedere: at non, supposito, quòd sedet; Non indè tamen sequitur posse vllo modo Deo resistere, eò quòd resistere esset non operari, voluntas autem potest non operari ex se potentia antecedenti, non verò ex suppositione effectus voluntatis præuisi: atqui decretū Dei efficax non fuit in eodem Deo, nisi ex suppositione effectus præuisi, ergo nullatenus potentia illa antecedens voluntatis est potentia Deo resistendi, sicut non est potentia, vt non sit, quod supponitur esse; sed sicuti est potentia, vt non fuerit suppositio effectus, nec scientia media Dei de illo; ità est potentia, vt non fuerit in Deo hoc decretum de actu, vt liberè eliciendo, secùndùm quod non potest Deus velle, vt creatura operetur liberè, & non habeat potentiam ad non operandum ex se; non enim Deus potest velle actum creatæ voluntatis, vt liberum, nisi suppositâ præuisione liberi exercitij illius, & si hoc non fuisset præuisum, nec in Deo fuisset decretū; de quo clariùs suo loco.

114 Instabis nō potest voluntas creata præuideri operatura conditionatè per aliud, quàm per quod operatur in statu absoluto, cùm causa conditionatè præuisa sit eadem, quæ est in statu absoluto, prout antecedenter conditionatè attingibilis; atqui causa libera, seu voluntas creata in statu absoluto ideò operatur liberè, quia vi Dei, ita volentis, habet, vt se determinet ad opus; ergo pari modo præuidetur operatura in statu conditionato: & consequenter scientia media vacat. Minor probatur pluribus Scripturæ locis, vt 1. Reg. 10. *Immutauit ei Deus cor aliud*. Deus ergo immutat voluntatem hominis, præbendo ei, vt nouam habeat determinationem. Eccles. item 33. *In multitudine disciplinæ Deus separauit eos, & immutauit vias eorum.* Esther 14. *Transfer cor illius in odiū hostis nostri.* Prouerb. 21. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quòcumque voluerit, inclinabit illud.* Isaiæ 16. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Ad Ephes. 2. *Ipsius enim factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, &c.* Ezech. 36. *Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis*, & eiusdem 11. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. 1. ad Corinth. 14. *Omnia autem hæc operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuiq; prout vult*. & tandem ad Philippenses 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, & operari pro bona voluntate.*

115 Respondeo hoc argumentum, quod, inter omnia Aduersariorum, est maximū, nihil prorsùs conducere ad obijcientium intentum; si enim vim vllam haberet, probaret etiam Deum determinare homines, non ad materiale dumtaxat, verùm adhùc ad malitiam formalem peccati: quod euidenter conuinco ex Apostolo ad Romanos primo in illis verbis, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*: materiale namque actuum non est immunditia, sed formale culpæ: & clariùs deindè, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt*; numquid enim materiale est reprobum, & non conuenit, an formale? cùm tamen Deo tribuatur, quòd ad hæc gentes, idolatriæ deditas, tradiderit. Similia sunt, quæ habentur Isaiæ 19.

Do-

Dominus enim miscuit illis Spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis. & eiusdem 36. *Quid errare fecisti nos Domine à via tua, obdurasti corda nostra; vt non timeremus te?* Ezech. 14. *Et Propheta, cùm errauerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* 3. Reg. 22. *Et exiit Spiritus, & stetit in conspectu Domini, & dixit, ego seducam eum: & dixit Dominus ad eum, in quo? & dixit, exibo, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius: & dixit seduces, & praualebis; exi, & fac sic.* Quid ad hæc dicent Aduersarij? nonnè cũ Augustino, Angelico Doctore, & sensu Sanctorum aliorum Patrũ respondebunt Deum ad hæc se habere purè permissiuè; sed quia sine eius permissione fieri similia ab homine, vel Diabolo non possunt, ideò tanquã puræ causæ permissiuæ Deo ipsi attribuuntur? Quid ergo conuincere loca, ab Aduersarijs adducta, poterunt, quando eo modo, quo in illis Deo tribuũtur opera bona, in adductis à me tribuũtur mala ratione solius purę permissionis?

116 Addo, quòd, sicut opera bona Deus dicitur in nobis operari: ita & pari modo mala dicitur in nobis operari, vel concupiscentia, prout habetur Iacobi 1. *Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: deindè concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum:* Vel Diabolus tentans, vt dicitur ad Ephesios 2; *Qui operatur in filijs diffidentiæ.* Infra prætereà plurimis Augustini locis probabo pari momento dici hominẽ necessitari ad malũ, (intellige tamen de necessitate quadam morali, sicut suo loco contra Ianseniũ probabo;) à cõcupiscentia præponderante motui gratiæ: ac ab ista ad bonũ, cùm eius motus præponderat impulsui concupiscentiæ: circa quod aliquid tetigi numero 102. afferens illud in expos. cap. 5. Epistolæ ad Galatas; *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur, necesse est*; infra autem numer. 241. loca adducam omnia paria, tàm de concupiscentia exundante, quàm de gratia illi præpollente. Numquid ergo propterea concupiscentiæ, & Diabolo tribuent, vt etiam voluntatem nostram infallibiliter prędeterminent ad vnum? cùm hoc, ideò Deo tribuant, quia ratione primæ causæ id competere prætendunt Deo, perficienti secundas: & hinc conentur substinere libertatem non auferre? Si ergo concupiscentia, & Diabolus idem præstant, quæ non sunt causæ perficientes, sed imperficientes, vel coguntur Aduersarij concedere, quòd homines mala operantes, concupiscentia illiciente, aùt Diabolo tentante, non peccant, contra Iacobum supra relatum; vel quòd tales modi attribuendi opera alicui solùm aliquem influxum ad eadem opera indicant, non infallibilem prædeterminationem causæ liberæ.

117 Vt ergo prę recensitorum Scripturæ locorum germana nota fiat intelligentia, atq; simul appareat speciali certè modo Deo attribui debere opera bona, supra quàm cuilibet alij; non tantùm concupiscentię pręallicienti, aùt Diabolo tentanti, sed etiam voluntati ipsi createę operanti, attribui valeant siue bona, siue mala: relinquo in primis, quòd Deus dat posse, & quòd ipso nolente concurrere, creatura nihil est ad agere. Relinquo etiam, quòd ad opera bona Deus hortatur, promittit præmia magna, minatur supplicia; subministrat vires, createę voluntati indebitas, adhùc positiuè, ratione peccati originalis. Relinquo tandem id, quod suo loco dicemus, Deum videlicet in ordine ad opera bona pręhabuisse decretum prędefiniens, & prędeterminans ea efficaciter, licèt non prædeterminando voluntatem liberam; His, inquã, relictis, exemplis in praxi vtar ad modũ explicandum, quo benè dici potest, & debet Deus facere, vt nostrum liberũ arbitriũ, etiam vt formaliter liberum, operetur: non econtra liberũ arbitriũ facit, vt Deus cooperetur illi ad determinatũ opus bonũ. Pone namq; sitientem satis mediocriter, cui vicinus, vel pręsens sit potus, nemo dubitabit istũ, siti allectũ, bibiturũ fore; at si, vt bibat, necesse sit iter arripiat decem milliariorũ, quis nesciat faciliùs eundem passurũ fore mediocrem sitim, quàm tanto itineris labori se commissurũ, & si vtrobiq; eadem sit libertas? Si mercenario pręterea offeras obolũ pro subeũdo longo itinere in tui vtilitatem, obolũ, & te despiciet; at si offeras duplicatũ, aùt triplicatũ pretiũ, quam mereatur, absque mora oblationi consentiet, & vtrobique par est libertas arbitrij: & ita quisque discurrere potest in omnibus casibus, in quibus voluntas simul allicitur ad duo opposita; quòd scilicet libertas ipsa non ita, vel alio modo operatur præcisè, quia ita determinat arbitrium: sed quòd arbitriũ, & si possit vtrũlibet, facilè tamen, vel semper, aut ferè semper se accommodat, vbi intensiùs allicitur, & delectatur: non tamen inhis somniabit quis homines, etiam à talibus obiectis infallibiliter prædeterminari, nisi homines, more belluarum, capistro quarumlibet inclinationũ duci, etiam somniet.

118. Hoc autem modo operari Deũ in cordibus hominum quodcumque voluerit, ex loco ipso, quem adducunt Aduersarij ex

Prouerb. 21. patet, *Sicut impetus aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quòcumque voluerit inclinabit illud*: ideò namque cor Regis, vt liberũ, est in manu Domini, quia quòcumque voluerit Dominus, vt Rex liberè faciat, cor eius exundantiùs supra omne aliud aduersans, inclinat, & ex hoc facit, vt faciat. Et hinc supra omne creabile, etiam simul sumptũ, magnificatur Dei omnipotentia; quia videlicet totũ creabile non potest tantùm voluntatem creatam delectare, quantùm eam potest delectare Deus. Hinc etiam magis Dominus est Deus voluntatis creatæ, etiam vt liberæ, quàm sit ipsamet domina suipsius: quia quocunque suipsius dominio polleat, non potest impedire, quin Deus tandiu eam trahat, quousq; seipsã per seipsam, victa, Domini voluntati, dulciter trahenti, subijciat. Hoc item modo captiuata voluntas concupiscentiæ stimulis supra motus gratiæ sufficientis, iuxta Apostolum ad Romanos 7. *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem; video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*; (vbi, vt patet, fit mentio de gratia delectante secundùm debitũ rationis, & de concupiscentia repugnante, & captiuante sibi miseram voluntatem,) gratiam maiorem à misericordi Deo exagitat dicens, *miser ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*. Gratia, inquam, Dei magis me condelectare faciens, quàm delectabar priùs secundùm interiorem hominem, per quam captiuam teneam concupiscentiam, quæ me priùs captiuũ ducebat in lege peccati. Ità Deus immutat corda, ita ex ligneis, vel saxeis, carnea facit: ac ita tandem Deus sua gratia sibi subijcit, & pedissequam facit volũtatem, adhùc vt formaliter liberam: nullo autem modo volũtas creata sibi subijcit gratiam: quamuis namque non præstet Deus suũ actualem cõcursum, nisi in signo priori à quo volũtas creata se determinat; adhùc tamen verũ est, quòd ideò voluntas se determinat, quia à Deo, dulciùs trahente, habet, vt se determinet. Qua propter falsum est, quod aduersarij apud omnes Assertores scientiæ mediæ supponunt, eam videlicet, etiam in ordine ad opera bona fundari in suppositione exercitij libertatis præcisè; fundatur namque exordialiter in operari antecedẽti conditionatè gratiæ præuenientis, quæ trahit exercitium conditionatũ liberi arbitrij, loquendo de hominibus post lapsũ, licèt fundetur in præuisõ exercitio libertatis præcisè, si sermo sit de Angelis, & Adamo ante lapsũ, vt suo loco patebit.

119 Directè autem nunc argumento respõdens, distinguo minorem. Voluntas creata ideò operatur in statu absoluto, quia vi Dei habet, &c. infallibiliter prædeterminãtis ipsam, nego id colligi ex prædictis locis. Physicè ipsam mouentis, seu inclinantis, atque moraliter saltem prædeterminantis, concedo minorem, & distincto eodem modo primo consequenti, nego vltimam consequentiam. Quibus tamẽ adde, quòd opera bona in posteris Adæ speciali modo attribuuntur Deo, quia ea efficaciter præuult post scientiam mediam, & ex hac efficaci voluntate omnia præuisa operatura in statu conditionato, transferũtur à Deo ad statum absolutum.

120 Obijciunt 3. ex eodem loco Concilij Tridentini; quo nos firmauimus nostram sententiam; ludricas reflexiones: ex illis namque verbis, *Iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse*, ita, ne præfato loco cõuicti videantur, arguere cogitarunt. Exordium iustificationis per Concilium desumendum est in adultis à gratia præueniente, *quo nullis eorum existentibus meritis*, prout idem Concilium subiungit, *vocantur, vt qui per peccata auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendũ se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratia liberè assentiendo, & cooperando, disponantur*: Ex quibus verbis patet Concilium loqui de gratia efficaci: atqui Concilium ita loquens declarat exordium hoc efficax desumendum esse à gratia præueniente, & non à nobis, ergo excluditur per Concilium scientiæ mediæ fundamentum.

121 Respõdeo in primis, si stemus relatis verbis Concilij, totum argumentum ruere: nam non declarat Concilium exordium efficax iustificationis fore desumendum à gratia præueniente, vel adiuuante, sed præcisè dicit exordium, vt scilicet nihil possit voluntas sine præueniente gratia, à qua priùs debet moueri, vt deindè ipsa possit liberè operari; cæterũ à quo sit ipsa efficacia non declarat. Et mirum est, quàm inconstantes sibi ipsis sint, qui ita arguunt: nam respondentes ijdem nostro argumento, desumpto ex eodem loco, distingunt gratiam præuenientem, seu excitantem à mouente, seu applicante, & dicunt præuenientem pertinere ad posse, & non includere ratione sui efficaciam, sed ratione gratiæ applicantis, quæ voluntatem iam præuentam, & excitatam applicat determinatè ad opus, prout videre est supra numero 85. nunc autem, obliti prorsus illius doctrinæ, efficaciam dant gratiæ, prout præueniens est: nã exordiũ à prima gratia, requisita

quisita ad opus, est, quæ est gratia, vt præueniens. Concedo ergo Concilium loqui de gratia actû efficaci, sed nego definire, vndè fit efficax; nec de hoc ego vel aliquid acu tangere præsumo. Ex dictis tamen patet, nec ab omnibus Assertoribus scientiæ mediæ negari omnem rationem efficaciæ gratiæ ex se, cum numero 117. & 118. id sufficientissimè explicauerim: Secundùm autem illam doctrinam respondeo secundò concedendo maiorem, & minorem argumenti,& nego suppositionem consequentiæ: supponunt enim primum, & exordiale fũdamentũ efficax scientiæ mediæ esse liberũ arbitrium creatum secundùm Assertores scientiæ mediæ, quod est falsissimum; cùm, vt præcitato numero dixi, gratia debeat sibi subiicere liberũ arbitriũ, non hoc illam. Vide ibi dicta.

122 Obijciunt quartò ex orationibus Ecclesiæ, ex quibus ita argumentantur principio desumpto ab Augustino; Quod, orantes, petimus, à Deo petimus fieri in nobis ipsis, aliter non esset orare, sed illudere: atqui à Deo petimus, vt nostras rebelles cõpellat volũtates, & faciat, vt faciamus, quæ à nobis fieri iubet: ergo hæc ipsa debent à Deo, non solùm inchoari, sed etiam determinari, & perfici ita, vt faciat nos liberè operari.

123 Respondeo ex dictis ea, quæ petimus à Deo in ordine ad seruanda mandata, nõ esse vnius, sed duplicis generis, licèt vnũ sit consequens, & effectus alterius; aliud namque est petere gratiam, qua conuertãtur ad ipsum in actu primo efficaci nostræ rebelles voluntates, seù, vt auferat à nobis cor lapideum, & det cor carneum, quod est totum à Deo, & perficitur non semel in nobis sinè omninò nobis, vt cùm primò præuenit, etiam non orantes, sicut fecit cũ Apostolo Paulo, & vniuersaliter facit cum omnibus ad primum actum bonũ; ad quem sola gratia, & nullum meritum præcedit, quamuis in ordine ad alios subsequentes actus possit dari nobis gratia præueniens merito orationum, vt suo loco dicam, contra Iansenium agens, ex Tridentino: siue tamen detur nobis merito orationum, siue omninò gratis, & antecedenter, nulli certè dubium est, quòd gratia præueniens non producatur liberè à nobis, sed à Deo in nobis; hanc ergo petimus, orantes, vt nos exaudiat, & se solo nobis det. Aliud autem est, cùm petimus, vt quæ nobis facienda iubet, ipse perficere dignetur; hoc enim est opus liberum nobis, & tale opus non possumus petere, vt perficiat in nobis sine nobis, liberè operantibus; petimus ergo in hoc, vt nobis det, quò nos ipsi liberè operemur, videlicet taliter dignetur nobiscum se gerere, vt nos trahat ad opus, quod à nobis exigit, nostrum arbitriũ sibi subiciendo modo explicato num. 117. & subsequenti; ex quo nihil sequitur contra scientiã mediam, sicut ex dictis ibidem cuilibet patere potest.

124 Obiciunt vltimo locum desumptũ ex Catechismo Pii V. in quo numero 22. sic habetur; *Non solùm Deus vniuersa, quæ sunt, tuetur, atque administrat; verùm etiam, quæ mouentur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque ad actionem ita impellit, vt quãuis secundarum causarum efficientiam non impediat, præueniat tamen: cùm eius occultissima vis ad singula pertingat: & quemadmodum sapiens testatur; attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ex quo loco duo præcipuè considerantur ab Aduersariis: primum est particula illa, *impellit*, quę de omni effectu creaturæ dicitur, & consequenter etiam de materiali actus mali, hoc autem impellere non est vllo modo explicabile, nisi per determinationem actus quo ad materiale. Secũdũ sũt illę aliæ particulæ, *attingit à fine vsq; ad finem fortiter*; ergo etiam materiale actus mali attingit fortiter, & cõsequenter determinatè ità, vt à creatura, in sensu composito cũ dispositione Dei, non possit quid in contrarium effici.

125 Respondeo, quòd, si præcitata Catechismi verba proportione accommoda sumantur, & seiuncta confusione, meam, non Aduersariorum continent doctrinam. Vndè quoad primam particulam, in qua significatur Deum omnia sua intima virtute impellere ad motum, non est Catechismus intelligendus, quasi Deus se solo impulsum, qui non est ab homine, tribuat præueniendo, ad physicam actionem furãdi, blasphemandi, &c. sed, quia impulsus, & impetus naturalis, quo ab intrinseco creatura, appetitu innato in suo genere causæ secundæ, impellitur ad agendum, nõ exit in actum, nisi Deus, vt causa prima suum concursum, iuxtà creaturæ indigentiam, præstet completiuum: dicitur autem hoc modo Deus impellere, eo prorsùs modo, quo obstinatos in peccato dr. obdurare, sed hoc *non ita intelligendum est*, ait Augustinus lib. de Prædest. & Grat. cap. 4. *Quasi Deus in homine ipsam, quæ non esset, duritiem cordis operetur; indurare enim Deus dicitur, quẽ mollire noluerit*: sic ergo, nec ad materiale operis mali impulsum, qui non esset, creatæ voluntati tribuit: sed impellere dicitur, quia impulsus intrinsecus concupiscentiæ, quos posset frenare, vt fecit cum Adam, dùm primo rectum creauit, post peccatũ in pœnã nõ frenat. Vniuersaliter ergo, quod facie

creatura, in eo, in quo Deo indiget siue volente, siue permittente, cũ proportione accomoda Deo tribuitur, siue volenti, siue permittenti, sicut loquitur idem Augustinus in Psalmum 110. *Magna*, ait, *opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, si non fineret; nec vtique nolens finit, sed volens.* Et conformiter ad prædictam doctrinam, necnon ad locum adductum Catechismi, loquitur in Enchyridion cap. 96. *Non ergo*, inquit, *fit aliquid*, ecce motũ, & impulsum vniuersalis, & intimæ Dei virtutis in omnes effectus, *Nisi omnipotens fieri velit, vel finendo, vt fiat, vel ipse faciendo*; ad omnem ergo motum, præueniendo, impellit Deus, sed proportione accommoda, vel permittendo impulsum, vt ad actus malos: aut præstando impulsum, vt ad actus bonos. Eodem modo neque huic accõmodæ proportioni contraria sunt alia verba, quòd scilicet Deus *attingit à fine vsque ad finem fortiter*; Tò enim, *fortiter*, non appellat, vt malè volunt appellare Aduersarij, supra determinationem effectus; hoc enim modo campus daretur hæresi Lutheri, qua impiè asseruit, non minùs esse proprium effectus Dei proditionem Iudæ, quàm vocationem Pauli: sed appellant supra fortissimam subsistentiam voluntatis Dei, tùm ex parte eiusdẽ Dei, qui immurabilis est in eo, quod semel vult: tùm ex parte cuiuslibet creaturæ, quatenùs nec extra Dei volũtatem agere potest, nec facere, vt Dei voluntas, aut non fuerit, aut mutetur; & ita modo, quò res omnes sua voluntate attingit, siue finendo, vt fiant, siue volendo, vt faciat, immobiliter attingit.

CAPVT QVARTVM.

Conuincitur numquam Augustinum scientiam mediam reprobasse secũdùm se spectatam: imò, tanquam quid lumine naturæ notum, semper præsupposuisse.

126 LIceat mihi hic præmonere Lectores, ita, in hac materia præcipuè, me ex intimo cordis desiderio semper extitisse Augustini sensui, vt pura intentione eiusdem perscrutandi sententiam, omnia eius opera minutim, & legere, & trutinare satagerim; & eo mentis proposito, vt, & si sententia opposita numquam placere, vel minimùm potuerit, sufficeret ad hoc, vt eãdem toto amplecterer affectu, quòd conformis fuisset Augustini doctrinæ, de qua scio quid ad Possessorem Episcopum scripserit Summus Pontifex Hormisda, nimirùm. *Ea, quæ sentit Romana Ecclesia de gratia, & libero arbitrio ex libris Sancti Augustini, maximè ad Prosperum, & Hilarium, cognosci posse*; sicut quid scripserit Ioannes Secundus ad Albianum Senatorem, nempe, *Item Sancti Augustini, cuius doctrinam, secundùm statuta Prædecessorum meorum, Romana sequitur, & probat Ecclesia*. Sed ingenuè fateor non solùm me nihil penitùs in Augustino inuenisse, quòd quoquomodo scientiam mediam offendat; sed econtra eam, tamquam quid indubitabile, semper præsupposuisse: quamuis luxuriantes in ea Semipelagianos, & plus æquo dilatantes, vbi opus fuit, damnauerit, prout patebit ex dicendis. Eodem animo legi, quantùm sat iudicaui, Angelicũ, quẽ etiam, sicut solet, omninò conformem sensui Augustini inueni, prout suo adhùc loco ostendam.

127 At quoniam video in eo maximam adhibere curam scientiæ mediæ oppugnatores, vt, vel ei secundùm se attribuant, quæ ex malo excessu, & vsu superaddebant Semipelagiani: vel verba aliquorũ Catholicorum, non benè, saltem quoad explicitum, sonantia, quasi indiuisibiliter scientiæ mediæ annexa, impingant, vt similibus offuscatam odibilibus adiunctis, difformẽ deindè clarori doctrinæ Augustini ostendant: ideò, antequam ad doctrinam Augustini cõsiderandam accedam, puritatem scientiæ mediæ secundùm se ab ijs, quæ illi, secundùm quòd quisque in suo proprio sensu abundat, malè attribuuntur, priùs seiungam, vt lucidiùs appareat, quòd non sciẽtia media, sed superapposita penicula illi deformitatem ingerunt, quam laxo ore vbiq; inclamant eius oppugnatores.

128 Præmoneo ergo primò id, quod suprà tetigi, & infrà clarè ostendam, Semipelagianos scientiam mediam non solũ supposuisse, vbi reuera est, sed præterea docuisse, vbi reuera non est, scilicet circa obiecta impossibilia, nempè circa veram fidem, & bonam voluntatem recurrendi ad Deum antecedentet, & independenter à gratia, & per solas vires liberi arbitrij: necnon circa rationem meriti, vel demeriti, actũ mouentis, in obiecto conditionatè præuiso. Hanc autem scientiam mediam, nemo est qui ex Catholicis non oppugnet; & neget in Deo; qui verò scientiam mediam defendunt his temporibus, in operibus, quæ essent bona, semper præsupponũt ex parte conditionis gratiã; nec

nec propterea in opere conditionatè futuro admittunt rationem meriti, vel demeriti; ſi ergo oſtendam Auguſtinum illa ſolùm duo oppugnaſſe, ac expugnaſſe in ſcientia media Semipelagianorum, nonnè euidens erit non ſcientiam mediam ſecundùm ſe, quam iugiter ſupponit, ſed confictam eius latitudinem, vtpotè de obiecto falſo, expunxiſſe? hoc ergo præſtabo, confuſione rerum, ab Aduerſarijs compoſita, depulſa.

129 Præmoneo ſecundò, nec omnes ſcientię mediæ defenſores eam vbique fundare in ſuppoſitione liberi arbitrij, veluti ita ex ſe determinantis in quolibet ſtatu opus, vt ideò Deus ſcientiam habeat mediam, quia ita, ſi eſſet in tali circumſtantia, determinaret liberũ arbitrium: hoc quidem liberè fatemur omnes in ordine ad mala opera, quòd videlicet, ſaltem tamquam in prima radice mali, omnis Dei præſcientia media de operibus malis fundamentum habeat in peccato Adami ex ſola, & perfecta libertate in linea libertatis, commiſſo, vel præuiſo, quòd committeretur; licet omnis alia deindè præſcientia de operibus, quæ eſſent ex ſuppoſitione concupiſcentiæ exundantis, potiùs in hac, quàm in libertate volũtatis actualis, radicem habeat. Et ego ex Auguſtino, prout ſuo loco probabo, idem aſſero in ordine ad opera bona conditionatè priùs præuiſa Angelorum, qui defacto ceciderunt de rectitudine, in qua Deus eos creauit, præuidiſſe nimirùm eos ſcientia media, quòd, ſi cum tali rectitudine crearet, ab ea, vi proprij liberi arbitrij, vt ita eleuati, non caderent. Cæterùm in ordine ad opera bona, quæ Deus priùs per ſcientiam mediã præuidit habituros aliquos, ſi crearet, & originale permitteret, &, eo non obſtante, gratis ſuo auxilio roboraret, non omnes dicimus radicem habere in libero arbitrio; ſed in gratia præueniente efficaci, quatenùs ideò Deus præuidit hos operaturos benè, ſi gratiam tribueret, quia iſta conditio eſt de gratia efficaci, faciente ex ſe operari arbitrium, non econtra: ita vt ex ſuppoſitione originalis, ſiue in ſtatu abſoluto, ſiue conditionato, gratia præuideatur in vno, & in alio bonos à male operantibus diſcernere, non liberum arbitrium, (præſcindendo tamen à modo, quo eos diſcernat.) Ex quo etiam ſequitur, quòd, dum Auguſtinus hanc diſcretionem in poſteris Adæ ſoli gratiæ tribuit, non ſcientiam mediam ſecundùm ſe oppugnat, ſed ſecundùm modum eorum, qui eam defendunt, vt habentem radicem obiecti in vigore liberi arbitrij. Nõ aliter autem loqui Auguſtinum euidenter oſtendam.

130 Præmoneo tertiò, valde equiuocam eſſe propoſitionem hanc, quam breuitati verborum conſulentes, proferre ſolent defenſores Scientiæ mediæ, & deindè ab Aduerſarijs, in ſensũ diſtortũ intellectã, video impugnari; nimirùm, nullum Deus prædeſtinat, niſi ex præſcientia mediæ, vel, quos Deus prædeſtinat, ſcientia media prædeſtinat; vt autem æquiuocatio hæc magis clareſcat, ſimiles propoſitiones relatè ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ efformo; quis namque ita inſaniat, vt neget veriſſimas eſſe iſtas propoſitiones, nullum Deus prædeſtinat, niſi ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ: vel, quos Deus prædeſtinat, ſcientia ſimplicis intelligentiæ prædeſtinat? ſunt nãque iſtę veriſſimæ, ſi relatè ad poſſe dicantur: falſiſſimæ verò, ſi extendantur ad actũ prædeſtinationis; Sunt, inquam, veriſſimę ad poſſe: quia euidens eſt nihil poſſe Deum efficaciter velle, quod non præcognouerit poſſibile: & ita nullum prædeſtinare potuit, niſi ſcientia de poſſibilitate directus: sũt verò falſiſſimæ, ſi referantur, ſiue vt motiuũ, ſiue, vt conditio, ſiue vt circumſtantia, ſiue quocumq; alio modo, ad actum: vt ideò dicatur Deus potiùs prædeſtinaſſe, quàm nõ prędeſtinaſſe, quia ſua ſcientia ſimplicis intelligentię prænouit obiectum poſſibile; cùm plura, quæ prænouit poſſe, non prædeſtinauerit: Hoc ergo modo ſunt æquiuocæ primæ propoſitiones, & veriſſimæ extimantur à defenſoribus ſcientiæ mediæ, ſi referantur ad poſſe, aſſerendo nihil poſſe à Deo prædeſtinari eliciendum liberè, vel liberè conſequendum à creata voluntate, niſi ſcientia media dirigente: ſi verò eædem propoſitiones ad actum prædeſtinãdi potius, quàm non prædeſtinandi referantur, falſiſſimæ ſunt, & Semipelagianiſtæ, ab Auguſtino oppugnatæ, & explicitè oppoſitæ illi loco Matth. 11. *Væ tibi Bethſaida, væ tibi Corozain: quia, ſi in Tyro, & Sidone fuiſſent factæ virtutes, quæ in vobis factæ ſunt, egiſſent olim in cinere, & cilicio magnos fructus pænitentiæ*; cùm tamen non propterea virtutes illæ apud Tyrios, & Sidonios factæ fuerint, nec fuerint iſti à Deo prædeſtinati, vt ex eodem capite Matth. patet in ſubſequentibus verbis, *Verumtamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remiſſiùs erit in die iudicij, quàm vobis*; quia nimirùm non tam grauis eſt culpa proueniens ex ignorantia, etiam craſſa, quanta eſt ea, quæ committitur à ſciente, & volente. Auguſtinum autem Semipelagianos impugnaſſe ex eo, quòd aſſerebant Deum defacto prædeſtinaſſe paruulos, ante vſum rationis cum baptiſmo ex hac vita decidentes, ad gloriam: & alios ad pœnam, motiuo, conditione, vel circum-

ſtantia

ſtantia habita ex præuiſione bonæ, vel malæ operationis futuræ, ſi vixiſſent; & eodem modo prædeſtinaſſe his Euangelij prædicationem, quos præuidit credituros, ſi illis prædicaretur: ijs verò, quos præuidit non crediturος, noluiſſe prædicari, euidenter patet ex Epiſtolis Proſperi, & Hilarij, & nos infra oſtendemus; Quid ergo eſt Aſſertoribus ſcĩetiæ mediç attribuere, quaſi idẽ doceant, vt indè contra Auguſtinum, & cum Semipelagianis conſentire in hoc videantur: cùm tam longè, ſicut ex modo dictis patet, diſtent?

131 Præmoneo tandem diſtinguendum eſſe in decretis diuinæ voluntatis ſtatum conditionatum à ſtatu abſoluto non minùs, ac diſtinguntur ſtatus effectuũ; & hoc concedere coguntur Aduerſarij de decreto conditionis; quãuis enim defacto admittãt in Deo decretũ de magna Tyriorum, & Sidoniorũ pœnitentia, ſi apud eos factæ fuiſſent virtutes: non tamen fuit in Deo defacto decretum, vt fierent apud eos tales virtutes, ſed ſolùm fuit conditionatè cognitum, hoc modo: ſi vellem, quod apud eos factæ fuerint virtutes; vndè Aduerſarij ſciſcitanti, cur ergo Tyrij, & Sidonij non egerunt defacto, pœnitentiam, reſponderent, (notent benè Lectores, quæ dico,) non quidem, quia Deus noluit illorum pœnitentiam nam de hac admittunt decretum actuale, & efficax; ſed quia non prædeſtinauit defacto fieri apud eos illas virtutes, ſub quibus ſunt voliti acturi fructus dignos pœnitentiæ. Qui ergo nullum in Deo admitteret defacto decretum, neque de pœnitentia Tyriorum, & Sidoniorum, neque de virtutibus faciendis apud eos: ſed diceret Tyrios, & Sidonios fuiſſe à Deo præuiſos acturos pœnitentiam vi decreti de virtutibus, atque decreti de concurrendo indifferenter, hoc modo, ſi voluiſſem fieri apud Tyrios, & Sidonios virtutes, &c. & concurrere indifferenter, feciſſent magnos fructus pœnitentiæ: Qui, inquam, hanc teneret doctrinam, interrogatus, cur ergo id defacto nõ fecerunt, nonnè benè reſpondet, quia defacto non fuerunt prædeſtinati; quis hoc non videt? Adde tamen vnum ſubtiliùs ad intentum; qui tenet actum pœnitentiæ fuiſſe defacto prædeſtinatum, ſed non prædeſtinatam conditionem, hic certè vt ſupra interroganti non benè reſpondet, quia eis non prædeſtinauit Deus pœnitentiam: ſed debet reſpondere, quia non prędeſtinauit Deus fieri apud ipſos virtutes, &c. Econtra verò, qui aſſerit in Deo poſſibile eſſe efficax decretum de pœnitentia abſolutè futura poſt ſcientiam mediam, & propter illam prędeſtinationem mediorũ, peroptimè interroganti, cur Tyros, & Sidonios defacto non pœnituit, reſpondebit, quia illis Deus non prædeſtinauit pœnitentiam, & ideò nec prædeſtinauit fieri virtutes, &c. nonnè hæc ita euidentia ſunt, vt neminem latere poſſint? Si ergo Auguſtinus ſimilibus interrogationibus reſpondet hoc vltimo modo, crederem etiam ſatis obtuſum mente eſſe, qui Auguſtinum credit ſimul defacto docere in Deo decretum de pænitentia Tyriorum, & Sidonioru m, & deindè interrogationibus reſpondere, ideò Deum defacto noluiſſe apud eos fieri virtutes, &c. quia non prędeſtinauerat illis pœnitentiam; ac conſequenter rectè ſentiens potiùs ex his reſponſis colligit apud Auguſtinum illam ſcientiam, quam habuit Deus de pœnitentia Tyriorũ, & Sidoniorũ, eſſe mediam, non verò fundatam in decreto aliquo actuali Dei. Videndũ ergo eſt, quomodo loquatur Auguſtinus, vt indè euidẽter appareat, quàm inconſequenter, & cõfusè diſcurrant Aduerſarij. His ergo adnotatis, principalia loca adducam, in quibus conantur Aduerſarij oſtendere Auguſtinũ ſcientiam mediam ſibi aliquando propoſuiſſe, ſed deindè reſpuiſſe: & ego conabor oſtendere, quòd ſemper, quando de ſcientia media loquitur, eam ſecundùm ſe, tanquam quid indubitatum, ſupponat, quamuis oppugnet vel falſam dilatationem de obiecto impoſſibili, vel malum vſum: vndè.

132 Primus locus, qui ad proprium probandum intentum adducitur ab Aduerſarijs, deſumitur ex libro primo de Anima, & eius origine cap. 14. vbi Auguſtinus contra Vincentium Victorem, aſſerentem animam rationalem ſuo demerito habuiſſe, vt in carne peccatrice fuerit religata, ex pluribus capitibus hoc demeritum animæ ante carnem, cùm ante ipſam non fuerit, improbans, tangit tandem recurſum, quem Victor habere forſan ſibi poſſe perſuaſit, ad ſcientiam mediam, vt diceret, (verba ſunt Auguſtini,) *Eas animas paruulorum, ſine baptiſmate moriturorum, à iuſto Deo in carnem peccatricem religari, atque damnari, quas præſciuit ſi ad ætatem perueniſſent, in qua libero vterẽtur arbitrio, malè fuiſſe victuras*. Hunc namque recurſum, aiunt quidam ex aduerſarijs, prout ego ipſe legi, non aliter impugnat Auguſtinus, quam negando ſcientiam mediã his verbis, *Quid? quòd ipſa exinanitur omnino præſcientia, ſi, quod præſcitur, non erit; quomodo enim dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* En quomodo, inquiunt, ſcientiã mediam ſibi propoſitam, improbat.

133 Sed in quantis peccet hic diſcurſus, accipiant volo Lectores. Et in primis ſciant hos eoſdem, qui hic ita diſcurrũt, ſibi omnimodè

dò ostendi inconstantes: nam alibi quærentes, an Deus cognoscat futura conditionatè libera, (quod & nos fecimus in primo articulo,) hunc locum, quo nunc vtuntur, contra seipsos ex Augustino adducunt ad probandum in Deo non dari similium futurorum scientiam certam, & infallibilem, & respondent Augustinum non negare per præfata verba scientiam futurorum conditionatè secundùm se, sed solùm negare scientiam Dei inuenire in eis futuritionē meriti, vel demeriti: quare ergo, id non dixisse fingentes, hunc eundem locū nobis opponunt, cùm iam videant reuera ita esse, quòd in loco citato non scientiam in Deo negat Augustinus de eo, quod quisque facturus esset, si viueret, (vt deindè conuincam,) sed scientiā meriti, vel demeriti in futuro conditionato, quod esset obiectum chimericum? Secundò sic Aduersarios interpello: vel Augustinus per præfata verba negat simpliciter omnem scientiam de futuritione peccatorum in talibus infantibus, si viuerent, etiam vi decreti actualis permissiui: vel solùm negat scientiam mediam: si primum, vt quid ergo contra nos adducitur, cùm etiam in eo negetur scientia visionis de talibus futuris conditionatè? Si secundum, ergo nihil contra Victorem concludit; quia non negaret Augustinus præscientiam futuri peccati vi decreti permissiui, sed solùm scientiam mediam de eodem; cùm autem Victor non Dei scientiam puniendam, vel punibilem potuerit sōniare, sed peccatū scitum, dummodo hoc subsisteret, quod iam peccatum esset scitū, nihil pœnitus concluderet contra eius errorem Augustinus, negando scientiam mediā in illis verbis, & nō futuritionem conditionatam peccati, scitam per scientiam visionis.

134 Vt tandem pateat Augustinum in præcitato loco solùm negare rationem meriti, vel demeriti, scientiam verò mediam non solùm nòn impugnare, sed etiam approbare, &, vt quid indubitabile supponere, discursum afferam Augustini, & non verba discerpta. Postquam enim recursum refert Augustinus, quem quis posset ex parte Vincentij Victoris facere ad præscientiam de futuritione conditionata culpæ; ac dixerit, quòd nec Victor ipse id ausus est dicere; ita discurrit: *Nam, si peccata, quæ, si homo viueret, commissurus esset, etiam non commissa damnātur in mortuo, nullum beneficium collatum est illi, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius: quandoquidem iudicabitur secundùm eam, quæ in illo fuerat futura malitia, non secundùm eam, quæ in illo inuenta est innocentia.* Vides ne, quòd scientiam non negat malitiæ conditionatè futuræ, sed eam supponit, imò confirmat verbis desumptis ex libro Sapientiæ 4. tamen probat nullum iudicandum secundùm scientiam eorum, quæ faceret, sed secundùm id, quod actù fecerit? *Et de nullo mortuo*, subdit, *baptizato poterit esse securitas; quia, & post baptismum, non qualitercumque peccare, verùm etiam apostatare homines possunt. Quid, si ergo baptizatus hinc raptus est, apostata erat futurus, si viueret, nullum ne illi beneficium putabimus esse collatū, quòd raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius: & propter Dei præscientiam, non sicut fidele membrum Christi, sed sicut apostatam iudicandum esse censebimus? Quantò enim meliùs, si peccata non dùm facta, non dùm cognita, sed præcognita, & futura, puniuntur, prouiderentur illi duo de paradiso ante peccatum, ne in loco tàm Sancto, & beatifico peccaretur.* Negat ne Augustinus peccata esse præcognita, quæ essent? an solùm asserit non esse punibilia propter præscientiam illa, quæ dùm non sunt, nec cognita sunt, vt peccata, sed essent; & ideò nec præcognoscuntur tanquam actù punibilia? atq; hinc immediatè subiūgit, *Quid, quòd ipsa exinanitur omninò præscientia, si quod præscitur*, (tāquam scilicet peccatū punibile, iuxta totum suum discursum,) *non erit: quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum, quomodo ergo puniuntur peccata*, actù, *quæ nulla sunt* actù? Cæterùm si in discursu scientiam mediam semper supponit, & nihil contra eam dicit, sed solùm reprobat punibililitatem actualem peccati conditionatè futuri, quæ quæso consequentia esset Augustini, si in vltimis verbis, absque vllâ assignata, vel ante, vel postea, ratione, scientiam præcisè mediam reprobaret? Ego nō crederem homini sensato, atque, quæ dicta sunt, trutinanti, posse simile accidere iudicium.

135 Secundus locus desumitur ab Aduersarijs ex libro de Predestinatione Sanctorum cap. 9. vbi respondens Augustinus Hilario, (qui eidem scripserat Semipelagianos, ad proprios errores confirmandos, vsos fuisse quadam doctrina, quam idem Augustinus tradiderat in libro sex quæstionum contra Pelagianos quæstione 2.) verba aliqua sua ex ibi traditis, in quibus Semipelagiani offenderant, primò refert, nempe. *Hoc solùm eis breuitatis gratia in huius quæstionis disputatiōne dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; his enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales, non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui nec*

suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Ex his enim verbis duo, aiunt Aduersarij, colligebant Semipelagiani, tanquam aliquando asserta ab Augustino: vnum nimirum, quòd ob meritum fidei, vel demeritum infidelitatis conditionatè præuisarum, voluerit Deus apparere, & prædicari doctrinam suam in his locis, & temporibus, in quibus præuidit futuros, qui in eū crederent, & non in alijs, in quibus prænouerat non futuros, qui crederent; quamuis Augustinus similē præscientiam fidei, vel infidelitatis non posuerit, vt causam, vel motiuum, sed simpliciter, tamquam quid materialiter præsuppositum ad aduentum Christi in his locis, & temporibus, & non alijs. Secundum est, quòd præfatam scientiam asserebant ex Augustino debere præcedere decretum, & potiùs decretum debere subsequi scientiam. Quod clariùs elucet ex refutatione Augustini, dùm contra hunc sensum, quem illi attribuebant, sic prædicto loco de Prædestinatione Sanctorum loquitur, *Cernitis me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque caussarum hoc de præscientia Christi voluisse dicere, quod conuincenda Paganorum infidelitati, qui hāc obiecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est veriùs, quàm præscisse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? sed vtrum prædicato sibi Christo, à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, idest vtrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinauerit, quærere, aut disserere tunc non putaui. Proinde, quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinā suam, quando sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Euidens autem est his Augustini verbis, præcipuè vltimis, dicunt Aduersarij, ipsum se explicasse, quòd, cùm scripsit contra Paganos, *Tunc voluisse apparere Christum, &c.* id scripsit absque præiudicio latentis consilij Dei; cæterùm, quod dixerat, *posset etiam sic dici. tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* In eo ipso ergo, in quo Semipelagiani non requirebant decretum, & pro se citabant Augustinum, in eodem hic eos refutat, & explicat se non prætermisisse, quantùm expediens iudicauit, tunc etiam necessitatem decreti, & latentis Consilii Dei: non requirebant autem Semipelagiani decretum Dei, eiusque latens Consilium ad fidem præuisam, vt patet ex eodem loco Augustini, *Sed vtrum prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, idest vtrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinauerit, quærere aut disserere tunc non putaui, &c.* Ad fidem ergo præuisam, ad quam Semipelagiani non requirebant prædestinationis decretum, illud requirit Augustinus, & quidem actuale, cùm vtatur illo Apostoli, *Qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.*

Subsumunt nunc Aduersarij ita: Atqui tam Semipelagiani, quàm Augustinus loquebantur de fide præuisa conditionatè futura; ergo ad hanc præscientiam illi non requirebant decretum prædestinationis, iste verò requirebat. Minor hæc subsumpta patet: quandoquidem implicat fidem esse absolutè futuram ante absolutè futuram notitiam obiecti credendi, cùm ergo Augustinus, scribens contra Paganos, dicat ideò his locis, & temporibus, & non alijs voluisse apparere Christum, & prædicari doctrinam suam, quia in his, & non in illis prænouerat futuros, qui crederent, non poterat loqui, nisi de fide, quæ esset, si prædicaretur illis Christi doctrina; non quæ futura erat, ante quàm esset illis volita prædicatio doctrinæ Christi. Tùm quia in his tēporibus, & locis, in quibus Euangeliū non fuit prædicatum, non potuit cognosci infidelitas, vt absoluta futura, quæ supponit prædicationem doctrinę, cui non credatur, sed Augustinus dicit, *Tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales, non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt*; ergo loquitur de præuisa infidelitate, quæ esset, non quæ erat absolutè futura.

136 Mirandum tamen est quanta sæuitia, atque prorsùs voluntaria, scientiam mediam insequantur Aduersarij, vt dummodo aliquid contra eam ex Augustino videantur dicere, non aduertant, quòd Sanctum Doctorem Semipelagianum faciunt tunc, & in eo ipso, in quo Semipelagianos expugnabat; si enim de fide, vt præuisa tamquam cōditionatè futura, locutus fuisset, cùm ait, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, &c.* Iam ergo fidem, vt conditionatè futuram docuisset, tamquam motiuum, vel conditionem, siue vt occasionem gratię prędicationis Euangelij: atq; quod infidelitas, vt conditionatè pręuisa, fuerit motiuū, vel occasio, vt alijs fuerit negata Euangelij prędicatio. Quid enim iuuat Aduersarijs, quòd dicant Augustinū hanc scientiam, tāquam quid materialiter pręsupposuisse: cùm verba ipsa clarè ostendant in eo ponere rationem, & motiuū aduentus Christi, & prędicationis Euangelij Augustinum in his tem-

temporibus, & locis potiùs, quàm in alijs, quia in his, & non in illis præuidit esse, qui in eum crederent. Et quidem, si Paganorum argumentum, cui respondet Augustinus, cõsiderarent Aduersarij, non ita Sanctum Doctorem extorquerent. Pagani namque Christi aduentum indè impugnabant, quòd, si Deus factus fuisset homo pro redimendis hominibus, debuisset incarnari ab initio mundi, & ab eodem initio suā propalare doctrinam, quo pacto plures ex antiquis fuissent saluati, qui defacto in tenebris Ignorantiæ perierunt; huic autem argumento respondens Augustinus, dicit, quòd non fuit incarnatus Christus in alijs temporibus, & locis, nisi quando, & vbi sciebat esse, qui in eum crederent; si autem non pro motiuo, & ratione aduentus Christi, & prædicationis Euangelij scientiā prædictam fidei, atq; infidelitatis assignasset Augustinus: iam argumento Paganorum non satisfecisset.

137 Sed vide benignè Lector aliū barbarismum, quem Augustino attribuunt, adhùc nolentes, Aduersarij in præcedenti eorum discursu: nam volunt in ordine ad fidem conditionatè futuram adduxisse Augustinum illud Apostoli ad Ephes. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi: qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate; qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, secundùm diuitias gratiæ suæ, &c.* Quamuis namque Augustinus hęc omnia non afferat in locis citatis ab Aduersarijs, euidens tamen est secundùm hūc locum afferre illa, *Proindè, quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eū fuerant credituri; posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Vltima hæc verba, *qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem*, conformiter ad id dicta sunt, secundùm quòd Apostolus dicit loco iam adducto ad Ephesios, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Si autem totus locus Apostoli est de Prædestinatione Electorum, qui actū saluandi erunt, ac de ijsdem, de quibus ad Roman. 8. scripserat, *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit:* & barbarismus esset asserere Tyrios, & Sidonios comprehendi in illo asserto ab Apostolo de Electis in Christo ante mundi constitutionem, propterea, quòd præuisi fuerant conditionatè acturi magnos fructus pœnitentiæ: nonnè barbarismū attribuit Augustino, qui asserit ipsum pro fide adstruenda conditionatè futura eodem vsū fuisse Apostoli asserto?

138 Duo autē ego in præsenti demonstrare curabo. Primum erit Augustinū in præcitato loco de Prædestinatione Sanctorum probandum suscepisse, quòd, cùm dixit in quæstione secunda contra Paganos, *Tūc voluisse, hominibus apparere Christum, quando, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, &c.* se sufficienter explicauit locutū fuisse de fide absolutè futura, & supernaturali, danda à Deo: non de fide conditionatè futura, & naturali, ponenda ab hominibus, vt prætendebant locutū fuisse Semipelagiani, qui, & fidem volebant esse opus naturæ, & esse meritum, vel occasionem conferendæ deindè gratię, etiam vt præuisam sub conditione futuram: secundò ostendā, quòd adhùc admisso locutū fuisse Augustinum de fide, vel infidelitate conditionatè futura, cùm ait, *Quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri: & tales omnes in eius prædicatione futuros præsciebat, quales, &c.* Quando tamen mentionem facit de latente Consilio Dei, vel de eius decreto, & prædestinatione, non relatè ad eādem fidē, vel infidelitatem conditionatè futuras ea requirat, sed, ad Semipelagianos refellendos, explicare se, quòd præter illam præscientiam, adhùc de Consilio latente, & prædestinatione Dei in eodem loco mentionē fecerat, vi cuius gratuitò, & non ex merito, vel occasione fidei conditionatæ, Deus, quos voluit, prædestinauit absolutè credituros: & ex hac prædestinatione, secundùm tempus, loca, & homines prædefinita, venisse Christum, & voluisse prædicari doctrinam suam; quamuis id transeunter tetigerit, non ex professo asseruerit, ne nouæ quęstioni apud Paganos aperiret locum.

139 Primùm æquidem ex præassertis facillimè cuilibet insinuabitur, si mentē reuocet ad ea, quæ & Aduersarij docent, & ego tetigi numero 101. videlicet prædestinationem ad gloriam defacto non fuisse post merita absolutè prævisa, sed antecedenter: itaut, quos voluerit Deus à communi massa perditionis misericorditer liberare, priùs illis gratuitò prædestinauerit gloriam, vt coronam, & mercedem, & propterea deindè in 2. naturæ signo prædestinauerit

merita, & deindè in 3. propter habenda merita prædestinauerit media, scilicet gratiam, prædicationem, vel notitiam credendorū, &c. quamuis deindè, iuxta commune adagium, quòd, quę sunt priora in intentione, sunt in executione posteriora, meritum sit in executione posteriùs gratia, & prædicatione, aut notitia credendorum, sicut gloria posterior meritis. Iuxtà hanc autem doctrinam, quam sine dissidio cū Aduersarijs simul fatemur esse Augustini, vt clariùs pateat huius mens in verbis, quæ ab Aduersarijs referuntur ex quæstione secunda contra Paganos, tacenda adhùc non sunt alia, quæ ad relata præcedunt; hoc enim modo scribit Augustinus, obiicientes Paganos refellens, *Proindè, cùm Christo non obijciant, quòd eius doctrinam non omnes sequuntur: sentiunt enim, & ipsi nequaquam hoc rectè obijci posse, vel sapientiæ Philosophorum, vel etiam numini Deorum suorum: quid respondebunt, si excepta illa altitudine Sapientiæ, & Scientiæ Dei, vbi fortassis aliud Diuinum Consilium secretius latet, siue præiudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ a prudentibus inuestigari queunt, hoc solùm eis, breuitatis gratia, in huius quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, &c.* Ex his autem euidenter patet tetigisse in illa quæstione Augustinum, non quidem consiliū latens Dei circa fidem conditionatè futuram, quę non discernit, iuxtà Sapientiam, & Scientiam Dei, vasa honoris à vasis contumeliæ: sed *aliud*, ait, circa fidem absolutè futuram, & quę per charitatem operans, ea discernit; cùm autem nemini liceat rectè suspicari Augustinū deindè in ijs, quæ dixerit, contra idem latens Dei Consiliū dixisse, sed conformiter, licet explicare omninò noluerit, ne nouę daret, vt ex dicendis patebit, Paganis quæstioni locū, intelligere quisque debet, quòd iuxtà tactū aliud latens Diuinum Consilium, hunc in seipsis sensum habeant verba illa Augustini. *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui* prędestinati iam, & Electi per latens Diuinū Consiliū in Christo ante mundi constitutionem, vt essent Sancti, & immaculati in conspectu eius, atq; consequenter fideles, *in eum fuerant voliti credituri: his enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes*, eò quòd nec ad gloriam, nec ad bona opera fuerant eodem latenti Dei consilio prædestinati, sed solùm inefficaciter voliti saluandi, *in eius prædicatione futuros* absolutè *esse præsciebat, quales de facto, non quidē omnes, sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt.*

140 Huic sanè relatorū verborum intelligentiæ, quæ iuxtà Augustini Aduersariorū, & meam de prædestinatione Sanctorum ante præuisa merita sententiam, tota cohærens est, peroptimè congruunt, quæ in pręcitato capite 9. dicuntur de actuali decreto, prædestinatione, & electione in Christo ante mundi constitutionem; non verò, si Augustinus relata verba, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, &c.* intellexisset de præscientia fidei, vel infidelitatis cōditionatè futuræ. Hoc est ergo, quod ait Augustinus in illis verbis, *Ceruitis me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi voluisse dicere, quod conuincendæ, Paganorum infidelitati, qui hanc obijcerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quàm præscisse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed vtrum, prædicato sibi Christo, à seipsis habituri essent fidem,* vt falsò, & me cū ipsis sentiisse credunt Semipelagiani, *an Deo donante* supernaturalem fidem, *sumpturi: idest, vtrum tantummodo eos præscierit*, pro vt ipsi errando dicunt, *an etiam prædestinauerit Deus*, sicut ego sentiebam, *quærere, aut disserere tunc non putaui*, ne, vt in fine capitis dicit, *Lectorem facerē intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs, & laboriosiùs disputari. Proindè*, ad antecedentia verba subiungit, *quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, posset etiam sic dici.* sicut, & ibi à me dicebatur; *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse qui*, iuxtà Apostolum ad Ephes. 1. *Electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem*. Hoc item est, quòd in eodem capite 9. dicitur. *Ac per hoc, & quibus omninò nunciata non est, in illorum exemplum demonstrantur; quibus autē credituris annunciatur, in Regno Cælorum, & Sanctorum Angelorū societate præparantur.* Consequenter etiam ad illa verba, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum*, post pauca subiungit, *& tamen ab initio generis humani aliàs occultiùs, aliàs euidentiùs; sicut congruere temporibus diuinitùs visum est, nec prophetari destitit, nec, qui in eum crederent, defuerunt: & ab Adam vsque ad Moysen, & in ipso populo Israel, quæ speciali quodam mysterio gens prophetica fuit, & in alijs gentibus, antequam venisset in carne: cùm enim nonnulli commemorentur in Sanctis Hebraicis*

libris

libris iam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec aduenitiã societate in populo Israel, qui tamen huius Sacramenti participes fuerunt. Cuius Sacramenti? prædestinationis ne fidei conditionatæ, an de absoluta prædestinatione aliquorũ Sanctorum Patrum ad gloriam, & fidem Christi sunt omnia antecedentia verba? sicut & subsequentia post illa subiecta, *Ita salus Religionis huius, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Numquid forsan salus veræ fidei conditionatè futuræ, an futurę absolutè, & quę per charitatem operatur, veraciter promissa est: neq; vlli, qui ex Dei gratuita prædestinatione dignus fuit, nũquam defuit, cui autem defuit, originali peccato, vel etiam proprijs adiunctis, dignus non fuit?

141 Patet ergo ex modo tradita doctrina paucis verbis vtramque malam, & hæreticam intelligentiam, quàm verbis Augustini in libro de Sex quæstionibus contra Paganos Semipelagiani adhibebant, ab eodem Augustino fuisse expugnatam; per hoc nimirùm, quòd, quę ibi dixerat de aduentu Christi in his, & non alijs temporibus, quia in his; & non alijs sciebat esse, qui in eũ essent credituri, intellexit de fide, vt iam actù prędestinata ea prędestinatione, qua, qui à Deo sua gratia voliti fuere, electi sunt in Christo ante mundi constitutionem; & consequenter quòd locutus est de fide absolutè, non conditionatè futura, & quæ erat gratuitò à Deo prçuolita, atque adeò supernaturalis, non tantũmodo prescita, & naturalis, vt somniabant Semipelagiani.

142 Ad rationes autem, quibus Aduersarij se certò credunt probare Augustinũ in illis verbis, *Quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. &, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales, &c.* locutũ fuisse de præscientia fidei conditionatè futura, cuilibet mediocris intelligentię facile est respondere. Ad primam ergo concedo, quòd ad futuritionem executiuã fidei, necesse est pręcedat futuritio notitię credendorum, sicut ad futuritionem executiuam glorię necesse est pręcedat futuritio meritorũ, sed in futuritione intentiua, & vi decreti intentiui opposito modo res se habet, iuxtà etiam Aduersariorũ principia: quia enim Deus voluit gloriam, vt præmium, & mercedem, ideò voluit in præmiandis merita: quia voluit merita, ideò pręparauit illis efficacia auxilia cum notitia credendorum, &c. Ad secundam etiam Aduersariorum principijs ex parte inhærendo, dico, quòd statum futurum absolutũ, vel conditionatũ obiecti non constituit, neq; variat id, à quo obiectum non pendet, nisi tamquam ab aliquo pręsupposito, vel connotato, si hoc supponitur ab aliquo alio completum. Exemplũ pono: ignis pendet in agendo ab approximatione, si autem ignis sit approximatus ab alio, quam à me, non propterea quòd est vera ista conditionalis, si ego approximarem talem ignem, combureret, ideò combustio non est defacto absolutè in se existens; & propterea monui numero 2. differentiam esse inter veritatem conditionatam, seu conditionalem obiecti, & veritatem conditionatè futuram. Pari ergo modo exterior apparitio Christi in carne, & exterior prædicatio Euangelij est ex Augustino, Apostolo, & cõmuniter conditio per modum exterioris plantantis, & irrigantis, at non dantis intrinsecum incrementũ, quod datur à Patre intrinsecùs edocente: vndè, siue hæc fiat à Christo, (loquẽdo purè extrinsecè,) siue ab Apostolis, vel Scriptura, vel Prophetis, aût alio modo, dummodo sit, parùm refert à quo sit, nec variat statum obiecti per hoc, quòd sit hoc modo, & non illo, vel ab hoc, & non ab illo. Cuicunque autem, vt suo loco probabimus, sufficiẽs notitia tribuitur, saltẽ ad quærendam perfectam cognitionem doctrinæ credendæ; & id supra ostendi insinuatum fuisse ab Augustino illis verbis, *Et tamen ab initio generis humani, &c.* neminem enim Deus gratia, saltem sufficienti priuat. Illi ergo Antiqui, de quibus asserit Augustinus, quòd præuisi fuerant non credituri, ideò tales præsciti fuerunt, quia non erant ex illis, quos Deus elegit in Christo ante mundi constitutionem, ac consequenter, quibus præuoluerat gratiam sufficientem, sed non efficacem: cum sufficienti, etiam notitia ad quærendam doctrinam veræ fidei, qua gratia iam erant præuisi non credituri independenter ab apparitione Christi in carne, & prædicatione sui Euangelij, ac proindè per puram additionem conditionalem prædicationis huius, sicut fecit in præcedẽtis verbis Augustinus, non tollitur, quin aliundè illi non fuerint præuisi absolutè non crediturі; & sensus verborũ Augustini est iste, noluisse scilicet Christum illis temporibus apparere, & prædicari doctrinam suam, quia iam sciebat eos, vtpotè quorũ non miserrus fuerat, non fore crediturоs absolutè, adhùc prædicato Euangelio, quod idem fuisset respectu eorũ, ac si prædicatum non fuerit. Crederem hæc ita

euidentia esse, vt solùm illi conuinci non valeant, qui conuincti videri nolunt.

143 Secũdum verò, quod etiã me ostẽsurũ promisi, nimirùm adhùc dato, quòd Augustinus in illis verbis, *Quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant creaituri*: sicut, &, *tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales, &c.* locutus fuerit de præscientia fidei, & infidelitatis conditionatè præuisæ: non tamen, cùm deindè requirit latens consilium Dei, & actualem prædestinationem contra Semipelagianos, pro fide, vt sic conditionatè futura, requirat; & quod in eo ipsos oppugnet, quia talẽ fidem antecedentem ad gratiam in quocũque statu admittebant, etiam absoluto, tãquã meritũ, aùt conditionẽ, vel occasionẽ, qua mediãte Deus prędestinasset & augmẽtum fidei, & cætera opera bona sua gratia, & eodem modo aduentũ Christi, & prædicationem Euangelij: quando Augustinus hęc omnia ex gratuita prędestinatione docebat, etiam ipsum initiũ fidei: ex ijs, quæ vsque modo dicta sunt, cuique patere potest, præcipuè verò ex numero 134. in illis verbis relatis ex Augustino, *vbi fortassis aliud Diuinum consilium secretius latet*: si enim aliud dicit Augustinus, non poterit esse idem, quod Aduersarij requirunt ad futurum conditionatum; sed consilium discretiuũ vasorum honoris à vasis contumeliæ in statu absoluto. Iuxtà ergo hanc admissam gratis, imò falsam intelligentiam, sed pro modo datam, ita se explicat Augustinus prȩfato capite 9. de prædestinatione Sãctorum intellexisse, cùm contra Paganos supradicta scripsit verba, quòd scilicet ad conuincendam Paganorum infidelitatem, absque eo, quòd mentionem faceret de diuino, & occultissimo simul, & iustissimo iudicio, (quo ante mundi constitutionẽ seperauit, quos misericoditer voluit, à massa perditionis: & voluit in eo tempore apparere, in quò plures, ac præteritis temporibus, saluandos elegerat,) ne nouam induceret quæstionem: sufficiens fuerit eis dicere, quòd tunc voluit apparere, & prędicari doctrinam suam, quando sciebat esse, qui in eum crederent; prȩscindendo à declaratione status, ad hoc, vt sic vterque possit verè intelligi: status quidem absolutus propter actualem prędestinationem glorię, & indè meritorum, & gratię: status verò conditionatus ex eo, quòd necessariò prȩsupponitur ad prędestinationem glorię antecedentis ad prȩuisionem meritorum, sub prędestinatione gratię efficacis prȩcognitorũ conditionatè; & conuincerentur Pagani in ea, quam obiecerant quęstionẽ, ac locus relinqueretur gratię actuali, vt diuidat lucem à tenebris, & non gratię prȩuisȩ conditionatè cogni tę: cùm Tyrij, & Sidonij non per hoc fuerint dimissi à tenebris, quia fuerunt conditionatè prȩuisi acturi magnos fructus pœnitentię, si in eis factȩ fuissent virtutes, & non nisi sub conditione gratię potuerint ita pęnideri.

144 Quia verò contra hunc sensum Augustini præscindentem quoad explicita modo dicto, Semipelagiani acceperant de puro sensu conditionato, vt indè ex Augustino captare possent auxilium ad suos protegendos errores, circa rationem præcipuè meriti, vel occasionis prædestinandi gratiam ad bona opera, malam eorũ intelligentiã refutat Augustinus, dicens, quòd in illis verbis non ita locutus est de præscientia futuræ fidei, vel infidelitatis, vt excluserit secretum Dei iudicium actuale, quo diuisit vasa honoris à vasis contumeliæ, dùm illa elegit in Christo ante mundi constitutionem, non alia: nec non illa in Regno Cœlorum, & Sanctorum Angelorum societati præparauit, non alia, vt constat in locis præcitatis ex Augustino: ac consequẽter non tantùm præuidit, vt futura conditionatè à voluntate hominũ, sed tùm conditionatè vi gratiæ conditionatè præcognitæ: tùm absolutè vi prædestinationis actualis. Quòd totum duobus præcipuè relatis locis ex cap. 14. de bono perseuerantiæ patet, nimirùm, *vbi Tyrij relicti sunt, & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent: sed quoniã, vt crederent, non erat eis datum: etiam vndè crederent est negatum*: non tamen potuerunt videri credituri fide, quæ attulisset in ipsis magnos fructus pœnitentiæ, sine gratia: nihilominùs absolutè verũ est non fuisse eis datũ, vt crederẽnt; & deindè *Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum: quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa, vidissent; sed nec illis profuit, quòd poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ.* Vides ne ab Augustino negari esse Tyrios, & Sidonios prædestinatos, vt credant, quamuis fuerint conditionatè credituri, quia nimirùm non erat eis datũ, vt crederent, & ideò nec prædestinatũ, vt crederent? Quid ergo somnias Augustinũ de prædestinatione fidei conditionatè futuræ voluisse vti illo Apostoli, *Electi sumus in ipso ante mundi constitutionem?* Cogita, quæ dicta sunt, & sile, nec ex Augustino contra scientiam mediam in futurũ exclames: maiora enim his tibi promitto offerre conspicienda.

145 Tertius locus desumitur ex libro de bono

no perseuerantiæ cap. 9. vbi, inquiunt aduersarii, impugnans Augustinus Semipelagianos in eo, quòd negabant tale posse à Deo aliquibus donũ perseuerantiæ dari, vt non possit eorum voluntate amitti, vel conseruari; ad commendandum gratuitæ prædestinationis mysteriũ, in eo præcipuè ostendit insinuari, quod Assertores scientiæ mediæ pro hac probanda magnificant, illud nimirùm Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia, si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cilicio, & cinere, pœnitentiam egissent*: Nam *in his verbis*, subiungunt Aduersarii, asserit Augustinus, quòd *Dominus Iesus altiùs nobis mysterium suæ prædestinationis ostendit; si enim quæratur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta sint, qui ea non fuerant credituri; & apud eos facta non sint, qui crederent, si viderent, quid respondebimus? numquid dicturi sumus, quod in libro alio dixi, vbi sex quibusdam quæstionibus Paganorum, sine præiudicio tamen aliarum causarum, quas prudentes possunt inuestigare, respondi?* Referens autem deindè responsionem, quam in libro illo Paganis tribuerat, videlicet, *quòd his temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non est prædicatũ, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt*, subdit ad ista, *Hæc certè de Tyro, & Sidone non possumus dicere, & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio tunc ista respondere me dixi*. Cap. item 14. ad eosdem Tyrios, & Sidonios sermonem conuertens, sic loquitur, *Vbi*, (in massa scilicet perditionis,) *Tyrij, & Sidonij relicti sunt, qui etiam credere potuerunt, si mira Christi signa vidissent: sed quoniam, vt crederent, eis non est datũ, etiam vndè crederent, est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moneantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen, si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent.* Et deindè concludens, *audiunt hæc*, inquit, *& faciunt, quibus datũ est: non autẽ faciũt, siue audiãt, siue non audiant, quibus non datum est.*

146 Nolo hic Aduersarios censurare de discerptione verborum Augustini à proprio loco, & translatione in alium, vt diuersũ aliqualem faciant sensum: non enim post, vel relatè ad illa verba, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, &c.* prout refertur supra ab Aduersariis, subiungit Augustinus, *In his verbis Dominus Iesus altiùs nobis mysteriũ suæ prædestinationis ostendit*: sed immediatè post hæc alia, & relatè ad eadem, *Nec dãnarentur Tyrius, & Sidon, quamuis remissiùs, quã illæ Ciuitates, in quibus, non credentibus, à Domino Christo mirabilia sunt facta: quando, si apud illas facta essent, in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent, sicut se habent eloquia veritatis: in quibus verbis sus Dominus Iesus altiùs nobis mysterium prædestinationis ostendit*. Non ergo in illis verbis, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, &c.* asserit Augustinus Dominum Iesum nobis mysterium prædestinationis ostendisse: sed in his, quæ Matth. 11. ad præfata ex ore Christi, subsequentia præscribuntur, *Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remissiùs erit in die iudicij, quàm vobis*: quia videlicet adhùc damnantur, & si remissiùs, qui, si vidissent illa signa, credidissent, & ideò nõ crediderũt, nec egerũt fructus pœnitentiæ, quia illa signa non viderunt. In hoc certè altiùs ostendit Deus nobis mysteriũ prædestinationis, volens signa, & miracula fieri apud Corozaitas, & Bethsaiditas, qui non erant credituri, & indè maiorem subituri pœnam: & non prædicari apud eos, qui fuissent credituri, & pœnitentiam acturi: qui, & si remissiùs, adhùc damnantur. Ad hæc certè ex Apostolo, *quis idoneus*. Propterea Augustinus cõformiter ad dicta subdit, *Si enim quæratur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta sint, qui videntes ea, non fuerant credituri, & apud eos facta non sint, qui crederent, si viderent, quid respondebimus, &c.* vt supra. Quare autem ab Aduersarijs istæ verborum discerptiones, & translationes fiant, capiant, qui possunt. Ego vnum scio, ideò ab Augustino in præcitato capite 9. sermonem haberi de Tyriis, & Sidoniis, vt Semipelagianos conuincat contra id, quod asserebant, habere rationem meriti, vel conditionis, vel occasionis, aut alio quolibet modo fidem conditionatè præuisam, vel, vt Deus det suam gratiam, vel, vt præstet prædicari suum Euangelium: ad hæc enim præfatum sermonem reassumit Augustinus, quia probans à Deo esse donum perseuerantiæ, sibi obijcit, quare ex duobus iam pijs vni det Deus, vt perseueret, & non alteri, & respondet, *Non erant ex eis: quia non erant secundùm propositum vocati, &c.* deindè de his, qui non perseuerant, in capite citato 9. subiungit, *Certè poterat illos Deus, præsciens esse lapsuros*, (ecce scientiam mediam: non enim poterat, si præsciret lapsum absolutè futurum,) *antequam id fieret, auferre de hac vita. An eò*, inquit, *redituri sumus, vt adhuc disputemus, quanta absurditate*

surditate dicatur iudicari homines mortuos, etiam de his peccatis, quæ præsciuit eos Deus perpetraturos fuisse, si viuerent. Cur enim non dicatur, & ipsum Euangelium cum tanto labore, passionibusque Sanctorum frustrà esse prædicatum, vel adhùc etiam prædicari, si iudicari poterant homines, etiam non audito Euangelio, secundùm contumaciam, vel obedientiam, quam præsciuit Deus eos habituros fuisse, si audissent? Et ecce iterum scientiam mediam ratificat, sed non secundùm eam posse homines iudicari asseuerat; his autem connectit, *Nec damnarentur Tyrus, & Sidon, &c.*

147 Sed hæc, res, & verba Augustini ita pro suo libitu componentium, postposita censura, videamus quæso, quid ex antecedenti congesta materia contra scientiã mediã inferant Aduersarij: euidens enim est ex omnibus præfatis verbis non negare Augustinum cognouisse Deum fidem, & pœnitentiam conditionatè futuram Tyriorũ, & Sidoniorum, cùm ait in eodem capite, *Hæc certè de Tyro, & Sidone nõ possumus dicere: & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio tunc ista respondere me dixi.* Nec, cùm capite 14. dixit, *sed quoniam, vt crederent, non erat eis datum, etiam, vndè crederent, est negatum:* vel infra, *sed nec illis profuit, quòd poterant credere: quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ:* Si namque Aduersarii ex præfatis locis prætendant Augustinum negasse, fuisse Tyriis, vel Sidoniis datum, vel prædestinatum, vt crederent, vel pœnitentiam agerent conditionatè: euidenter contradicerent Augustino, qui referens aliàs dixisse, ideò Christũ non venisse in anterioribus sæculis, nec suũ fuisse prædicatum Euangelium, quia præuisi fuerant non credituri, deindè de Tyriis, & Sidoniis subijcit, *hæc certè non posse dici.* Preterea ex dictis patet de ijsdem asserere, *Nec damnarentur, &c. quoniam, si apud illos facta essent, in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent, sicut se habent eloquia veritatis.* Et infra, *Facile est quippe, vt infidelitatem accusemus Iudæorum, qui, factis apud se tam magnis virtutibus, credere noluerunt; sed numquid possumus dicere etiã Tyrios, & Sidonios, talibus apud se virtutibus factis, credere noluisse, aùt credituros non fuisse, cùm eis ipse Dominus attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiã, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutũ.* Cùm ergo Augustinus dicit, *in his cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, &c.* &, *Quoniam, vt crederent, non erat datum: etiam, vnde crederent, est negatum;* sicut, cùm asserit, *sed nec illis profuit, quòd poterant credere, quia prædestinati nõ erant ab eo: &c.* de Iudicio, & Prædestinatione diuina in ordine ad fidem, & pœnitentiam faciendam in statu absoluto sermonẽ habet: & quidem post præscientiam, quòd egissent pænitentiam, si apud eos facta fuissent signa, & miracula, &c. vndè per illa nihil certè negatur de præsciẽtia, quæ supponitur.

148 Videamus ergo quid ex his colligant, vt illis scientiã mediam Augustinum respuisse probent. Ex dictis, aiunt, firmat Augustinus generalem regulam, quòd nihil, quod sit donum Dei, præscitur à Deo, nisi sit priùs ab eodem prædestinatum; vt indè soluat quæstionem Prosperi, an ea, quæ sũt præscita, sint etiam prædestinata, & decretata: an econtra decretum præscientiæ innitatur? soluit, inquam, respondendo generaliter, nihil nimirùm præsciri posse à Deo, quod non sit prædefinitum, & decretatum, pro eodem ipso statu: Contradictoriè autem opponuntur, nihil bonũ præscitur à Deo, quod non prædestinetur, aliquod bonum præscitur, quod non prædestinatur sub eo statu conditionato, in quo præscitur; Primum docet Augustinus, secundùm autem Authores scientiæ mediæ.

149 Oh certè admirandus discursus, nihil aliud apparentiæ præferens, nisi in doctrinę Augustini confusione, ac transportatione. Quid enim est, quòd semper, cùm Augustinum legunt de prædestinatione loquentem, sumere volunt Aduersarij pro voluntate, decreto, & prędestinatiọne Dei efficaci de ipso actu libero bono, faciendo à prædestinato: cùm Augustinus nomine prædestinationis simpliciter, & sine addito præparationem intelligat gratiæ, & aliorũ mediorum facientium hominem operari? An non eodem cap. 14. de bono perseuerantiæ, quod citant Aduersarij, prædestinationem definiens, ait, *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur;* & clariùs de prædestinatione Sanctorum cap. 10. *Inter gratiam porrò, & prædestinationem hoc tantùm interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò iam ipsa donatio:* & infra, *Quo circa prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, vt dixi, præparatio?* Prædestinatio ergo Dei non est voluntas Dei de operibus nostris bonis immediatè, sed mediante præparatione gratiæ, qua nos facit liberè operari; sed quomodo opera nostra Deus vi gratiæ prædestinet, si veritatem requirerent Aduersarij in Augustino, & non proprium sensum, inuenire potuissent apud cun-

eundem, & in codē loco de bono perseuerantiæ cap. 17. vbi loquens de operibus nostris bonis, vt à Deo prædestinatis, quibus perseueramus in bono, sic stabilit, *Ista igitur sua bona quibuscumque Deus donat, procul dubio donaturum se esse præsciuit, & in sua præscientiâ præparauit; nam in sua, quæ falli mutarique non potest præscientia opera sua futura disponere, id omninò nec aliud quidquam est, quàm prædestinare*. Vides ne, quâ ratione Deus sua prædestinatione beneficiorum certissimè liberat, quoscumque liberat: quia videlicet beneficia sua Deus, quibus, quos voluit, liberat, non cæcè præparauit, sed prædestinando ea in sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia, eo modo quo dixerat lib. 1 ad Simpl. quæst. 2. *Cuius autem misereretur, sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem non respuat?*

150 Eodem pari modo volunt Aduersarij fore intelligendum Augustinum, loquentem de Secreto Consilio, voluntate, sine decreto, & prædestinatione actuum bonorum nostrorum in statu absoluto, ac in statu conditionato, vt vnum credant infallibiliter inferri ex alio, cū tamen ista duo ita diuersa sint, vt omnes ferè Assertores scientiæ mediæ admittant defacto actus nostros bonos liberos esse à Deo præuolitos, & prædefinitos efficaciter: & quòd eos à Deo prædestinari in sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia, non importat nostram voluntatem prædeterminasse: sed solùm velle eam transferre ad eum statum, sub quo sua infallibili, & immutabili præscientia præuidit iam liberè operaturam: eam de cætero relinquendo, vt eodem modo operetur. At verò in ordine ad statum conditionatum, qui est primus status determinationis ad vnum, si Deus vellet opus nostrum determinatè, iam primò determinaret voluntatem, & non fineret præuideri, & ex se seipsam determinantem, sed vt determinatam ab alio: & hinc contradictionem dicit actum posse cognosci, ut futurum conditionatè liberè: ac proptereà iidem Propugnatores scientiæ mediæ negāt posse esse, vel cogitari decretum prædefiniens actum nostrum liberum, vt conditionatè futurum. Ex quibus euidens fit non nisi confusione rerum, earumque transportatione indebita, contra scientiam mediam in omnibus arguere Aduersarios.

151 Ad eorum ergo argumētum dico Augustinum eo modo, quo loquitur, firmam stabilire, & vniuersalem regulam, quòd ea, quæ à Deo dantur, ab eodem sunt prædestinata: si videlicet dantur ab ipso solo, ab ipso immediatè prędestinantur efficaciter: & talia sunt omnia auxilia, quæ dat nobis Deus sine nobis; si verò nobis danda à Deo sūt non immediatè, sed medijs suis auxiliis, & non exclusa nostra libertate, sic dat, quo modo post dare, libertatem non offendendo; in statu videlicet absoluto directus à sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia, & efficaciter prædestinando: non quia hæc sit necessaria, sed quia ita ei placet; vt potens dare gratiam facientem operari alio fine, vt suo loco dicam, quā ex fine operis, defacto dat ex fine operis: quod tamen eodem modo esset futurum, siuè eādem gratiam Deus det ex fine operis, siue alio fine. In statu verò conditionato nego Deum aliquid dare: cùm enim conditionatè futurum nihil dicat actū, sed tantùm cognoscitur, quòd diceret: nec Deus dat, sed cognoscitur, quòd daret actum, si daret gratiam.

152 Ad id autem, quod addunt Aduersarij hac responsione Augustinum soluere quæsitum Prosperi, an ea quæ sunt præscita, sint accipienda prædestinata: an verò prędestinatio innitetur prę{s}cientię, dico, quòd hic etiam valdè diuersa volunt confundere Aduersarii, de quibus infra: pro nunc sufficiat dicere ex dictis sensum Semipelagianorum quoad hoc duplicē fuisse: vno modo, vt ideò Deus voluerit huic dare gratiā benè operandi, quia pręuidit illum naturali fide crediturum, & naturali nisu voluntatis quęsiturum, petiturum, & pulsaturum pro his, quę per prędestinationem gratię danda sunt, & dictę pręscientię dicebant inniti propositum prędestinationis: hoc autem modo concedo Augustinum in prędicta doctrina Semipelagianorum hęresim obtundere, probans propositum Dei non inniti illi pręscientię de fide, & nisu voluntatis fictitiis, & chimericis: sed scientiam fidei, & bonę voluntatis futurę nasci ex gratuita Dei prædestinatione. Alio modo Semipelagiani dicebant propositum inniti præscientiæ, quia videlicet dicebant etiam opera conditionatè præuisa habere rationē meriti, vel demeriti, (quamuis ipsi, vt suo loco ostendam, semper loquebantur de operibus naturalibus, in quibus solùm admittebant libertatem;) & ita dicebant Deū apparuisse, & voluisse prædicari doctrinam suam, quando, & vbi præsciebat esse, qui in eum crederent: & alijs, quos præuidebat non credituros, noluisse apparere, nec prædicari illis doctrinam suam. Pari modo ex infantibus decidentibus ante vsum rationis prædestinasse baptismum ijs, quos præuidit benè operaturos, si diù vixissent: non præparasse illis, quos econtra futuros

præ-

prænouit. Et similiter hoc etiam modo falsissimum est, & impugnatum ex Augustino Dei propositum inniti simili præscientiæ, vt patet ex dictis de Tyrijs, & Sidonijs. Tertio modo propositum Dei de opere libero potest dici inniti præscientiæ de futuritione conditionata ipsiusmet operis: non quidem vt sit, vel non sit: sed vt possit esse efficax, & non læsiuum libertatis, quo solùm pacto admittunt Assertores scientiæ mediæ; Aduersarij autem omnia ista in vnū confundunt, vt videantur aliquid dicere contra scientiam mediam; sed non reflectunt, quòd contra Augustinum ipsum loquūtur, volētes loqui ex Augustino: hoc enim tertio modo propositū Dei inniti suæ præscientiæ, ipse Augustinus docet, dum dicit, *Nam in sua, quæ falli, mutariq; non potest præscientia opera sua futura disponere, id omninò nec aliud quidquam est, quàm prædestinare*, Item cùm dicit, *cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.*

153 Ex his tandem patet, quid dicendum sit ad contradictoria, quæ aducunt Aduersarij, vt vnum eorum tribuant Augustino, alterum Assertoribus scientiæ mediæ. Nego enim propositionem, quam falsò impingunt Augustino, nimirùm nihil posse præsciri à Deo, quod non sit predefinitum, & decretatum, esse veram: nam esse decretatum dicit actualitatem decreti, pura autem futura conditionata nihil sunt, & ideò non possunt ratione sui requirere decretum actuale. Similem autem propositionem sōnant, quia videlicet capite 17. de bono perseuerantiæ sic loquitur, *Hæc dona Dei, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo.* Ex quo regulam ad sui ipsorum voluntatem, tamquam ex Augustino, formant, nihil præscitur à Deo, quòd non sit prædestinatum. Quis hic fallaciam non comprehendat? Plusquam verum est, nihil boni, vt futuri absolutè præsciri à Deo, quod non sit ab æterno prædestinatū actū, & quidquid actū prædestinatū à Deo non fuit, non potuit præsciri, vt actù, vel absolutè futurum: pœnitentia autem Tyriorum, & Sidoniorum fuit præscita, non quidem vt actù futura, sed vt conditionatè; & Augustinus dicit, quod non fuit datum, vt crederent, nec vndè crederent: & quòd non profuit illis, quòd poterant credere, quia prædestinari non erant; Vtquid ergo volunt semper sub confusione procedere Aduersarij? In capite 17. supracitato loquitur Augustinus de operibus bonis Electorum, quæ actū sunt; sic namque antecitata verba loquitur Augustinus. *Hæc vtique dona Dei, quæ dantur Electis, secundùm Dei propositū vocatis, in quibus donis est incipere credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminū perseuerare, sicut tanta ratione, atque authoritatum attestatione probauimus: hæc inquam Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo.* Vides ne, quid contra Semipelagianos agat Augustinus? ipsi volebant ex fide præcognita, ac bona naturali voluntate recurrendi ad Deum, prædestinatam fuisse ab hoc gratiam operandi; & Augustinus dicit, si hæc fides, & bona voluntas petendi, querendi, &c. nō est à Deo prædestinata sua gratia, nec scitur à Deo, vt futura: & falsa erit, imò chimerica præscientia, non quidem media, sed visionis, quam de fide absolute futura, independenter à Dei gratia, tribuebant Deo Semipelagiani. Regula ergo vniuersalis currere debet in omnibus, quando agitur de ijsdem rebus secundùm solùm statum variatis, & de necessarijs ad existentiam, vel variationem status eorumdem; atque ita, si actù non est gratuita Dei prædestinatio, nec actù erunt sua dona, nec possunt, vt actù existēntia, vel futura absolute cognosci; & pari modo, si in statu conditionato non intelligitur proportionata, & necessaria prædestinatio, nec futura conditionatè erunt opera, nec poterunt, vt talia à Deo cognosci; sed dicere, si non est actu prædestinatio, licet esset, non esset effectus, nec scientia in Deo, quod esset, est compositio chimerica de causa actu causante, & effectu, qui, cùm non sit, sed esset, non causatur, sed causaretur.

154 Possē hic relinquere duo alia, quæ aduersarij hic, & sepè falsò, confusè sententię de scientia media impingere volunt, de quibus monui à numero 35. vsque ad 42. sed ne videar hic reticere, quasi aliquid in præsenti negotio faciant, non relinquam. Contra ergo antecedentem doctrinam, quā ex parte sibi opponunt Aduersarij, sic instant. In statu conditionato iuxta doctrinā de scientia media præscitur aliquod sub ratione boni, non descendens à Deo, sed à nobis; quandoquidem talis scientia respiceret suum obiectum ante decretum, & voluntatem Dei, & esset de actu bono conditionatè futuro. Et vrgent, quia actus, vt liber, non intelligitur esse, vt determinatè talis, nisi vi causæ physicè determinantis illum: sed hæc determinatio inciperet à libero arbitrio, & non à Deo; ergo in priori signo esset liberè à nobis, quàm à Deo: atqui ratio boni moralis fundatur in ratione liberi; ergo bonitas illius actus, conditionatè futuri, pro eo statu prius esset præuisa,

vt talis, quàtenus est à nobis, quàm à Deo.

155 Falsis præsuppositis hæc duo argumenta inniti, patet ex numero 31. iam citato: vndè breuiter nego antecedens argumenti. Ad primam probationem nego antecedēs: quamuis enim obiectum scientiæ mediæ non pendeat à prædestinatione Dei, actù existente, quia chimera est actualis pendētia eius, quod actù nihil est; eo tamen modo, quo dicitur futurum conditionatū, eodem prorsùs modo à decreto, vt conditionatè accepto, pēdet; & ad ipsum subsequitur. Ad secundam autem iam in eodē loco monui implicare determinationem voluntatis creatæ ad hunc effectum, nisi supponat Deum ex parte sua prædeterminatū ad hunc simul, & ad oppositum; vndè actus priùs intelligitur exire ex parte Dei, vel hic vel ille, & deindè determinatè hic à creatura: vide, quæ loco citato dixi; & infra etiam non deficiet longior occasio idem meliùs explicandi.

CAPVT QVINTVM.

Plurima referuntur Augustini loca, in quibus explicitè scientiā mediam aut adstruit, aut supponit.

156 NOn repeto hic locum illum Augustini ex libro primo ad Simpl. quæst. 2. *Nullius Deus frustrà miseretur, cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem nō respuat*: ac sic, sicut, vt actù non frustretur Dei misericordia, actù vocantis, prærequirit Augustinus præscientiam de congruitate medij relatè ad voluntatem illius, cuius miseretur; ita ad voluntatem Dei, ab æterno volentis misereri, & vocare, necesse est etiam, ne sit cæca, & frustrabilis, præcedat scientia de cogruitate mediorum relatè ad eamdem: vt scilicet ita voluerit vocare, sicut prænouit ei congruere, quòd vocantem non respueret. Non repeto, inquam, quia de illo satis egi à numero 101. vsque ad 104. exclusiuè, vbi diffusè probaui hunc locū clarè concludere scientiam mediam, & non posse intelligi de præscientia fundata in cōsensu conditionatè præuolito, sed in pura congruitate mediorum ex se relatè ad voluntatem vocandi. Videantur, quę dicto loco attuli.

157 Alijs ergo innumeris locis intentū probare possum ex Augustino, sed ne frustrà longior, quàm necessitas exposcat, sim, aliqua solùm ad sufficiētiam adducam. Porrò lib. 5. in Deuterom. cap. 4. loquens de textu, in quo dicitur de Sole, Luna, & Stellis, quod ea Deus distribuit adoranda Gentibus, sic habet, *Non ita dictum est, tamquam Deus præceperit ea coli à gentibus, à solo autem populo suo non coli: sed, aut ita dictum est, quòd Deus præsciuit gentes culturam exhibituras his cælestibus, & tamen, hoc præsciens, creauerit eas, &c.* in libro item de catechizandis rudibus cap. 18. *Nam quòd & omnes*, inquit, *diluuio deleuit, excepto vno iusto cum suis, quos in arca seruari voluit, nouerat quidem, quòd nō se correcturi essent, &c.* Vbi aduertendum hanc præscientiam non futuræ correctionis non assumi ab Augustino, tamquam motiuū, vel conditionē, &c. sed quia noluerat illorum misereri, & condere in vasa honoris per gratiam efficacem, ex quo prænouit quòd, si diù vixissent, semper restituri fuissent gratiæ sufficienti, &c. Et eodem loco post pauca. *Hoc autem*, ait, *facit Deus, etiam illis, quos nouit in malitia perseueraturos, dans pœnitendi spatium.* Et de Ciuitate Dei lib. 11, cap. 18. sic loquitur, *Neque enim Deus vllū, non dico Angelorum, sed vel hominum, crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi prior nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret.* Insuper lib. 14. cap. 27. *Cùm igitur*, ait, *humani futuri casus Deus non esset ignarus, cur eū non sineret Angeli malignitate tentari, nullo modo quidem, quòd vinceretur incertus* (vndè excluditur sententia de præscientia Dei coniecturali,) *sed nihilominus præscius quòd ab eius semine, adiuto sua gratia, idem ipse Diabolus fuerat, Sanctorum gloria majore, vincendus.* & lib. 22, cap. 1. *Qui, cum præsciret Angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem*; Ac paulò post loquens de Adamo, *Quem*, inquit, *similiter, cùm præuaricatorem Legis Dei per Dei desertionem peccaturum esse præsciret, nec illi ademit liberi arbitrij potestatem, simul præuidēs, quid boni de malo eius esset ipse facturus.* Libro præterea primo contra Aduersarium Legis cap. 14. loquens de ligno scientiæ boni, & mali, sic habet, *Cur enim occultaret, de quo mandatum dabat, & per quod obedientiam commendabat: nec ignarus fuit hominem peccaturum, sed simul etiam quid iusti, & boni fuerat de peccante facturus, summa vtique diuinitate præsciuit.* Libro etiam primo contra Crescentium Grammaticum Donatistam cap. 8: loquēs de Iudæis, Pharisæis, & Saducæis, sic habet, *Et vtique nouerat, quia præscius erat, nihil ad*

eorum salutem, cùm hac adeos, vel in eos, vel aduersus eos diceret, profecturum. Insuper lib. 2. de Nuptiis,& Cōcupiscentia cap. 16. *Sicut enim, ait, de ipsius Diaboli malitia nouit ille, quid agat: & quod agit, iustum est, & bonum, quamuis sit, de quo agit, iniustus, & malus: nec eum propterea creare noluit, quia malum futurū esse præsciuit, &c.* Et libro de Correctione, & Gratia cap. 8. *De his enim, inquit, disserimus, qui perseuerantiam bonitatis non habent: sed ex bono in malum deficiente bona voluntate, moriuntur; respondeant, si possunt, cur illos Deus, cū fideliter, & piè viuerēt, nō tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum; & ne fictio deciperet animas eorum? vtrum hoc in potestate non habuit? an eorū mala futura nesciuit? nempè nihil horum, nisi peruersissimè, & insanissimè dicitur,* Libro item 11. de Genesi ad litteram cap. 1. *Sed præsciebat, ait, quid eorum esset voluntas mala, præsciebat sanè: & quia falli non potest eius præscientia. ideò non ipsius, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creauit, quos tales futuros esse præsciebat? quia, sicut præuidit, quid mali essent facturi, sic etiam præuidit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus.* & cap. 22. *Præsciens eum propria voluntate malum futurum, fecit tamen, nō abstinens bonitatem suam in præbenda vita, atq; substantia, futuræ etiam noxia voluntati: simul præuidens quanta de illo bona esset sua mirabili voluntate, & potestate facturus.* & in supplemēto, vt alia taceam, lib. 2. numero 142. *Posset enim, inquit, Omnipotens non creare, quos omnium rerum præscius, malos futuros ignorare non posset.*

158 In his omnibus adductis locis loqui Augustinum de præscientia futuri, non absolutè, sed conditionatè, nemo est, qui nō videat: loquitur nāq; de tali præscientia futuri, qua illa potuisset Deus siue Angelos, siue homines creare, aut nō creare: vel eis adimere, aut non adimere libertatē, vt euidens cuique est: futurum autem absolutè, nec per Deum fieri potest, vt non sit absolutè futurum: imò eo ipsò, quòd posset non esse, esset possibile ad vtrumlibet, non futurum absolutè. Quod item est futurum absolutè, supponit suas causas absolutè futuras, sine quibus esse non potest futurum; causæ autem, nempè Angelus, & homo, ideò sunt futuræ, quia Deus ita voluit efficaciter creare: & supposito, quòd ita voluit, ridiculum esset dicere, quòd Deus posset non creare in suo determinato iam tempore. Loquitur ergo Augustinus de præscientia Dei, qua, quid vterque facturus esset, cognouit, si eos crearet, post quam cognitionem in potestate adhuc habebat, vt voluerit, vel noluerit creare.

159 Nunc ita argumentor. Augustinus talium futurorum conditionatè scientiam in Deo tanta securitate admittit, vel tamquam quid certum, & inconcussum supponit, vt peruersissimum, atque insanissimū asserat extimandum, qui eam negaret, vt patet ex loco citato de Correctione, & Gratia: atqui, si hæc scientia præsupponere deberet decretum actuale in Deo, quod requirunt Thomistæ, & oppugnantes scientiam mediam, potiùs insanus esset extimādus, qui talem scientiam admitteret in casibus, de quibus loquitur Augustinus; ergo hanc præscientiam non fundauit Augustinus in similibus somniatis decretis, sed in veritate ipsa rerum secundùm se, qualē docent Assertores scientiæ mediæ. Probo minorem. Tùm ex Apostolo ad Rom. 11. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit*; & prima ad Corinth. 2. *Ita, & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Tum ex eodem Augustino lib. 12. de Ciuitate cap. 15. vbi, *Affirmare*, inquit, *aliquid pertimesco: quia & me ipsum intueor, & scriptum recolo, quis hominum potest scire consilium Dei? aut quis potuerit cogitare, quid velit Dominus?* & lib. 21. capit. 24. *Frustrà itaque homo*, ait, *positus in hoc corpore, occultorum iudiciorum Dei sibi notitiam arrogare præsumit.* Contra Faustum Manichæum item libro 26. cap. 4. *Vtrum*, inquit, *futurum sit, nescio, & ideò nescio. quia quid habeat de hac re diuina voluntas, me latet*, Ac tandem lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione in fine, *Vbi enim*, ait, *de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarū certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinādo.* Quid autem nobis altius, quid obscurius, quid occultius diuinis iudiciis, & liberis decretis Dei secundùm se? Insanissimus ergo erit ille, qui sibi persuadet scire, quid liberè voluerit Deus, vbi nec effectus apparet talis voluntatis, nec de hoc Scriptura mentionem facit, vel reuelationem habet particularem: atqui futura conditionatè talia non sunt, vt seipsis omnibus nota fiant; reuelatio specialis de omnibus illis, de quibus loquitur Augustinus, nec facta Augustino præsupponi debet, nec ipsemet in reuelatione suam assertionem fūdat, cùm insanum dicat quēcumque, si talium futurorum in Deo scientiam negaret; in Scriptura item de nullo eorum, prout futuro conditionatè, fit mentio, sed ad summum de aliquibus, vt futuris absolutè, ad quæ impertinens est decretum conditionatum antecedens ex parte obiecti, cùm sufficiat absolutū; nec item omnia nominantur

nantur in Scriptura, vt futura absolutè; cùm etiam Augustinus impœnitentiam conditionatè præuisam asserat omnium eorum, qui diluuio deleti sunt, si vlterius vixissent, quę defacto nō fuit. Ergo nō nisi insanissimi potiùs iudicandi essent, qui scientiam, & decreta admitterent eorum futurorum, quæ admittit supra Augustinus; tantùm abest, vt insanissimus dici possit, qui in Deo talium futurorum scientiam negaret, vel nollet cōcedere, si pro tali scientia concedenda admitti deberent in Deo actualia decreta libera, de quibus iudicium, an sint, vel non sint in Deo, nonnisi insanissimè ferre posset. Ergo euidenter concluditur non fundasse Augustinum tantam certitudinem asserendi præfatorum futurorum præscientiā in Deo in decretis actualibus de illis, sed in eo, quòd euidens est nullam veritatem excogitabilem, & de qua Deus possit à creatura consuli, ipsum latere.

160 Respondent huic argumento, seu potiùs respondere possent ex eorum principijs Aduersarij, quòd, quamuis de præfatis futuris conditionatè nō fiat mentio in Scriptura, licet tamen ex ijs, quæ ex Scriptura cognoscimus decreta Dei, pertinentia ad suam actualem prouidentiam, iudicium ferre de alijs, quæ ad eandem prouidentiam pertinere possunt; & ex hoc prudentissimè admisisse Augustinum actualia decreta in Deo, atque scientiam eorum futurorū cōditionatè, de quibus locutus est in præcitatis locis.

161 Refugium hoc, sub quo occultari volunt aduersarij, ne manibus contrectabilem veritatem, vel inuiti cogantur fateri, certè non eis iuuabit. Vndè sic primò contra eos arguo. Ad actualem Dei prouidentiam impertinentia omninò sunt decreta actualia, vbi nihil actuale rebus præuisis additur: nō enim prouidentia est, vbi voluntas Prouisoris in nullam pœnitus vtilitatem resultat prouidendorum. Est enim prouidentia ex Angelico 1. par. quæst. 22. art. 1. in corpore, *ratio ordinandorum in finem*; si autem nihil actù est vi decreti diuini, quod aliquo modo conducat ad actualem consecutionem finis, aut saltem possit conducere, non habebit actù rationem ordinis ad finem, ergo non potest includi sub ratione prouidentiæ actualis. In prouidentia præterea sunt duo distinguenda, decreta videlicet, & ratio ordinandorum specialis pro vno, vel pro alio, & non pro omnibus, quæ est prouidentia specialis; & decreta, atque ratio ordinādorū vniuersalis, siue pro omnibus creaturis subiectis, qualis est prouidētia vniuersalis motus cœlorum, vt fiat variatio temporum; siue pro viuentibus, qualis est subministratio alimenti; siue pro hominibus omnibus, qualis est subministratio temporis laborandi, & temporis quiescendi: item rerum, quibus possint vestiri, defendi à frigore, calore, &c. vel tandem vniuersalis prouidentia pro omnibus prædestinatis, vltra specialem, & differentem, qua siue aliqui, siue singuli, speciali modo diriguntur ad finem.

162 Iuxtà autem modò dicta, in prouidentia suo proportionali modo vniuersali non arguimus ex vno decreto prouidentiali, cognito ex Scriptura, alia decreta libera similia, sed cognoscimus solùm idem decretū, vtpotè vniuersale, se extendi ad reliqua sub eodem ordine contenta; ideò namque vniuersale in suo ordine dicitur, quià se extendit ad reliqua sub eodem ordine contēta; circa verò prouidentias speciales insanissimum est arguere ex vno in aliud decretū sine ductu Scripturæ: quis enim non insanus est, qui expectet vocari à Domino Deo, quo modo ex speciali gratia vocauit Paulum, vel quo modo vocauit Apostolos, & cū quis non insanus erit, si doctrinam Euangelij nō vult ab homine, vel Scriptura addiscere, sed expectet à Deo doceri, sicut didicit Paulus? quis Rex, vel Monarcha non insaniret, si expectaret à Domino, ipso percutiente terram baculo quinquies, vel sexies, aut septies, vt consumet terras, & exercitus inimicorum, arguens ità Deum pro se statuisse, sicut statuerat percutiendam Syriam vsque ad internecionem, ad percussionem quinam, vel senam, aut septenam Ioas? Quis tandem, ne lōgior sim, non est censēdus insanus, si ex decreto Dei, quo statuerat se missurum duodecim legiones Angelorū ad deprecationē Christi filij, idem decretum arguat in Deo pro alijs: vel quòd, sicut promisit stabilitatem Regni Salomoni, si, quæ ei præceperat, obseruasset: ita etiā promisit cæteris Regibus? & sic dicendum in alijs prouidentijs Dei particularibus, quæ ideò particulares sunt, quia Deus eas habuit respectu quorum ei ita placuit, & insanissimus est, qui hanc Dei voluntatem ex proprio iudicio vult ex vno respectu aliorum arguere; vbi ergo est, quòd liceat nobis ex vno decreto Dei libero arguere ad alia, quæ nobis nec à Scriptura, nec ab effectibus innotescunt?

163 Sed adhuc fortiùs Aduersarios perstringo. Omnia libera decreta Dei, quæ ex Scriptura nobis innotescunt, siue absoluta omnimodè sint, siue conditionata ex parte obiecti, sunt de cōditionibus requisitis ab hominibus, qui defacto sunt, & dependenti-

bus ab eorum libera voluntate, quam cõstituit potentem suo actu ponere in statu absoluto effectum præuolitum à Deo conditionatè, & ideò spectant ad vniuersalem, vel specialem prouidentiam actualem hominum: Cæterùm totam peruoluat Aduersarij Scripturã, & videant, si inueniant reuelari in ea vel vnum Dei decretum actuale circa ea, quæ homines facturi erant, si diù vixissent. Reuelatam quidem inuenięt præscientiam Dei de eo, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectũ eius: non tamen quid decreuerit Deus, vt facturi essent, qui non ad hũc finem sunt rapti: sed vel in pœnam delictorum iam factorum, vel alio fine: decreta namque similia de futuris, quę facienda essent ab hominibus, si viuerent vltra, sed non victuris, nulli prorsus essent prouisoria, & sub ratione prouidentiæ cadere non possunt, cùm prouidentia alicui prouidere debeat de ordinandis in finẽ; ex quo ergo colligere potuit Augustinus, quòd præscierat Deus non fuisse conuertẽdos, sed permansuros in sua obstinatione, quos Deus diluuio deleuit: cùm potuerit Deus nihil determinare de illis, quos non erat conseruaturus?

164 Arguo secundò contra eãdem responsionem; quamuis ex Scriptura colligamus aliqua decreta cõditionata ex parte obiecti respectu aliquarum rerum, quæ fuissent, si creata voluntas cõditionem posuisset, qualia sunt decreta promissoria, vel comminatoria, explicata à numero 43. vsque ad 110. exclusiuè: nullum tamen adducere valebũt Aduersarij circa ea, quæ iam sunt prouisa à Deo, vt absolutè futura; ita vt de eodem, quod Deus defacto voluit, vel permissiuè prouidit, vt sit dependenter à talibus causis & circumstantiis, existentibus in suo determinato tempore, priùs idem, & cum dependentia ab iisdem causis, & circumstantiis præuoluerit cõditionatè. Certè de similibus decretis conditionatis ex parte obiecti, nec vestigium inuenient in Scriptura: essẽt enim decreta frustranea omninò, & ad prouidentiam actualem Dei impertinentia: quandoquidem quidquid prouidẽtiæ posset excogitari in decretis conditionatis de obiecto conditionatè volito, iam confertur actũ ei, cui prouidetur, per decretum actuale absolutum de eodem obiecto, & circũstantiis, e. g. per decretum absolutum Dei, quo defacto voluit creare Angelos, & Adã in talibus circumstantiis, & permittere aliquibus ex illis, sicut, & huic cadere, habetur defacto totum id, quod potuisset haberi per antecedens decretum conditionatũ, huiusmodi, volo permittere Angelos hos, & Adam casuros, si voluero creare: quid enim excogitari potest prouidentiæ actualis in hoc decreto, quòd actũ nõ sit in illo absoluto, volo creare hos Angelos, & Adã, & permittere eos casuros? nihil certè; inueniant ergo, si possunt Aduersarij in Scriptura vnum dumtaxat simile decretum, superuacaneum Deo, circa ea, quæ defacto sunt præuisa, vt absolutè futura. Ego crederem non reperiri hominem, rationi annixum, peruersissimum iudicantem, ac insanissimum illum, qui talia decreta, Deo superuacanea pro actuali prouidentia, negaret: sed potiùs crederem à quolibet cordato viro prudentem iudicari, qui talia decreta Deo, sapientissimo prouisori, negaret, aut nollet consiliarium fieri, si quid in his conditionatè voluerit, aut decreuerit Deus: atqui Augustinus ferè in omnibus locis à me adductis loquitur de præscientia conditionatorum, quæ deindè fuerunt defacto prouisa, sicut sunt casus Angelorum, & Adami, ac permissio Diaboli de tentando homine, & scientia non futuræ conditionatè perseuerantiæ eorum, qui defacto nõ perseuerarunt, de quibus est locus desumptus ex libro de Correctione, & Gratia; & peruersissimum, & insanissimum vocat eũ, qui aut negaret, aut nollet affirmare Deum præsciuisse tales non perseueraturos, si vltra viuerent; ergo non eum talem indicat, quia talia decreta in Deo negaret, qualia pro similibus obiectis, conditionatè prouidendis, requirunt Aduersarij actualia: sed quia aliundè notum euidenter supponit, nihil esse secundùm se à Deo incognoscibile in qualibet possibili combinatione taliter, vt interrogatus Deus, quid esset in tali, vel tali suppositione, non valeret respondere hoc potiùs, quàm illud futurum fore.

165 Arguo tertiò probando, quòd, tota Aduersariorum admissa responsione, non adhuc Augustinus censuram effugeret, quòd fieri voluerit consiliarius Dei, & iudicium ferre, quid voluerit Deus in his, vbi nihil notitiæ dãt nobis Scripturæ, si ad præscientiam futurorum conditionatè præsupponeret requiri decretum actuale, modo explicato ab Aduersarijs. Ex quo eò Augustinus se redderet maiori censura dignum, quò nolentes secum ipso Scrutatores fieri incomprehẽsibilium iudiciorum Dei, peruersissimos, & insanissimos vocaret: an autem, hæc de tam magno Ecclesiæ Doctore vel somniari possint à Catholicis, prudentiæ Lectorum relinquo iudicandum. Ita ergo probo assumptũ: aut Deo magis congruit; vt in ostẽdẽdo sua attributa, priùs voluerit ostendere suam bonitatem in volen-

do creaturas rationales effieaciter producere, cum earundem libertate, cæterisque donis, quæ ei complacuit dare, eleuando eas ad posse filios Dei fieri; aut saltem æquè congruum est simul voluisse efficaciter bonitatem suam demonstrare, & iustitiam punitiuam in peccata; vel tandem æquè indifferens est, vt vnam, aut alteram independēter ab altera demōstrare potuerit, vel voluerit. Cæterùm, quòd non possit Deus aliter velle sua attributa demonstrare, nisi inchoando à iustitia punitiua, chimericum est id somniare, cùm potiùs iustitia punitiua supponat in subiecto culpam puniendam; at verò velle bonum creaturæ, gratia esse potest, nihil in eo, cui præbēda est, supponēs. Si porrò Scripturam consulere velimus, quid priùs de facto ostendere voluerit Deus, semper reperiemus bonitatem anteponi iustitiæ, cùm de vtraque fit sermo, vt cùm dicitur, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Item, *bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem thesaurizas tibi iram in die iræ*; Item, *an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud, quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, &c.* & præcipuè Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diē malum*. Qui ergò indubitanter, & tutò assereret priùs Deum voluisse permissionem peccati, propter ostendendam suam iustitiam, quàm voluisse date esse homini, & reliqua bona in ostensionem suæ bonitatis, nonnè ipse fieret scrutator iudiciorum Dei, potiùs contra, quàm iuxtà modum loquēdi Scripturæ. Sed talis fuisset Augustinus, si pro præsciētia futuri cōditionati supponeret in Deo decretum actuale, ergo. Minor probatur ex locis ipsius supra adductis, in quorum pluribus patet Augustinum indubitanter asserere post scientiam de futuro peccato potuisse Deum, vel Angelos, vel homines non creare, ergo supponeret in Deo decretum permissiuum peccati in ostensionem iustitiæ punitiuæ, antequam Deus fuerit determinatus producere hominem, & communicare illi bona in ostensionem suæ bonitatis: quandoquidem, supposito hoc decreto, non potuit deindè Deus non create hominem potentia impeditiua præuisi peccati; ergo, si ad præuisionem futuri peccati supponeret decretum actuale in Deo sub conditione, si vellet creare Angelos, vel homines, iam priùs voluisset determinatè permissionem peccati propter ostensionem iustitiæ punitiuæ, quàm determinatus fuisset creare Angelos, & homines in ostensionem suæ bonitatis; ne ergo hæc attribuantur Augustino, omninò dicendū est, nunquam eū somniasse decreta, quæ ab Aduersarijs finguntur pro præuisione futuræ culpæ conditionatè, sed hanc antecessisse quodcumque decretum Dei actuale de permissione culpæ.

166 Respondere possent secundò, iuxtà Aduersariorum morem, Augustinum in præcitatis locis non fuisse locutum de effectibus, vt conditionatè futuris in se, & vi decreti permissiui, sed de inclinationibus causarū ad effectus, vt conditionatè cognitis.

167 Sed in primis Aduersarios interrogo, an loquatur Augustinus de inclinationibus causarum, vt infallibiliter coniunctis cum peccato ante actuale Dei decretum, & quātùm est ex parte sua, an verò de inclinationibus contingēter connexis. Si primum, ergo iam per scientiam mediam præuidetur effectus, vt futurus infallibiliter in sua causa, conditionatè accepta, & non vi decreti actualis. Si secundùm, non stat cum loco citato ex lib. 14. de Ciuitate cap. 27. *Nullo modo quidem, quod vinceretur, incertus: sed nihilominus prascius, &c.*

168 Contra secundo; Quia Angeli, & homo fuerunt creati à Deo recti, & non maiori inclinatione ad malum, quàm ad bonum; ergo ante peccatum non poterant præuideri potiùs peccaturi, quàm non peccaturi in maiori inclinatione ad malum, quàm ad bonum: esset enim non Dei præscientia, sed error; ergo non poterat Augustinus ita loqui.

169 Contra tertio, ex locis ipsis Augustini, ex quibus patet loqui de futuro peccato in se, & non in inclinatione causarum: non enim loquitur de inclinationibus causarū, cùm ait, *Nouerat quidem, quòd non se correcturi erant*: quia inclinationes sunt in nobis sine nobis, & non possumus eas auferre, vel corrigere, nisi per actus oppositos. Cùm item ait, *Quos nouit in malitia perseueraturos, dans pœnitendi spatium*: non enim spatiū datur ad pœnitendum de inclinationibus, sed de operibus malis actualibus. Item cùm dicit, loquens de præuiso peccato Adami, & Angelorum, *Nisi prior nosset, quibus eos bonorum vsibus accommodaret*, istos autem bonos vsus, qui sint, explicat lib. 14. cap. 27. subsequenter citato, quia videlicet ab Adami semine adiuto Dei gratia, *Idem ipse Diabolus fuerat Sanctorum gloria maiore vincendus*: vel, vt alibi docet, ad exercendos bonos: aut tandem, vt exemplo illorum humilitatem suam cognoscant, &c. hæc autē omnia nō sunt de peccato in inclinatione, sed in seipso. Rursus quando dicit, *Cùm Deus humani futuri casus non fuisset ignarus*, numquid casus est mala causę inclinatio, cui

tui, si resistatur, firmior redditur homo? Idem dico; cùm ait, *Sed ex bono in malum deficiente voluntate, moriuntur*: non enim sermonem habet de defectu voluntatis in causa, sed de eo loquitur Augustinus, propter quem tales damnantur; & tamen de his ipsis docet Augustinus, quòd Deus præsciẽtiam habuerat, & impedire poterat, si voluisset. Nonnè euidens est, quòd Aduersarii non veritatem, sed latebras quærunt in doctrina Augustini, vt quoquo modo sententiam propriam defendant.

CAPVT SEXTVM.

Alijs Augustini locis scientia media, tanquam quid apud eundem indubitatum, conuincitur.

NEque, quæ vsque modò dicta sunt, volo sufficiant ad stabiliendum apud Lectorum corda, quàm certum sit Augustinum, quam his temporibus vocamus mediam, eodem modo semper in Deo præsupposuisse, ac præsupponebat scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: sed pluribus adhuc euidentissimis textibus id ipsum cõuincam.

170 Probatur ergo insuper ex mente Augustini scientia media doctrina, quam tradit in libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21; vbi, loquens de libertate data homini, & de ea secundùm quòd permansit post originale, inter alia sic habet, *Postquam verò seductione Serpentis per Euam cecidit;* nimirùm Adam, & in eo omnes posteri, *naturæ bonum perdidit, pariter & vigorẽ arbitrij, non tamen electionẽ, ne nõ esset suum, quòd euitaret peccatum: nec meritò indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet vtique ad quærendam salutem arbitrij libertas, idest rationalis voluntas, sed admonente priùs Deo, & inuitante ad salutem; vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis; hoc est inspiratione Dei: vt autem consequatur, quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse liberè confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserente habemus: vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: vt adipiscamur, quod, acquiescendo admonitioni, cupimus; diuini est muneris: vt non labamur in adepto salutis munere; sollicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adiutorij; vt labamur potestatis nostræ est, & ignauiæ, &c.*

171 Ex his autem Augustini verbis diligenter cum ipso animaduertenda est differentia inter eligere, seu acquiescere, ac manũ dare vni præ alio ex duobus propositis, & inter operari: primum non conuenit, nisi potentiæ rationali, & discretiuæ: secundũ verò etiã conuenit cuilibet potentiæ actiuę in suo genere; hac distinctione autem posita asserit Augustinus, hominem deperdidisse quidem vires actiuas per peccatum originale in ordine ad operandum bonum; sed non vim electiuam: non quia possit eligere, qui operari non poterit, cùm etiã ipsa electio sit operatio voluntatis: sed quia non omnis operatio, etiam voluntatis, est electio: nam, vt infra patebit ex Angelico; voluntas non est electiua in ordine ad sibi amandum vltimum finem: potentia ergo electiua aliquid aliud importat præter posse operari: sed sine hoc non potest exire in actum; vndè, quia liberum arbitrium per peccatum deperdidit vires operandi, deperdidit vis electiua ipsa vigorem, seù vires, quæ requiruntur in electione: sed non deperdidit id, quod addit vis electiua supra vires operandi, taliter, vt statim ac adiũgantur ei vires præcisæ; quæ, cùm rationales non sint, nec vim electiuam secum deferant, ipsamet potentia libera arbitrij per id, quod ei remansit, sit electiua, secundũ quod vis electiua addit supra posse operari. Hoc est ergo, *post quàm verò* homo *seductione Serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum*, idest vires, naturæ per iustitiam originalem, & gratiam superadditas, *perdidit, pariter & vigorem liberi arbitrij*, vires nimirùm, quibus liberum arbitrium exire poterat in actum, *non tamen*, ait, *electionem*: quandoquidem, si aliundè haberet eligere, à quo restituta foret vis electiua, *non esset suum, quòd euitaret peccatum*, sed illius solùm, à quo esset vis electiua restituta: *nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset.*

172 Procedit præterea in supradicto loco sic distinguens inter eligere opus gratię, aut opus concupiscentiæ: siue inter acquiescere, & manum dare potiùs suadenti gratiæ, quam suadenti concupiscentiæ: & inter ipsum operari, vel agere, seù sequi suadentẽ gratiam, vt eligere det speciali modo libero arbitrio, operari verò speciali modo Deo; dicens, *Manet vtique ad quærendam salutem arbitrij libertas, idest rationalis voluntas, sed admonente priùs Deo, & inuitante*, vires subministrando, *ad salutem: vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei; vt autem consequatur, quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse liberè confitemur.* Et clariùs, *Initium*

tium ergo salutis nostræ, Deo miserente, excitãte videlicet, & vires subministrante nobis sine nobis, *habemus: ut acquiescamus salutiferæ inspirationi*, potiùs, quàm concupiscentiæ trahenti in oppositum, quod est eligere, *nostræ potestatis est: ut adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni, cupimus, diuini est muneris: ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est*, perseuerando in electione, *& cœlestis pariter adiutorij*, perseuerantis, ac permanentis. Quia ergo vires ad opera gratis, & misericorditer nobis Deus restituit, quas per originale amiseramus, quod eligimus, acquiescendo gratiæ suadenti, quod sequimur in opere, quod agimus, Dei est: sed quia per gratiam non restituitur nobis vis electiua, vt supra, eligere, & acquiescere gratiæ liberi arbitrii speciali modo est, supra quàm sit ipsum agere, & operari. Atqui ipsum operari non attribuitur speciali modo Deo, quia liberum arbitrium non etiam secundò agat, agente primò Deo, sed quia hoc agere bonum sua gratia gratis subministrat, non excludendo liberum arbitrium; ergo, si etiam ipsum eligere, & determinari ad bonum pariter priùs est à Deo, quàm à nobis, non esset cur non prorsus eodem modo tribuatur Deò, quod est explicitè contra locum citatum Augustini; iuxtà autem hanc doctrinam non erunt futura conditionatè cognoscibilia in Dei decreto determinante opus; ergo per scientiã mediam ratione veritatis conditionatæ rei in seipsa.

173 Hoc ipsum est quod docet Augustinus libro de Spiritu, & litt. cap. 34. cùm dicit: *Profectò & ipsum velle Deus operatur in nobis, & in omnibus misericordia eius præuenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est*. Quid quæso est, quòd, *ipsum velle Deus operetur in nobis: consentire autem, vel dissentire propriæ voluntatis est*? an illa particula, *autem*, cùm dicit, *consentire autem*, nihil restringit, nihil diuersificat: vt, & si velle nostrum Dei sit potiùs, quàm nostrum, consentire verò, vel dissentire quodã modo sit nostrũ potiùs, quã Dei? quia videlicet velle à utribus est, Deo præueniente, subministratis ex gratia; eligere autem, seù vni potiùs manum dare, quàm alteri, nostrum est, non secundùm id, quod dicit de opere, sed secundùm id, quod operi superaddit tò, eligere, quod per peccatum non amisimus, nisi secundùm vires, & vigorem operandi. Hinc adiungit Sanctus Doctor, *Quæ res non solùm non infirmat, quod dictum est, quid enim habes, quod non accepisti: verùm etiam confirmat, accipere quippe, & habere anima non potest dona; de quibus hoc audit, nisi consentiendo*. Ecce actum electionis nostræ simul, & doni Dei, in eligere potiùs velle, quàm nolle: sed audi Augustinum, *Et per hoc*, ait, *quid habeat, & quid accipiat, Dei est*, subministrantis ex gratia vires, *Accipere, autem, & habere*, non quidẽ mortuum, quale somniauit Lutherus: sed vitale, per electionem vitalem, *consentiendo*, ait Augustinus, *vtique accipientis, & habentis est*. Si autem eligere consentire potiùs, quàm dissentire, secundò est à nobis, Deo primò eligente, & dante determinatum consensum, non aliter esset nostrum, quàm sit etiam secundò nostrum ipsum velle, & ipsum donum operis; quis autem ita crassa minerua hæc audit, vt nõ uideat diuerso modo ex August. esse nostrũ vnũ, quã aliud.

174 Probatur secundò idem assertum ex alia doctrina, quam de libertate tribuit Augustinus lib. præmorato de Spiritu, & Littera cap. 31. vbi, quærens an fides, quæ est nostræ salutis exordium in operando, constituta sit in nostra potestate, distinguit priùs posse, & velle intersese, dicens, *Vndè nec, qui vult, continuò potest: nec qui potest, continuò vult: quia, sicut & volumus aliquando, quod non possumus: sic etiam possumus aliquando, quod nolumus*; aliqua præterea subiungit ad finẽ explicandi quid importet aliquid esse in potestate alicuius, & deindè concludit, *Quid igitur vltra quærimus: quandoquidem hanc dicimus potestatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi: vndè hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult, non facit*. Audiant nunc Aduersarij, qui doctrinæ Augustini volunt videri Sectatores, quomodo è regione huic loco opponitur sententia eorum de decretis prædeterminantibus. Duæ potentiæ profectò sunt intellectus, & voluntas, taliter, vt vnius actus sit omninò distinctus ab actu altèrius, licet intellectus subijciatur, cùm aliundè non impeditur, libero imperio voluntatis, sicut subijcitur oculus ad videndum, pes ad motum, & cæteræ potentiæ in ipsorum actibus. Pone ergo, quod, (sicut pluries Deus fecit cum Tyrannis, impediens potentias exteriores, nõ impedita eorũ mala voluntate, imperãte potentias,) ita nõ impedita voluntate ad velle, vel nolle credere, & determinante se volũtate ad actũ infidelitatis, Deus suo decreto determinet actum fidei, vel carentiã actus Infidelitatis in intellectu, non auferendo tamen potentiam ad oppositum: sicut ponunt Aduersarij in determinatione actus liberi. Numquid casum negabunt, quod experiuntur in Tyrannis respectu voluntatis, & cæterarum potentiarũ, & plus dabunt voluntati creatę respectu intellectus,

tellectus ??? possit scilicet mouere suo imperio; prout vult, & non ita Deus opponente se ei voluntate? an non de facto volenti efficaciter cogitare turpia, Deus, voluntate creata rebellante, infert in nobis sine nobis bonas, & pias cogitationes? sed ego nolo disputare de his: pone suppositionem in ambabus potentijs, siue per possibile, siue per impossibile; & vide, quòd suppositio est de diuersis, & non destruit seipsam: suppono namque actum voluntatis imperantem sufficientem ex se, si Deus nõ determinaret actum oppositum intellectus, & non simul pono, quod non sit actus imperans, sed quod actus intellectus impediatur à decreto Dei determinante intellectũ ad actum oppositum.

175 Tunc sic arguo; in tali casu, & si voluntas creata posset vtrumlibet ea proxima potentia, quam oretenus talem vocant Aduersarij, non stat definitio potestatis, tradita ab Augustino. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult, nõ facit*: quia vult actum infidelitatis, & non facit, nullatenus deficiente in illa posse, quod confingunt sufficere ad libertatem Aduersarij: sed per solam determinationẽ Dei de opposito, incompossibili cum effectu; ergo hæc decreti Dei determinatio, quodcumque imaginetur dare posse, etiam ad oppositum, quia determinatio est ad vnum, impedit potestatem voluntatis ad oppositum: sed non stat libertas sine potestate voluntatis ad vtrumlibet; ergo, si per tale decretum impeditur potestas, quam requirit Augustinus, vt actus fidei sit liber, eodem modo impedietur omnis alius actus, qui à voluntate fit, præcedente simili determinatione ad vnum, à ratione liberi.

176 Probatur tertiò eadem assertio ex capite 33. eiusdẽ libri de Spiritu, & Littera: quandoquidem totum fundamentum, in quo distinguntur Assertores scientiæ mediæ à Thomistis, & Scotistis in eo consistit, quòd illi nolunt in Deo decreta efficacia determinata ad vnum: sed ea volunt debere esse indifferentia ad vnum, vel alterum: & conditionata, si accedat videlicet consensus voluntatis creatæ: quamuis de cætero velint determinata ad vnum, vel alterum ex oppositis ita, vt non possit creatura agere extra omnem voluntatem Dei, benè verò extra voluntatem Dei de vno: Aduersarij verò similia decreta indifferentia, & cõditionata respuunt, & ea volunt absoluta, ac ex se efficacia, & determinata de vno. Atqui Augustinus loco citato decreta Dei astruit indifferentia ad duo, quorum alterũ non possit transgredi voluntas creata, non verò decreta determinata ad vnum; ergo probatur minor. *Vult autem Deus*, inquit præfato loco Augustinus, *Omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes, iustissimè iudicentur.* Nonnè agit Sanctus Doctor de puncto litis inter Assertores scientiæ mediæ, & reliquos ex opposito, qualis scilicet debeat esse volũtas ex parte Dei in ordine ad opus, quod vult, vt compleat, & non adimat liberum arbitrium creatæ voluntatis? Audiamus ergo ipsum spoliati proprio sensu, non præuenti, non excæcati: videamus quomodò explicet Dei volũtatem non adimere à nobis liberum arbitrium: *Quod, cùm fit*, sequitur, *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangeliò non credunt*; Quid est hoc; quod asserit infideles contra Dei voluntatem agere, qui omnia, quæcunque voluit, fecit in cælo, & in terra? Ita est, contra voluntatem Dei agunt, & non propterea Deus non facit quæcumque vult; sileas, & id te docebit Augustinus; *Nec ideò tamen*, subiungit, *eam vincũt, verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnabilibus implicant, experturi in supplicijs potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt; Ita voluntas*, ait, *Dei semper inuicta est: vinceretur autem, si non inueniret, quid de contemptoribus faceret, aut vllo modo possent euadere, quod de talibus ille constituit.* Vides ne, vndè sit, quòd semper Dei fiat voluntas, etiam quando homines contra illam agunt, quia videlicet non est absoluta voluntas de vno, cui contradicat liberum arbitrium creatum: sed disiunctiua, & conditionata de vno, vel altero, vt, & si liberum arbitrium videatur contra illam agere, secundùm quod est voluntas de vno, non sit tamen simpliciter contra illam, quod agitur: quia non est determinata de vno, sed indeterminata de vno, vel de altero? an voluntaria est hæc mea intelligentia? legas ipsummet Augustinum, se clariùs exemplo explicantem. *Qui enim*, subsequitur, *dicit v.g. volo, vt hi omnes serui mei operentur in vinea, & post laborem, requiescentes, epulentur, ita vt quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat.* Quid est, *ita, vt quisquis eorum, &c.* nonnè idem, ac dicere ità, volo, quod laborent, vt, si quis eorum laborare nolit, in pistrino semper molat? ideò concludit, *Videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pistrinum, contemnens effugerit.* Quare, si contempserit illud, volo,

non

non esset vincere voluntatem Domini sui: esset autem, si & illud contemnens, etiam pistrinum effugeret? nisi quia illud, volo, non est ad vnum, quo contempto, vincatur: sed ad vnum, vel alterum, vndè non vincitur, nisi in vtroque vincatur?

177 Addo, quòd, si hic decreta determinata excogitentur, tota rueret Augustini doctrina: falsum enim esset, quòd vinceretur voluntas Domini, etiam si voluntate eius contempta, pistrinũ seruus effugeret; quia id, quod seruus non faceret, ex voluntate efficaci Domini, determinantis illum ad oppositum, non faceret; non ergo ipse vinceret; non ipse priorem inefficacem Domini voluntatem contemneret: sed Deus voluntate propria efficaci suam antecedentem inefficacem impediret: & seruus voluntatem Dei inefficacem relinquerer, adimplendo efficacem.

178 Dicent forsan Aduersarij Augustinum in præcitato loco non habere sermonem de materiali operationum serui, sed de formali malitiæ, quam Deus nunquam voluit, nec determinauit, sed nec etiam impediuit: & ideò ob malitiam contemnitur Deus, nolens malitiam: sed non vincitur, quia pœnas non effugit, ita Deum contemnens.

179 Contra tamen est primò euidenter; nã, vel Deus sua prohibitione prohibet nobis solam malitiam actus, vel etiam ratione malitiæ prohibet positiuum. Si primum, quis est, qui malitiam amet, & non potiùs positiuum actus vellet, odio prosequendo malitiam, si sciret malitiam esse prohibitam, non positiuum actus? nullus ergo peccaret, si ipse amor positiui actus non diceret, quà amor positiui, indiuisibiliter carentiam rectitudinis; ratione ergo huius annexionis etiam positiuum actus prohibetur; ergo etiam ratione eiusdem positiuum actus est oppositum Dei voluntati, & vinceretur Deus, si, qui positiuum liberè poneret, sciens esse ipsi prohibitum, pistrinum posset effugere.

180 Vrgeo, nam non solùm Deus vult nullum esse infidelem, sed præterea vult omnes ad agnitionem veritatis venire; qui ergo præcisè physicam carentiam actus fidei ponit liberè, & sciens Deum velle ab eo fidem: per præcisum velle præfatæ carentiæ physicæ ponit aliquod, oppositũ Dei voluntati, & adhuc per physicum obiecti vinceret Dei voluntatem illã de fide, etiã si nulla alia supponeretur in Deo voluntas: & non per solam malitiam actus.

181 Insto, nam, si de solo nolle malitię esset Augustini doctrina, non cohærerent subsequentia verba, allata in exemplo, *Vt deindè quiescentes, epulentur*: quies enim est post laborem, non post carentiam nolitionis, nec epulare debetur negatiuè se habenti, sed positiuè operanti. Non ergo quando dicit Augustinus, *Volo, vt hi omnes serui mei laborent in vinea*, sensus est negatiuus, prohibens solam malitiam, quasi dicat, nolo, vt malitiosè non laborent: sed positiuus, volo, vt laborent, volo, vt credant: primo namque modo non cohærent, *vt deindè quiescentes, epulentur*: benè verò secundo, qui laborem positiuum operis supponit, & non ita primus purè negatiuus; ergo explicatio contenta in responsione frustranea est, & voluntariè adinuenta.

182 Contra est secundò à priori: quia malitia volitionis voluntatis creatæ in eo consistit, quòd recedat à debita rectitudine conformitatis ad diuinam voluntatem: sed implicat ista carentia rectitudinis in actu voluntatis creatæ, vbi efficaciori Dei voluntati conformatur; ergo implicat Deũ prohibere carentiam conformitatis, vbi in actu creatæ voluntatis est conformitas ad suum efficacius velle: atqui Deus nolens infidelitatem, inefficaciter non vult: efficaciter verò vult positiuum infidelitatis; ergo, qui ponit hoc positiuum, non habet carentiam conformitatis, nisi ad Dei voluntatem inefficacem, habet verò conformitatem absolutè ad Dei voluntatem; ergo non est quid Deus prohibeat in hoc actu, quando magis Deo volenti esset voluntatis creatæ disconformatio, si ipsum non poneret: etenim non ponendo, disconformaretur Deo efficaciter volenti.

183 Contra est tertiò: quia præfata distinctio explicitè aduersatur sensui Augustini cap. 31. eiusdem libri: cùm enim hoc nomen, voluntas, non importet in suo conceptu malitiam, nisi addatur, mala: tam enim perfectissimè est voluntas in ratione voluntatis, bona, quàm mala: consequẽter, dum simpliciter dicitur voluntas, substratum, & materiale voluntatis significatur, cui per tò mala, vel bona, additur formale malitiæ, vel bonitatis; cùm ergo, stante sententia, negante scientiam mediam, omnis voluntas sub ratione voluntatis sit prædeterminanda, & præuolenda à Deo, benè staret, quòd, sicut dicitur ad Romanos 13. *Non est potestas, nisi à Deo*, etiam loquendo de potestate naturali, taliter, vt etiã Pilato dixerit Christus, *Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset*: & defacto Apostolus loco citato de potestate principum temporalium

loquitur; ita etiam dicatur simpliciter, nō est voluntas, nisi à Deo. Ni fallor, discursus totus est legitimus. Atqui loco citato Augustinus, postquam ex Apostolo dicit, *Non est potestas, nisi à Deo*, subiungit, *nunquam autem legimus in Sanctis Scripturis, non est voluntas, nisi à Deo: & rectè non scriptum est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo*. Hic Aduersarij ad vnum adstringuntur concedendum, vel quòd scilicet discursus Augustini sit deficiens, dum infert, Deum Authorem futurum peccatorum, si non esset voluntas, nisi à Deo: non enim sermo suus est de voluntate, vt mala, sicut non est sermo de mala potestate, sed de potestate, & voluntate secundùm se simpliciter: quo pacto, si potest bene stare, vt materiale, & voluntas omnis simpliciter sit à Deo, absque eò, quòd indè sit author peccati, non benè discurreret Augustinus; vel velint nolint, concedant opus est, numquam in mentem Augustino incidisse, quòd à Deo possit determinari materiale voluntatis, & non esse etiam author formalitatis malitiæ inseparabilis.

184 Probatur quartò, ex doctrina, quam tradit Augustinus libro 3. de libero arbitrio cap. 17. & 18. vbi postquā sciscitanti, quæ nam sit causa malæ voluntatis, respōderit, aliam non esse, nisi eandem ipsam voluntatem, cupiditatibus affectam; & illo non adhùc satisfacto, ac iterum replicante, & inquirente, vt paucis à similibus se expediret replicationibus, ait, *Sed nescio, cur aliud te quærere libet. denique quæcumque est illa causa voluntatis, aut iusta profectò est, aut iniusta; si iusta, quisquis ei obtemperauerit, non peccabit: si iniusta, non ei obtemperet, & non peccabit; an fortè violenta est, & cogit inuitum? Num eadem toties replicaturi sumus? reminiscere superiorum, quæ à nobis tàm multa de peccato, & voluntate libera dicta sunt: sed, si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene. Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur*. Duplici via, & medio ex hoc Augustini loco intentum meum de scientia media stabilio.

185 Primò quidem ita, *Quæcumque est causa voluntatis, aut iusta profectò est, aut iniusta: si iusta, quisquis ei obtemperauerit, non peccabit*. Sed Deus per Aduersarios est causa omnis nostræ voluntatis, huius potiùs, quàm illius, apud quem non est iniustitia, ergo creata voluntas determinans se secūdò in id, ad quod fuit efficaciter à Deo prædeterminata per suum velle, Dei voluntati obsequitur, obtemperat, se conformat; ergo non peccat. Quod est argumentum supra factum à priori num. 182. & nunc conuincitur ex Augustino.

186 Quod, si quis dicat, hominem non peccare, quia vult materiale actuum prohibitorum, sed quia vult formale. Jam loco citato probaui non dari formale malitiæ consistens in carentia debitæ conformitatis ad voluntatem Dei, vbi voluntas creata quærit se conformare magis Deo volenti efficaciter, quàm inefficaciter. Et hic ex eodem Augustino lib. in Leuiticum cap. 24. addo neminem prorsus posse velle malitiam, nisi præcisè quia vult actum; ergo, si hoc est velle malitiam, quod est velle positiuum actus, hoc esset velle malitiam, velle id per quod conformatur voluntas creata Dei voluntati; quis autem non videt has laruas, & chimeras sequi ex doctrina Aduersariorum. Antecedens ergo probo ex Augustino loco citato, sic enim habet, *Nam, si diligenter considcretur, ipsum peccare nemo vellet, sed propter aliud fit, quod vult, qui peccat; omnes quippe homines, qui scienter faciunt, quod non licet, vellent licere: atque adeò ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod ex eo consequitur*. Et ratio est euidens, quia malum, vt malum non est volibile, & ideò non potest ratione sui appeti, sed solùm ratione boni appetibilis, à quo separari nō potest.

187 Quod si dicas 2. nobis notam esse volūtatem Dei prohibentem actum furti v. g. non verò, quòd in nobis prædeterminauerit actum furandi, & ideo, dum quis furatur, scit contra voluntatem Dei agere, non verò, quod conformiter ad Dei volūtatem: ac propterea peccare. Contra, quia licèt nesciat tur antecedenter ad furtum, quid in ipso determinatè voluerit Deus, sciret tamen nihil determinatè velle, quod non sit præuolitum à Deo; ergo dum se determinat ad quodcumque, scit iuxtà Dei voluntatem esse suam determinationem: & dum furtum determinat, scit ita præuoluisse Deum: numquam ergo peccaret, quia numquam ageret sciens, vel volens, contra voluntatem Dei. Addo, quòd saltem post actum scit ita fuisse Dei voluntatem; posset ergo delectari de facto turpi in hoc, quòd illud faciens, voluntatem Dei fecerit. Quis hæc considerans, non respuat sententiam, vndè sequuntur, cogitans ex hac sententia vnum infallibiliter ex his concedendum fore, quòd videlicet Deus efficaciter velit in nobis, quod nobis prohibet: nosque peccaturos, vbi magis Dei voluntatem

tatem exequimur, quàm exequamur, si stâte eadem Dei voluntate non poneremus: vel quòd nunquam peccaremus, cùm nũquam recedamus à sua efficaci voluntate.

188 Quòd, si dicas tertiò simile argumentum fuisse oppositum Augustino à Pelagianis, dicentibus, quod fideles, dum petunt in oratione Dominica, vt fiat volũtas Dei in cœlo, & in terra, peterent, vt fiat ipsis, quòd prænoluisset Deus, scilicet cadant, & ruant: eò quòd talis fuisset antecedens Dei voluntas; vt nimirùm aliqui perirent morte æterna. Sed contra, quia Pelagiani obijciebant Augustino, quòd ipse numquam asseruerat, Deum videlicet præuoluisse casum, vel ruinam aliquorum, qui, quantùm est ex parte sua, vult omnes homines saluos fieri, & nulli prædeterminat id, à quo homines ruinã, & casum separare non possent. Sed ego non attribuo Aduersarijs quidquam, quod non concedant; dico enim, Deus per eos vult efficaciter materiale furti, hæc est ipsorum doctrina; ex hoc infero, qui vult ergo materiale furti, & physicam illius vtilitatem, exequitur in hoc Dei voluntatem; ergo nihil est in hac voluntate formale malitiæ, consistens in disconformitate ad Dei voluntatem; quisque ergo posset omnia, prohibita inefficaciter, facere, intendens exequi voluntatem Dei efficacem, & non peccare. Respondeant Aduersarij, vt respondet Augustinus, & non eis opponetur, quod nunc obiicitur. Videant quid respondeat Augustinus, *Qui à pietate deficiunt, non ex Dei opere, ex sua voluntate deficiunt*; Item, *Quamdiù in oratione Dominica dicunt fiat voluntas tua, non hoc contra se petunt, quod Deus nulla ratione facturus est, vt cadant, & ruant: hæc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consumata libertas*. Dicant etiam Aduersarij, nullum opus est nobis à Deo, ex se infallibiliter connexum cum hominis ruina, & ita negabunt physicum actus esse à Deo præuolitum, à quo non potest homo separare malitiam: si enim separabilis esset, hæc ab illo, futuritio peccati non posset cognosci, vt infallibiliter connexa cum decreto isto Dei, quod vocant permissiuum. Dicant etiam, nihil Deus facturus est vlla ratione, vnde cadant, & ruant: & sic non prædefiniet Deus materiale, secum ineuitabiliter trahens casum, & ruinam, cùm non possit homo velle materiale actus, & separare illud à casu, & ruina; cæterùm, si nolint Deo negare id, ex quo infallibili connexione infertur aliud, quid mirum, si quod falsò Pelagiani attribuebant Augustino, non falsò, sed verè eis attribuatur?

189 Secundò ex eodẽ loco sic arguo, *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ceditur*. Verba sunt hæc Augustini, in quibus locum non habet sensus compositus, & diuisus; cùm enim dicitur, *Si non potest ei resisti*, in ordine ad illam, vt voluntatem afficientem, fit consideratio, qui est sensus compositus: atqui Deo efficaciter præuolenti nemo potest resistere; ergo Deo præuolente materiale furti, blasphemiæ, &c. sine peccato cedit voluntas creata, idem amplectendo.

190 Respondent Aduersarij, paucis se expedientes ab hoc argumento, dicendo Augustinum loqui de causa cogente, & facientе voluntatem crearam inuitam operari: non verò de causa purè prædeterminãte, & non cogente, qualis est Deus: hoc autem, aiunt, euidenter patet; nam ad præfata verba argumenti hæc alia fecerat Augustinus præcedere, *An fortè violenta est, & cogit inuitum?* de hac ergo causa deindè asserit, quæ supra.

191 Sed ecce ob verbũ æquiuocũ statim in promptu tegumentum veritatis doctrinæ Augustini, relictis reliquis, quæ germanam mentem illius insinuant. Sciunt benè Aduersarij ex similibus verbis æquiuocis coactionis, & violentiæ apud Augustinum fucos sumere Ianſenium, vt non aliam admittat in hominibus post lapsũ libertatẽ, nisi à coactione, & violẽtia, quãdo Augustinus his terminis vtitur lato modo, iuxtà cõmunẽ vsũ pro eodẽ, ac determinatione ad vnũ. Nolo tamẽ, vt litigemus verbis, accedamus ad factũ, vt appateat quis Augustinũ, prout sibi placet, interpretetur. Dixerat ante prædicta verba Augustinus, causã malæ voluntatis esse ipsãmet improbã volũtatẽ, hoc est cupiditatibus affectam: *Hæc autem, ait, auaritia cupiditas est, cupiditas porrò improba voluntas est, ergo improba voluntas malorũ omnium causa est*. Ad quæ subiungit Augustinus, se interrogans: *Tu autem si huius radicis causam requiris, quomodo erit ista radix omnium malorum? illa enim erit, quæ causa huius est, quam, cùm inueneris, etiam ipsius causam quæsiturus es, & quærendi nullum habebis modum*. Et ad hæc connectit, quæ in principio adduxi ex Augustino pro argumento: ex quibus patet, quod, ea, quæ dicit, *An violenta est, & cogit inuitum?* de cupiditate, & concupiscentia asserit: cui in fine capite 18 adiungit ignorantiam vincibilem; sic loquens: *Nam sunt re vera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas: ex ignorantia dehonestat error,*

ram, ita nec impedit correctionem, qua ipsamet voluntas incitetur, & qua forsan mediante sit voluntas operatura. At verò prædestinatio omne exercitium libertatis præcedēs, sua infallibilitate traheret opus, ideoque eius prædicatio esset valdè diuersa à prædicatione præscientiæ, & paritas omninò claudicaret. Si verò supponatur præscientia media ad prædestinationem, qua Deus precognouisset, quòd cùm aliquis corrigeretur, & tribueretur talis gratia, operaretur benè, & ideò vellet eū ita operaturum cum tali gratia, & cum tali correctione, paritas omninò curreret; ergo dicēdum est hoc modo in præfato discursu locutum fuisse Augustinum, qui alibi dicit. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat*, atque ità prædestinatio presupponens præscientiā de futuro opere libero conditionatè, media etiam correctione, locum non præripit correctioni, sicut non præripit præscientia.

197 Probatur sextò idem assumptum ex doctrina, quam innumeris locis insinuat Augustinus, quorum tamen sufficiat hic aliqua adducere; lib. ergo de prædestinatione, & gratia cap. 4. in illud Apostoli, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* hæc pro eiusdem loci germana intelligentia monet aduertenda, *Non ita intelligendum est*, ait, *quasi Deus in homine ipsam, quæ non esset, duritiem cordis operetur; indurare enim Deus dicitur, quem mollire noluerit; sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit; sic repellere eum, quem vocare noluerit.* Pari modo monet lib. 2. in Exodum num. 36. supra illud, *Ego enim grauaui cor eius, & seruorum eius, vt ordine superueniant signa mea hæc super eos*, ita scribens, *Sed sic intelligendum est, ac si diceret, ego enim patiens fui super eum; & seruos eius, vt ordine superueniant signa mea hæc super eos: quia cum patientia Dei obstinatior fiebat malus animus; ideò pro eo, quod est patiens fui, dicitur, grauaui cor eius.* Et sermone tandem 88. de tempore regula vniuersali similem indicit aduertentiam. *Hoc ergo*, inquit, *definitissimè credite fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit, ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit, nisi, ego, inquit, suspendo plagas meas, & flagella, vnde eum per indulgentiam meam contra me indurari permitto.*

198 Et quamuis libro 5. contra Iulianum cap. 3. refellat Augustinus eundem hæreticum in eo, quòd illud Apostoli ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt*, explicabat, quòd Deus dicitur ita tradere, deserendo, seu non-puniendo statim, sed suspendendo plagas, & debitas pœnas; hoc nihilominus non opponitur doctrinæ antecedenti, imò in eodem loco etiam ipsam denuò tradit per hæc verba, *Cùm ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, indè fit reus, quòd desertus à Deo, cedit eis, atque consentit, vincitur, trahitur, capitur, possidetur.* Impugnat autem in prælibato loco Iulianum Pelagianum Augustinus in eo, quòd desertionem istam Dei, vel plagarum suspensionem adstruebat omnimodè suspēsiuam vindictæ ex parte Dei, nihil includentem pœnale, nimirùm quòd, cùm, iuxtà eorum hæresim, nō admittebatur peccatum originale, asserebant, quòd homines non indigebant gratia Christi ad benè operandum: sed ad id sufficere naturam; nec admittebant concupiscentiam insurrexisse in pœnā peccati, sed eam volebant esse quid bonum, traditū à Deo ad finem prolis: ideòque non concedebant tradi à Deo Peccatores concupiscentijs suis, auferendo gratiam, & iustitiā originalē, qua soporabantur concupiscentiæ, sed solùm tradi dicebant, quatenus Dei patientia expectantur, vt conuertantur, & ipsi peiores fiunt contra quod Augustinus præcipuè vrget illis verbis orationis Dominicæ: *Ne nos inferas in tentationem*, inculcans, quòd, si Deus non alio modo infert in tentationem; nisi expectando, & suspēdendo plagas, fideles in præfatis verbis, festinā contra se exposcerent vindictam. Hanc ergo desertionem Dei purè suspensiuā debitæ pœnæ, impugnat ibi Augustinus, sed non desertionem, adhuc negatiuam; per ablationem gratiæ, ex cuius ablatione cōcupiscentię, quæ supponuntur in homine, vel ex originali; vel etiam auctæ ex habitibus malis, potentiores euadunt. Cæterùm firmum manet, quòd concupiscentiæ ipsæ non sunt, quasi noua passio ad malum, datæ in pœnam peccati; vt *Deus ipsam, quæ non esset, duritiem cordis operetur*: esset nāque Deum implanare homines in peccata. his autem ex Augustino suppositis.

199 Argumentor ita: durities ista cordis, vel excæcatio, &c. non hominem inclinat, vel trahit ad formale culpæ, quam nemò vellet, si posset: sed ad positiuam delectationem, vel vtilitatem physicam actuū, quibus annexa est malitia carentiæ conformitatis ad Dei voluntatem: nec tamen ex se connexa est infallibiliter cum tali positiuo actuum, sed solùm inclinat, & facilitat ad eos: & nihilominus Augustinus alienum à Dei bonitate, & æquitate existimat Deum præstare, etiam in pœnam peccati, id, quod inclinat ad materiale peccati; quia eo modo,

do, quo inclinaret ad materiale, inclinaret ad formale ab eo inseparabile: sin assignēt Aduersarij, quare Deus ad tale materiale non potest qualitatē dare inclinantem; ergo multominùs non poterit ad tale materiale infallibilitare, & firmare suo antecedenti infallibili decreto; omnis namque ratio excludens illud, maiori modo excludit hoc, vt cuilibet ex terminis patet.

CAPVT SEPTIMVM.

Speciali alia ratione scientia media conuincitur, tamquam de mente Augustini.

200 IAm sæpè explicatum est totum discrimen inter Assertores sciētiæ mediæ, & eiusdem oppugnatores in eo situm esse, quòd isti volunt nihil posse in se esse futurum, & vt tale consequenter à Deo cognosci, nisi decreto actuali Dei, illud efficaciter prædeterminante, simul & voluntatem creatam; illi verò dicunt, Deo, indifferenter præparato ad vtrumlibet, posse aliquod esse existens, vel futurum ex præcisa determinatione voluntatis creatæ, ac consequenter vt tale à Deo cognosci, non in Dei decreto, sed in se ipso; & cum quid cognoscitur, vt conditionatè futurum, si non vi decreti Dei, sed vi determinationis creatæ voluntatis, vt futurum conditionatè cognoscitur, hoc erit cognoscere per scientiam mediam: vt diffusè explicaui à numero 35. Si ergo conuincam ex Augustino aliquod futurum, imò existens, non vi diuini decreti antecedentis, sed vi liberi arbitrij creati, conuincam iam scientiam mediam esse, & fuisse ex mente Augustini; ad id accingor.

201 Edisserens Augustinus in libro de correctione, & gratia de bono perseuerantiæ, sibi difficultatem proponit cap. 10. an, & quomodo Adam, cùm à Deo fuit creatus rectus, donum perseuerantiæ acceperit, si iam non perseuerauit, sed cecidit? Et vt talem difficultatis nodum resoluat, agens de Adamo, pari modo agit de rectitudine, in qua fuerunt à Deo creati Angeli omnes: ex quibus aliqui in eadem permanserunt, alij uerò ceciderunt, vt etiam de his explicet, an, & quomodo donum perseuerantiæ acceperint? Pro hac autem resoluenda difficultate, ita discursum suum inchoat, *Quapropter saluberrimè confitetur, quod rectissimè credimus, Deum, Dominumque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura esse præsciuit: & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere: sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium: deindè quid posset suæ gratiæ beneficium.* Neminem, crediderim, ita nebulis passionum obtundi, vt non videat aliquam differentiam in modo operādi præstitisse Deum Adam ante peccatum, ac etiam Angelis, in quibus voluit, ex Augustino, priùs ostendere, non quid posset specialiter suæ gratiæ beneficium, sed eorū liberum arbitrium, ab eo, quem præstitit post casum Electis ad ostendendum in his, non quid posset liberum eorum arbitrium, sed speciale suæ gratiæ beneficium: si enim pari modo dedisset illis, ac istis modum operandi, pari modo ostendisset, in illis, ac istis, quid eorum possit liberum arbitriū, vel suæ specialis gratiæ beneficium; nec esset, per quod ita potuisset distinguere Augustinus, vt dicat, *Sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberū arbitrium, deindè quid posset suæ gratia beneficium.*

202 Nota tamen beneficium hoc gratiæ, quod deindè post casum voluit in hominibus ostendere, non esse collationem gratiæ, vt sic præcisè, quasi Adamo, & Angelis gratiam indebitam non dederit, subleuantem eos ad posse supernaturaliter operari. Vide namque quid circa hoc dicat Augustinus cap. 11. *Quid ergo*, ait, *Adam non habuit Dei gratiam? imò verò habuit magnam, sed disparem.* & rationē assignat infra, dicēs, *Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* & post pauca idem asserit etiam de Angelis his verbis, *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quamprimùm facti sunt, defuisset: quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset permanere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Vtrobique ergo ex Augustino requiritur gratia eleuans, indebita, & gratuitò data: vtrobique præterea libertas arbitrij, cùm etiam Sancti post lapsum liberè operentur; at beneficium gratiæ non est vtrobique æquale, sed dispar, atque tale, vt in primo ordine vitæ hominum, & Angelorum non talis fuerit gratia, quòd ostenderit Deus posse illius, sed posse liberi arbitrii: in gra-

tia

bus ab eorum libera voluntate, quam cōstituūt potentem suo actu ponere in statu absoluto effectum præuolitum à Deo conditionatè, & ideò spectant ad vniuersalem, vel specialem prouidentiam actualem hominum: Cæterùm totam peruoluāt Aduersarij Scripturā, & videant, si inueniant reuelari in ea vel vnum Dei decretum actuale circa ea, quæ homines facturi erant, si diù vixissent. Reuelatam quidem inueniēt præscientiam Dei de eo, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectū eius: non tamen quid decreuerit Deus, vt facturi essent, qui non ad hūc finem sunt rapti: sed vel in pœnam delictorum iam factorum, vel alio fine: decreta namque similia de futuris, quę facienda essent ab hominibus, si viuerent vltra, sed non victuris, nulli prorsus essent prouisoria, & sub ratione prouidentiæ cadere non possunt, cùm prouidentia alicui prouidere debeat de ordinandis in finē; ex quo ergo colligere potuit Augustinus, quòd præscierat Deus non fuisse conuertēdos, sed permansuros in sua obstinatione, quos Deus diluuio deleuit: cùm potuerit Deus nihil determinare de illis, quos non erat conseruaturus?

164 Arguo secundò contra eādem responsionem; quamuis ex Scriptura colligamus aliqua decreta cōditionata ex parte obiecti respectu aliquarum rerum, quæ fuissent, si creata voluntas cōditionem posuisset, qualia sunt decreta promissoria, vel comminatoria, explicata à numero 43. vsque ad 110. exclusiuè: nullum tamen adducere valebūt Aduersarij circa ea, quæ iam sunt prouisa à Deo, vt absolutè futura; ita vt de eodem, quod Deus defacto voluit, vel permissiuè prouidit, vt sit dependenter à talibus causis & circumstantiis, existentibus in suo determinato tempore, priùs idem, & cum dependentia ab iisdem causis, & circumstantiis præuolucrit cōditionatè. Certè de similibus decretis conditionatis ex parte obiecti, nec vestigium inuenient in Scriptura: essēt enim decreta frustranea omninò, & ad prouidentiam actualem Dei impertinentia: quandoquidem quidquid prouidētiæ posset excogitari in decretis conditionatis de obiecto conditionatè volito, iam confertur actū ei, cui prouidetur, per decretum actuale absolutum de eodem obiecto, & circūstantiis, e. g. per decretum absolutum Dei, quo defacto voluit creare Angelos, & Adā in talibus circumstantiis, & permittere aliquibus ex illis, sicut, & huic cadere, habetur defacto totum id, quod potuisset haberi per antecedens decretum conditionatū, huiusmodi, volo permittere Angelos hos, & Adam casuros, si voluero creare: quid enim excogitari potest prouidentiæ actualis in hoc decreto, quòd actū nō sit in illo absoluto, volo creare hos Angelos, & Adā, & permittere eos casuros? nihil certè; inueniant ergo, si possunt Aduersarij in Scriptura vnum dumtaxat simile decretum, superuacaneum Deo, circa ea, quæ defacto sunt præuisa, vt absolutè futura. Ego crederem non reperiri hominem, rationi annixum, peruersissimum iudicantem, ac insanissimum illum, qui talia decreta, Deo superuacanea pro actuali prouidentia, negaret: sed potiùs crederem à quolibet cordato viro prudentem iudicari, qui talia decreta Deo, sapientissimo prouisori, negaret, aut nollet consiliarium fieri, si quid in his conditionatè voluerit, aut decreuerit Deus: atqui Augustinus ferè in omnibus locis à me adductis loquitur de præscientia conditionatorum, quæ deindè fuerunt defacto prouisa, sicut sunt casus Angelorum, & Adami, ac permissio Diaboli de tentando homine, & scientia non futuræ conditionatè perseuerantiæ eorum, qui defacto nō perseuerarunt, de quibus est locus desumptus ex libro de Correctione, & Gratia; & peruersissimum, & insanissimum vocat eū, qui aut negaret, aut nollet affirmare Deum præsciuisse tales non perseueraturos, si vltra viuerent; ergo non eum talem indicat, quia talia decreta in Deo negaret, qualia pro similibus obiectis, conditionatè prouidendis, requirunt Aduersarij actualia: sed quia aliundè notum euidenter supponit, nihil esse secundùm se à Deo incognoscibile in qualibet possibili combinatione taliter, vt interrogatus Deus, quid esset in tali, vel tali suppositione, non valeret respondere hoc potiùs, quàm illud futurum fore.

165 Arguo tertiò probando, quòd, tota Aduersariorum admissa responsione, non adhuc Augustinus censuram effugeret, quòd fieri voluerit consiliarius Dei, & iudicium ferre, quid voluerit Deus in his, vbi nihil notitiæ dār nobis Scripturæ, si ad præscientiam futurorum conditionatè præsupponeret requiri decretum actuale, modo explicato ab Aduersarijs. Ex quo eò Augustinus se redderet maiori censura dignum, quò nolentes secum ipso Scrutatores fieri incomprehēsibilium iudiciorum Dei, peruersissimos, & insanissimos vocaret: an autem, hæc de tam magno Ecclesiæ Doctore vel somniari possint à Catholicis, prudentiæ Lectorum relinquo iudicandum. Ita ergo probo assumptū: aut Deo magis congruit; vt in ostēdēdo sua attributa, priùs voluerit ostendere suam bonitatem in volendo

do creaturas rationales efficaciter producere, cum earundem libertate, cæterisque donis, quæ ei complacuit dare, eleuando eas ad posse filios Dei fieri; aut saltem æquè congruum est simul voluisse efficaciter bonitatem suam demonstrare, & iustitiam punitiuam in peccata; vel tandem æquè indifferens est, vt vnam, aut alteram independẽter ab altera demõstrare potuerit, vel voluerit. Cæterùm, quòd non possit Deus aliter velle sua attributa demonstrare, nisi inchoando à iustitia punitiua, chimericum est id somniare, cùm potiùs iustitia punitiua supponat in subiecto culpam puniendam; at verò velle bonum creaturæ, gratia esse potest, nihil in eo, cui præbẽda est, supponẽs. Si porrò Scripturam consulere velimus, quid priùs defacto ostendere voluerit Deus, semper reperiemus bonitatem anteponi iustitiæ, cùm de vtraque fit sermo, vt cùm dicitur, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Item, *bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem thesaurizas tibi iram in die iræ*; Item, *an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud, quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, &c.* & præcipuè Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diẽ malum.* Qui ergò indubitanter, & tutò asfereret priùs Deum voluisse permissionem peccati, propter ostendendam suam iustitiam, quàm voluisse dare esse homini, & reliqua bona in ostensionem suæ bonitatis, nonnè ipse fieret scrutator iudiciorum Dei potiùs contra, quàm iuxta modum loquẽdi Scripturæ. Sed talis fuisset Augustinus, si pro præsciẽtia futuri cõditionati supponeret in Deo decretum actuale, ergo. Minor probatur ex locis ipsius supra adductis, in quorum pluribus patet Augustinum indubitanter asserere post scientiam de futuro peccato potuisse Deum, vel Angelos, vel homines non creare, ergo supponeret in Deo decretum permissiuum peccati in ostensionem iustitiæ punitiuæ, antequam Deus fuerit determinatus producere hominem, & communicare illi bona in ostensionem suæ bonitatis; quandoquidem, supposito hoc decreto, non potuit deindè Deus non creare hominem potentia impeditiua præuisi peccati; ergo, si ad præuisionem futuri peccati supponeret decretum actuale in Deo sub conditione, si vellet creare Angelos, vel homines, iam priùs voluisset determinatè permissionem peccati propter ostensionem iustitiæ punitiuæ, quàm determinatus fuisset creare Angelos, & homines in ostensionem suæ bonitatis; ne ergo hæc attribuantur Augustino, omninò dicendũ est, nunquam eũ somniasse decreta, quæ ab Aduersarijs finguntur pro præuisione futuræ culpæ conditionatè, sed hanc antecessisse quodcumque decretum Dei actuale de permissione culpæ.

166. Respondere possent secundò, iuxtà Aduersariorum morem, Augustinum in præcitatis locis non fuisse locutum de effectibus, vt conditionatè futuris in se, & vi decreti permissiui, sed de inclinationibus causarũ ad effectus, vt conditionatè cognitis.

167. Sed in primis Aduersarios interrogo, an loquatur Augustinus de inclinationibus causarum, vt infallibiliter coniunctis cum peccato ante actuale Dei decretum, & quãtùm est ex parte sua, an verò de inclinationibus contingẽter connexis. Si primum, ergo iam per scientiam mediam præuidetur effectus, vt futurus infallibiliter in sua causa, conditionatè accepta, & non vi decreti actualis. Si secundùm, non stat cum loco citato ex lib. 14. de Ciuitate cap. 27. *Nullo modo quidem, quod vinceretur, incertus: sed nihilominus præscius, &c.*

168. Contra secundò; Quia Angeli, & homo fuerunt creati à Deo recti, & non maiori inclinatione ad malum, quàm ad bonum; ergo ante peccatum non poterant præuideri potiùs peccaturi, quàm non peccaturi in maiori inclinatione ad malum, quàm ad bonum: esset enim non Dei præscientia, sed error; ergo non poterat Augustinus ita loqui.

169. Contra tertiò, ex locis ipsis Augustini, ex quibus patet loqui de futuro peccato in se, & non in inclinatione causarum: non enim loquitur de inclinationibus causarũ, cùm ait, *Nouerat quidem, quòd non se correcturi erant*: quia inclinationes sunt in nobis sine nobis, & non possumus eas auferre, vel corrigere, nisi per actus oppositos. Cùm item ait, *Quos nouit im malitia perseueraturos, dans pœnitendi spatium*: non enim spatiũ datur ad pœnitendum de inclinationibus, sed de operibus malis actualibus. Item cùm dicit, loquens de præuiso peccato Adami, & Angelorum, *Nisi prior nosset, quibus eos bonorum vsibus accommodaret*, istos autem bonos vsus, qui sint, explicat lib. 14. cap. 27. subsequenter citato, quia videlicet ab Adami semine adiuto Dei gratia, *Idem ipse Diabolus fuerat Sanctorum gloria maiore vincendus*: vel, vt alibi docet, ad exercendos bonos: aut tandem, vt exemplo illorum, humilitatem suam cognoscant, &c. hæc autẽ omnia nõ sunt de peccato in inclinatione, sed in seipso. Rursus quando dicit, *Cùm Deus humani futuri casus non fuisset ignarus*, numquid casus est mala causæ inclinatio,

cui, si resistatur, firmior redditur homo? Idem dico, cùm ait, *Sed ex bono in malum deficiente voluntate, moriuntur*: non enim sermonem habet de defectu voluntatis in causa, sed de eo loquitur Augustinus, propter quem tales damnantur; & tamen de his ipsis docet Augustinus, quòd Deus præscientiam habuerat, & impedire poterat, si voluisset. Nonnè euidens est, quòd Aduersarii non veritatem, sed latebras quærant in doctrina Augustini, vt quoquo modo sententiam propriam defendant.

CAPVT SEXTVM.

Alijs Augustini locis scientia media, tanquam quid apud eundem indubitatum, conuincitur.

NEque, quæ vsque modò dicta sunt, volo sufficiant ad stabiliendum apud Lectorum corda, quàm certum sit Augustinum, quam his temporibus vocamus mediam, eodem modo semper in Deo præsupposuisse, ac præsupponebat scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: sed pluribus adhuc euidentissimis textibus id ipsum coniuncam.

170 Probatur ergo insuper ex mente Augustini scientia media doctrina, quam tradit in libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21; vbi, loquens de libertate data homini, & de ea secundùm quòd permansit post originale, inter alia sic habet, *Postquam verò seductione Serpentis per Euam cecidit;* nimirùm Adam, & in eo omnes posteri, *naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrij, non tamen electionem, ne non esset suum, quòd euitaret peccatum: nec meritò indulgeretur, quod non arbitriò diluisset. Manet vtique ad quærendam salutem arbitrij libertas, idest rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem: vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis; hoc est inspiratione Dei: vt autem consequatur, quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse liberè confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserente habemus: vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: vt adipiscamur, quod, acquiescendo admonitioni, cupimus, diuini est muneris: vt non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, & cælestis pariter adiutorij: vt labamur potestatis nostræ est, & ignauiæ, &c.*

171 Ex his autem Augustini verbis diligenter cum ipso animaduertenda est differentia inter eligere, seu acquiescere, ac manū dare vni præ alio ex duobus propositis, & inter operari: primum non conuenit, nisi potentiæ rationali, & discretiuæ: secundū verò etiā conuenit cuilibet potentiæ actiuę in suo genere; hac distinctione autem posita asserit Augustinus, hominem deperdidisse quidem vires actiuas per peccatum originale in ordine ad operandum bonum; sed non vim electiuam: non quia possit eligere, qui operari non poterit, cùm etiā ipsa electio sit operatio voluntatis: sed quia non omnis operatio, etiam voluntatis, est electio: nam, vt infra patebit ex Angelico, voluntas non est electiua in ordine ad sibi amandum vltimum finem: potentia ergo electiua aliquid aliud importat præter posse operari: sed sine hoc non potest exire in actum; vndè, quia liberum arbitrium per peccatum deperdidit vires operandi, deperdidit vis electiua ipsa vigorem, seù vires, quæ requiruntur in electione: sed non deperdidit id, quod addit vis electiua supra vires operandi, taliter, vt statim ac adiūgantur ei vires præcisæ; quæ, cùm rationales non sint, nec vim electiuam secum deferant, ipsamet potentia libera arbitrij per id, quod ei remansit, sit electiua, secundū quòd vis electiua addit supra posse operari. Hoc est ergo, *post quam verò homo seductione Serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum*; idest vires, naturæ per iustitiam originalem, & gratiam superadditas, *perdidit, pariter & vigorem liberi arbitrij*, vires nimirùm, quibus liberum arbitrium exire poterat in actum, *non tamen*, ait, *electionem*: quandoquidem, si aliundè haberet eligere, à quo restituta foret vis electiua; *non esset suum, quòd euitaret peccatum*, sed illius solùm, à quo esset vis electiua restituta: *nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset.*

172 Procedit prætereà in supradicto loco sic distinguens inter eligere opus gratię, aut opus concupiscentiæ: siue inter acquiescere, & manum dare potiùs suadenti gratiæ, quam suadenti concupiscentiæ: & inter ipsum operari, vel agere, seù sequi suadentē gratiam, vt eligere det speciali modo libero arbitrio, operari verò speciali modo Deo; dicens, *Manet vtique ad quærendam salutem arbitrij libertas, idest rationalis voluntas, sed admonente priùs Deo, & inuitante*, vires subministrando, *ad salutem: vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei; vt autem consequatur, quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse liberè confitemur.* Et clariùs, *Initium*

tium ergo salutis nostræ, *Deo miserente*, excitante videlicet, & vires subministrante nobis sine nobis, *habemus: vt acquiescamus salutiferæ inspirationi*, potiùs, quàm concupiscentiæ trahenti in oppositum, quod est eligere, *nostra potestatis est: vt adipiscamur, quod, acquiescendo admonitioni, cupimus, diuini est muneris: vt non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est*, perseuerando in electione, *& cœlestis pariter adiutorij*, perseuerantis, ac permanentis. Quia ergo vires ad opera gratis, & misericorditer nobis Deus restituit, quas per originale amiseramus, quod eligimus, acquiescendo gratiæ suadenti, quod sequimur in opere, quod agimus, Dei est: sed quia per gratiam non restituitur nobis vis electiua, vt supra, eligere, & acquiescere gratiæ liberi arbitrii speciali modo est, supra quàm sit ipsum agere, & operari. Atqui ipsum operari non attribuitur speciali modo Deo, quia liberum arbitrium non etiam secundò agat, agente primò Deo, sed quia hoc agere bonum sua gratia gratis subministrat, non excludendo liberum arbitrium; ergo, si etiam ipsum eligere, & determinari ad bonum pariter priùs est à Deo, quàm à nobis, non esset cur non prorsus eodem modo tribuatur Deo, quod est explicitè contra locum citatum Augustini; iuxtà autem hanc doctrinam non erunt futura conditionatè cognoscibilia in Dei decreto determinante opus; ergo per scientiā mediam ratione veritatis conditionatæ rei in seipsa.

173 Hoc ipsum est quod docet Augustinus libro de Spiritu, & litt. cap. 34. cùm dicit: *Profectò & ipsum velle Deus operatur in nobis, & in omnibus misericordia eius præuenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est*. Quid quæso est, quòd, *ipsum velle Deus operetur in nobis: consentire autem, vel dissentire propriæ voluntatis est*? an illa particula, *autem*, cùm dicit, *consentire autem*, nihil restringit, nihil diuersificat: vt, & si velle nostrum Dei sit potiùs, quàm nostrum, consentire verò, vel dissentire quodā modo sit nostrū potiùs, quā Dei? quia videlicet velle à uiribus est, Deo præueniente, subministratis ex gratia; eligere autem, seù vni potiùs manum dare, quàm alteri, nostrum est, non secundùm id, quod dicit de opere, sed secundùm id, quod operi superaddit tò, eligere, quod per peccatum non amisimus, nisi secundùm vires, & vigorem operandi. Hinc adiungit Sanctus Doctor, *Quæ res non solùm non infirmat, quod dictum est, quid enim habes, quod non accepisti: verùm etiam confirmat, accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo*. Ecce actum electionis nostræ simul, & doni Dei, in eligere potiùs velle, quàm nolle: sed audi Augustinum, *Et per hoc*, ait, *quid habeat, & quid accipiat, Dei est*, subministrantis ex gratia vires, *Accipere, autem, & habere*, non quidē mortuum, quale somniauit Lutherus: sed vitale, per electionem vitalem, *consentiendo*, ait Augustinus, *vtique accipientis, & habentis est*. Si autem eligere consentire potiùs, quàm dissentire, secundò est à nobis, Deo primò eligente, & dante determinatum consensum, non alitèr esset nostrum, quàm sit etiam secundò nostrum ipsum velle, & ipsum donum operis; quis autem ita crassa minerua hæc audit, vt nō uideat diuerso modo ex August. esse nostrū vnū, quā aliud.

174 Probatur secundò idem assertum ex alia doctrina, quam de libertate tribuit Augustinus lib. prænorato de Spiritu, & Littera cap. 31. vbi, quærens an fides, quæ est nostræ salutis exordium in operando, constituta sit in nostra potestate, distinguit priùs posse, & velle intersese, dicens, *Vndè nec, qui vult, continuò potest: nec qui potest, continuò vult: quia, sicut & volumus aliquando, quod non possumus: sic etiam possumus aliquando, quod nolumus*; aliqua præterea subiungit ad finē explicandi quid importet aliquid esse in potestate alicuius, & deindè concludit, *Quid igitur vltra quærimus: quandoquidem hanc dicimus potestatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi: vndè hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult, non facit*. Audiant nunc Aduersarij, qui doctrinæ Augustini volunt videri Sectatores, quomodo è regione huic loco opponitur sententia eorum de decretis prædeterminantibus. Duæ potentiæ profectò sunt intellectus, & voluntas, taliter, vt vnius actus sit omninò distinctus ab actu altèrius, licet intellectus subijciatur, cùm aliundè non impeditur, libero imperio voluntatis, sicut subijcitur oculus ad videndum, pes ad motum, & cæteræ potentiæ in ipsorum actibus. Pone ergo, quod, (sicut pluries Deus fecit cum Tyrannis, impediens potentias exteriores, nō impedita eorū mala voluntate, imperāte potentias.) ita nō impedita voluntate ad velle, vel nolle eredere, & determinante se volūtate ad actū infidelitatis, Deus suo decreto determinet actum fidei, vel carentiā actus infidelitatis in intellectu, non auferendo tamen potentiam ad oppositum: sicut ponunt Aduersarij in determinatione actus liberi. Numquid casum negabunt, quod experiuntur in Tyrannis respectu voluntatis, & cæterarum potentiarū, & plus dabunt voluntati creatę respectu intellectus,

tellectus, vt possit scilicet mouere suo imperio; prout vult, & non ita Deus opponente se ei voluntate? an non defacto volenti efficaciter cogitare turpia, Deus, voluntate creata rebellante, infert in nobis sine nobis bonas & pias cogitationes? sed ego nolo disputare de his: pone suppositionem in ambabus potentijs, siue per possibile, siue per impossibile; & vide, quod suppositio est de diuersis, & non destruit seipsam: suppono namque actum voluntatis imperantem sufficientem ex se, si Deus nō determinaret actum oppositum intellectus, & non simul pono, quod non sit actus imperans, sed quod actus intellectus impediatur à decreto Dei determinante intellectū ad actum oppositum.

175 Tunc sic arguo; in tali casu, & si voluntas creata posset vtrumlibet ea proxima potentia, quam oretenus talem vocant Aduersarij, non stat definitio potestatis, tradita ab Augustino. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult, nō facit*: quia vult actum infidelitatis, & non facit, nullatenus deficiente in illa posse, quod confingunt sufficere ad libertatem Aduersarij: sed per solam determinationē Dei de opposito, incompossibili cum effectu; ergo hæc decreti Dei determinatio, quodcumque imaginetur dare posse, etiam ad oppositum, quia determinatio est ad vnum, impedit potestatem voluntatis ad oppositum: sed non stat libertas sine potestate voluntatis ad vtrumlibet; ergo, si per tale decretum impeditur potestas, quam requirit Augustinus, vt actus fidei sit liber, eodem modo impedietur omnis alius actus, qui à voluntate fit, præcedente simili determinatione ad vnum, à ratione liberi.

176 Probatur tertiò eadem assertio ex capite 33. eiusdē libri de Spiritu, & Littera: quādoquidem totum fundamentum, in quo distinguuntur Assertores scientiæ mediæ à Thomistis, & Scotistis in eo consistit, quòd illi nolunt in Deo decreta efficacia determinata ad vnum: sed ea volunt debere esse indifferentia ad vnum, vel alterum: & conditionata, si accedat videlicet consensus voluntatis creatæ: quamuis de cætero velint determinata ad vnum, vel alterum ex oppositis ita, vt non possit creatura agere extra omnem voluntatem Dei, benè verò extra voluntatem Dei de vno: Aduersarij verò similia decreta indifferentia, & conditionata respuunt, & ea volunt absoluta, ac ex se efficacia, & determinata de vno. Atqui Augustinus loco citato decreta Dei astruit indifferentia ad duo, quorum alterū non possit transgredi voluntas creata, non verò decreta determinata ad vnum; ergo probatur minor. *Vult autem Deus*, inquit præfato loco Augustinus, *Omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes, iustissimè iudicentur.* Nonnè agit Sanctus Doctor de puncto litis inter Assertores scientiæ mediæ, & reliquos ex opposito, qualis scilicet debeat esse voluntas ex parte Dei in ordine ad opus, quod vult, vt compleat, & non adimat liberum arbitrium creatæ voluntatis? Audiamus ergo ipsum spoliati proprio sensu, non præuenti; non excæcati: videamus quomodò explicet Dei volūtatem non adimere à nobis liberum arbitrium: *Quod, cùm fit*, sequitur, *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt:* Quid est hoc, quod asserit infideles contra Dei voluntatem agere, qui omnia, quæcunque voluit, fecit in cælo, & in terra? Ita est, contra voluntatem Dei agunt, & non propterea Deus non facit, quæcumque vult; si leas, & id te docebit Augustinus; *Nec ideò tamen*, subiungit, *eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnabilibus implicant, experturi in supplicijs potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt; Ita voluntas*, ait, *Dei semper inuicta est: vinceretur autem, si non inueniret, quid de contemptoribus faceret, aut vllo modo possent euadere, quod de talibus ille constituit.* Vides ne, vndè sit, quòd semper Dei fiat voluntas, etiam quando homines contra illam agunt, quia videlicet non est absoluta voluntas de vno, cui contradicat liberum arbitrium creatum: sed disiunctiua, & conditionata de vno, vel altero, vt, & si liberum arbitrium videatur contra illam agere, secundùm quod est voluntas de vno, non sit tamen simpliciter contra illam, quod agitur: quia non est determinata de vno, sed indeterminata de vno, vel de altero? an voluntaria est hæc mea intelligentia? legas ipsummet Augustinum, se clariùs exemplo explicantem, *Qui enim*, subsequitur, *dicit v.g. volo, vt hi omnes serui mei operentur in vinea, & post laborem, requiescentes epulentur, ita vt quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat*: Quid est, ita, *vt quisquis eorum, &c.* nonnè idem, ac dicere ità, volo, quod laborent, vt, si quis eorum laborare nolit, in pistrino semper molat? ideò concludit, *Videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit.* Quare, si contempserit illud, volo,

non

non esset vincere voluntatem Domini sui: esset autem, si & illud contemnens, etiam pistrinum effugeret? nisi quia illud, volo, non est ad vnum, quo contempto, vincatur: sed ad vnum, vel alterum, vndè non vincitur, nisi in vtroque vincatur?

177 Addo, quòd, si hic decreta determinata excogitentur, tota rueret Augustini doctrina: falsum enim esset, quòd vinceretur voluntas Domini, etiam si voluntate eius contempta, pistrinũ seruus effugeret; quia id, quod seruus non faceret, ex voluntate efficaci Domini, determinantis illum ad oppositum, non faceret; non ergo ipse vinceret, non ipse priorem inefficacem Domini voluntatem contemneret: sed Deus voluntate propria efficaci suam antecedentem inefficacem impediret: & seruus voluntatem Dei inefficacem relinqueret, adimplendo efficacem.

178 Dicent forsan Aduersarij Augustinum in præcitato loco non habere sermonem de materiali operationum serui, sed de formali malitiæ, quam Deus nunquam voluit, nec determinauit, sed nec etiam impediuit: & ideò ob malitiam contemnitur Deus, nolens malitiam: sed non vincitur, quia pœnas non effugit, ita Deum contemnens.

179 Contra tamen est primò euidenter; nã, vel Deus sua prohibitione prohibet nobis solam malitiam actus, vel etiam ratione malitiæ prohibet positiuum. Si primum, quis est, qui malitiam amet, & non potiùs positiuum actus vellet, odio prosequendo malitiam, si sciret malitiam esse prohibitam, non positiuum actus? nullus ergo peccaret, si ipse amor positiui actus non diceret, quà amor positiui, indiuisibiliter carentiam rectitudinis; ratione ergo huius annexionis etiam positiuum actus prohibetur: ergo etiam ratione eiusdem positiuum actus est oppositum Dei voluntati, & vinceretur Deus, si, qui positiuum liberè poneret, sciens esse ipsi prohibitum, pistrinum posset effugere.

180 Vrgeo, nam non solùm Deus vult nullum esse infidelem, sed prætereà vult omnes ad agnitionem veritatis venire; qui ergo præcisè physicam carentiam actus fidei ponit liberè, & sciens Deum velle ab eo fidem: per præcisum velle præfatæ carentiæ physicæ ponit aliquod, oppositũ Dei voluntati, & adhuc per physicum obiecti vinceret Dei voluntatem illã de fide, etiã si nulla alia supponeretur in Deo voluntas: & non per solam malitiam actus.

181 Insto, nam, si de solo nolle malitię esset Augustini doctrina, non cohærerent subsequentia verba, allata in exemplo, *Vt deindè quiescentes, epulentur*: quies enim est post laborem, non post carentiam nolitionis, nec epulare debetur negatiuè se habenti, sed positiuè operanti. Non ergo quando dicit Augustinus, *Volo, vt hi omnes serui mei laborent in vinea*, sensus est negatiuus, prohibens solam malitiam, quasi dicat, nolo, vt malitiosè non laborent: sed positiuus, volo, vt laborent, volo, vt credant: primo namque modo non cohærent, *vt deindè quiescentes, epulentur*: benè verò secundo, qui laborem positiuum operis supponit, & non ita primus purè negatiuus; ergo explicatio contenta in responsione frustranea est, & voluntariè adinuenta.

182 Contra est secundò à priori: quia malitia volitionis voluntatis creatæ in eo consistit, quòd recedat à debita rectitudine conformitatis ad diuinam voluntatem: sed implicat ista carentia rectitudinis in actu voluntatis creatæ, vbi efficaciori Dei voluntati conformatur; ergo implicat Deũ prohibere carentiam conformitatis, vbi in actu creatæ voluntatis est conformitas ad suum efficacius velle: atqui Deus nolens infidelitatem, inefficaciter non vult: efficaciter verò vult positiuum infidelitatis; ergo, qui ponit hoc positiuum, non habet carentiam conformitatis, nisi ad Dei voluntatem inefficacem, habet verò conformitatem absolutè ad Dei voluntatem; ergo non est quid Deus prohibeat in hoc actu, quando magis Deo volenti esset voluntatis creatæ disconformatio, si ipsum non poneret: etenim non ponendo, disconformaretur Deo efficaciter volenti.

183 Contra est tertiò: quia præfata distinctio explicitè aduersatur sensui Augustini cap. 31. eiusdem libri: cùm enim hoc nomen, voluntas, non importet in suo conceptu malitiam, nisi addatur, mala: tam enim perfectissimè est voluntas in ratione voluntatis, bona, quàm mala: consequẽter, dum simpliciter dicitur voluntas, substratum, & materiale voluntatis significatur, cui per tò mala, vel bona, additur formale malitiæ, vel bonitatis; cùm ergo, stante sententia, negante scientiam mediam, omnis voluntas sub ratione voluntatis sit prædeterminanda, & præuolenda à Deo, benè staret, quòd, sicut dicitur ad Romanos 13. *Non est potestas, nisi à Deo*, etiam loquendo de potestate naturali, taliter, vt etiã Pilato dixerit Christus, *Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset*: & de facto Apostolus loco citato de potestate principum temporalium lo-

loquitur; ita etiam dicatur simpliciter, nõ est voluntas, nisi à Deo. Ni fallor, discursus totus est legitimus. Atqui loco citato Augustinus, postquam ex Apostolo dicit, *Non est potestas, nisi à Deo*, subiungit, *nunquam autem legimus in Sanctis Scripturis, non est voluntas, nisi à Deo; & rectè non scriptum est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo*. Hic Aduersarij ad vnum adstringuntur concedendum, vel quòd scilicet discursus Augustini sit deficiens, dum infert, Deum Authorem futurum peccatorum, si non esset voluntas, nisi à Deo: non enim sermo suus est de voluntate, vt mala, sicut non est sermo de mala potestate, sed de potestate, & voluntate secundùm se simpliciter; quo pacto, si potest bene stare, vt materiale, & voluntas omnis simpliciter sit à Deo, absque eò, quòd indè sit author peccati, non benè discurreret Augustinus; vel velint nolint, concedant opus est, numquam in mentem Augustino incidisse, quòd à Deo possit determinari materiale voluntatis, & non esse etiam author formalitatis malitiæ inseparabilis.

184 Probatur quartò, ex doctrina, quam tradit Augustinus libro 3. de libero arbitrio cap. 17. & 18. vbi postquã sciscitanti, quæ nam sit causa malæ voluntatis, respõderit, aliam non esse, nisi eandem ipsam voluntatem, cupiditatibus affectam; & illo non adhùc satisfacto, ac iterum replicante, & inquirente, vt paucis à similibus se expediret replicationibus, ait, *Sed nescio, cur aliud te quærere libet. denique quæcumque est illa causa voluntatis, aut iusta profectò est, aut iniusta; si iusta, quisquis ei obtemperauerit, non peccabit: si iniusta, non ei obtemperet, & non peccabit; an fortè violenta est, & cogit inuitum? Num eadem toties replicaturi sumus? reminiscere superiorum, quæ à nobis tàm multa de peccato, & voluntate libera dicta sunt: sed, si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene. Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur*. Duplici via, & medio ex hoc Augustini loco intentum meum de scientia media stabilio.

185 Primò quidem ita, *Quæcumque est causa voluntatis, aut iusta profectò est, aut iniusta: si iusta, quisquis ei obtemperauerit, non peccabit*. Sed Deus per Aduersarios est causa omnis nostræ voluntatis, huius potiùs, quàm illius, apud quem non est iniustitia, ergo creata voluntas determinans se secũdò in id, ad quod fuit efficaciter à Deo prædeterminata per suum velle, Dei voluntati obsequitur, obtemperat, se conformat; ergo non peccat. Quod est argumentum supra factum à priori num. 182. & nunc conuincitur ex Augustino.

186 Quod, si quis dicat, hominem non peccare, quia vult materiale actuum prohibitorum, sed quia vult formale. Iam loco citato probaui non dari formale malitiæ consistens in carentia debitæ conformitatis ad voluntatem Dei, vbi voluntas creata quærit se conformare magis Deo volenti efficaciter, quàm inefficaciter. Et hic ex eodem Augustino lib. in Leuiticum cap. 24. addo neminem prorsus posse velle malitiam, nisi præcisè quia vult actum; ergo, si hoc est velle malitiam, quod est velle positiuum actus, hoc esset velle malitiam, velle id per quod conformatur voluntas creata Dei voluntati; quis autem non videt has laruas, & chimeras sequi ex doctrina Aduersariorum. Antecedens ergo probo ex Augustino loco citato, sic enim habet, *Nam, si diligenter consideretur, ipsum peccare nemo vellet, sed propter aliud fit, quod vult, qui peccat; omnes quippe homines, qui scienter faciunt, quod non licet, vellent licere: atque adeò ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod ex eo consequitur*. Et ratio est euidens, quia malum, vt malum non est volibile, & ideò non potest ratione sui appeti, sed solùm ratione boni appetibilis, à quo separari nõ potest.

187 Quod si dicas 2. nobis notam esse voluntatem Dei prohibentem actum furti v. g. non verò, quòd in nobis prædeterminauerit actum furandi, & ideò, dum quis furatur, scit contra voluntatem Dei agere, non verò, quod conformiter ad Dei volũtatem: ac propterea peccare. Contra, quia licèt nesciat fur antecedenter ad furtum, quid in ipso determinatè voluerit Deus, scit et tamen nihil determinatè velle, quod non sit præuolitum à Deo; ergo dum se determinat ad quodcumque, scit iuxtà Dei voluntatem esse suam determinationem: & dum furtum determinat, scit ita præuoluisse Deum: numquam ergo peccaret, quia numquam ageret sciens, vel volens, contra voluntatem Dei. Addo, quòd saltem post actum scit ita fuisse Dei voluntatem; posset ergo delectari de facto turpi in hoc, quòd illud faciens, voluntatem Dei fecerit. Quis hæc considerans, non respuat sententiam, vndè sequuntur, cogitans ex hac sententia vnum infallibiliter ex his concedendum fore, quòd videlicet Deus efficaciter velit in nobis, quod nobis prohibet: nosque peccaturos, vbi magis Dei voluntatem

tatem exequimur, quàm exequamur, si stante eadem Dei voluntate non poneremus: vel quòd nunquam peccaremus, cùm nūquam recedamus à sua efficaci voluntate.

188 Quòd, si dicas tertiò simile argumentum fuisse oppositum Augustino à Pelagianis, dicentibus, quod fideles, dum petunt in oratione Dominica, vt fiat volūtas Dei in cœlo, & in terra, peterent, vt fiat ipsis, quòd præuoluisset Deus, scilicet cadant, & ruant: eò quòd talis fuisset antecedens Dei voluntas; vt nimirùm aliqui perirent morte æterna. Sed contra, quia Pelagiani obijciebant Augustino, quòd ipse numquam asseruerat, Deum videlicet præuoluisse casum, vel ruinam aliquorum, qui, quantùm est ex parte suā, vult omnes homines saluos fieri, & nulli prædeterminat id, à quo homines ruinā, & casum separare non possent. Sed ego non attribuo Aduersarijs quidquam, quod non concedant; dico enim, Deus per eos vult efficaciter materiale furti, hæc est ipsorum doctrina; ex hoc infero, qui vult ergo materiale furti, & physicam illius vtilitatem, exequitur in hoc Dei voluntatem; ergo nihil est in hac voluntate formale malitiæ, consistens in disconformitate ad Dei voluntatem; quisque ergo posset omnia, prohibita inefficaciter, facere, intendens exequi voluntatem Dei efficacem, & non peccare. Respondeant Aduersarij, vt respondet Augustinus, & non eis opponetur, quod nunc obiicitur. Videant quid respondeat Augustinus. *Qui à pietate deficiunt, non ex Dei opere, ex sua voluntate deficiunt*; Item, *Quamdiù in oratione Dominica dicunt fiat voluntas tua, non hoc contra se petunt, quod Deus nulla ratione facturus est, vt cadant, & ruant: hæc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consumata libertas*. Dicant etiam Aduersarij, nullum opus est nobis à Deo, ex se infallibiliter connexum cum hominis ruina, & ita negabunt physicum actus esse à Deo præuolitum, à quo non potest homo separare malitiam: si enim separabilis esset, hæc ab illo, futuritio peccati non posset cognosci, vt infallibiliter connexa cum decreto isto Dei quod vocant permissiuum. Dicant etiam, nihil Deus facturus est vlla ratione, vnde cadant, & ruant: & sic non prædefiniet Deus materiale, secum inevitabiliter trahens casum, & ruinam, cùm non possit homo velle materiale actus, & separare illud à casu, & ruina; cæterū, si nolint Deo negare id, ex quo infallibili connexione infertur aliud, quid mirum, si quod falsò Pelagiani attribuebant Augustino, non falsò, sed verè eis attribuatur?

189 Secundò ex eodē loco sic arguo, *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ceditur*. Verba sunt hæc Augustini, in quibus locum non habet sensus compositus, & diuisus; cùm enim dicitur. *Si non potest ei resisti*, in ordine ad illam, vt voluntatem afficientem, fit consideratio, qui est sensus compositus: atqui Deo efficaciter præuolenti nemo potest resistere; ergo Deo præuolente materiale furti, blasphemiæ, &c. sine peccato cedit voluntas creata, idem amplectendo.

190 Respondent Aduersarij, paucis se expedientes ab hoc argumento, dicendo Augustinum loqui de causa cogente, & faciente voluntatem creatam inuitam operari: non verò de causa purè prædetermināte, & non cogente, qualis est Deus: hoc autem, aiunt, euidenter patet; nam ad præfata verba argumenti hæc alia fecerat Augustinus præcedere, *An fortè violenta est, & cogit inuitum?* de hac ergo causa deindè asserit, quæ supra.

191 Sed ecce ob verbū æquiuocū statim in promptu tegumentum veritatis doctrinæ Augustini, relictis reliquis, quæ germanam mentem illius insinuant. Sciunt benè Aduersarij ex similibus verbis æquiuocis coactionis, & violentiæ apud Augustinum fucos sumere Iansenium, vt non aliam admittat in hominibus post lapsū libertatē, nisi à coactione, & violētia, quādo Augustinus his terminis vtitur lato modo, iuxtà cōmunē vsū pro eodē, ac determinatione ad vnū. Nolo tamē, vt litigemus verbis, accedamus ad factū, vt appareat quis Augustinū, prout sibi placet, interpretetur. Dixerat ante prædicta verba Augustinus causā malæ voluntatis esse ipsāmet improbā volūtatē, hoc est cupiditatibus affectam. *Hæc autem*, ait, *auaritia cupiditas est, cupiditas porrò improba voluntas est, ergo improba voluntas malorū omnium causa est*. Ad quæ subiungit Augustinus, se interroganti. *Tu autem si huius radicis causam requiris, quomodo erit ista radix omnium malorum? illa enim erit, quæ causa huius est, quam, cùm inueneris, etiam ipsius causam quæsiturus es, & quærendi nullum habebis modum*. Et ad hæc connectit, quæ in principio adduxi ex Augustino pro argumento: ex quibus patet, quod, ea, quæ dicit, *An violenta est, & cogit inuitum?* de cupiditate, & concupiscentia asserit: cui in fine capite 18. adiungit ignorantiam vincibilem, sic loquens. *Nam sunt re vera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas: ex ignorantia dehonestat er-*

ror, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, vt erret inuitus: & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Videsne, quid per Augustinum importent illa verba, an violenta est, & cogit inuitũ? an scilicet tanta est vis concupiscentiæ, & ignorantiæ in approbando falsa pro veris, vt ex ignorantia inuitus, & ex motu concupiscentiæ, ita violentetur, vt resistere nullatenus possit? & si ita est, dicit Augustinus, non peccat, qui cedit. Quis autem non videt iudicio falso, quo falsa approbantur pro veris, & concupiscentia mouẽte, & alliciente non trahi homines verè violenter, sed dulcedine potiùs, & suaui delectatione? quid ergo est, quòd veritatem obtegere volunt Aduersarij per illud æquiuocum, *An violenta est, & cogit inuitũ*, quasi Augustinus de strictâ locutus sit violentia?

192 Vt tamen clariùs tota hæc doctrina de vera mente Augustini cuilibet pateat, legat hunc eumdem locum Augustini, eidem oppositum à Pelagianis libro de natura, & gratia cap. 67. sic enim sibi oppositum fuisse à Pelagio refert Sãctus Doctor, *Item, inquit Augustinus Episcopus in libro de libero arbitrio. Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo caueat, ne fallatur, an tanta fallacia est, vt caueri omninò non possit? si ita est, nulla ego peccata sunt.* Nonnè ista sunt de quibus agimus? sed videamus quæso, si ad violentiam, & coactionem recurrit Augustinus, vt volunt Aduersarij: siue ad ludicras responsiones sensus compositi, & diuisi: an potiùs se explicet de simplici impossibilitate in libro de libero arbitrio locutum fuisse? *Agnosco*, ait Augustinus; *verba mea sunt, sed etiam ipse dignetur agnoscere superiùs cuncta, quæ dicta sunt de gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur: non de impossibilitate iustitiæ: Potest ergo ei causæ quæcumque illa est, resisti? Potest planè; nam in hoc adiutorium postulamus, dicentes, ne nos inferas in tentationem; quod adiutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caueri, sed opitulante illo, qui non potest falli, &c.* Numquid dicit, quamuis non possimus, non tamen cogimur, nõ agimus inuiti, vt aiunt intellexisse Aduersarii? non ita prorsùs: sed asserit, quòd, quamuis natura non possimus vitare peccata, Iustitiã amplecti, &c: possumus tamen, Deo opitulante: & manente firmo, quòd quæcumque foret causa voluntatis, cui resisti non possit, sine culpa ei cederetur, adhùc stat, quòd homines, cedendo cuicũque causæ, peccant, quia possunt non cadere, si ad miserentem, & opitulantẽ Deũ, prout quisque potest, cùm nemini negetur gratia sufficiens, recursum vellent habere. Hinc.

193 Vrgeo fortiùs, *Quod adiutorium non posceremus*, ait Augustinus, *si resisti nullo modo posse crederemus*. Qui ergo scit Deo præuolenti nullum hominem posse resistere, atq; iuxta Aduersariorum sententiam, Deum prædefiniisse efficaciter omnia materialia actionum, quid quæso poscit, cùm Deum deprecatur, ne illum inferat in tentationẽ? vt Deus mutet suam voluntatem? scit possibile non esse; ergo hoc non exposcit; vt Deus determinando illi materiale mendacij liberum, & cum physico præcognitionis, adiuuet, ne inferatur in formale? impossibile etiam scit esse; quid ergo potest in oratione Dominica petere? vt auferantur forsan tentationes, & si non possit, Deo iam ab æterno prædefiniente materiale, impediri formale culpæ? & nonnè materiale tentationum etiam prędefinitum fuit? vltra quàm quòd peteret grauius fieri peccatum suum, eò enim grauius est peccatum, quò magis liberum, & eò liberiùs agit voluntas, quò minùs ad obiectum per concupiscentiam allicitur. Assignent ergo, quid petit iste à Deo, quod non sciat esse antecedenter prædefinitum independenter à sua petitione, & impossibile, vt mutetur? Quid ergo est, quod asserit Augustinus, *Quod adiutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus*? Potest quidem quisque petere, quod credit ideò forsan voluisse Deum, quia præuidit futuram suam petitionem; sed quòd petat auferri à Deo, vel non fuisse in Deo, quod independenter à sua petitione immutabiliter fuit, nemo certè possibile sibi persuadere potest, quod ex mox dicendis clariùs patebit.

194 Probatur quintò idem assumptum ex doctrina, quam, Semipelagianos impugnans Augustinus in eo, quòd asserebãt inutilem fore correctionem, si prædestinatio Electorum antecedens ad omnem actum libertatis humanæ prædicetur, scribit cap. 15. de bono perseuerantiæ: inter cætera namque, postquàm ex Prospero, & Hilario Semipelagianorum errorem refert his verbis, *Sed aiunt, vt scribitis, neminem posse correctionis stimulis incitari, si dicatur in Conuentu Ecclesiæ, audientibus multis; ita se habere de prædestinatione definita sententia*

volun-

voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem: vel accepta perseuerantia, maneatis in fide: cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit: verùmtamen, si qui estis necdum vocati, quos gratia sua prædestinaueris eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis, & sitis electi; &, si qui obeditis, si prædestinati eritis reijciendi, subtrahentur obediendi vires: vt obedire cessetis. Postquã hũc Semipelagianorũ sensum refert, ita ipsum redarguere incipit. *Ista cùm dicũt, ita nos à confitenda Dei gratia, idest, quæ non secundùm merita nostra datur: & à confitenda, secundùm eam, prædestinatione Sanctorum deterrere non debent, sicut non deterremur à confitẽda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat, siue nunc rectè viuatis, siue nõ rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit: vel boni, si bonos: vel mali, si malos. Numquid enim, si hoc audito, nõnullĩ in torporem, segnitiemque vertantur, & à labore, procliues ad libidinem, post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonnè, si Deus illos bonos futuros esse præsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur: Si autem malos, mali erunt, &c.* *quæ tamen non ita populo prædicanda est, vt apud imperitam, vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodò ipsa sua prædicatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei, quam certè negare non possunt, si dicatur hominibus, siue curratis, siue dormiatis, quod vos præsciuit, qui falli non potest, hoc eritis.* Euidens ergo est de ea præscientia argumẽtum retorquere Augustinum, quam admittebant Semipelagiani de fide, in quo vnumquemque, qualis futurus fuerit, præcognouit ab æterno Deus: quòd videlicet non propterea, quod hæc, etiam apud Semipelagianos infallibiliter sit vera, viã præcludit correctioni: ergo neq; pariter infallibilitas prædestinationis, &c.

195 Ne autem hic quisque pro suo libitu Augústinum explicet de præscientia supponente Dei decretum, vel pro ipsa prædestinatione, quo pacto pluries sumere solet: sed clarè pateat, quòd loquatur de pura præscientia intellectus diuini, infallibiliter vera in ratione cognitionis præcisè, etiam si nulla præsupponatur prædestinatio, id in primis indè conuincitur, quia alitèr Augustinus ex paritate præscientiæ nihil concluderet contra Semipelagianos, qui, sicut negabant antecedentem prædestinationem, quam, vt suo loco ostendam, falsò putabant auferre libertatem: ita & præscientiam supponentem prædestinationem, vel acceptam pro ipsa prædestinatione negassent: imò discursus Augustini esset petitio principij. Sed quid hic immoror, cũ ipsemet Augustinus se explicet, de qua præscientia loquatur, de illa nempè eadẽ, quã adstruebant Semipelagiani ipsi, etiam independentẽ à prædestinatione, qualem nimirùm somniabãt esse scientiã Dei de fide, & voluntate petendi, quærendi, & pulsandi; vndè contra eos de hac præscientia, quã negare non poterant; argumentum ipsorum retorquet Augustinus. Ecce ex retorsione quomodo concludit capit. 21. *Nimiæ igitur contentionis est*, ait, *prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare:*

196 Ex hoc autem discursu Augustini sic argumentor. Nisi ad prædestinationẽ Augustinus præsupponat scientiam mediam cuilibet, etiam ignaro, euidens esset, quòd claudicaret exemplum de præscientia, quo Semipelagianos oppugnat, nihilque prorsus probaret; stabile verò firmum, & conuincens est, supposita scientia media: sed nemo sanæ mentis est, qui potiùs doctrinam Augustini claudicãtem admittat, præcipuè in hac materia de prædestinatione, quàm sententiam illam, ex qua similis defectus inducitur in præfato discursu Augustini; ergo cuilibet fatendum sententiam, oppugnantem scientiam mediam, omninò claudicare. Maiorem probo, quia cuilibet, etiam ignaro, notum est, quòd ea scientia, quæ exercitium libertatis ideò attingit, quia iam est, & supponitur futurũ, non ipsa facit, vt sit, vel non sit futurum: sed econtra, quia iam est, attingit, vt futurum: & si futurum non esset, attingeret, vt non futurum: ergo euidens cuilibet est talem scientiam libertatem omninò intactam præsupponere; & quòd eius prædicatio correctioni non obstat; quia talis est scientia, qualis vi correctionis liberè operabitur, vel non operabitur voluntas creata: non econtra, ideò hæc vi correctionis operabitur, quia Deus præsciuit. Hæc non solùm erat doctrina Massiliensium, sed etiã in se ipsa euidens; loquendo de scientia speculatiua futuri, vt futuri, & non de practica; ergo, si ad prædestinationem Sanctorum, de qua loquitur Augustinus, nullum præsupponeret exercitium præuisum libertatis creatæ, nulla curreret paritas inter scientiam, & prædestinationem; nam statim, & cũ distinctione respondissent Semipelagiani, quòd scientia præsupponit, non ponit vi sua exercitium libertatis, atq; ideò præscientiæ prædicatio, sicut non impedit libertatẽ creatam fore ex se operaturam,

ram, ita nec impedit correctionem, qua ipsamet voluntas incitetur, & qua forsan mediante sit voluntas operatura. At verò prædestinatio omne exercitium libertatis præcedēs, sua infallibilitate traheret opus, ideoque eius prædicatio esset valde diuersa à prædicatione præscientiæ, & paritas omninò claudicaret. Si verò supponatur præscientia media ad prædestinationem, qua Deus præcognouisset, quòd cùm aliquis corrigeretur, & tribueretur talis gratia, operaretur benè, & ideò vellet eū ita operaturum cum tali gratia, & cum tali correctione, paritas omninò curreret; ergo dicēdum est hoc modo in præfato discursu locutum fuisse Augustinum, qui alibi dicit. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat*, atque ità prædestinatio presupponens præscientiā de futuro opere libero conditionatè, media etiam correctione, locum non præripit correctioni, sicut non præripit præscientia.

197 Probatur sextò idem assumptum ex doctrina, quam innumeris locis insinuat Augustinus, quorum tamen sufficiat hic aliqua adducere; lib. ergo de prædestinatione, & gratia cap. 4. in illud Apostoli, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. hæc pro eiusdem loci germana intelligentia monet aduertenda, *Non ita intelligendum est*, ait, *quasi Deus in homine ipsam, quæ non esset, duritiem cordis operetur; indurare enim Deus dicitur, quem mollire noluerit; sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit; sic repellere eum, quem vocare noluerit*. Pari modo monet lib. 2. in Exodum num. 36. supra illud, *Ego enim grauaui cor eius, & seruorum eius, vt ordine superueniant signa mea hæc super eos*, ita scribens, *Sed sic intelligendum est, ac si diceret, ego enim patiens fui super eum, & seruos eius, vt ordine superueniant signa mea hæc super eos: quia enim patientia Dei obstinatior fiebat malus animus; ideò prorsus, quod est: patiens fui, dicitur; grauaui cor eius*. Et sermone tandem 88. de tempore regula vniuersali similem indicit aduertentiam, *Hoc ergo*, inquit, *definitissimè credite fratres, & hoc intelligite; quia quoties Dominus dixit, ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit, nisi ego, inquit, suspendo plagas meas, & flagella, vnde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto*.

198. Et quamuis libro 5. contra Iulianum cap. 3. refellat Augustinus eundem hæreticum in eo, quòd illud Apostoli ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt*, explicabat, quòd Deus dicitur ita tradere, deserendo, seu non puniendo statim, sed suspendendo plagas, & debitas pœnas; hoc nihilominus non opponitur doctrinæ antecedenti, imò in eodem loco etiam ipsam denuò tradit per hæc verba, *Cùm ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, indè fit reus, quòd desertus à Deo, cedit eis, atque consentit, vincitur, trahitur, capitur, possidetur*. Impugnat autem in prælibato loco Iulianum Pelagianum Augustinus in eo, quòd desertionem istam Dei, vel plagarum suspensionem adstruebat omnimodè suspēsiuam vindictæ ex parte Dei, nihil includentem pœnale, nimirùm quòd, cùm, iuxtà eorum hæresim, nō admittebatur peccatum originale, asserebant, quòd homines non indigebant gratia Christi ad benè operandum: sed ad id sufficere naturam; nec admittebant concupiscentiam insurrexisse in pœnā peccati, sed eam volebant esse quid bonum, traditū à Deo ad finem prolis: ideoque non concedebant tradi à Deo Peccatores concupiscentijs suis, auferendo gratiam, & iustitiā originalē, qua soporabantur concupiscentiæ, sed solùm tradi dicebant, quatenus Dei patientia expectantur, vt conuertantur, & ipsi peiores fiunt, contra quod Augustinus præcipuè vrget illis verbis orationis Dominicæ: *Ne nos inferas in tentationem*, inculcans, quòd, si Deus non alio modo infert in tentationem, nisi expectando, & suspēdendo plagas, fidelis in præfatis verbis, festinā contra se exposceret vindictam. Hanc ergo desertionem Dei purè suspensiuā debitæ pœnæ, impugnat ibi Augustinus, sed non desertionem, adhuc negatiuam; per ablationem gratiæ, ex cuius ablatione cōcupiscentię, quæ supponuntur in homine, vel ex originali; vel etiam auctæ ex habitibus malis, potentiores euadunt. Cæterùm firmum manet, quòd concupiscentiæ ipsæ non sunt, quasi noua passio ad malum, datæ in pœnam peccati; vt *Deus ipsam, quæ non esset, duritiem cordis operetur*: esset nāque Deum implanare homines in peccata. his autem ex Augustino suppositis.

199. Argumentor ita: duritiés ista cordis, vel excæcatio, &c. non hominem inclinat, vel trahit ad formale culpæ, quam nemo vellet, si posset: sed ad positiuam delectationem, vel vtilitatem physicam actuū, quibus annexa est malitia carentiæ conformitatis ad Dei voluntatem: nec tamen ex se connexa est infallibiliter cum tali positiuo actuum; sed solùm inclinat, & facilitat ad eos: & nihilominus Augustinus alienum à Dei bonitate, & æquitate existimat Deum præstare, etiam in pœnam peccati, id, quod inclinat ad materiale peccati; quia eo modo,

do,

do, quo inclinaret ad materiale, inclinaret ad formale ab eo inseparabile: sin assignēt Aduersarij, quare Deus ad tale materiale non potest qualitatē dare inclinantem: ergo multominùs non poterit ad tale materiale infallibilitare, & firmare suo antecedenti infallibili decreto; omnis namque ratio excludens illud, maiori modo excludit hoc, vt cuilibet ex terminis patet.

CAPVT SEPTIMVM.

Speciali alia ratione scientia media conuincitur, tamquam de mente Augustini.

200 IAm sæpè explicatum est totum discrimen inter Assertores sciētiæ mediæ, & eiusdem oppugnatores in eo situm esse, quòd isti volunt nihil posse in se esse futurum, & vt tale consequenter à Deo cognosci, nisi decreto actuali Dei, illud efficaciter prædeterminante, simul & voluntatem creatam; illi verò dicunt, Deo, indifferenter præparato ad vtrumlibet, posse aliquod esse existens, vel futurum ex præcisa determinatione voluntatis creatæ, ac consequenter vt tale à Deo cognosci, non in Dei decreto, sed in se ipso; & cum quid cognoscitur, vt conditionatè futurum, si non vi decreti Dei, sed vi determinationis creatæ voluntatis, vt futurum conditionatè cognoscitur, hoc erit cognoscere per scientiam mediam: vt diffusè explicaui à numero 35. Si ergo conuincam ex Augustino aliquod futurum, imò existens, non vi diuini decreti antecedentis, sed vi liberi arbitrij creati, conuincam iam scientiam mediam esse, & fuisse ex mente Augustini; ad id accingor.

201 Edisserens Augustinus in libro de correctione, & gratia de bono perseuerantiæ, sibi difficultatem proponit cap. 10. an, & quomodo Adam, cùm à Deo fuit creatus rectus, donum perseuerantiæ acceperit, si iam non perseuerauit, sed cecidit? Et vt talem difficultatis nodum resoluat, agens de Adamo, pari modo agit de rectitudine, in qua fuerunt à Deo creati Angeli omnes: ex quibus aliqui in eadem permanserunt, alij uerò ceciderunt, vt etiam de his explicet, an, & quomodo donum perseuerantiæ acceperint? Pro hac autem resoluenda difficultate, ita discursum suum inchoat, *Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum, Dominumque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura esse præsciuit: & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere: sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium: deindè quid posset suæ gratiæ beneficium.* Neminem crediderim, ita nebulis passionum obrundi, vt non videat aliquam differentiam in modo operādi præstitisse Deum Adam ante peccatum, ac etiam Angelis, in quibus voluit, ex Augustino, priùs ostendere, non quid posset specialiter suæ gratiæ beneficium, sed corū liberum arbitrium, ab eo, quem præstitit post casum Electis ad ostendendum in his, non quid posset liberum eorum arbitrium, sed speciale suæ gratiæ beneficium: si enim pari modo dedisset illis, ac istis modum operandi, pari modo ostendisset, in illis, ac istis, quid eorum possit liberum arbitriū, vel suæ specialis gratiæ beneficium; nec esset, per quod ita potuisset distinguere Augustinus, vt dicat, *Sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberū arbitrium, deindè quid posset suæ gratiæ beneficium.*

202 Nota tamen beneficium hoc gratiæ, quod deindè post casum voluit in hominibus ostendere, non esse collationem gratiæ, vt sic præcisè, quasi Adamo, & Angelis gratiam indebitam non dederit, subleuantem eos ad posse supernaturaliter operari. Vide namque quid circa hoc dicat Augustinus cap. 11. *Quid ergo*, ait, *Adam non habuit Dei gratiam? imò verò habuit magnam, sed disparem.* & rationē assignat infra, dicēs, *Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* & post pauca idem asserit etiam de Angelis his verbis, *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quamprimùm facti sunt, defuisset: quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset permanere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Vtrobique ergo ex Augustino requiritur gratia eleuans, indebita, & gratuitò data: vtrobique præterea libertas arbitrij, cùm etiam Sancti post lapsum liberè operentur; at beneficium gratiæ non est vtrobique æquale, sed dispar, atque tale, vt in primo ordine vitæ hominum, & Angelorum non talis fuerit gratia, quòd ostenderit Deus posse illius, sed posse liberi arbitrii: in gratia

tia verò collata Electis post casum non ostendit Deus, quid valeat liberum arbitrium, sed quid valeat suæ gratiæ beneficium.

203 Hoc ergo discrimen expectandum est ex Augustino, in quo situm sit, an videlicet, quia loquatur solum de gratia, quæ in primo ordine fuerit sufficiens, qualem ponunt Oppugnatores scientiæ mediæ, & Sanctis post lapsum detur efficax modo, quo ijdem Oppugnatores docent: an verò alia sit ista differentia, prædeterminationem operis voluntatis creatæ liberæ oppugnans? & certè, si Augustinus differentiam gratiæ, qua voluit Deus ostendere, quid posset liberum arbitrium, ab ea, qua voluit ostendere, quid valeat eiusdem gratiæ beneficium, in eo poneret, quòd in primo vitæ hominum, & Angelorum ordine, non obstante auxilio gratiæ, cecidit liberum arbitrium: in secundo verò ordine non cadit, sed beneficio ipsius gratiæ stat: ego libenter concedo nihil hic peculiare me posse adducere in fauorem scientiæ mediæ: nam dicent, & benè secundùm eorum principia, Aduersarii, ostēdisse Deū in primo ordine imbecillitatē liberi arbitrij cadētis per gratiā dantē solū posse: in secundo verò ordine ostendisse vigorē suæ gratiæ, facientis stare Electos, ne cadant, finaliter saltem, aut vt operentur benè. At si Augustinus differētiam istam gratiæ primi ordinis vitæ, à secundo non posuit solùm inter cadentes ex primo ordine, & stantes in secundo: sed inter tùm cadentes, tùm stantes in primo, & secundo ordine, itaut æquè stare aliquorū Angelorum, ac cadere cæterorum, & Adam asserat ostendisse vigorem liberi arbitrii, & non gratiæ: huius autem vigorem reseruasse Deum ostensurum in Electis post peccatum, poterit ne quis se iactare sequi doctrinā Augustini, & simul asserere, quòd Angeli, qui steterunt, specialitate gratiæ præ illis, qui ceciderunt, habuerint, vt starent? hoc enim stante, non erit verum dicere, quòd, qui steterunt, vi liberi arbitrij potiùs, quàm gratiæ, steterunt, sed econtra: nec verum erit dicere, quòd Deus æquè in vtrisque Angelis stantibus, & cadētibus ostenderit vigorem, & potentiam liberi arbitrij, & quòd vigorem gratiæ reseruauit ostendere in Electis post lapsum, iam enim ostendisset in Angelis vigorem gratiæ præ illis non cadentibus.

204 Attendamus ergo Augustinum, in quo præfatam differentiam gratiæ primi ordinis vitæ à secundo ordine vitę Electorū constituat. Statim ac S. Doctor distinxit, vt supra, *Sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deindè quid posset suæ gratiæ beneficium*. Rem ipsam exemplificans, immediatè subiungit, *Denique Angeli quidam, quorum Princeps est, qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugę facti sunt: cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt: eamque de suo casu numquā futuro certissimam scire meruerunt*. & post pauca loquens de Adamo, *Sic hominem*, ait, *fecit cum libero arbitrio: & quamuis sui casus ignarum, tamen ideò beatum, quia non mori, & non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat: in quo statu recto, ac sine vitio, si per ipsum liberū arbitrium manere voluisset, profectò sine vllo mortis, & infelicitatis experimento, acciperet illam merito huiusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem, qua & Sancti Angeli sunt beati, vt cadere non possint vlteriùs: & hoc certissimè sciret*. & deindè in cap. 11. *Tunc ergo*, inquit, *dederat homini Deus bonam voluntatem, dederat, & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio; posset ergo permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, quod vellet: sed, quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset*. Quid est, quæso, *Vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio?* & *Profectò eius culpa est, cuiùs meritum fuisset, si permanere voluisset?* Sicut, subiungit, vt videas pari modo loqui de Angelis, etiam stantibus, *Fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus alys per liberum arbitrium, per idem liberū arbitrium steterunt ipsi*. Quid inquam, est hoc *Per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius debitam mercedem recipere meruerunt?* Numquid Electis post originale non relinquitur liberum arbitrium? aut non etiam post originale profectò eius culpa est, qui cadit, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut faciunt Sancti, qui cadentibus reprobis per liberum arbitrium, per idē liberum arbitrium non cadunt ipsi, & huius debitam mercedem, ac coronam iustitię, vt docet Apostolus, recipere merentur? Sed vide quomodo post pauca subiūgit Augustinus, loquēs de isto merito, & mercede. *Quid erit autem*, inquit, *liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est, & Angelis Sanctis, merces meriti: nunc autem per peccatū perdito bono merito in his, qui liberantur, facta est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat?* Cernis ne, quòd nunc perdito bono facta est Sanctis merces ista donum gratię: non tamen excluso merito liberi arbitrii: Angelis verò stantibus merces fuit meriti liberi arbi-

arbitrij, & talis fuisset Adamo, si permanere voluisset, non tamen exclusa indigentia, & cooperatione gratiæ.

205 An non eodem modo loquitur Augustinus in libro de bono perseuerantiæ cap. 7. respondens Hilario, qui de Semipelagianis ad ipsum scripserat nolle eos prędictam differentiam gratiæ recipere, his verbis, *Deindè molestè ferunt ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perseuerantiam, non quæ fieret, vt perseueret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset: nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur?* Legas quomodo in prætacto loco respondeat Augustinus, *Si ergo*, ait, *alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quã defendimus, sola sufficeret: quia nihil reliquit, in quo, tamquam in nostro, gloriemur: siquidem, & vt nõ discedamus à Deo, non ostendit dandũ esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo: qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo; non est hoc omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet*. Nota quę docet, *non est omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt*; omninò, ait: nam defacto in viribus liberi arbitrij adhuc est, cùm liberè benè operetur: sed non est omninò: *fuerat autem* omninò in viribus liberi arbitrij. *antequam caderet*. sed quomodo? in viribus naturalibus, & sine gratia? & vbi erit, quod dixerat, *Quid ergo Adam non habuit gratiam? imo habuit magnam, sed disparem. &, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono?* vt notaui numero 202. fuit ergo omninò in viribus liberi arbitrij hominis antequam caderet, sed vt adiuto gratia: non ita est nũc in viribus liberi arbitrij, quales sunt post casum, sed dandum est à Deo, cùm ostenditur poscendum esse à Deo. Qualiter autem fuerit in homine antequam caderet, & quòd per idem fuerit, per quod steterunt Angeli boni, per verba, quę immediatè subiũgit, ostendit, *Quæ tamen*, inquit, *libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt: & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimè scimus, peruenire meruerunt.*

206 Firmum ergo, & inconcussum stat ratione præstantiæ liberi arbitrij, quam in prima suipsorum conditione acceperunt Angeli, & Adam, istorum omnimodæ potestati per Augustinum relictum fuisse, vt adiutorio gratiæ vtantur, vel non vtantur, quomodo vellent: non verò per gratiam habuisse, vt velint, vel Dei decreto prædefiniente, vt nolint. *Nunc autem per peccatum perdito bono*, vt habet cap. 11. de correctione, & gratia, hac scilicet præstantia liberi arbitrij, *meritò in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti*, si præstantia liberi arbitrii Adam gratia data vti voluisset, *futura erat; sicut fecerunt Angeli Sancti; qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi: & huius debitam mercedem recipere meruerunt; post casum autem*, item ait lib. & cap. 7. citato de bono perseuerantiæ, *hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum: neque, nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo nõu recedat ab eo*. post casũ inquam, sed non ante casum tùm cum homine, tùm cum Angelis, in quibus præstãtiam primę conditionis libertatis voluit ostendere; *Quæ quantùm ualuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi peruenire meruerunt.*

207 Quę autem fuerit ista arbitrij præstantia in prima hominis, & Angelorum conditione; ratione cuius congruum fuit, vt omnimodè libero arbitrio relinqueretur determinatio operis, & vsus; vel non vsus gratię datę, prout vellet: & ex cuius defectu post casum, non nisi ad suam gratiam Deus voluit pertinere, vt Electi accedant, vel non recedant à Deo: non à me, sed ex eodem Augustino excipiãt Lectores in eodem cap. 11. *Illi*, inquit, *non opus habebãt adiutorio, quod implorant isti; cùm dicunt, uideo aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: ac in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, uincendique uirtutem per Christi gratiam, poscunt.* Hic certè, non nisi ad gratiam spectare potest Victoria: quandoquidem ex eodem Augustino in explicatione capituli sexti Epistolę ad Galatas, *Si ex aduerso existant duo, præceptum iustitiæ, & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur, quod ampliùs dilixerimus; si tantumdem utrumque diligitur, nihil eorum sectabimur: sed, aut timore inuiti trahemur in alterutram partem; aut, si utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis, & timoris alternante, quassati*. Post casum ergo deperdita pręstantia liberi arbitrij, quam ha-

habuit Adam, sicut & Angeli in prima eorum conditione, consistens in eo, vt idem Augustinus docet eodem cap. 11. de correctione, & gratia, quod, *ille*, scilicet Adam, *nulla tali rixa à seipso aduersus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur*, hac inquã, liberi arbitrii deperdita præstantia, necnon sui ipsius ad seipsum pace: & exorta concupiscẽtiarum rixa, repugnantibus his legi mentis, ad nihilum valet liberum arbitrium, vt per solum adiutorium dans posse prorũpat in actum bonum, & concupiscentias reluctantes vincat; non quia non possit, aliter liberum non esset; sed quia numquã vincet: sed vel vinci se sinit à concupiscentiis, si istæ magis trahant, quàm gratia: vel ad nihil se resoluet; si æquè ab hac, quàm ab illis trahatur, non obstante tota sua libertate, & posse: & indè gratiæ, excedenti motus concupiscentiæ, vt sic faciat liberum arbitrium operari, refertur victoria; prout in citato loco explicationis Epistolæ ad Galatas docet Augustinus, subdens, *Sed pax Christi vincat in cordibus nostris; tunc enim orationes, & gemitus, & in auxilium inuocata dextera misericordiæ Dei in sacrificium contribulati cordis non despicit, charitatemque sui ampliorem, commendatione periculi, de quo liberabit, exuscitat.*

204 Videamus, quæ fuerit præstantia primæ conditionis liberi arbitrii, ratione cuius congruum fuit ei omnimodò relinquere, vt sicut vellet, se determinaret ex seipso, & ex seipso esset permanentia in bono, vel casus; an clarioribus vis insinuari verbis? nolo hoc desiderio te defraudare, accipe ex cap. 13. eiusdem de correctione, & gratia, *Vt ergo*, ait Sanctus Doctor, *non acciperet hoc donum Dei, idest, in bono perseuerantiam, primus homo, sed perseuerare, vel non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & benè viuendi facilitati perseuerandi committeretur arbitrium.* Sed non obliuiscaris eorum, quæ vsque modo probata sunt, eodem nimirum modo per Augustinum dici relictum fuisse præstantiæ liberi arbitrii primæ conditionis, vt perseueraret, si vellet, Adam, ac Angeli, non solùm qui ceciderunt, sed etiam qui steterunt. *Nunc verò*, subsequitur, *posteaquam est illa magni peccati merito amissa libertas, etiã maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas: ac per hoc, nec de ipsa perseuerantia boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare, si velint: sed in eis etiã operatur & velle: vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint, & velint, perseuerandi eis possibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. nam si in tanta infirmitate vitæ huius*, inquit, *in qua tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat; ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellẽt: inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas succumberet: & ideò perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent: aut non ita vellent infirmitate volũtatis, vt possent: subuentũ est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur: & ideò, quamuis infirma, non tamen deficeret; neque aduersitate aliqua vinceretur, ità factum est*, concludit, *vt voluntas hominis inualida, & imbecilla in bono, adhùc parua, perseueraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliori non perseuerauerit, habens virtutem liberi arbitrii, quamuis non de futuro adiutorio Dei, sine quo non posset perseuerare, si vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, vt vellet: fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet: infirmis seruauit*, aduertis ne promissum hoc verbum *seruauit? vt ipso donante, inuictissimè quod bonum est, vellent, nec hoc deserere inuictissimè nollent.*

20[illegible] Concludimus ergo, & nos totum nostrum satis longum discursum, assignantes ex eodem Augustino differentiam gratiæ, quam habuit Adam, & Angeli in prima conditione vitæ, in qua Deus voluit ostẽdere potentiam, & vigorem liberi arbitrii, ab ea, quam habent Electi post casum, vt vigorem, & firmitatem iam gratiæ, non verò liberi arbitrii ostenderet. *Prima est enim*, ait Augustinus eodẽ præcit. loco cap. 11. de correct. & gratia, *qua fit, ut habeat homo iustitiam si uelit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut uelit: & tantùm uelit, tantoq; ardore diligat, ut carnis uoluntatem, contraria concupiscentem, uoluntate spiritus uincat.* Sed quid illa prima, qua factum est, *ut habeat homo iustitiam si uelit*, & de quà subiicit Augustinus, *Nec illa quidem parua erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adiuuabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non maneret: sed hoc adiutorium, si uellet, desereret*: Est ne illa, quæ ideò dicitur dare posse, & non operari, quia deficit applicatio ex parte Dei, an verò, quia soli libero arbitrio relinquitur, vt suo vigore applicet se, vel non applicet? Audiant Aduersarii Augustinum. *Tunc ergo*, subiungit,

dede-

dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum; dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet, quia dederat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere; quod vellet; sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt. En vbi demonstrata est potentia liberi arbitrij, (quod sic adiuuabatur, vt posset, si vellet adiutorium non deperdere,) in Sanctis Angelis nimirùm, qui, cæteris cadentibus, non gratia, sed libero arbitrio steterunt. Indiges ne vlteriori probatione, vt pacatus permaneas, quòd Augustinus in Angelis Sanctis, qui steterunt, eandem adstruat gratiam, quam adstruit datam fuisse Adamo in prima conditione, vt in vtrisque valorem ostenderit liberi arbitrij: & propterea in vtrisque, siue bonum, siue malum æquè libero arbitrio tribuat, & non gratiæ: atque illius mercedem esse simpliciter asserat, non donum gratię? non crediderim non esse id vsque modò superabundanter probatum. Cùm ergo eodem modo loquatur Augustinus de prima conditione vitę hominum, & Angelorum, tùm stantium, tùm cadentium, & in vtroque casu potestati liberi arbitrij, non gratię, tribuat, etiam Angelorum bonorum permanentiam, euidenter probatũ remanet, quòd sicut Adam, & Angeli mali per liberum arbitrium ceciderunt, quia gratia, dante posse perseuerare, non vsi sũt: ita boni, qui steterunt, per liberum arbitrium steterunt, non vi gratiæ: quia hęc non dedit eis perseuerare, sed posse perseuerare, si vellent: at per opus proprij liberi arbitrij voluerunt perseuerare: & ideò hęc in eis perseuerantia meritum fuit proprium liberi arbitrij, & non donum gratiæ speciale, quale datur, *Sanctis, in Regnũ Dei prædestinatis* post casum Adæ, vt Augustinus habet cap. 12. quibus *non tantùm tale adiutorium perseuerantia datur; sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm, vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Ac consequenter probatum remanet aliquod bonum opus, nimirùm Angelorum stantium, & pari modo malum Angelorum cadentium vi liberi arbitrij existentiam habuisse, & futuritionem: non verò vi decreti diuini, æquè prædefiniętis, & prædeterminãtis, vt volunt Aduersarij, omne opus creatæ voluntatis.

210 Proponunt sibi hoc argumentum Aliqui, Thomisticæ doctrinæ sectatores, inter quos recens Illustrissimus Marinarius tom. 2. de Gratia Disputat. 2. cap. 10; & dupliciter respondet: primò dicendo; non colligi ex tota præallata doctrina Augustini, quòd alia secundùm entitatem fuerit gratia data Angelis, qui steterunt, ab ea, qua post casum stant Electi in Christo: sed in vtrisque esse efficacem, & dantem non solùm posse, verùm etiam operari: sicut pari modo fuit ex se inefficax, & dans solùm posse ea, quæ fuit collata Adamo, & Angelis, qui ceciderunt, ac datur nunc iis, qui cadunt; in prima nihilominus conditione vitæ Angelorum, & hominum opus speciali modo ex Augustino, attribui libero arbitrio, quàm attribuatur nunc post originale ex eo, quòd tunc ante peccatum, & in statu illo rectitudinis, in quo homo & Angeli creati fuerunt, gratia erat modo quodam negatiuo, veluti debita, idest nõ positiuè indebita libero arbitrio, ratione meriti status, quo pacto non est debita nunc post peccatum, sed positiuè indebita: & ideò in primo statu benè etiam opera gratiæ dicuntur ab Augustino opera quodammodo propria liberi arbitrij, & non ita nunc.

211 Subtilis certè responsio, vellē tamē, vt iste Illustrissimus reflecteret, quòd opera gratiæ per ipsũ sũt opera gratiæ, ex se efficacis; si ergo ista quoquo modo erat debita libero arbitrio, ratione primi status rectitudinis, cũ Adã, & omnes Angeli fuerint creati recti à Deo, & nullus cũ demerito, omnibus æquè saltē proportionaliter, fuisset à primo vsque ad vltimũ debita; aliquali ergo iniustitia processit Deus, cùm primò eam absque antecedenti culpa, (nam de prima permissione peccati loquor,) aliquibus non dedit, concessa aliis. Quamuis ergo non fuerit indebita ratione iuris demeriti, nullatenus tamen quoquo modo potuit inducere rationem debiti, vt eius opera, tamquã propria liberi arbitri, adscribi potuerint. Et multominùs, vt ita propria dicta fuerint ratione æqualis determinationis, sicut propria eiusdem dicta sunt mala opera, prout loquitur Augustinus, dum ait, *Posset ergo permanere si vellet: sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset.* Quomodo enim eius meritum fuisset, cuius fuit culpa, si meritum ex gratia indebita, & culpa ex iuribus proprijs? nisi ergo determinatio operis æquè fuit expectandã à libe-

ro arbitrio, non stabit, quòd eius meritum fuisset, cuius fuit culpa. Rursus, si legit iam Illustrissimus iste, vt asserit maxima attentione legisse, omnia Augustini opera, quomodo credit posse cohærere responsionem suam illis verbis Augustini cap. 12. de correctione, & gratia; *Placuit enim Deo, quo maximè humana superbiam præsumptionis extingueret, vt non glorietur omnis caro coram ipso, id est omnis homo: vndè autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis, quæ quidem potuit habere, sed perdidit, & per hoc, quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est per liberũ arbitrium?* Ex his namque patet illa vocare Augustinum merita propria hominis, in quibus placuit Deo nullum fore gloriandum, quæ potuit habere Adam, sed perdidit; si enim meritum operis esse non potuit actù, & sub ratione meriti, absque speciali indebita gratia; vndè quis gloriari potuisset de meritis suis præ alio? Quomodo item per idem liberum arbitrium habere potuit, per quod perdidit, si ad habendum non sufficit id, per quod perdidit: sed requiritur specialis gratia applicatiua? Quomodo insuper suę respõsioni cohęrere posse credit verba illa Augustini, supra adducta; *Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* Non satisfuit Augustino dicere, per liberum arbitrium steterunt ipsi; sed addidit particulam illam restrictiuam, *per idem liberum arbitrium*: ad quid quęso addere *idem*, cùm potuisset dicere simpliciter, per liberum arbitrium? Numquid frustrà id addit, vt falsitatem induceret suę doctrinę, quando nõ fuisset per idem; sed per arbitrium magis liberum; & (vt dicunt Aduersarij) applicatum per gratiam efficacem ad bonũ? an propterea addidit *idem*, vt significaret ex sola præcisa potestate arbitrij esse determinationem operis siue boni, siue mali?

212 Prçfata etiam respõsione quomodo saluabit iste modernus Deum in prima Angelorum, & hominum vitę conditione ostendisse, prout ex Augustino probatum est à numero 201. vsque ad numerum 208. quid posset liberum arbitrium sua prçstantia, potentia, & vigore; deindè quid posset suę gratię beneficium; & si enim admittatur gratiã operandi fuisse illi statui quoquo modo debitam, numquid propterea vigor ille, quo in primo statu liberum arbitrium bonorum Angelorum benè operatum est, ita est vigor liberi arbitrij, vt non sit beneficium gratię sanitatis, licet non sit benifitium gratię sanantis? non ergo verum esset, quòd inter gratię, & libe-ri arbitrii vigorem distinxit Augustinus, sed potiùs Deus semper ostendisset debilitatem liberi arbitrij, quod cum solo posse numquam operatur, sed à gratia sit semper operari: à gratia, inquam, vel sanitatis, vel sanante. Quid est ergo, quod dicit Augustinus; *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia, quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui, Diabolo cum suis cadẽte, steterunt ipsi*: &, *Nunc autẽ per peccatum perdito bono merito in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat; item; quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis Sanctis, merces meriti?* Quia? ex eo; quòd primo statui non erat indebita positiuè, propterea ità fuit debita, vt nõ sit donum speciale gratiæ, quòd Deus gratis dedisset, non omnibus, sed quibus placuisset? quomodo ergo nunc, deperdito bono; est donum gratiæ merces boni operis, non tunc, sed fuit in Angelis Sanctis merces meriti, prout etiam fuisset homini, si operari benè, sicut voluerunt isti, & ipse voluisset?

213 Vrgeo ex numero 207. quia Augustinus potiùs fundat præstantiam primę conditionis in non indigentia auxilij, quòd implorant Sancti nunc, cùm dicunt, *Sentio aliam legem in membris meis, &c.* quàm in æquali indigentia gratię, licet non omninò, sicut illis, indebitæ: ex præfato namque numero constat nec Angelos, nec Adamum indiguisse eo auxilio, quo datur pugnandi, vincendique virtus, & robur: sed hoc auxilium ideò facit vincere, quia facit operari; ergo, si hoc auxilio non indiguerunt, iàm non indiguerunt auxilio faciente operari, rixam, & pugnam in seipsis aduersus se ipsos non habentes: Ideò enim, vt eodem numero simul, & numero 209. probaui; hoc auxilio indigent Sãcti nunc, quia aliter concupiscentię motibus traherentur ad opera concupiscentiæ: aut, si æquè gratia, ac illi mouerentur, fluctu dilectionis, vel etiam timoris, alternante quassati, suspensi manerent; hæc autem ratio non militat in his, qui nulla tali rixa à seipsis aduersus seipsos tentati, atque turbati, in illo beatitudinis loco sua secu pace fruebantur; non erat ergo in his ratione huius rixæ periculum, ne succumberent: ergo neque erat necesse ad hos, vt benè operati fuerint, quòd aliqua gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter agerẽtur; hoc enim ideò admittit Augustinus, ne inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet; si enim non hinc esset periculum cadendi Sanctis nunc, sed vniuersaliter defectus ortum haberet,

quia

quia voluntas non esset efficaciter applicata, totus discursus Augustini, quem retulimus numero 208. deficeret.

214 Remanet tandē præfata respōsio impugnata ex iis, quæ dicta sunt numero 201. dū probabā ex Augustino duplicem conditionem vitæ in statu viæ; aliam scilicet tùm hominum, tùm Angelorum prima, in qua Deus ostendit, quid posset liberum arbitrium creatum; aliam deindè post Adæ casum, in qua Deus ostendit, quid posset suæ gratiæ beneficium; & ex iis, quæ dixi numero 209. ostendens in hoc sitam esse harum duarum conditionum vitę differentiam, quòd in prima non fuit data, nisi gratia dans posse agere, vel perseuerare, etiam Angelis, qui steterunt; non verò fuisse datum, vt starent: sed id habuisse vigore liberi arbitrij; in secunda verò dedisse vi gratiæ non solùm posse, sed etiam operari, & perseuerare.

215 Quod si alicui non sufficiant, quæ dicta iam sunt, illis alia addam, vt omnis, quæ adhuc posset circa hoc remanere, dubietas, funditùs eradicetur. Secundùm ergo primæ, & alterius vitę hominum, & Angelorum conditionem ante, & post peccatum, sic vnius, & alterius gratiam distinguit Augustinus incipiens à cap. 11. de Correctione, & Gratia, *Per hunc mediatorem Deus ostendit eos, quos eius sanguine redemit, facere se ex malis in æternum bonos*. Ecce gratiam secundæ conditionis electorum per Christum, vi cuius ex malis post originale facit bonos. *Istam gratiam*, subiungit, *non habuit homo primus, qua numquam vellet, esse malus, sed sanè habuit, in qua, si permanere vellet, numquam malus esset, & sine qua, etiā cum libero arbitrio, bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset.* Nōne hęc est gratia sufficiēs dans posse, sed non operari: seu, vt distinguit Augustinus cap. 12. adiutorium, sine quo nihil fit, nō verò adiutorium, quo aliquid fit? Sed videamus modo, si respectu solius Adami, vel etiam Angelorum, qui ceciderunt hoc adiutorium sine quo adstruat; an respectu omnium, etiam Angelorum, qui in prima conditione vitę, quam habuerunt cum cęteris, idest in statu rectitudinis, in quo creati fuerunt, & Angeli omnes, & Adam cū Eua? *Hæc est*, inquit, *prima gratia, quæ data est primo Adam. Sed hac potentior est in secundo Adam*. Audis primam, & secundam gratiam; numquid per primam de solo Adamo loquitur, an de omni gratia primæ conditionis, & per secundam de gratia Christi datam Electis in secundæ conditionis vitā? progrediamur vltra. *Prima est enim, qua fit, vt habeat homo iustitiam, si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit, vt velit: & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem, contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat*. Dices certè adhuc de prima Adami, & secunda posterorum Electorum suum Augustinum protrahere sermonem; Sed, si ita est, primam conditionem vitæ Euę, & Angelorum tùm stantium, tùm cadentium, vbi ostendendam reliquit? Oblitus ne fuit? Non ita profectò, vide vbi includit, *Nec illa*, subdit, *parua erat, qua demonstrata est potentia liberi arbitrij: quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non remaneret, sed hoc adiutorium, si vellet, desereret*. Nonnè hoc est adiutoriū, sinè quo non fit, non verò, quo fit; hoc ergo adiutorio demonstrata est potentia liberi arbitrij, de qua dicit Augustinus, *Sic ordinasse Deum Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium*. Et deniquè *Angeli quidam, quorum Princeps est, qui dicitur Diabolus, per liberū arbitriū à Domino Deo refugæ facta sunt; cæteri autē per ipsū liberū arbitriū in veritate steterunt, &c.* Hoc adiutorio demonstrata est præstantia liberi arbitrii, dum ait, *Qua tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui, Diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt*. Habes ne quid replices, audi hoc in eodem cap. 11. explicitè ex Augustino ita ad supradicta verba, *nec illa parua erat*, &c. subiungente (*Posset ergo*, de eodem adiutorio, sine quo, loquitur,) *permanere si vellet, quia deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, quod vellet; sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt*, inquit, *Angeli Sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerūt*. Intelligis ne vndè probet illam primā gratiam non fuisse paruam, qua demonstrata est potentia liberi arbitrij? si enim de solo adiutorio, dato Adamo, ibi esset mentio, languor, vel defectus solùm liberi arbitrij Adami cadentis fuisset per eam monstrata: ac simul paruitas gratiæ, non huius magnitudo, & liberi arbitrij potentia, & pręstantia illius primę conditionis. Si ergo Augustinus de ea gratia dicit, *Nec illa parua erat, qua demonstrata est potentia liberi arbitrij*, de qua dicit, *quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium desereret, si vellet*, quod est adiutorium, sine quo non fit, non verò quo fit; indè

indè in Angelis Sanctis demonstratum est hoc adiutorium non esse paruum, & quòd validum, & potens tunc fuerit liberum arbitrium, eò quòd non vi adiutorij, quo non obstante, alij ceciderunt: sed vi liberi arbitrij ipsi steterunt. Audi item quid de Angelis, qui steterunt, post immediatè dicta adiungat, & indè videbis, quo adiutorio steterunt, *Si autem*, ait, *hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quamprimũ facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent, adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent*. Numquid quibus non datur adiutorium efficax, sed sufficiens, non cadunt culpabiliter? dicẽs ergo Augustinus, quod, si *Angelo, vel homini quamprimùm facti sunt, defuisset, non vtique sua culpa cecidissent*, de Adiutorio sufficienti loquitur. Sed reflecte nunc ad particulam illam, *hoc*, demonstratiuam, & conspice, quale adiutorium demonstrat in his Augustinus verbis, *Sicut fecerũt Angeli Sãcti, qui cadẽtibus alijs per liberũ arbitriũ, per idẽ liberũ arbitriũ steterũt ipsi, & huius mãsionis debitã mercedẽ recipere meruerũt, tãtam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quamprimùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent*. Potest ne quisquam dubitare, quòd de illo adiutorio dicitur particula, *hoc*, de quo dixerat quòd per ipsum Angeli Sancti steterunt? non enim aliud adiutorium intercedit, sed indiuisibiliter ponitur pro eo adiutorio, quo & Adam, & Angeli mali ceciderunt, & boni steterunt: immediatè autem cadit super illud, quo ipsi steterunt, quandoquidem reliqua, quæ subsequuntur, tamquam ratio assignãtur, dicente Augustino, *Quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet*, non autem tamquam antecedens, cui referri possit particula demõstratiua, *hoc*; Illud ergo adiutorium, quo Angeli Sancti, cæteris cadentibus, steterũt, adiutorium fuit sufficiens, & sine quo nõ fit, non verò, quo fit, & commune tùm Adamo, tùm omnibus Angelis, & qui ceciderunt, & qui steterunt; & in his vltimis ostensa fuit potentia liberi arbitrij. Audi præterea, quæ subsequuntur, *Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est: quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundum debitum: & tantò amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit*. Nota quid nunc amplius datur, ac consequenter, quòd tũc in prima conditione non fuit datum, *Vt nõ solùm*, inquit, *adsit, sine quo permanere non possumus, etiam si velimus: verùm etiam tantùm, ac tale sit, vt velimus*. Ergo in prima conditione nulli dedit hoc ampliùs, ita vt voluerint: quòd nũc dat: sed solũ sine quo permanere non poterant. Et propterea omnia primæ conditionis ab iis, quæ nunc dãtur Electis, in principio cap. 12. distinguẽs ait, *Numquid, quia erunt bona nouissima potiora, atque meliora, ideò fuerunt illa prima, vel nulla, vel parua?* Et si vis scire, quæ fuerũt prima, quæque nouissima, accipe paulò ante ad prædictum caput 12. *Prima ergo*, ait, *libertas voluntatis erat, posse non peccare, nouissima erit multò maior, non posse peccare: prima immortalitatis erat, posse non mori: nouissima erit multò maior, non posse mori; prima erat perseuerantiæ potestas, bonum posse non deserere, nouissima erit felicitas perseuerantiæ, bonum non posse deserere*. Cernis credo iam, quòd prima non de solo Adamo, sed de omnibus, in quibus voluit Deus ostendere, quid posset liberum arbitrium, dicuntur: & consequenter omnibus datum fuit posse non operari. Hoc item est, quod, postquam distinguit in dicto cap. 12. auxilium, sine quo nullum bonum fit, ab auxilio, quo bonum fit: & primum asserat habuisse Adamum, secundum verò Electos post lapsum: vt ostendat, quòd idem intelligat de omnibus in prima conditione vitæ, quod dicit de Adamo, subiungit, *Maior quippe libertas est necessaria aduersus tot, & tantas tẽtationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseuerantiæ munita, atque firmata*; & infra, loquens de Electis post casum, *Huic peccato vltra non seruiunt, non prima conditione, sicut ille, liberi: sed per secundum Adam Dei gratia liberati*. Numquid de solo Adam, & non de Angelis, qui steterunt, verificatur, quòd in Paradiso tot, & tantas tentationes non habuerint; aut iste solus, & nõ illi fuerunt prima conditione libertatis liberi. Nisi ergo obstet propriæ opinionis passio, quis erit rationis compos, qui ex dictis non discernat, ex Augustino auxilium dans operari, seù quo fit, solùm hominibus reseruasse Deum post lapsum, secundùm quòd electis in Christo ostendat, quid possit suæ gratiæ specialis beneficium: vt, qui gloriari vult, non in seipso, sed in Domino glorietur; omnibus autem ante peccatum dederit solùm posse permanere, si vellent: vt, qui operati sunt, libero arbitrio operati sint, non vi specialis gratiæ: nec enim dicit Apostolus, vt nemo de seipso gloriari possit, ad excludendum

etiam

etiam Angelos, qui steterunt: *Sed, vt non glorietur omnis caro coram ipso. Placuit enim Deo*, ait Augustinus cap. 12. *Quo maximè humanæ superbiam præsumptionis*, quo scilicet quolibet, vel minimo circumfertur flatu, *extingueret, vt, non glorietur omnis caro coram ipso, idest omnis homo*, explicat idem Sanctus Doctor; numquam autem quid simile dictum est de Angelis, qui non ita facilè vento vanæ gloriæ circumferuntur; cùm præcipuè statim confirmati fuerint in gratia, ne vltra cadere possint, vt infra constabit.

216 Secundò autem respondet ad nostrum antecedentem discursum, iuxtà modum, secundùm quem sibi proposuit idem Modernus, quòd differentia gratiæ datæ Adamo, & Angelis in prima conditione ab ea, quæ datur Electis post peccatum, in eo cōsistit, quòd, cùm Adam, & Angeli in illa conditione non turbati fuerint, & conquassati alia lege, repugnante legi mentis; non indigebant illo auxilio ex Augustino, quod implorant Electi post lapsum, vt liberentur per Iesum Christum Dominum nostrū de corpore mortis huius: & ideò speciali modo in his præ illis, tribui gratiæ benè operari, & permanere.

217 Sed iam ex huius Moderni responsionibus, quisq; videt eū non sibi aliud proposuisse ex tota antecedenti Augustini doctrina, nisi id, quòd est, quomodo opera hominum, & Angelorum in prima conditione tribuerit Sanctus Doctor speciali modo libero arbitrio, quàm tribuantur opera bona Electorum post lapsum. Cæterùm, qui se iactat magna attentione peruoluisse totum Augustinum, vt eius sensū germanum acquirere potuerit, &, cùm prius fuerit scientiæ mediæ Defensor, adstrictum fuisse eam respuere, doctrina Augustini conuictum, non curauit attendere ad reliqua, quæ vsque modo dicta sunt ex eodem Sancto Doctore, quòd videlicet in prima liberi arbitrij creati conditione, noluit Deus suę gratię beneficium ostendere, sed potentiam, & pręstantiam arbitrij, & quòd propterea tunc non dedit ei gratiam, qua facerent; sed sine qua non potuerint benè agere, vt euidenter ostensum est. Et quidem nolo hic anteponere vnum, quod dicam suo loco, agens contra Lutherum, & Caluinum, nullam videlicet prorsùs creaturam, nec Angelicam, creari sine suis naturalibus inclinationibus, quibus priùs fertur, operans naturaliter, ad seipsam, quàm extra se: & ideò nec Angelum, secundùm pura naturalia, posse amare Deū super omnia: atque adeò, sicut homo per donum iustitię originalis in prima conditione non turbabatur concupiscentiis proprius; ita etiam quodam proportionali dono indiguisse etiam Angelos, ne turbarentur suis naturalibus inclinationibus: per hoc enim tàm Angeli, quàm homo dicuntur fuisse creati recti, cum aliquo scilicet dono, quo recto ordine potuerint ad Deū super omnia conuerti, & in eodem ordine permanere, si voluissent: cùm hæc autem etiam sint dona indebita naturæ secundùm se, & gratuita, iam etiam illi ex gratia non ita turbabantur: vnde omnis ratio benè operandi esset à Deo, si non relictum eorum arbitrio fuit se applicare quocūque voluerit; sed à Deo etiam fuisset applicatum:

218 Hoc, inquam, relictos sic arguo istud adiutorium, quod petunt Electi post lapsum, vt liberentur, &c. est ne illud idem, quod facit operari, an non? S. Augustinum consule cap. 11. de Correctione, & Gratia in illis verbis, *Quoniam in eis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: ac in tali certamine laborantes, ac periclitantes dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt*. Hoc ergo auxilium exposcunt, quo aduersantes concupiscentias, ad malum trahentes, vel à bono impedientes, vincunt, operando: si ergo etiam illi indigebant, hoc auxilio faciente operari, tam in hoc vtique essent pares, & in ratione operandum vtrique pari modo à gratia haberent, non libero arbitrio; quamuis Electi post casum non solùm haberent operari per gratiam, sed etiam vincere tentationes: vnde eadem gratia esset duplici titulo gratuita in Electis post casum, ante lapsum autē, & in prima conditione fuisset vno solo titulo gratuita.

219 Vrgeo: nam, quòd gratia sit duplici titulò gratia; sanans scilicet gratuitò, & faciens operari: vel vno solo, faciens nimirum operari, dumtaxat facit, quòd opus in vno casu est magis gratuitum, & maius beneficium, quàm in alio: non verò quòd opus tribui plus possit libero arbitrio; quòd nihil plus ad opus ex se præstat in vno, quàm in alio casu; ergo doctrina responsionis iam datæ vndecumque ruit, dum ex eo, quòd in prima conditione non indigebant homines, & Angeli gratia sanante; sed benè, faciente operari: propterea vult præfatus Modernus opus tribuendum fore magis, imò simpliciter libero arbitrio, non facienti operari, quàm gratiæ, facienti operari.

220 Proponunt prætereà sibi alij, inter quos noster Maignan in sua Philosophia Sacra,

cap.

cap. 35. propos. 12. relatam à nobis Augustini doctrinam, sed ex motiuo omninò oppositoilli, quo sibi proponunt Thomistæ propter defendēda decreta Dei in ordine ad omne opus creatæ voluntatis antecedētia, & efficacia: nam isti sibi proponunt, vt indifferentiam omnimodam decretorum Dei, & gratiæ secundùm vires intrinsecas, tùm respectu Angelorum, & hominis ante lapsum, tùm respectu Electorum post lapsum, quàm defendunt, ostendant non oppugnari per præfatam Augustini doctrinam. Quapropter dicunt vtrobique pari modo se gerere Deum præbendo solùm gratiam dantem posse, & relinquendo libero arbitrio determinationem actus: hoc nihilominus non obstāte, speciali quodā modo opera primæ conditionis vitæ debuisse tribui plus libero arbitrio, quā gratiæ: & econtra gratiæ, plus quā libero arbitrio opera bona post lapsū. Quatuor autē rationes assignat noster Maignā pro sua stabiliēda doctrina.

221 Prima est, quā tetigimus ex Marinario nu. 110. quòd videlicet Adā, & Angeli aliquod ius indirectū habebāt: non quidē ad gratiam efficacem, vt vult Marinarius, quo pacto Deus contra hoc ius egisset, illam nō tribuendo omnibus, cùm primò creauit homines, & Angelos rectos, & innocentes: sed solùm gratiam dantem posse, qualem isti Doctores volunt esse, secundùm entitatem, omnem gratiam, etiam qua operamur: hoc autem indirectum ius ita explicat cap. 34. propos. prima numero 1. quòd, licèt Deus nihil debeat nec Angelo, nec homini, ratione independentiæ, & supremi dominij, etiam cùm eos creauit innocentes, præcipuè ea, quæ non spectant ad ordinem naturæ: & ità nullum ius, quasi proprium, potuerint habere in gratiam; sibi tamen ipsi, vt sapientissimo, & optimo conditori debet, vt opera sua faciat in suo genere perfecta, ac consequēter vt creaturam rationalem condiderit rectam, & cum posse ordinare sua opera in laudem, & gloriam ipsius Dei: quod fit per gratiam dantem illi posse se erigere supra seipsam ad Deum; ex quo aliquod ius indirectum in opere, quatenus facto à Deo, insurgit ad gratiam: ideòque ratione huius indirecti iuris, quidquid auxilio gratiæ operati fuerunt bene Angeli Sancti, libero arbitrio, quasi viribus proprijs operanti, fuit attributum; Quoniam verò homines post lapsum deformes fiunt à prima Dei conditione, non ex Deo, sed originali culpa, iam omne tale ius indirectum amiserunt: & ideò, quamuis non nisi libero arbitrio determinent opus bonū, hoc tamen non debet tribui, nisi gratiæ, dāti vires, omninò gratis datæ.

222 Secunda est, quod creatura rationalis, non habens in prima conditione concupiscentias turbantes cor, & propellentes ad malum, vel impedientes à bono, non indigebat adiutorio, tangente immediatè volūtatem, scilicet inspiratione charitatis, seu pio affectu voluntatis, quò vinceret motus aduersantis concupiscentiæ: sed sola illuminatione intellectus, ad quam non parùm iuuabat etiam claritas naturalis intellectus, non offuscati tunc tenebris pœnalis ignorantiæ: minùs namq; requiritur ad illuminandum intellectum clarum, quàm requiratur pro illuminando obtuso: & ideò tunc in illa prima conditione valde adiuuabat status, & potentia naturalis intellectus, & liberi arbitrij, ratione cuius meritò speciali modo poterant illi attribui opera bona; post lapsū verò non sufficit illuminario intellectus, licet valdè maior: sed prærerea requiritur gratia, tāgens volūtatē, & ad nihil horū iuuat potentia voluntatis lapsorū: & ideò non nisi gratiæ potest tribui opus.

223 Tertia ratio fundatur in modo dictis, quia videlicet, cùm in homine post lapsum sit necessaria diuinitùs inspirata dulcedo, tangens voluntatem, qui consistit in actibus indeliberatis, iam per hos immediatè applicatur voluntas ad actum bonum deliberatum inclusiuè: & ideò huic inspirationi tribuenda est applicatio volūtatis ad opus: econtra verò, quia illuminatio tangit intellectum immediatè, nō voluntatem, indè est, quòd non ita ipsi, sed potiùs libero arbitrio dicitur relinqui, vt se applicet.

224 Quarta, & vltima ratio est, quia nimirùm gratia in natura lapsa valde maior est, tū in ratione doni, tū in ratione beneficij, quàm fuerit in natura sana, & innocenti: & ideò non mirum, si opus bonum Electorum post lapsum speciali modo tribuatur gratiæ, & non ità in natura sana. Est autem maior gratia in ratione doni, quia natura lapsa nō solùm indiget dono Dei, vt possit operari supernaturaliter: sed etiam, vt sanetur de infirmitate contracta, tùm ignorantiæ, tùm concupiscentiarum, captiuantium eam in malum; sana autem solùm indiguit primo dono, non secundo. Est etiā maior in ratione beneficij, adhuc quando non esset maior in ratione doni, quia beneficium dicitur, cùm tribuitur indebitum; ergo quò magis crescit ratio indebiti, eò maius est beneficium: atqui naturæ sanæ non erat gratia positiuè indebita iure culpæ, vt est indebita naturæ lapsæ; ergo, si idem, ac illi, huic tribuatur do-

donum; erit maius beneficium factum huic, quàm illi; quantò ergo erit maius, quando etiam donum est valde excellentius.

225 Mihi quidem ad impugnandam totam hanc Maignani doctrinam, tamquam alienam, non solùm à mente Augustini, verùm etiam Apostoli, sufficeret hoc caput, quòd eam indè conatus est construere; vt etiam alibi ostendam, cùm agam de prædestinatione gloriæ ante merita præuisa, vt absolutè futura: quia non vult admittere Maignan, Deum speciali gratia præuenire Electos præ reprobis, etiam post peccatum: nisi solùm aliquos, quos vocat specialiter dilectos, & prædestinatos, loquendo de gratia secundùm entitatem: quamuis asserat omnes prædestinatos præuenire speciali gratia in ratione beneficij, ob quemdam specialem affectum, quē habet cum illis, de quo suo loco: indè enim est, quòd neque hanc specialitatem gratiæ secundùm se, nisi modis explicatis, vult admittere inter Adamum, & posteros, seu ante, & post peccatum; neque respectu omnium Electorum: taliter, quòd per ipsum gratia Electorum per Christum secūdùm entitatem nihil aliud præstat, nisi restituere eorum libertatem ad eundem indifferentiæ statum, quem habebat voluntas Adæ ante peccatum: non verò, quòd maior in Electis, quam in reprobis, vel Adamo ante culpam, quia in illis plus trahit, ideò faciat operari.

226 Hanc sanè doctrinam opponi illi sententię Apostoli primæ ad Corinth. 4. *Vt in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio: quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* & illi capitis 1. *vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*: sed, *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Item doctrinæ Augustini vbique, & præcipuè in libro de Correctione, & Gratia cap. 12. agentis in eundem præcitatum locum Apostoli cap. 1. & ita asserentis; *Non enim*, ait, *gloriantur iniusti, quia non habent vndè: nec iusti, quia non habent gloriam suam, nisi ipsum, cui dicunt gloria mea, & exaltans caput meum*: ego profectò tamquam certissimum habeo: semel enim, quòd operans benè præ non operante non id habet ex speciali intrinseca motione gratiæ, sed præcisè ex determinatione vnius liberi arbitrij præ alio, quæcumque assignetur maioritas gratiæ ex parte Dei siue beneficij, siue affectus, siue præscientiæ: & ratione horum operans debeat gloriari in Deo: non tollitur per hoc, quòd ipse non ponat aliquid vi liberi arbitrij, quod non ponat alius, habens arbitrium æquè intrinsecè potens: & quòd ratione huius se possit etiam præferre illi, & gloriari etiam in seipso aduersus illum.

227 Adhuc nihilominus volo in examen adducere quatuor supradictas rationes, vt videantur, si fucatæ potiùs sint, an subsistentiam habentes: & quidem quis non videt, quòd ius illud indirectum, (si tamen ius vocari potest, & non potiùs terminus iuris diuini,) fundatur in laude & gloria Dei, quàm Deus ipse intendit in operibus suis? quomodo ergo deindè propterea non Deo danti gratiam, sed libero arbitrio, cui confertur, debebit attribui laus operis? est ne discursus iste legitimus, ius illud est ex debito laudis Dei, ergo laus potiùs libero arbitrio debetur, quàm Deo? Secunda etiam non aliquid plus vigoris habet: vera namque est doctrina de maiori indigentia naturæ lapsæ, quàm sanæ: sed quid inde? numquid propterea respectu primæ debet laus attribui libero arbitrio potius, quàm Deo, quando tota illa sanitas non facit, quin Deus discernat in vtroque casu operantem a non operante? vel, si non Deus discernit, sed liberum arbitrium, æquè ex se seipsum determinās vtrobique, maius posse, quod daret infirmo præ sano, deberet attribui Deo, non operatio, quæ vtrobique ex præcisa libertate potius esset, quam non esset. Tertia autem eadem ratione ruit, quod enim in natura sana intellectus immediatè moueatur, non voluntas, non propterea operatio non est ex isto motu: concupiscentia enim ex Apostolo captiuam ducit voluntatem, si gratia non vincatur: & tamen non mouet eam, nisi media cognitione; dum ergo ita mouet gratia intellectum, vt faciat operari, ipsi attribuenda est operatio: &, si non ipsa ita moueat, vt faciat operari, sed liberum arbitrium, huic semper attribuenda erit operatio: & ratio motus immediati, vel mediati impertinens est, cùm non immediatus motus voluntatis, quia immediatus, faciat operari, vt patet in resistente gratiæ: & mediatus ipse aliquando faciat operari, vt patet in victo à concupiscentia dominante. Quarta tandem non differt à secunda: quòd enim gratia sit maior in ratione tùm beneficij, tùm doni, hoc pertinet ad posse, non ad operari, si verùm esset, prout prætendit Maignan, æquè vtrobique remanere liberum arbitrium indifferens, vt operetur, vel non; iam enim sic maior gratia esset requisita in lapso, non vt sit magis disposi-

tus, vel accinctus ad opus, sed vt fiat æquale in posse, naturæ sanæ; ergo posse, non operatio, esset magis attribuendũ gratiæ, quàm libero arbitrio.

228 Restant modò eneruanda aliqua argumenta ab vtrisque aduersarijs ex authoritate congesta: quibus, licèt ex diuersis motiuis, vt patet ex dictis, probare prætendunt æquè ex Augustino ob maioritatem gratiæ, siue entitatiuè, & secundùm vires, vt volunt primi: siuè solùm in ratione doni, & beneficij, vt asserunt secundi, operari benè nũc Electos, ac Angelos, qui, alijs, cadentibus, in veritate steterunt.

228 Arguunt ergo, & probare id conantur ex eodem Augustino lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 9, vbi loquens de necessitate gratiæ, quam habent etiam Angeli ad operandũ benè, sic habet, *Voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse, & in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret, implendo, meliorem, priùs faciens, excitando, auidiorem*. Ecce, inquiunt, quòd operantes benè impleri vlteriori gratia debuerunt, ne steriles, sicut alii, remanerent. Et infra, *Isti autem*, ait, *qui, cùm boni creati essent, tamẽ mali sunt: aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterũt: aut, si vtrique boni æqualiter creati sunt, illis mala volnntate cadentibus, isti ampliùs adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, vndè se nunquam casuros, certissimi fierent, peruenerunt*. Quibus in verbis, aiunt, operari in vno præ alio indè asseritur, quòd, vel iste minùs amoris, vel ille aliquod aliud speciale adiutorium acceperit. Ex dictis proindè concludit, *Confitendum est cum debita laude Creatoris, non ad solos Sanctos homines pertinere, verùm etiam de Sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis*. Sermone præterea 11. de verbis Apostoli cap. 2. de Adamo ita scribit, *Creatus est rectus, non se fecit rectum: quid se autem ipse fecerit, notum est: cadens à manu figuli, fractus est: regebat enim eum ipse, qui fecerat: voluit deserere, à quo factus erat, permisit Deus, tamquam dicens, deserat me, & inueniat se, & miseria sua probet, quia nihil potest sine me*. Vbi clarè adstruit Augustinus Adamum non cecidisse, quousque Deus suo speciali regimine protexit: cecidisse verò, cùm, permittendo, reliquit: vt probaret experimento, quòd nihil posset sine suo speciali regimine: nam de cętero si abſq; vlio adiutorio sufficienti reliquisset, non *vtique* ex eodem Augustino supra, *Sua culpa cecidisset: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset.*

Quibus addunt authoritatem Fulgentij, cuius doctrina communiter censetur Augustini. Scribens ergo Fulgentius ad Trasimundum de natura Angelica, inter alia ita scribit, *Suis autem ad iustitiam sibi sat esse viribus non incongruè crederetur, si nulla pars eius in deterius laberetur*. Et deinde *Profectò*, inquit, *cognoscitur vniformi cunctos opprimi potuisse ruinę consortio: nisi, quos vellet, à casu prauitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari, depreuaricarique non posset*. & tandem, *Non alia*, inquit, *stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem à ruina potuit reparare: vna est in vtroque gratia operata: in hoc, vt surgeret, in illo, ne caderet: in illo, ne vulneretur, in isto, vt sanetur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sinit: illius esca, istius medicina, &c.* Quid, inquiunt aduersarij, clariùs poterat dicere Fulgentius, vt significaret eadem prorsus gratia non cecidisse Angelos bonos, qua resurgunt Electi post peccatum, ad Deum reuertendo. Relinquo huc adducere plurima alia, quæ cõgerit Marinarius omninò extra propositũ; vel enim pertinent ad solos Electos post lapsum; vel solùm probant in Angelis necessariam fuisse gratiam supernaturalem, & indebitam, dantem illi vires operandi, quod nemo negat, aut negare potest.

230 Isthæc autem, quæ tùm ex Augustino, tùm ex Fulgentio congerunt, multùm fidentes aduersarij, nihil prorsus conducere ad eorum intentum, partim ex ipsismet verbis adductis, partim ex doctrina Augustini de Correctione, & Gratia, probabo, ostendens valde in eis diuersum contineri sensum ab eo, quẽ ipsis attribuere satagunt aduersarij.

231 Ad primum ergo Augustini locum dico in eo duo tangere Augustinum: primum est, quòd naturã Angelorum, faciendo Deus rationalem, ipse fecit bonã, non ipsi se fecerunt bonos: creando scilicet Angelos rectos, & conuersos ad ipsũ, nòn verò Deus creauit eos in se, ipsi deindè liberè se conuerterunt ad ipsum, amando Deum supra seipsos. hoc patet euidenter ex verbis antecedentibus Augustini. *Si autem*, ait, *boni Angeli fuerunt priùs sine bona voluntate, eamque in seipsis, Deo non operante, fecerunt; ergo meliores à seipsis, quàm ab illo facti sunt, absit*. Secundum autem est, quòd, si Deus eandem naturam, quam fecerat sui capacem, & ad seipsum conuersam per amorem, qui excitat auiditatem, & desiderium possidendi Deum amatum, modum non attribuisset ex seipso, & gratuitò, vt sui possessione impleretur, inops certè, & in solo desiderio mãsisset. Et mi-

mirum est, quòd aduersarij vberiorem gratiam velint intelligi per illa verba, *Ex seipso faceret, implendo, meliorem*, quasi gratia, & non visio beata sit illa, quæ desideria expleat Beatorum: imò gratia, quo maior est, eò maiorem auiditatem inducere potest, non desiderij expletionem ratione sui. Sed demus, quòd præfata verba cadãt supra specialitatẽ gratiæ: quid indè? aliã significat esse necessariam ad benè operandum, & perseuerandum, eam scilicet, quę dat vires, & posse physicum, & non sufficere sola bonã volũtatẽ erga obiectum; lege Augustinum de Correctione, & Gratia cap. 11. quid asserat de Adamo. *Tunc ergo*, ait, *dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum: dederat & adiutorium*. Legis ne adiutorium supra bonam voluntatem, in qua fuit creatus rectus? Sed scis iam quale adiutorium dederit. *Tale quippe*, inquit, *erat adiutorium, quod desereret, cùm vellet: & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, vt vellet*.

232 Ad secundum successiuè locum, qui cõtinet quasi solutionem dubij, orti ex primis verbis, quomodo scilicet deindè mali Angeli ceciderint, si omnes fuerunt creati recti, & cum bona voluntate, conuersi, & amantes Deum; cui respondet cecidisse mala propria voluntate: hæc enim sunt verba Augustini. *Isti autem, qui, cùm boni creati essent, tamen mali sunt propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi, cùm à bono spontè defecit*. assignans deindè vndè possit esse, quod isti, & non alii defecerunt, subiungit inter alia, *aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam, quàm illi, qui in eadem perstiterunt: aut, si vtrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, vndè se nunquam casuros certissimi fierent, peruenerunt*. Ad hunc, inquam, locum possem in primis, & benè respondere, quòd tunc Augustinus, scribens contra Gentiles, non aliud probare volebat, nisi quòd Angeli fuerunt creati boni, & non seipsos fecerũt bonos: quamuis deindè per liberum arbitrium in bonitate steterint, vel defecerint: nec tamen ita, vt sine Dei adiutorio ex se ipsis stare potuerint; de cætero non resoluit quomodo steterint, qui steterunt, sed tantummodo transeunter tangit disiunctiuè duos modos, qui relatè ad Gentiles sufficere poterant: eo modo, quo fecit, scribens ad Porphirium in Sex Quæstionibus, quas ei obicerat: vbi fatetur se non egisse cum illo de Gratia, sed respondisse, quantùm sufficeisse visum fuit; in libro autem de Correctione, & Gratia, deindè difficultatem ex professo exagitat; vndè huic doctrinæ in hac differentia standũ est, non illi, quam tradiderat transeunter, & prout tũc sufficiebat in libro de Ciuitate Dei. Nolo tamen vti hac, quamuis optima responsione: sed aduersarios volo conuincere ipsismet verbis Augustini: quomodo enim in eorum sensu ipsi component hæc verba, *Aut, si vtrique boni æqualiter creati sunt, illi amplius, adiuti*, numquid adiutorium nõ est quid bonum? si ergo æqualiter boni creati sunt, quomodo simul stabit, quòd alii præ aliis ampliùs adiuti sint? an forsã in primo instanti create voluit æquales, deinde sine eorum defectu, quasi se emendans, fecit in secundo instanti inæquales? non est ergo, quem aduersarij tribuunt, illorum verborum sensus, vt *ampliùs adiuti*, appellet supra primam mansionem liberã in rectitudine, quàm habuerunt: sed supra statim succedentem confirmationem merito primæ mansionis, ratione cuius deindè confirmationis non potuerunt ampliùs cadere, vt clarè constabit, cum ad loca Fulgentij respondebo. Sensus ergo illorum verborum disiunctiuus est iste, *Aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam, quam illi, & cæt. aut, si vtrique boni æqualiter creati sunt, istis* solis in prima operatione libera mala voluntate *cadentibus, illi*, qui non ceciderunt fuerunt deindè merito huius permansionis, *ampliùs adiuti*, & confirmati, ne possint vltra cadere: sed ad beatitudinis plenitudinem peruenirent, vndè se numquam casuros certissimi fierent. Et quidẽ hunc esse sensũ disiunctiuũ illorum verborũ, clarè quisque habere poterit in libro antecedenti cap. 13. vbi simili omninò modo, sed magis claro, loquitur Augustinus, *Restat*, namque ait, *vt, aut impares fuerint: aut, si pares fuerunt, post istorum ruinam illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accesserit*. Vide quid de Angelis quærat, an scilicet, saltem in veritate permãsuri, sciuerint à primo instanti creationis se futuros esse beatos? hoc est ergo maius auxilium, quòd præ aliis, vel habuerunt in primo instanti, vel non præ aliis in primo, aut secundo, sed post quam cæteri ceciderunt, & ipsi steterunt. An casum tibi credis esse diuersum; legas attentè Augustinum, & non ita credes; post antecedẽtia enim verba libri 12. immediatè subiungit, *Sicut iam etiam in libro, quem sequitur iste, tractauimus*; non dicit sicut à pari diximus, sed *sicut etiam tractauimus*. Quis autem non videt, quòd certitudo summæ fælicitatis confirmat in eius amorem, & desiderium, supra valde quàm firmet spes dubia, & in-

certitudo desiderij? hæc est ergo firmitas, & maius adiutorium, quod affirmat Augustinus habuisse Angelos bonos, non prius, sed post casum aliorum, & merito permanentiæ ipsorum, de qua idem Augustinus mentionem facit lib. de Correctione, & Gratia cap. 10. dum ait, *Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt.* Et quòd loquatur de certitudine ante adeptam visionem, & per reuelationem patet ex verbis, quæ subiūgit. *Si enim, ait, de Scripturis Sanctis nosse potuimus Sanctos Angelos nullos esse casuros, quantò magis hoc ipsi, reuelata sibi sublimiùs veritate, nouerunt.*

233 Ex his patet quid dicendum sit ad tertium: verissimum namq; est, *Etiam de Angelis Sanctis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis*, sed nota modum loquendi Augustini *posse dici*, ait, non vero posse eodem modo dici; Angeli quidem fuerunt creati cum amore Dei, vt eodem loco dicit Augustinus, sed non vi huius charitatis steterunt, cùm etiam mali ita creati fuerint in delitijs Paradisi, & non steterint; at verò Sancti homines vi charitatis, in eis diffusæ per Spiritum Sanctum, stant; potest ergo dici Angelis diffusam fuisse per Spiritum Sanctum Dei charitatem, sed sufficientem ad permanere, non quæ fecerit permanere, vt diffunditur in Sanctis hominibus.

234 Ad quartum, dico indignum esse tantis viris illum adducere pro se, cùm euidenter sit contra ipsos: notent enim verba Augustini, *Regebat enim, ait, eum ipse, qui fecerat: voluit deserere, à quo factus erat; permisit Deus, tamquam dicens, &c.* Si namque, secundùm sensum aduersariorum, Adā non cecidit quousque eum Deus rexit, cecidit autem cùm eum non ita rexit; Deus ergo priùs cessauit à regimine, permittendo casum; nō enim potuit esse primū peccatum, regente eum Deo eodem modo efficaciter; ergo desertus à Deo, ipsoque permittente priùs, Adam cecidit; sed vide, si id continent verba Augustini, an oppositum; cùm dicat, quòd quia voluit Adam deserere eum, à quo factus erat, & regebatur, tunc Deus permisit, quasi dicens, &c? Sensus ergo est, quòd Deus regebat Adam iustitia præceptorum, & sua gratia sufficienti, quam dum secutus fuit Adam, stetit; deindè autem fidem dans Euæ, & Serpenti, dicenti fallaciter, quòd pomum comedentes, erunt sicut Dei, reliquit Adam directionem eandem Dei, quam vsq; ad illud tunc secutus fuerat; & amplexus est priùs superba voluntate, qua voluit esse, sicut Deus, regimen fallentis Diaboli: &, non impediente Deo, in pœnam superbiæ, pomum vetitum comedit, cui tota ruina obligata erat: atque hinc cecidit de manu figuli, & fractus est ipse, & omnes posteri cum eo: vndè, & vidit quid potuerit ipse sua, cui confidit, superba voluntate, aliena à Deo.

235 Ad quintum tandem Fulgentij, incipiendo ab vltimis verbis, vt indè clariùs eluceat sensus cæterorum, dico, quòd aduersarij in verbis allatis solùm attendunt, quæ possint ad eorum sensum trahere, non ad veritatem verborum; quis enim non videt neminem dici stare in aliquo, cùm primò peruenit, sed cùm permanet; hoc enim modo boni Angeli dicūtur in veritate stetisse, nō mali, licet in ea creati fuerint. Notent ergo, quòd, quidquid asserit Fulgētius eodem proportionali modo de Angelis bonis, ac de hominibus reparatis per Christi gratiam, non asserit de ijs, post quā creati sunt, sed de ijs, vt iam stantibus, ratione cuius mansionis confirmati fuerunt in gratia, vt supra dicebam; hoc ergo est, quòd, nisi cōfirmationis gratia fuissent, qui steterunt, virtute diuina solidati, potuissent in alijs instantibus cadere, & opprimi aliorum ruinæ consortio; sicut namque isti, non obstante, quod primò fuerunt creati recti, & conuersi ad Deum, adhuc deindè ceciderunt: ita potuissent post mānsionem etiam cadere illi, nisi Deus firmasset: quo modo loquitur Gregorius lib. 25. moralium cap. 8. dum ait, *Alijs cadentibus, alios à Deo fuisse solidatos*, non dicit, ne caderent, sed, *vtique similiter casuros* pro tēpore futuro, *nisi solidati fuissent.* Et clariùs Bernardus serm. 22. super Cantica, *Qui erexit*, inquit, *hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur.* Si autem per illam particulam, *stanti*, solùm significasset rectitudinem Angeli, cùm omnes fuerint recti, de omnibus id dici deberet; *stanti* ergo ponitur pro eodem, ac perseueranti in veritate, cuius merito datum fuit, ne vltra laberetur. Illa autem prima Fulgentij verba, *Suis autem ad custodiam sibi sat esse viribus nō incongruè crederetur, si nulla pars eius in deterius laberetur*, necessitatem gratiæ confirmationis innuunt pro continuata permanētia, non verò diuersitatem gratiæ pro primo præciso opere.

236 Sed dices hanc responsionem opponi doctrinæ Angelici Doctoris, qui indè obstinationem malorum Angelorum, inter alias rationes, probat, quia sunt inflexibiles,

les, & nulla poterat esse spes resipiscentiæ; & hoc probat ex perfecta compræhensione obiecti, quod semel amplectitur: nec ergo Angeli boni poterant veritatem, quam semel amplexi sunt, deserere.

237 Respondeo in primis, & si id doceat Angelicus, non ita sentiebant illi Sancti Patres, qui in Angelis, qui steterunt adhuc periculum agnoscebant, ne in futurũ caderent. Secundò dico, quòd doctrina illa Sancti Thomæ non est ita crudè intelligenda, cùm etiam, qui ceciderunt, fuerint creati recti, cognoscentes Deum bonum super omnia, & illum amantes, & tamen deindè mutati sunt; non loquitur ergo Angelicus de Angelis in paucis instantibus sui ipsorum esse: cùm enim etiam ipsi sint finitæ virtutis, non possunt statim omnia motiua voluntatis cognoscere; sed loquitur post aliquod tempus, in quo potuerint omnia penetrare, & deindè se determinare: tunc enim difficulter possunt à prima determinatione recedere, quia non potest illis proponi noua ratio, aliter mouens; cæterũ in paruo viæ Angelorum tempore, benè etiam dici potest, quòd Angeli, qui steterunt, poterant noua cognitione superueniente mutari; & addo, hoc dici posse, etiam si concedam non ita malos potuisse resipisci, quãdoquidẽ istis nihil noui promitti poterat à Deo, quod non fuerit antecedenter promissũ, & cognitum ab ipsis, sed superbè non curarunt, capti propriæ naturæ amore, in quo seipsos liberè applicauerunt; illi verò, qui steterunt, quasi ex toto, vt ita dicam, se applicauerunt in contemplãdo Deũ, & parum curarunt de alijs extra Deum: vndè cũ tempore poterant, noua consideratione adueniente, mutari, sicut se mutauerunt primi.

CAPVT OCTAVVM.

Argumenta, quæ Aduersarij ex mala doctrinæ Augustini intelligẽtia cõgerunt in scientiam mediam, deferuntur, & eorum fallacia ex eodem S. Doctore detegitur.

Quamuis in antecedenter dictis omnia tetigerim, quæ ad claram argumentorum afferendorum solutionum intelligentiam quemque inducere possent, præcipuè verò numero 105. 117. & 129. ne tamen Lectoris mentem aliò transmittam, atque vt hic vnitum habeat, quæ in antecedentibus sunt dispersa, antequam argumenta aduersariorum proponam, plura præmonere, & prænotare curo.

238 Prænoto ergo, & præmoneo primò, sententiam de scientia media non consistere in indiuisibili modo propugnandi eam: Alij enim voluntatem creatam ratione suæ libertatis talem esse asserunt, vt etiam in posteris Adæ, non solum possit, verùm etiam defacto, mota ad opposita duobus contrarijs, vel disparatis motibus, resistat motui fortiori, & operetur secundùm quòd à debiliori motu trahitur: quo pacto nullus effectus eius liber potest dici absolutè, vel conditionatè futurus, aut non futurus vi motus fortioris trahentis, vel remouentis voluntatem ipsam: sed præcisè vi liberi arbitrij, ita se determinantis: quo modo forsàn scientiam mediam propugnauit, saltem quo ad modum loquendi, Molina, & alij cum ipso. Quem quidem modum esse contra sensum Augustini libenter concedo, vt mox constabit, imò supra numero 226. probaui esse contra Apostolum: Alij verò dicunt, quòd voluntas, etsi mota ad opposita, physicè possit proximè, & etiam in sensu composito eligere, quod maluerit: semper tamen, vel ferè semper se accommodat motui vehementiori, eò quòd ab isto magis allecta, faciliùs habet, vt se illi accommodet: in quorum sententia non valet simpliciter, ideò hic effectus liber est, vel non est futurus, quia determinauit liberum arbitriũ; valet quidem proximè, & efficienter, valet physicè; sed absolutè, & moraliter nõ valet; nam adhuc assignatur prior ratio, cur hic, & nunc ita determinat liberum arbitrium, videlicet, motus eiusdem vehementior ad hunc effectum potiùs, quam ad alium, Noret quisque, quæ modò dico: si duo proximam habeant aquam, & vnus bibat, alter non, interrogati, cur nõ idem ambo faciant, non respondet vnus volo, alter nolo: sed, ille, quia sitio: hic, quia non sitio. Ratio est euidens, quia, non obstante tota libertate, numquam bibit nauseans potum: nec se abstinet à potu ardore sitis concitatus; ergo, quòd hic, & nunc potiùs quis bibat, quam non bibat, libertate quidem determinat, quod facit, sed secundùm quòd magis, & fortiùs mouetur. Scientia ergo media secundùm primam sententiam fundatur in præcisa

cisa conditione libertatis: at verò secundùm posteriorem sentētiam fundatur principalitèr, & tanquam in prima radice, in conditione qualitatis, fortiùs hic, & nunc mouentis, vel moturæ, si esset, voluntatem creatam.

239 Hæc tamen ita sunt, quando in volūtate ipsa creata supponuntur motus oppositi, vel disparati, & vnus alio fortior: sed, si vel nullus, vel æquales supponantur in ea motus, aliter discurrendum est. Si enim nullus supponitur motus, vt fuit voluntas Adæ, & Angelorum, prout in antecedenti capite ex Augustino probatum est, tunc stat omnimodè in libertate voluntatis, determinare se ad quod voluerit. Et eodem modo dicendum est, quando voluntas volens finem, duo oblata habet media, æquè conducentia; cùm enim media non moueant ratione sui, sed ratione finis, diuersitas illa mediorū materializat in ordine ad motionem finis: & ità in ordine ad eligendum vnum præ alio ex æqualibus, ita se habet volūtas, ac si neuter illam moueret: vndè non potest eligere vnū ex amore efficaci finis: sed quo ad vnum præ alio, si sint omninò paria, eligit, quod maluerit. At verò quando motus sunt formaliter dispares, vel oppositi, & simul æqualiter mouentes, non ita currit ratio: sed potiùs voluntas, hinc indè quassata, suspensa remanet, quousque alter motus, alterum excedat. Iuxtà hos ergo alios casus scientia media de futuro conditionatè libero voluntatis non motæ, siue tùm materialiter, tùm formaliter; siuè solùm formaliter, non poterit fundari, nisi in solo arbitrio voluntatis: & concedo talem fuisse præscientiā, quam habuit Deus de futuro casu Angelorum malorum, & Adam, sicut & de futura permansione eorum, qui defacto steterunt, antequam Deus determinauerit creare; & hoc probatum est toto capite antecedenti; nec vllum argumentum ex afferendis vel apparentem vim habebit contra scientiam mediam, prout respicientem opera primæ conditionis vitæ Angelorum, & hominum. In secundo autem casu dico nullam esse in Deo scientiam mediam de opere libero volūtatis, sed de sola eiusdem suspensione: quæ quidem libera est, quandoquidem, si voluntas est libera ad vincendum fortiorē motum, multò magis ad vincendum æqualem: nihil tamen aget vi motus, sed potiùs vi amborum omnem operationem suspendet.

240 Doctrinam hanc esse totam ex Augustini mente, pluries probaui, sed nunc opportunus est locus, vt memoria ad eadem reuocetur; loquar tamen de iis, quæ pertinent ad opera post casum Adæ, ob quod insurrexerunt in hominibus motus concupiscentiarum: nam de statu primæ conditionis vitæ Angelorum, & hominū, satis superque dictum est capite antecedenti: cùm præcipuè contra scientiam mediā illius status nihil habeant prorsus aduersarij ex Augustino dicendum; nec etiam differentia Propugnantium scientiam mediam cum aduersarijs consistit in eo, quòd voluntas æquè mota operetur, vel non operetur; sed tota in eo sistit, quòd aduersarij prætendunt scientiam mediam esse figmentum, quia volunt futura conditionatè voluntatis creatæ liberæ cognosci à Deo in suo decreto actuali, prædeterminante illa. Econtra Defensores scientiæ mediæ putant figmenta similia decreta de talibus futuris; & dicunt, quòd, sicut defacto vi motus superexcedentis alterum voluntas operatur determinatè, Deo præparante solùm concursum indifferentem: ita, cognoscens Deus conditionatè volūtatem sub eodem motu, & concursu Dei indifferenti, cognoscit, quòd talis in seipso esset determinatus effectus. Hoc ergo præcipuè stabiliendum est ex Augustino, vt indè appareat nihil prorsùs aliud probari argumentis ex Augustini doctrina desumptis, nisi similem vnius motus supra alium excessum, & vi illius dici liberum arbitrium operari; vltimò tamen etiam ex Augustino stabiliam nihil prorsùs determinare voluntatem creatam, cùm æquè ad diuersa, vel contraria mouetur. vndè.

241 Venio iam ad primum, & animum Lectoris aduoco, vt corde puro subsequētia Augustini loca consideret, nimirùm ex libro de Spiritu, & Littera cap 29. *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, vt det, quod iubet: atque inspirata gratiæ suauitate per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare, quod præcipit: quàm delectet, quod impedit.* vides ne benigne Lector, vndè ex Augustino dat Deus, vt faciamus, quod iubet? Item in Enchyridion cap. 118. *Si autem,* inquit, *respexerit Deus, vt ad implenda, quæ mandat, ipse adiuuare credatur, & agi homo ceperit Dei Spiritu, concupiscitur aduersus carnem fortiore robore charitatis: vt, quamuis sit adhuc, quod homini repugnet in homine, non dum tota infirmitate sanata, ex fide tamen iustus viuat, iustèque viuat.* Sed audi vndè: *in quātùm,* sequitur, *non cedit malæ concupiscentiæ, vincente dilectione iustitiæ.* Sed scio iam te dicturum hoc esse, quod quæris, esse videlicet

delicet hoc proprium gratiæ, facientis operari. Si tamen distinguas distinguenda, id profectò non dices. Nemo dubitabit omnipotentiam Dei infinitè excedere omnem motum contrarium, qui posset voluntatē creatam ab opere bono impedire: ideóq; Deo, volenti conuertere corda hominum, nullus poterit resistere. Attamen non est hoc, de quo disputamus: sed vide, quod est, an hæc dulcedo charitatis in homine tentato, & allecto, vt duo, fortior est motu opposito concupiscentiæ, & ideò facit agere; in homine verò tētato, vt quatuor, vel vt sex eadem sit debilior, & indè uincat concupiscentia, & ruere hominem faciat? Si id concedas, non aliud desidero à te; si negas, aduertas, si poteris te iactare cum Augustino sentire? nam, sicut modò probatum est de gratia superante motus concupiscentiæ, eodem prorsùs modo tūc ex Augustino hæc vincit gratiā, & hominē sibi subijcit, cùm motus eius fortior est motu charitatis. Legas quæstionem primam lib. 1. ad Simplicianum, & conspicies sic ibi loqui Sanctum Doctorem, *Peccatū non legitimè vtens lege, ex prohibitione aucto desiderio, dulciùs factū est, & ideò fefellit*. Cernis ne vndè fallit, atque ruere hominem facit? Lege caput 82. Enchyridion, & reperies, quod rationem assignans, cur aliquando, homo, inspiratus ad pœnitentiam agendam, non agat, ita loquitur, *Plerumque infirmitate non agitur, quia & pudor timor est displicientiæ, dum plùs delectat hominum extimatio, quàm iustitia, qua se quisque humiliat pœnitendo*. Lege item eundem, agentem contra Iulianum Pelagianum in supplemento libro 4. numero 40. vbi, loquens de Concupiscentia, quæ in Paradiso Terrestri, Adamo non peccante, ad summum fuisset, sic habet, *Aut talis esset carnis concupiscentia, quæ, nisi anima, hoc est Dei imagine, volente, non surgeret, nec mergeret cogitationem mentis exundantia voluptatis*. Vides iam credo, vndè motus concupiscentiæ voluntatem hominis mergit, quia videlicet exundans est, & superexcedens motus oppositos retrahentes. Vt tamen nullum tibi in hoc remaneat dubium, & euidenter agnoscas pari modo ex Augustino quoad hoc punctum se habere motum gratiæ, quòd tunc vincere faciat, cùm exuberat eius motus, & illū cōcupiscentię excedit, ac pariter supra gratiā vincat cōcupiscētia, cū motus illius hæc excedit, loca tibi exhibebo vtrumque continentia. In libro ergo 3. eiusdem supplementi numero 160. ita habet, *Sed quodlibet de illa, nempè de concupiscentia carnali, sentias, talem te illam, qualis nunc est, vt ad illicita perpetranda, etiam castorum, siue coniugatorum, siue continentium corda sollicitet, & nisi robustiore voluntate resistatur, euertat, in Paradiso constituere posse non crederem*. Euertit ergo corda, etiam castorum, concupiscentia, si ipsa est robustior: superatur verò, quando robustior est amor castitatis. Similiter loquitur lib. 4. numero 28. *Et quoniam*, ait, *si non aduersus eam spiritus fortiùs concupiscat, ad mala pertrahit, malam esse conuincitur*. libro etiam 6. numero vltimo, *Nec huius*, inquit, *cōcupiscentiæ reatus, nisi in renascentibus soluitur, vt eo post hanc absolutionem non inquinetur: nisi qui ei ad perpetrandum opus malum, spiritu aduersus eam, vel non concupiscente, vel non fortiùs concupiscente, consentit*. Requiris ne aliud, dum audis Augustinum, quòd cōcupiscentia mouens ad malum perpetrandum, suum consequitur malum effectum, etiam dum concupiscit aduersus eam spiritus, si non fortiùs hic concupiscat, quam illa? libro item de Spiritu, & Littera capite 19. nonnè vides quomodo loquatur? *Ex hac*, ait, *promissione, hoc est, ex Dei beneficio ipsa lex impletur, sine qua promissione præuaricatores facit, vel vsque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit: vel certè in sola voluntate, si timor pœnæ suauitatem libidinis vixerit*. Concludat tandem totum hunc satis longum discursum exemplum, quod idem Sanctus Doctor pro vniuersali præsentis doctrinæ stabilienda, quam dederat, regula, subiungit in expositione capituli 6. Epistolæ ad Galatas, vbi sic loquitur, *Manifestum est certè secundùm id nos uiuere, quod sectati fuerimus, sectabimur autem, quod dilexemus. Itaque, si ex aduerso existant duo, præceptum iustitiæ, & consuetudo carnalis, & vtrūque diligitur, id sectabimur, quod ampliùs dilexerimus: si tantumdem vtrumque diligitur, nihil eorum sectabimur: sed, aut timore inuiti trahemur in alterutram partem: aut, si vtrumque etiam æqualiter timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis, & timoris alternante, quassati*. Et hic patet, quòd quando motus sunt æquales, suspensi remanemus: sed quia in præceptis positiuis etiam ipsa libera suspensio est peccaminosa: & in negatiuis, facilè potest Diabolus sua subsidia concupiscentiæ adiungere, ideò subiungit Augustinus, *Sed pax Christi vincat in cordibus nostris: tunc enim orationes, & gemitus, & in auxilium inuocata dextera misericordiæ Dei, sacrificium contribulati cordis nō despicit, charitatemque sui ampliorem, commendatione periculi, de quo liberabit, exuscitat*. Crediderim assumptum esse ita ex dictis demonstratum, vt quemlibet relata Augustini loca conuincant.

142 Prænoto autem secundò Prædestinationem hominum Electorum in Christo ante mundi constitutionem, vt loquitur Apostolus ad Ephesios 1. per quam Deus ex hominibus defacto saluat, quos saluat, fuisse factam post præuisionem peccati originalis ex Augustino, quod euidenter patet pluribus eiusdem locis: sed præcipuè ex libro 6. hypognosticon, vbi respondens impostura, quam ipsi attribuebant Pelagiani circa prædestinationem Sanctorum ad gloriam, & reproborum ad pœnam, quòd nimirùm Sanctus Doctor ita illorum electionem, & istorum reiectionem Dei præcisa, & antecedenti voluntate peractam docuerit, nullo habito respectu ad illorū opera, *Vt, si illi nolint orare, aut ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, eos omninò perire non posse: nec prorsù, debere solicitos esse, quos Deus, quia voluit, semel iam eligēdo, prædestinauit ad vitam; quosdam verò sic prædestinauit in gehennæ pœnam, vt etiam, si credere velint, si ieiunus, & orationibus, omniq; se voluntati diuinæ subiecerint, in his Deum non delectari, & vitam illis æternam in toto dari non posse, sic electione prædestinatos esse, vt pereant*. Huic, inquam, imposturæ respondens, sic in primis eos adhortatur. *Inclinate igitur*, ait, *aliquantulum patienter aurem cordis vestri, & qualiter mysterium prædestinationis credamus, &c.* Deindè explicans ipsum nomen prædestinationis, *quod à præuidendo, & præueniendo, vel præordinando futurum aliquod, dicitur*. Tandem ad promissam explicationem prædestinationis, secundùm quòd dixerat credi, deueniens, sic habet, *Massæ itaque humani generis, quæ in Adam, & Eua præuaricatione damnabilis, mortalisque facta est, non conditione diuina generaliter, sed ex debito pœna, cruciatusque gehennæ debetur; venia verò non merito, sed Dei iusti iudicis misericordiæ largitate confertur. Quia verò iustus, & misericors Dominus Deus, præsciusque futurorum, ex hac damnabili massa.* (Ecce assumptum à me secundo loco positum) *non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ irrepræhensibili, quos præscit misericordia gratuita, præparat, idest prædestinat ad æternam vitam; cæteros autem pœna, vt prædixi, debita punit: quia quid essent futuri præsciuit: non tamen ipse fecit puniendos, vel prædestinauit, sed tantùm, vt dixi, in damnabili massa præsciuit*. Rursus, *Quòd si à me quæris scire*, subiungit, *cur duos ita indifferentes fecit Deus, si personarum acceptor non est, quia generaliter, aut punire debet iustitia, aut misericordia liberare*. Vides iā, quòd & misericordia est prædestinatio liberans à miseria: & iustitia damnans, & puniens in pluribus communis massæ peccatum. Si *Contende*, respondet, *cum Paulo, imò, si audes, argue Paulum, qui dixit* ad Romanos 9. *Christo in se loquente, ò homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, vt quid me sic fecisti? an non habet potestatem figulus Luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Infra item, *diximus namque*, ait, *de damnabili humani generis massa Deum præscisse misericordia, non meritis, quos & electione gratiæ prædestinauit ad vitam. Cæteros verò, qui iudicio iustitiæ eius, &c.* Cernis credo secundum Apostolum ad Romanos 8. loqui, *Nam quos præsciuit, & prædestinauit, &c.* quæ verba sunt de ordine intentionis: nam ordo executionis deindè in subsequētibus ponitur, *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & glorificauit*. Euidens ergo est ex Augustino præscientiam, & prædestinationem Electorum præ reprobis fuisse defacto post præscientiam communis corruptionis per Adæ peccatum.

243 Imò ex Augustino hoc decernitur, tāquam quid de fide, cum ita intelligat illa verba Apostoli, *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vas in contumeliam*; vt massa eadem luti idem sit, ac communis conspersio originalis culpæ. Et certè non de ordine executionis solùm, sed de ordine intentionis sunt illa verba Pauli ad Romanos 9. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, cùm conformiter ad ea, sint illa alia, *Quòd enim Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*. Euidēs enim est, quòd lōganimitas Dei in sustinendo vasa iræ ex motiuo ostendendi iram, & potentiam suam, hanc ostensionem respexit, tamquam causam finalem; sicut rationem causæ finalis habet ostensio diuitiarum gloriæ suæ respectu sufferentiæ reproborum propter Electos; & tamen has dicit ostensas in vasis misericordiæ, illam in vasis iræ, aptis iam in interitum. Si autem res ita se habet, quid ergo? Adæ, & Euæ nihil præmij fuerat volitum ante præuisionem casus, atque si non cecidissent? Certè quòd aliquid fuerat præuolitum: cū Ecclesiastici 17. dicatur, *Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hereditauit illos: testamentum æternū constituit cum illis, & iustitiam, & iudicia sua ostendit illis*. vndè.

244 Prænoto tertiò aliud, in quo confusè procedendo aduersarij, volunt debere

bere semper sumendum pro eodem, quod nunc vnum, nunc alterum significat; Est autem hoc, ipsum nomen, prædestinatio: nam, vt patebit, cùm de eo agemus, & etiam ipsis annuentibus aduersarijs, hoc nomen aliquando sumitur pro omni eo, quod est à Deo præuolitum, aut prædefinitum: & ex Augustino dicitur, quòd Deus prædestinauit, vt Cælum moueretur, Terra autem vt immobilis permaneret. Ordinariò verò sumitur pro destinatione creaturæ rationalis ad gloriam. Sed etiam in hac plurima includuntur diuersa, quæ, si confundantur, hallucinationem, non veritatem gignent; vt enim Deus destinet aliquem ad gloriam, tamquam præmium, & mercedem, requiritur in eodem Deo voluntas, siue promissio gloriæ; Item in creatura requiruntur merita, quibus datur merces; vt autem creata voluntas possit efficere actus meritorios, indiget gratia, siuè sanitatis, vt in Angelis, & Adam ante peccatum: siue sanans, vt in omnibus hominibus post lapsum Adæ; & tandem requiritur, vt Deus velit concurrere suo concursu ad actus, liberè eliciendos à volũtate creata. Quanta autem in his sit differentia, quis non videt? gloria namque pendet à nostra libertate, non elicitiuè, & proximè, sed meritoriè, & remotè; non enim beatus ex sua libertate potest videre, aut cessare à visione Dei, sed necessitatur à lumine gloriæ, quo est perfusus: potuit tamen non mereri gloriam; Merita autem nostra pendent, & elicitiuè, & proximè à nostra libertate. Gratia tertiò; siuè sanans, siuè sanitatis, præcipuè prima, nullo modo pendet à nobis: si enim esset ex nobis, merces esset, non gratia, ex Apostolo. Quòd tandem Deus velit concurrere, nec à nobis pendet, sed à solo Deo; habet tamen quemdam respectum ad nos, in quãtùm, licèt Deus concurrat, vel non concurrat, prout ipsi placet, supposito tamẽ, quòd velit concurrere, non destruit, sed perficit nostram libertatem, præstando cõcursum suum, qualem exigit, vel indiget creatura rationalis, & libera.

245 Hinc patet, quòd prædestinatio gratiæ, quæ ordinariò, & absolutè loquendo tùm ex Augustino, tùm ex Angelico, tũ communiter, vt dicetur suo loco, vocatur prædestinatio, cùm antecedat omne opus nostrum bonum, imò detur, vt possimus, vel operemur bonum, non est indifferens ad hanc, vel illam gratiam, & à nobis determinanda, vt Deus det hanc, vel illam: sed Deus sua voluntate, decreto, consilio secreto, & occulto, atque præcedenti, efficaci, & determinato prædestinauit omnibus gratiam determinatam, siue his efficacem, siue illis inefficacem, secundùm quod ei placuit. In hoc conuenimus omnes; an autem in ordine ad gloriam Deus efficaciter præuoluerit his gloriam, & non illis. Item in ordine ad opera bona, an Deus præuoluerit determinatè in saluandis hæc opera bona. Ac tandem an præparando concursum præparet ex se, antecedenter ad nostram determinationem liberam, determinatum ad vnum, an verò æquè indifferentem ad vtrumlibet, in his est lis, & dissensio cum aduersarijs.

246 Non ergo sunt confundenda, & pro eodem accipienda prædestinatio gratiæ, & aliorum auxiliorum (de qua omnes conuenimus esse omninò gratuitam, antecedentem omnimodè ad nostram libertatem, non indifferentem, non inefficacem, sed determinatam ad vnum, & efficacem) cũ prædestinatione gloriæ, & voluntate Dei de nostris operibus bonis, ac decreto de cõcurrendo nobiscum ad ea, in quibus est lis. Et neque par in omnibus, vt mox patebit.

247 Prænoto præterea quartò, quòd, quãuis ego relatè ad Angelos omnes, etiam qui steterunt, nullam defacto, vt suo loco dicam, prædestinationem efficacem ad gloriam, vel ad ipsa opera bona admittã in Deo, sed indifferentem promissionem benè operantibus, & comminationem pœnæ æternæ malè operantibus, reseruata cum hominibus, non verò cum Angelis, conditione, nisi velit in Christo misereri. Nihilominus concedo post præscientiam peccati Adæ, vt absolutè futuri, Deum habuisse in Christo ante mundi constitutionem decretum secretum, incomprehensibile, efficax, determinatũ, gratuitũ, & antecedẽs de danda gloria his præ illis, & propterea de futuritione operum bonorum in his, quorum voluit misereri; sed id, quod constanter nego, est Deum potuisse ad opera meritoria prædeterminare suo efficaci decreto voluntatem creatam, vt liberè operaturam; atque adeò in omnibus, & relatè ad omnes liberè operaturos, dico nũquam Deum præparasse concursum determinatum ab eo ad vnum, concursum, inquam, efficientem, quo indiget creata voluntas, tamquam causa secunda à prima; sed semper æquè indifferentem ad opposita, prout essentialiter requiritur ad hoc, vt voluntas creata operetur liberè. Et quoniam post scientiam mediam Deus benè potest determinatè velle gloriam, vt præmium, & mercedem: item & determinatè

minatè velle merita, eaque efficaciter prędefinire, absque eo, quod voluntatē creatam determinet ad vnum, prout tetigi numero 105; & probabo, cùm de prædestinatione agam, non sic autem ante, vel independenter à scientia media: ideo cōcedo, imò suo loco propugnabo, Deum omnes Electos ex hominibus, quos in secunda adnotatione ostendimus, quòd elegerit post peccatum Adæ, prædestinasse ad gloriam antecedenter ad pręuisa merita; imò quia efficaciter voluit illis gloriā, vt præmium, & mercedem, ideo voluit illlis efficaciter opera bona, & propter habenda hæc, voluit illis gratiam, quam per scientiam mediam præuidit facturam, vt liberum arbitrium operetur, seu subiecturam sibi liberum arbitrium, non verò, qua præuidit liberum arbitrium subiecturum sibi Dei gratiam, vt omnibus Assertoribus scientiæ mediæ Aduersarij attribuunt.

248 Quatuor has adnotationes, quæ, secūdùm quòd probatione indigebāt, iam probatæ manent euidenter ex Augustino, in reliquis verò doctrinam continent propugnantium scientiam mediam, si benignè curauerint Lectores memoriæ firmiter tenere, ego fideli promissione me eis deuincio luce solis clariùs conspiciēdum exhibiturum, nihil prorsus adinuenire Oppugnatores scientiæ mediæ siuè in Augustino, siuè in Angelico Doctore, quod limites eorum, quæ in præfatis adnotationibus continentur, transgrediatur, & cōsequenter nihil aliud pœnitùs eosdem probare, quàm quòd prædestinatio gratiæ sit antecedens, efficax, gratuita, & determinata à Deo ad vnum, & non determinanda à nobis, in quo omnes conuenimus, & laborant litigando, vbi lis cum ipsis nō est. probabunt item ex Augustino, & Angelico, quòd Deus defacto gloriam his prę illis, post lapsum Adæ voluit antecedenter ad merita nostra præuisa, vt absolutè futura, & propter ea opera bona, sed non ante scientiā mediā; & in hoc ferè omnes Assertores sciēriæ mediæ manus ipsis damus; de cætero nūquam probabunt aliquid ex pręfatis Sanctis Doctoribus, vel alijs Patribus, quod vel leuiter aduersetur scientiæ mediæ. Ad obiectiones ergo, ex Augustini doctrina confectas, pro modò referendas procedo; sed ne longitudine earundem confusio aliqua gignatur plures distinctis proponam, & soluam Paragraphis. Vndè sit.

§. PRIMVS.

Quædam ex Augustino obiectio proponitur, & enodatur.

249 Obijciunt primò Aduersarij ex Augustino locum de Prædestinatione Sanctorum cap. 17. in quo ita habet, *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit.* Ex quo loco sic arguunt. Si daretur sciētia media, vel ea Deus futurum conditionatè cognosceret in seipso, vt determinatè habiturum esse conditionatè: vel in volūtate creata, vt conditionatè cognita, vel in conditione gratiæ, & decreto Dei conditionatè cognito, vel tandem in suo actuali decreto absoluto, ex parte sui, & conditionato ex parte obiecti. Si hoc vltimū, iam non erit scientia media, sed scientia visionis in medio actuali, nisi litigemus de solo nomine. Si tertium, iam ergo admittitur, Deum etiam omninò antecedēter ad voluntatem creatam determinare opus liberum, sed hoc erit cognoscere futurum conditionatè in vi consequentiæ, non in vi consequentis, & vt verè in se futurum. Secundum autem dici non potest; quia causa creata, & voluntas, vt libera, est indifferens, & non infallibiliter connexa cum opere, scientia autem Dei est infallibilis, ergo non potest suum obiectum attingere in voluntate creata. Neque tandem dici potest primum, quia, si posset futurum liberum conditionatè cognosci inseipso, multò magis posset ita cognosci futurum absolutè, sed per Augustinum non ita cognoscitur, sed in sua prędestinatione, *In qua Deus sua futura facta præsciuit*, ergo ruit ex Augustino scientia media.

250 Respondeo: Deum futurum conditionatè nullo ex tribus vltimis modis cognoscere, tamquam in medio, in quo; sed solùmmodo in seipso; quia videlicet verè in seipso esset, si essent, quæ requiruntur ex parte causarum. Ad probationem autem in contrarium, iam quisque videt, quòd transitum aduersarij faciunt de futuro absoluto defacto respectu hominum post lapsū originale ad futurum conditionatè; cùm defacto id nos non negemus, vt patet ex quarta adnotatione, eò quòd hoc modo non inuoluit determinationem voluntatis creatæ, si prædestinatio supponat scientiā me-

mediam, vt dicimus supponere Augustinum: *Cuius enim misertur Deus* ex Augustino, *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat, &c. in sua, quæ falli, mutarique non potest, præscientia opera sua futura disponere, id omninò nec aliud quidquam est, quàm prædestinare*, Vt dicebam numero 149. at verò prædestinare determinatè opus, siue defacto independenter à scientia media, siue futurum conditionatè, importat determinare voluntatem creatam, prout tetigi numero 105. & probabo diffusè suo loco.

251 In forma ergo ad argumentum concedo conditionalem maioris: & ad minorem in primis nego primam, & secundam partem, iuxta sensum, quem propositioni Augustini tribuunt aduersarij, quòd nimirùm Deus in sua prædestinatione cognoscat futura nostra libera absolutè, quæ dona sunt, nobis descendentia à Patre luminum, tamquam in medio, in quo: sed dico prædestinationem, de qua ibi loquitur Augustinus, esse puram causam remotam efficientem; scilicet prædestinationem gratiæ facientis hìc, & nunc operari potiùs, quàm non operari; vndè in ea potest benè cognosci futuritio gratię, non futuritio operis gratię: non enim in loco citato Augustinus loquitur de immediata prędestinatione operum bonorum, sed de prędestinatione gratię, quę mediatè potest dici prędestinatio operum, quatenùs illa gratia deindè facit operari, modo explicato numero 118; qui non est sufficiens, vt talia opera cognoscantur in ipsa prædestinatione: quãdoquidẽ illo modo vi illius prędestinationis opera nõ sũt infallibiliter futura siue physicè, siue metaphysicè: sed tantum moraliter. Quòd autem de prędestinatione gratię loquatur Augustinus, patet ex ipso principio capitis, quod ita se habet; *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt Electi, &c.* ecce electionem, non operum, sed vocationis; & ad verba ipsa, quę adducunt aduersarij, sic subdit Augustinus; *Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinauit, impleuit.* Itaque prędestinatio hęc gratię, de qua loquitur Augustinus, cùm ex se non sit infallibiliter connexa cum opere, non est ratio, in qua cognita cognoscatur opus liberum nostrum futurum, sed benè ratio, qua mediante idem opus fit in seipso cognoscibile, quia est causa, vt effectus euadat in se futurus potiùs, quàm non futurus. Nec obstat, quòd Augustinus dicat, *In qua Deus sua futura facta præsciuit*. Idem namque Sanctus Doctor aduertit particulam, in, significare non semel in Scriptura causam efficientem, vel illius instrumentum: loquens enim tom. 10. in Euangelium Matth. serm. 11. de illis verbis, *Si in digito Dei eiicio Dæmonia*, sic habet, *vt quod dictum est in Spiritu Sancto eiicio Dæmonia, tamquam diceretur spiritu eiicio: solent quippe ita loqui Scripturæ interfecerunt in gladio, idest gladio; succenderunt in igne, idest igni, & accepit Iesus cultros petrinos, in quibus circumciderunt filios Israel, idest quibus circumciderunt, &c.* Eadem ergo phrasi dixit Augustinus, *In qua*, hoc est, qua *Deus sua futura facta præsciuit.* Dicet quis forsan, hoc voluntariò, & gratis à me dici: Nolo, vt quis id de me suspicetur; discat ex eodem Augustino, & in eodem libro capite 10. vbi non ponit particulã illam, in, sed, de eadem materia loquẽs, prędestinationem ponit, vt causam efficiẽtem, dicens, *Prædestinatione Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus.*

252 Hæc est vera responsio, quantum spectat ad locum, quem obijciunt aduersarij; sed quia ego ipse suo loco probabo, Deũ defacto ex Augustino prædestinasse gloriã Electis post originale à ite præuisionem absolutam meritorum, & propter gloriam assequendam prædestinasse efficaciter merita, ac deindè propter merita gratiam facientem operari, nec nego cõsequenter Deũ in prædestinatione, non quidem glorię, sed meritorum, cognoscere defacto futura merita Electorum, tamquam in medio, in quo: quandoquidem talis prædestinatio, cum sit efficax meritorum volitio, est cũ illorum futuritione infallibiliter connexa, ac consequenter proportionatum medium ad illa cognoscenda; sed, quod dico, est talem prædestinationem meritorum non esse necessariam, vt eadem merita essent absolutè futura; etenim, si Deus eandem gratiam prædestinasset, absque presuppositione decreti efficacis de gloria, & meritis; sed alio motiuo, adhuc eodem modo eadem opera essent absolutè futura, & vt talia à Deo cognoscerentur; non ergo solùm in prædestinatione per Augustinum talia dona Dei, scilicet opera nostra bona, sunt à Deo cognoscibilia: sed etiam, vt futura in seipsis vi electionis gratiæ facientis operari; vndè ad minorem argumenti, concedo secundam partem, sed nego primam.

253 Instabit quis forsitan ex eodem Augustino lib. 11. Confess. cap. 18. vbi explicitè asserit futura nullatenus esse cognoscibilia in seipsis, cùm in se non sint: sed solùm in causis, in quibus est determinatio actù futuritionis illorum; cùm ergo nulla cau-

sa actû sit ex se connexa cùm futuritione effectus liberi, nisi sola Dei actualis voluntas, non poterunt infallibili Dei scientia cognosci in seipsis, nec in alio, nisi in suo decreto. Antecedens verò probatur, nã prefato loco sic habet Augustinus, *Futura ergo non dum sunt, & si non dum sunt, non sunt: & si non sunt, videri omninò non possunt: sed prædici possunt ex præsentibus, quæ iam sunt, & videntur.* Et paulò ante, *Cùm ergo*, ait, *videri dicuntur futura, non ipsa, quæ non dum sunt, idest quæ futura sunt, sed eorum causæ, vel signa forsitan videntur, quæ iam sunt: ideò non futura, sed præsentia sunt iam videntibus, ex quibus futura prædicuntur, animo concepta.*

254 Respondeo percontando priùs ab Aduersarijs, quomodo Deus cognoscat futurum peccatum? iam enim in seipso non potest cognosci, vt est eorum sententia, non in causa libera, quia, vt talis, non est connexa infallibiliter cum peccato, aliter eadem ratione posset in ea cognosci futuritio actus; numquid ergo vi decreti Dei fit infallibiliter futurum? at cùm ita hoc decretum sit antecedens, iam antecedenter ad nostram voluntatem peccatum erit vi decreti Dei absolutè futurum. Dico ergo in præfato loco Augustinum nõ loqui de Deo cognoscente, cuius cognitio, vt actus vitalis immutabilis, non habet ab obiecto creato rationem visionis, sed ab obiecto primario, scilicet à sua essentia, & omnipotentia, vt continent obiecta creata: ab his autem solùm habet extrinsecam variationem in ratione scientiæ liberæ, & ita omnis extrinseca variatio cognoscibilitatis obiecti sufficit respectu Dei, vt varietur extrinsecè cognitio in ratione liberæ, vt probaui in materia de Scientia: quandoquidem ipsamet cognitio Dei, qua cognoscit suum decretum actu ille, quod potuit in Deo non esse, nihil Deo addit, & si aliquid addat decretum; hoc enim addit Deo aliquem respectum actiuum, qui reddit Deum mutantem, non mutatum: cognitio autem, vt cognitio formaliter, constituit cognoscentem: vndè omnis noua ratio cognitionis mutat cognoscentem, si est intrinseca; loquitur autem de cognitione, qua creatura potest cognoscere futura; & respectu huius, quæ specificatur intrinsecè per diuersum ordinem ad sua obiecta, optima, & verissima est doctrina Augustini. Quòd autem ita loquatur Augustinus patet, quia difficultatem mouet ex compositione temporis præsentis, præteriti, & futuri; respectu autem Dei non datur nec præteritum, nec futurum. Item deindè de seipso subiungit, *Si enim sunt futura, & præterita, volo scire vbi sunt.* Et post loca adducta ab aduersarijs ita etiam subdit, *Tu itaque regnator creaturæ tuæ, quis est modus, quo doces animas ea, quæ futura sunt, docuisti enim Prophetas tuos, &c.*

§. SECVNDVS.

Aliud ex Augustini doctrina cõpactum argumẽtum refertur, & soluitur.

255 Obijciunt secundò ex eodem Augustino ita. Fundamentum scientię mediæ situm est in eo, quòd determinatiuum actionum voluntatis creatæ liberæ non sit Dei voluntas, sed voluntas ipsa creata: atqui hoc pluribus aduersatur Augustini locis; ergo. Probatur minor, quia Augustinus omnia reducit ad Dei voluntatem, & potentiam, vt sint, vel non sint, etiam liberę creatę voluntatis actiones ita, vt non ideò talis actus creatę voluntatis sit, quia ipsa vult: sed potiùs ideò creatura velit, quia Deus vult, vt illa velit. In Enchyridion quippe cap. 95. ita loquitur, *Tunc videbitur, quàm certa, immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei: quàm multa possit, & non velit: nihil autem velit, quod non possit. Quàmque sit verum, quod in Psalmo canitur, Deus autem noster in cœlo, & in terra omnia, quæcumque voluit, fecit: quod vtique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit: & quod est indignius, ideò non fecit, quoniam, ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, vt fiat, vel ipse faciendo.* & capite 97. *In cœlo, & in terra*, inquit, *non quædam voluit, & fecit: quædam verò voluit, & non fecit: sed omnia, quæcumque voluit, fecit. Quis porrò tàm impiè desipit, vt dicat, malas hominũ voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit, in bonum non posse conuertere?* Libro item de Correctione, & Gratia cap. 24. similiter loquitur: ait enim, *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia, quæcumque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quò minùs faciat ipse, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit: nisi fortè quando voluit Sauli Regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, siuè non subdere, quòd vtique in* eorum

eorum propositum erat voluntate, vt etiam Deo valerent resistere: qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, habens sine dubio, humanorum cordium, quò placuerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Et infra modum explicans, subdit, *Numquid corporalibus vllis vinculis alligauit? intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.* Rursùs in eodem libro cap. 7. *illi*, inquit, *Electi, qui secundùm propositum vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti. Horum, si quispiam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum, si quispiam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* & cap. 8. *Quis ignorat*, ait, *fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret: & permansuram, si eadem voluntas maneret? sed, quia præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo non posset esse inanis oratio. Quando rogauit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi, vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem?* Insuper in libro de gratia, & libero arbitrio cap. 16. pari loquitur modo, dum ita scribit, *Certùm est nos facere, cùm facimus: sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui nui dicit, faciam, vt in Iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis. Cùm dicit, faciam, vt faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, vndè non faciebatis: & dabo vobis cor carneum, vndè faciatis? & hoc quid est, nisi auferam cor durum, vndè non faciebatis: & dabo cor obedientis, vt faciatis?* Quid clarius, inquiunt Aduersarij, à nobis est id, vndè non facimus: id autem, vndè facimus, non à nobis, sed ex Deo est; ergo à Deo est determinatio boni operis potiùs, quàm mali. Iuxtà hanc autem doctrinam loquitur etiã libro de prædestinatione Sanctorum cap. 10. cùm ait, *Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit; promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines.* Benè ergo concludimus, inquiunt Aduersarij, scientiam hanc mediam, atque figmentum cum Augustino respuendo, & omnia ad Dei volũtatis efficaciam referendo, verbis eiusdem Sanctissimi Doctoris in libro de Gratia, & libero arbitrio cap. 21. *His, & talibus testimonijs diuinorum eloquiorum*; quæ scilicet ex Scriptura desumpsit Augustinus, *Satis quãtùm existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quòcumque voluerit; siue ad bona pro sua misericordia: siue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen iusto.*

256 Respondeo in omnibus præcitatis Augustini locis, & innumeris similibus alijs, nihil prorsùs contineri, quod limites excedat eorum, quæ in prima, & secunda adnotatione dixi. Vndè vltro concedo per ea euidenter oppugnari scientiam mediam de operibus bonis post originale, fundatã, tamquàm in vnica radice, in præcisa libertate creatæ voluntatis, qualem aliquos tenere dicebam in prima adnotatione, etiam respectu Electorum post communem casum. Cæterùm scientia illa media, quam defendo cum alijs, fundata absolutè, & simpliciter respectu Electorum post Adæ peccatum, tamquam in prima radice, in diuina misericordia conditionatè præconcepta, nec minimò tangitur per doctrinam allatam Augustini, imò potiùs firmatur. Ad argumentum ergo in forma distinguo maiorem, scientia media fundatur in eo, quòd determinatiuum voluntatis creatæ liberę physicum, & metaphysicum, non sit Dei voluntas, sed ipsamet voluntas creata, concedo: quòd determinatiuum moraliter loquendo, & quod moraliter facit potiùs operari, quàm non operari, non sit Dei voluntas: subdistinguo, in ordine ad opera, quibus annexa est malitia, vel in ordine ad opera bona in prima conditione vitæ Angelorum, & hominum, etiam concedo: in ordine ad opera bona post communem hominũ ruinam, nego maiorem, vt patet ex dictis; iuxtà autem distinctionem hanc loqui Augustinum, iam satis superque probatum est; vt tamen maiori claritate, & euidentia pateat longè alienam esse Augustini mentem ab ea, quàm impingere ei volunt aduersarij, singula in examen adduco.

257 Ad primum ergo, desumptum ex libro Enchyridion, antequam respondeam, ab aduersarijs exposco; si voluntas Dei in cœlo, & in terra ita fit, vt nihil faciant homines, nisi sit à Deo præuolitum, quid est illud Actorum 7. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos?* Quid est illud Augustini in Psalmũ 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo nõ fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem?* Aliquid ergo fit ab homine contra Dei voluntatẽ; quid est cõtra, nonnè impediendo, vel nõ ponendo, quod Deus vult? Cùm hoc tamen, ex Augustino

no miro modo componitur, quòd quidē fiat contra Dei voluntatem, non tamen præter, sed intra Dei voluntatem; secundùm aliquod ergo fit contra, sed secundum aliud intra, numquam tamen præter. Totum autem hoc ex Augustino explicaui numero 176, aliquo præsupposito ex numero 125. quæ nunc breuiter iterum referam. Nihil profectò fit præter Dei volūtatem, quia iuxta quòd Augustinus loquitur tùm in prefata explicatione Psalmi 110, tùm in Enchyridion cap. 96. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, vt fiat, vel ipse faciendo: nec vtique nolens, sinit, sed volens*. Quia ergo creatura, vt causa secunda, sine prima nihil potest: ex iis tamen, quæ potest, aliqua Deo placent, aliqua displicent: circa ea, quæ Deo placent, dum ad illa vult concurrere, dicitur illa velle: circa verò, quæ displicent, non dicitur velle, sed sinere, hoc tamen sinere voluntas Dei est, sed cum aliqua inefficaci displicentia. Et ex his etiam patet, quomodo contra voluntatem Dei aliquid fiat; quia videlicet, quòd volens sinit, eidem Deo displicet, etiam quoad materiale, licèt non ratione sui, sed ratione culpæ annexæ: non enim entitas damnati ratione sui displicet Deo, sed ratione peccati, & tamē entitas ipsa punitur priuatione Dei, & pœna ignis: propterea Augustinus libro de Spiritu, & Littera cap. 31. monet, *Nūquam autem legimus in Sanctis Scripturis, non est voluntas, nisi à Deo. Et rectè non scriptum est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo*, vt dicebam numero 183. Quod ergo, Deo volente quidem fit, sed cum aliqua eiusdem displicentia, contra eiusdem voluntatem fit: sed adhuc intra, quia, non nisi eo volente fit. At nō per hoc non fit omnimodè eius voluntas, vt eodem numero 176. explicaui; quandoquidē volūtas illa permissiua Dei nō vnius est, sed duorū disiūctiua: ūdè quodcūq; fiat, sēper impletur eius voluntas: *Vult autē Deus*, ait Augustinus in prefato libro de Spiritu, & Littera cap. 33. *Omnes homines saluos fieri: non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium; quo benè, vel malè vtentes, iustissimè iudicentur: quod, cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio nō credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei*, ait, *inuicta est: vinceretur autem, si non inueniret quid de Contemptoribus faceret. Qui enim*, subiūgit, *dicit V. G. volo, vt hi omnes serui mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes, epulentur, ita vt quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino sēper molat*: Ecce Dei volūtas de laborē in vinea, aut de pœna in pistrino: indè est, quòd *Videtur quidem quicumque contēpserit contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pistrinum, contemnens, effugerit.*

258 Quis ergo est ille, qui non toto animo amplectatur, quod non tam ex Augustino, sed ex Sacra didicimus Scriptura, atque ratione ipsa naturali inditum habemus, Deum nimirùm facere, quæcumque vult: & nec, si tota virtus creaturarum possibilium simul esset vnita, posset vel in nihilo impedire, ne fiat quæcumque minima Dei voluntas, cùm tantùm operari possint creaturæ, quantùm ipsis dat Deus? Semper ergo, & in omnibus, quæ fiunt, Dei voluntas adimpletur: sed eo modo, quo est voluntas; si est voluntas, vt ipse solus faciat, ita fiet; si est voluntas, vt faciat etiam creatura, velerit, vt faciat creatura vnum, & hoc vnum fiet: vel, si tandem est voluntas, vt creatum arbitrium faciat vnū, aut alterum, promittendo vni operi mercedem, alteri pœnam; ita, aut vnum, aut alterum erit opus creatæ voluntatis: &, aut mercedem, aut pœnam retributurus est Deus: atque consequenter omnia, quæcumque voluit Deus, fecit in cœlo, & in terra: & pro vt voluit, ita fecit. Et hinc patet etiam solutio secundi loci Augustini, seù potiùs ad verba secundo loco ex eodem capite adiuncta, quoad spectat voluntatis Dei adimpletionem: circa reliquum verò contentum in eodem loco, dicam mox.

259 Ad secundum autem locum, secundū quòd continet in potestate Dei esse, *vt malas hominum voluntates, quas noluerit, quando noluerit, & ubi noluerit*, conuertere possit in bonum, quis hoc negat: sicut & quòd hoc Deus miserentis opus sit, non volentis, neque currentis hominis? Sed ad hoc dicimus sufficere, si id præstet modo, quo sitiens ratione sitis bibit, non præcisè, quia vult: imò ideò vult bibere, quia sitit: non bibiturus, si aquam nausearet. Quod autem voluntas creata à Dei voluntate sit prædeterminanda, & infallibilitāda sua efficacia ad vnum, hoc est ab Aduersariis probandum, de quo apud Augustinum nec vestigium inuenient. Nec item negamus Deum posse, imò de facto velle efficaciter voluntates creatas, sicut placuerit ei, in bonum conuerti: sed supposita illa scientia, de qua dicit Augustinus. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo*

modo scit ei congruere, ut uocantem non respuat, vt Deus volens, non eum contra propriã naturam faciat operari, sed præbendo ei media, quibus scit, secundùm proprium modum operandi, fore responsurum.

260 Ad tertium autem desumptum ex libro de Correctione, & Gratia, dico in triplici sensu verum esse humanam, vel creatam voluntatem non posse Deo resistere; vno modo ratione dominij absoluti, quo, si velit, ipsam priuare potest omni opere: vel ad opus, quod Deo placuerit, necessitare; certum tamen est Augustinum in præfato loco non ita fuisse locutum, sed in ordine ad actus liberos. Secundò ergo modo potest intelligi, iuxtà communem modum loquendi, quo scilicet omnes motibus, & inclinationibus vehementibus dicimus non posse nos resistere: sicut fortiter tentatus dicitur resistere non posse: vitio affectus ludendi, non posse ab eo abstinere, sitiens non posse se compescere à potu, &c: quo pacto explicat Augustinus illud Ioannis, *Propterea non poterant credere, quia iterum dicit Isaias, &c. Quare autẽ non poterant,* ait Sanctus Doctor tract. 13. *si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebãt.* Et deindè, *Sic autem dictum est, non poterant, vbi intelligendum est, quòd nolebant* excæcati, & indurati in vitijs: hoc ergo modo nullus homo potest Deo resistere, quò minùs faciat ipse, quod vult, etiam de ipsis hominum voluntatibus; non quia physicè, vel metaphysicè non possit homo resistere: atque adeò idem est non posse resistere, ac si diceretur, cùm Deus voluerit, nũquam homo resistet, & indè est, quòd & in Scriptura, & apud Augustinum ipsum, alibi non legitur Deo volenti non potest humanum resistere arbitrium, *sed nullum resistit arbitrium.*

261 At non discedamus à loco, de quo agimus: sed consideremus quo pacto ex Augustino de ipsis hominum voluntatibus faciat Deus, dum vult, quod vult. *Intus,* inquit, *egit, corda tenuit, corda mouit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit;* benè: adhuc tamen inquiritur, quomodo egit, mouit, & traxit: numquid ait, habens sine dubio humanorum cordium, quò placeret, determinandorum omnipotentissimam potestatem? non ita sanè: sed *inclinandorum,* dixit; inclinando ergo id facit, delectationibus internis corda alliciendo: in quo non potest Deus ab vllo creato, & cõcupiscibili obiecto, cùm vult, superari. Et hac ratione Deus habet plus in potestate sua corda nostra, etiam vt liberè operatura, quã habeamus nos ipsi: eò quòd nostra potestas tota quanta est, & si possit, quia potestas est, affecta tamen qualitatibus allicientibus, non operatur, prout præcisè potest, sed secundũ quod magis allicitur. Tertiò tandem potest verè dici hominem Deo volenti nec physicè, nec metaphysicè posse resistere in sensu composito, & si possit in sensu diuiso; sed nõ eo sensu composito, & diuiso, quem adstruunt Aduersarij, quique communis est causæ necessitanti simpliciter; adhuc namque voluntas necessitata, præcisa necessitate, potest vtrumlibet: & solum non potest alterum, in sensu composito cum necessitante causa: sensus autem compositus, de quo loquor, est suppositio ipsa liberi arbitrij, quòd, dum ex se determinat vnum, ex se, non aliundè impeditur ab opposito; quoniam autem Deus nihil vult à nobis liberè, nisi secundùm quòd scit nos nõ fore, vt ipsum respuamus, huius suppositionis scientia non potest homo non agere id, quòd fuit præuisus acturus sub tali Dei inclinatione: quodque iam sub eadem scientiæ suppositione est efficaciter à Deo volitum, vt ex statu conditionato transeat, eodem modo ad statum absolutum, prout suo loco explicabitur.

262 Ad quartum desumptum ex capite 7. eiusdem libri, antequam etiam respondeã, vellẽ vnum ab Aduersarijs scire, non paruę considerationis dignum, quid nimirùm sit, quòd non solum Augustinus, verùm etiam Apostolus, propositum, & voluntatem Dei de fine gloriæ vocant absoluto nomine præscientiæ? *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagines filij sui,* ait Apostolus ad Romanos 8. quos scilicet voluit saluandos, ipsis præordinauit, & præparauit media, secundùm propositum voluntatis suæ. Et alibi, *Non repulit Dominus plebem suam, quam præsciuit.* Item, *nouit Dominus, qui sunt eius.* Nonnè ita loquitur Apostolus, & cum eo Augustinus, quo pacto ex Sacra Scriptura habemus, quòd omnia per verbũ, quod est terminus intellectus, speciali modo dicuntur facta, quã per Spiritũ Sanctũ, qui est terminus voluntatis ex eo, quia opera artis tribuuntur scientiæ artificis, dirigentis volũtatem, potiùs, quàm voluntati imperanti, quæ agit, vti impressa, & secundùm directionem intellectus? nisi enim de intellectu practico, vt dirigente opus, sermonem haberet Apostolus, non esset cohærens sermo; nam priùs deberet poni actus voluntatis, quàm præscientia, subsequens actum: debuissetque dicere Apostolus, quos prædestinauit con-

conformes fieri imaginis filij sui, hos & præsciuit. Videant ergo Aduersarii, quòd hæc præscientia directiua est illa, quam dicimus mediam, & secundùm quam ex Apostolo prædestinat Deus, quos prædestinat; non quia omne, quod præcognouit Deus, prædestinauerit, sed quia nihil prædestinauit cæcè; sed secundùm suam infallibilem, immutabilemque præscientiam, qua non solùm cognouit possibilitatem finis, & mediorum secundùm se, sed etiam congruitatem huius medij præ illo, relatè ad determinatam futuritionē actus meritorij: quod est cognouisse Deū hoc medio, nō illo fore, vt poneretur actus proportionatus, tanquā meritū ad mercedē gloriæ: in quo situs est cōceptus scientiæ mediæ.

263 Hac ergo regula Augustinus in loco adducto ab Aduersarijs in cap. 7. nō priùs dixit, *Horū, si quispiā perit, vitio humano vincitur Deus, &c.* & deindè, *horum, si quispiam perit, fallitur Deus, &c.* sed econtra, ponendo prius infallibilitatē præsciētiæ diuinæ, & deindè potentiæ insuperabilem potestatem; vt significet voluntatem prædestinandi actum liberum non esse in Deo, nisi post præscientiam medij, quo uincenda sit durities cordis humani: & ideò Deus, qui non fallitur, vinci non potest ab obstinatione voluntatis humanæ, supposito, quod voluerit misereri, & illam emollire, non obstante tota potestate eiusdem voluntatis creatæ ad oppositum; & pariter nec potest liberū arbitrium creatum Deo volenti resistere. Atque eodem modo dicēdum non potuisse orationem Christi, ne deficeret fides Petri, esse inanem: eò quòd id sua oratione Petro obtinuit, vt haberet in fide liberrimam, inuictissimam, fortissimam, atque perseuerantissimam voluntatem per Spiritus Sancti infusam charitatem, excedentem omnes insultus, quos Diabolus, & Inimici hominis, vel etiam concupiscentiæ carnales subministrare poterint, vt deijcerent. Quid enim prodest aduersarijs, quòd strepitum faciant sonitu verborum superlatiuorum: cùm non minùs similia superlatiua attribuat Augustinus concupiscentiæ motibus, dum lib. 1. ad Simpl. quęst. prima ait, *Quæ duo, scilicet natura, & consuetudo carnalis robustissimam faciunt, & inuictissimam cupiditatem, quod vocat peccatum, &c.* & libro 19. de Ciuitate Dei cap. 4. loquens de eo, qui desperatione occidit seipsū, *Profectò fatendum est*, ait, *non solùm mala, sed etiam intolerabilia mala esse, quæ hoc eum perpetrare compellunt.* Quantò ergò magis potest dici fortissimum, & inuictissimum id, quod hęc omnia suauia & dulcia reddit, eaque vincens, patienter ferri facit. Pro quo tamen, vt ex prima adnotatione patet, sufficit, si alter motus sua dulcedine malorem alterius superexcedat.

264 Hac eadem ratione patet sensus verborum desumptorum ex cap. 16. de Gratia, & libero arbitrio, nec non illorum, quæ afferuntur ex libro de Prædestinatione Sāctorum: si enim ad Ephesios 2. Apostolus tribuit Diabolo opera malorum hominum dicens, *Qui operatur in filijs diffidentiæ*, Iacobus item concupiscentiæ partium peccati, cùm ait, *Deindè concupiscentia, cùm conceperit parit peccatum*, & Augustinus cupiditati omne peccatum, cùm lib. 1. ad Simpl. quæst. prima ait, *Cupiditas quippe id operatur, cui superanti ceditur*: non quia hæc sit determinatiua voluntatis ad vnū, sed quia, dum motus aduersantes Spiritus Sancti superat, cadat facit liberum arbitrium; quātò magis bona operatio tribui debet Deo, cui, & ex hoc, & innumeris alijs capitibus id debetur, vt constat ex pluries iam dictis?

265 Conclusio ergo Aduersariorum vndequaque conuincitur illegitima, ac valde distans à sensu verborum Augustini, quibus vestitur, quando enim Sanctus Doctor libro de gratia, & libero arbitrio ait, *Satis, quantùm existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum volūtates quòcumque voluerit, siuè ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, &c.* Contra Pelagianos agebat, qui negātes peccatum originale, non solùm negabant necessitatem gratiæ ad benè operandum, qua Deus faciat homines delectari iustitia, quos ex se delectabāt concupiscentiæ, & iniquitas, prout idem Sanctus Doctor ait in Psalm. 57. his verbis. *Venit enim gratia Dei, vt delectet te iustitia, sicut delectabat iniquitas*: sed etiam dicebant concupiscentias, & cupiditates non esse pœnas peccati, sed bona naturalia, ac consequenter negabant, quòd motus, quibus homines trahuntur vi concupiscentiarum, sint à Deo permissæ per denegationem gratiæ superātis; contra has blasphemias probat Augustinus in libro præfato necessitatem gratiæ, qua nos Deus, corda alliciendo, & inclinādo, faciat operari; & quòd eodem modo pœna peccati sit huius gratiæ negatio, ex qua negatione homo deindè vincitur à proprijs passionibus; non quia Deus ipsā, quæ non esset, inclinationem ad malum operetur, vt loquitur Sanctus Doctor lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 4. Deus ergo omnia in nobis, vel in cordibus hominum

minimum operatur, eorum inclinando voluntates: at non eodem modo respectu omnium, sed ad bona, tamquam causa volens, operans, & complacens; ad mala autem, permittendo, quatenus denegando, in pœnam antecedentium peccatorum, suam vincentem gratiam, non impediendo hominum malas cupiditates, inclinantes ad malum. Multa possem exempla ex eodem libro huc transferre, quæ in ipso affert Augustinus, & ex eodem non habent aliud, nisi puram promissionem iam explicatam, significare; sed breuitati consulens, vnum tantum adducam. Inter alia ergo adducit illud Psalmi 104. *Et conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.* Legant Aduersarij, quomodo hæc eadem verba explicet in declaratione Psalmorum tom. 8. *Numquidnam*, ait, *intelligendum est, vel credendum, quod Deus cor hominis ad faciendum peccatum conuertat? an peccatum non est, vel paruum peccatum, odisse populum Dei?* Si autem Deus potest conuertere ad materiale odij, ad quid hæc Augustini interrogatio? Vide tamen ad quid; quia quantum ad hanc conuersionem ad materiale odij indignum est aliquid suspicari in Deo; assignat autem Augustinus, quomodo conuertit. *Non enim*, subdit, *antequam odissent populum eius, boni erant, sed maligni; & impij tales erant, qui facile inuiderent suis felicitatibus; ideo ergo quod populum suum multiplicauit, hoc beneficio suo ad inuidendum conuertit, non illos malos faciendo, sed istis bona, quibus mali facillime possent inuidere, largiendo.* Nō ergo bene inferunt aduersarij ex præfato loco Augustini, quod Deus operetur in cordibus hominum, ea inclinando, etiam ad mala, in pœnam antecedentium peccatorum, cum videamus Augustinum satis laborare, ne Deus dicatur conuertisse homines ad odium aliquorum, quia non effecit in illis malam inclinationem tribuendo; sed solum quia, alijs bona largiendo, illi propria malignitate mouerentur ad odium.

266 Hic scio multa congerere Aduersarios ad probandum, quod, si Deus bona opera non prædeterminaret suo decreto, nisi post scientiam mediam, iam Dei decretum efficaciam emendicaret a libertate hominum, quod Deus expectaret a libertate creata complementum suæ voluntatis, ac mille alias confingunt imposturas, de quibus aliquid dictum est in cap. 3. sed quia similia argumenta potius ex ratione desumuntur, quam ex authoritate Augustini, ideo alibi reseruo refellenda, ostensurus solum hic nihil aduersarios apud Augustinum inuenire, quod vel leuiter suæ opituletur sententiæ.

§. TERTIVS.

Aliud item ex eodem Augustino refertur, & soluitur argumentum.

267 Obiiciunt tertio ex eiusdem Augustini doctrina Aduersarij: Quæcumque causa creata in suo genere est mutabilis, & sola Dei voluntas est, quæ semel quod est, vltra mutari non potest: sed Augustinus omnia reducit ad Deum, vt in inuariabilem causam; ergo vt agentem, & immutabiliter facientem agere, sua præcedente, & efficaci voluntate. minorem probant subiunctis Augustini locis. primo ex tract. 106. cap. 17. in Euangelium Ioannis, vbi habet: *Qui obtinemus per immutabilitatem causas omnia futura præsciuit, quod facturus est, fecit.* Secundo ex Tractatu 110. cap. 17. in idem Euangelium, vbi: *Sed more suo, ait, propter immobilitatem prædestinationis, præteriti temporis verbis futura significat.* Tertio, ex libro de prædest. Sanctorum cap. 16. quoniam ideo sic habet: *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei, id est, sine mutatione stabiliter fixa.* Quarto tandem ex libro de Correct. & Gratia cap. 12. vbi inquit: *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo, quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur.*

268 Respondeo neque vllo ex præfatis locis aliquid proximè colligi, quod scientiam mediam substantem in Deo destruat, præter inspirationem; vel in minimo lædat. Vnde maiorem argumenti in forma distinguo: quælibet causa creata est ex se & ex suo opere mutabilis, & non ita diuina, quæ stabilitate immutabili, siue bonis, siue malis concedo; nego secundam partem maioris: non enim Deus diu necessario, sed liberè potuit nolle, ac consequenter potestate antecedenti, & in genere puræ actiui potuit Deus absque intrinseca sui ipsius mutatione in alterutram partem flecti; mutabiliter autem subsequenti, & ex suppositione, subdistinguo: relatè ad eundem actum, & idem tempus, adhuc nego primam partem maioris; nam impossibile est, vt causa creata pro hoc tempore habeat hunc actum, & pro eodem tempore non habeat; relatè ad diuersa tem-

pora, vel ad diuersos actus, concedo maiorem. Hęc est differentia inter velle Dei, & operari causę creatę, quòd velle Dei non habet tempus ratione sui, licet obiectum, tempore mensurandū, respiciat: vndè quod voluit Deus, vt ponendum tempore determinato, ęternitate voluit: & ideò nunquam potest relatè ad idem tempus nolle: at verò creatura, quod nūc vult crastina die ponendum, potest in instantibus subsequētibus, non quidem eodem voluntatis actu, sed alio, nolle idem obiectum fore crastina die ponendum: imò etiam dolere, & pœnitere de primo actu volitionis: quę omnia aliena sunt ab incommutabili Dei voluntate; Cęterū idem actus, vel operatio creaturę nō potest esse, & nō esse eodē tēpore: ac consequenter supposito, quod sit pro tali tempore futura, eadem innariabiliter erit in tali tempore, sed inuariabilitate ex suppositione.

269 Voluntas ergo Dei, & voluntas creata quoad actum primum, & potentiam antecedentem conueniunt in hoc, quòd vtraque, antequam se determinauerit, poterat velle, & nolle: at in hoc ipso differunt, quòd determinabilitas Dei non est formaliter passiua, sed actiua ad variandum, & mutandum, non vt varietur ipse, vel mutetur, determinabilitas verò voluntatis creatæ est etiam, vt varietur, vel mutetur ipsa, recipiens intrinsecè actum, quo vult. Rursus quoad actum secundum volitionis, & nolitionis conueniunt in eo, quòd, supposita existentia, vel futuritione actus, impossibile est, secundū quòd supponitur, vt possit idem actus non esse: sed differunt, quòd actus secundus Dei non mensuratur tempore, sed æternitate: & ita supposito, quòd est, per æternitatem non potest non esse; actus verò secundus creatæ voluntatis mensuratur tempore; vndè potest esse in vno tempore, vel instanti, & non esse in alio: & ita supposito, quòd est, innariabiliter est secundùm tempus, in quo supponitur, sed non secundùm aliud tempus. Quoad tandem obiectum volitum plus differunt: quandoquidem, cùm Dei volitio mensuretur æternitate, & si eius obiectum mensuretur tempore, semel, quòd Deus voluit, vt aliquod obiectum sit in tali tempore, vi huius actus ita sit pro eodem tempore futurum, vt per nullum alium actum oppositum possit fieri non futurum: essent enim in Deo duo actus oppositi simul æternales; sed non ita respicit suum obiectum voluntas creata: cùm enim ista tempore mensuret suos actus, potest nunc efficaciter velle crastina die iter fore aggressuram, taliter vt si hæc voluntas perseueraret, iter crastina die aggrederetur: & ita huius volitionis vi iter euadit quodammodò futurum; sed, quia ista volitio potest deficere, & aduenire opposita, adhuc obiectum vi primæ volitionis remanet variabiliter futurum; atque adeò obiectum non euadit inuariabiliter futurum, nisi per suppositionem illius actus: qui respicit obiectum, vt mensuratum eodem tempore, quo mensuratur actus, sic namque, sicut non potest pro eo tempore, quo est, non esse actus: ita nec potest pro eodem tempore, quo supponitur, non esse obiectum. Hæc quidem cuicumque euidentia sunt; de qua autem immutabilitate loquatur in locis adductis Augustinus mox constare faciam, singula ex eodem Doctore desumpta examinando.

270 Primus ergo Augustini locus est de obiecto a Deo volito antecedenter, & efficaciter, ac inuariabiliter: sed ista Dei voluntas non est de actibus nostris liberis, in quibus procedit nostra lis cum aduersarijs, imò potiùs de effectibus ponendis à solo Deo: agit enim Augustinus in illo loco de verbis illis Ioannis, *Omnia, quæ audiui à Patre, nota feci vobis*; cùm alibi idem Christus dixerit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Spiritus, qui à Patre procedit, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*: quoniam autem non videntur ista duo loca cohærere inter se, *omnia nota feci vobis*, & *adhuc multa habeo uobis dicere*; & sermo erat de tempore futuro, in quo mittere debebat cum Patre Spiritum Sanctum, ideò Augustinus dixit hoc, quod est, *habeo uobis dicere*, benè potuisse significari verbo præteriti temporis, *nota feci uobis*: *qui enim fecit ea, quæ futura sunt, in immutabilibus causis omnia futura*. Similia, de quibus sermo erat, *prædestinauit, quod facturus est, fecit*; sed iam vides, de quibus futuris loquatur, quæ nempè facturus erat Christus Deus, non quæ facturi essent homines.

271 Secundus autem locus de similibus est futuris; ea enim habet Augustinus in explicando illa alia Euangelij verba. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis*; cùm non adhuc dedisset, sed daturus erat.

272 Sed demus similia verba protulisse Augustinum de futuris hominum liberis effectibus, quid quæso indè inferre possunt aduersarij? Tota Augustini doctrina eò tēdit, vt saluet quomodò futurum possit significari verbis temporis præteriti; ad hoc autem sufficit immutabilitas decreti Dei, adhuc vt omnimodè indifferentis, quod

cui-

euidenter ostenditur; supposito enim decreto indifferenti, iuxta Propugnatores scientiæ mediæ, adhuc creata voluntas determinabit se ad vnum: & posito, quòd se determinabit, non poterit non se determinare, & hoc cognouit Deus; ergo bene, quod est futurum, supposito, quod est, & cognoscitur à Deo, vt futurum, potest ob suæ infallibilitatem suppositæ futuritionis, pronunciari verbis præteriti temporis; nō posset autem ita pronunciari, & esse necessariò, ac immutabiliter futurum, nec quidem ex suppositione, si Deus esset, sicut creatura, in volendo mutabilis; si enim talis esset Deus, non valeret, Deus voluit indifferenter concurrere ad hunc actum liberum, cum quo decreto creata voluntas se determinabit ad talem actum, ergo talis actus erit futurus; quandoquidem, si velle Dei, etiam indifferens, non esset æternum, quod priùs voluisset pro futuro tempore, deindè potuisset nolle: & ita non esset verum, cum tali Dei velle creata voluntas se determinabit, ergo se determinabit: quia iam posset deindè Deus nolle, & creata voluntas nec posset se determinare. Stat ergo immutabilitas futurorum ex suppositione, quòd sint, & quòd à Deo praenoscantur, vt futura, propter immobilitatem voluntatis diuinæ, non solùm efficacis, & prædeterminatiuæ operis, sed etiam indifferentis ad vtrumlibet; & hoc sufficiebat Augustino: vndè ex præfatis duobus locis nihil, nisi explicando, prout ipsis placet, Augustini sensum, contra scientiā mediam colligere possunt aduersarij: at non in re.

273 Tertius locus nec procedit de actibus nostræ liberę voluntatis, sed de donis antecedentibus, & causantibus nostros actus bonos, scilicet de vocatione Dei, prout includit, non solùm gratiam excitantem, sed etiam, vt non permittatur tentari Electum supra id, quod potest, & vt omnia cooperentur in bonum, &c: vide namque contextum Augustini, qualis sit; *Quoniam reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Hæc electio consecuta est, cæteris excæcatis: secūdùm hāc electionem Israelitæ dilecti propter Patres: non enim vocatione illa vocati sunt, de qua dictum est, multi vocati: sed illa, qua vocantur Electi: vndè, posteà quàm dixit, secundū electionem dilecti propter Patres, continuò subiecit, vndè agimus, sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei, idest sine mutatione stabiliter fixa sunt.* Non ergo sensus est, quòd dona, & vocatio Dei sint sine mutatione stabiliter habitura effectum, sed quòd hæc dona nō dātur nobis ex nostris meritis, sed antecedenter ex gratia, & voluntate diuina fuerunt, quibus Deo placuit, stabiliter fixa, & præuolita: ad hunc enim finem adducuntur præfata verba; nam ante illa sic dixerat, *Iam porrò electio, quam dicit, quia secundùm gratiam, non secundùm debitum, debet vtique occurrere.* Et ad hoc probandum adducit antecedentia verba, ad quæ vide, quid etiam concludit, *Ad hanc*, ait, *vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei: nec potest eorum quisquam dicere credidi, vt sic vocarer; præuenit eum quippe misericordia Dei, quia sic vocatus est, ut crederet.* Et deindè, *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt Electi, non qui eliguntur, quia crediderunt*, quo pacto electio non esset firma ex gratia, *sed qui eliguntur, ut credant.*

274 Sed gratis etiam do aduersarijs, quòd sit sermo in præfato loco de stabilitate operū bonorum. Quid indè inferunt contra sciētiam mediam? numquid propterea respuēda sunt alia eiusdem Augustini verba, *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat?* &, *in sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omninò nec aliud quidquam est, quàm prædestinare?* Concedo ergo opera bona Electorum, post originale, de quibus ibi contra Semipelagianos loquitur Augustinus, esse defacto vi decreti Dei fixa, & stabilia: sed post scientiā mediam, fundatam tamen in misericodia Dei conditionatè præconcepta, non in puro libero arbitrio, vt dicebam in prima, & quarta adnotatione: quomodò ergo scientiam mediam similibus locis oppugnant aduersarij, in quibus id, quod continetur, libenter admittimus, imò fundari dicimus in præsuppositione scientiæ mediæ cū Augustino?

275 Quartus locus nihil concludit, nisi cōtra scientiam mediam fundatam in præciso libero arbitrio, & negante indeclinabilitatem ex parte Dei miserentis: Cęterùm, si licuit Augustino in explicatione capitis quinti ad Galatas dicere, *Quod enim magis nos delectat, secundùm id operemur, necesse est*: nec tamen concupiscentia magis delectans, ac captiuans sibi liberum arbitrium, physicè, vel metaphysicè necessitatem, aut determinationem inducit, cùm non sit prima causa determinatiua secundę, & aliàs, more brutorum, omni superante appetitu infallibili freno duceretur creatura rationalis; solùm autem concupiscentia superās dicitur necessitate moraliter, quatenus cupiditati superanti cedit misera voluntas; ergo potest eodem modo dici de Electorum voluntate, quòd indeclinabiliter, & inse-

parabiliter agatur gratia Dei. Cui responsioni adde indeclinabilitatem, & inseparabilitatem ortam ex decreto Dei, subsequēte ad scientiam mediam.

276 Solutum hinc autem maneat aliud argumentum, quod desumitur ex libro 18 de Ciuitate Dei cap. 11. vbi Augustinus ita scribit, *Nouit Dominus, qui sunt eius: quos enim præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, ex eis perire nullus potest*; Verissimum quidem totum est hoc: sed quia, *Nullius Deus frustrà miseretur, cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat*. Præscitus ergo, & prædestinatus perire non potest, quia nec fallitur, nec vincitur Deus; vndè ordine intentionis non potest perire vi decreti Dei miserentis; ordine verò executionis non potest perire impotentia subsequenti, & suppositione scientiæ mediæ, vt suo loco dicetur.

§. QVARTVS.

Quatuor alia argumenta leuioris momenti adducuntur, & eneruantur.

277 Obijciunt etiam quartò Aduersarij locum Augustini, desumptum ex libro vltimo de Ciuit. Dei cap. vltimo, in quo docet, *Nec ideò liberum arbitrium non habebunt, quia peccare non poterunt, magis quippe erit liberū à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabili libertate*. Ergo, aiunt, impotentia peccandi habita etiam vi decreti diuini in Electis, libertatem non aufert: at non aliundè, nisi quia vi eiusdem decreti Deus vult vtrumq; scilicet impotentiam peccandi, & libertatē voluntatis, & vtrumque causat; ergo pariter dicendum in omnibus, & ruet scientia media.

278 Respondeo in præfato capite agere Augustinum, non de libertate Viatorum, sed Beatorum in Patria; in quibus est quidem libertas tùm contrarietatis, tùm contradictionis: sed non ad bonum, & malum, qualis est in Viatoribus: possunt namque Beati amplecti hoc, vel illud bonum, & similiter amplecti, vel non amplecti hoc bonum: sed statim ac inuenirent in eo aliquam rationem mali, vel quòd displiceret Deo, non possunt illud amore prosequi: nec habent proindè libertatem ad peccandum, vel non peccandum: sed libertatem omnem ad bonum præcisè. Vndè potiùs hinc sequitur mea, quàm aduersariorum assertio, videlicet, quòd aufertur libertas, vbi per aliquod aufertur posse ad vtrumlibet: neque enim Augustinus asserit in Beatis maiorem libertatem ad peccandum, vel non peccandum, dum dicit, quòd eorum liberum arbitrium *erit magis liberum à delectatione peccandi*: non enim sumit in his verbis libertatem pro potentia ad vtrumlibet, sed pro carentia seruitutis, & alligationis, quatenus videlicet Beati carent omni eo motu, quo turbantur Sancti Viatores, dum dicūt, *Video aliam legem in membris meis, & captiuantem me in lege peccati, miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* iam enim ab hac lege Beatos liberauit *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

279 Obijciunt quintò ex libro 26. contra Faustum Manichæum cap. 4. subsequentia verba, *Sed vtrum futurum sit nescio, quia, quid habeat de hac re Dei voluntas, me latet*; ex quibus verbis inferunt, ergo supponit Augustinus nihil esse cognoscibile, nisi in voluntate Dei.

280 Quis crederet hæc verba adduci ab Aduersarijs contra scientiam mediā? ego certè non credidissem, nisi legissem. Legat, cui vacauerit, in præcitato loco Augustinū, & conspiciet, quòd quærit, an caro huius, vel illius hominis mutari possit in corpus cœleste; & concedit posse, & quòd, si Deus voluit, erit sine dubio futurum: sed an ita erit, respondet, vt ponitur in argumēto. Hoc autem quis non videt non posse à nobis fieri, sed à solo Deo; nec ergo potest esse futurum, & vt tale cognoscibile, nisi dumtaxat ex, ac in voluntate Dei; vndè ergo inferunt, quòd ea, quæ possunt à nobis liberè fieri, nec possint esse futura, nec vt talia cognoscibilia à Deo, nisi ex, & in prædeterminante voluntate sua? hinc certè apparet, quæ emendicare curet ex Augustino Aduersariorum sententia, non valens propria consistere subsistentia.

281 Obijciunt sextò Alium locum ex libro 5. de Ciuitate cap. 10. *Si autem illa*, inquit Augustinus, *definitur esse necessitas, secundùm quam dicimus, necessè est, vt ita sit aliquod, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis; neque enim & vitam Dei, & præscientiā Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse est Deum semper viuere, & cūcta præscire*. Ergo, aiunt aduersarij, non omnis necessitas libertatem dirimit ex Augustino; ergo nec ex eo, quòd stante Dei decreto efficaci valet dicere, necesse est,

vt

vt voluntas creata operetur, sequitur, quòd lædatur eius libertas.

282 Ego sanè inimicus sum confusionis, & anfractuum; propterea exopto ab Aduersarijs scire, quem sensum tribuant verbis Augustini, ex quibus pro suo intento specialem inferunt conclusionem, vt indè appareat, si benè, vel malè inferant? *Neque enim*, ait Augustinus, *& vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse est Deum semper viuere, & cuncta præscire.* Quid hic per uitam, & scientiam intelligunt aduersarij? numquid liberè Deus intelligit, & amat seipsum? Si ita est, non alia esset libertas, nisi à coactione per Augustinum, quam nec Lutherus, nec Caluinus, nec Iansenius vnquam negarunt, vt ostendā suo loco; & quid quæso magis necessarium, & à potestate ad vtrumlibet magis alienum, quàm necessitas Dei ad intra, quæ est necessitas essentialis omni prorsus potentialitate ad oppositum expers.

283 In præfato ergo loco sermonem habet Augustinus de necessitate ex suppositione liberi arbitrij, coniuncta cum Dei immutabilitate, secundùm quam dicimus, quidquid Deus semel voluit, numquam potest nolle, & quidquid semel præsciuit, numquam potest non præscire: loquitur namq; contra Stoicos, & Ciceronem, qui necessitatem in nostris actibus inferebant, si eos Deus sua præscientia, quæ falli mutarique non potest, præcognouisset futuros: contra quos arguens Augustinus, dicit non esse timendum, ideò à nobis auferri libertatem, quia verissimum est non posse nos aliter operari, vel necesse fore operaturos, secundū quòd nos operaturos præcognouit Deus; non enim est necessitas absoluta, sed ex suppositione nostri liberi arbitrij; in quantùm nimirùm non Deus sua præscientia facit nos operaturos: sed econtra, quia nos sumus operaturi, ideò nos cognouit liberè operaturos; aliter Deo nos ipsos cognituro, si aliàs ex nostra libertate essemus operaturi. An non hoc totum in eodem loco explicat Augustinus? duplicem sanè distinguit necessitatem, aliam quidem antecedentem, seù independentem à nostra libertate, & velle actuali, qualis est necessitas mortis, *Quæ etiam, si nolumus, est*, ait: aliam subsequentem exercitium libertatis, *sicut*, ait, *cùm dicimus, necesse est, esse, vt cùm volumus, libero velimus arbitrio. Neque enim*, subiungit, *ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit: imò ideò non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat, quia ille cuius præscientia falli non potest, ipsum peccaturum esse præsciuit, qui, si nolit, omninò non peccat: sed, si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit.* Vides ne, quòd Augustinus vtitur exemplo mali, non boni operis, vt clariùs explicet præscientiam hanc Dei nihil conferre futuritioni operis, de quo post Dei præscientiam dicitur non posse aliter euenire; hoc namque non nascitur, quia Dei præscientia infallibilis illud reddit infallibiliter futurum: sed econtra, ideò Deus sua infallibili scientia, vt futurum cognoscit, quia supposito, quod erit, erit: &. si erit, non poterit simul non esse: si autem non esset, tamquam non futurum Deus cognouisset, non verò vt futurum? Hac eadem ergo ratione loquitur Augustinus de vita voluntatis, & præscientiæ liberæ Dei, quòd ideò Deus secundùm eam necessariò viuit, quia semel quòd sunt, non possunt amplius non esse, quando ita fuerunt in Deo, vt potuerint nō esse, licèt non secundùm rationem perfectionis intrinsecæ, sed, vel secūdum rationem actiuam mutantis, aut ratione connotati, vt probatur suis in locis.

284 Sed instabis hanc nostram responsionē opponi doctrinæ, quam habet Augustinus, lib. 6. de Trinitate cap. 9. dum asserit, *Non enim hæc, quæ creata sunt, ideò sciuntur à Deo, quia facta sunt, & non potiùs ideò facta sunt, quia immutabiliter à Deo sciuntur.* Ex quo inferunt Aduersarij aliam esse rationem de præscientia peccati, quod non sit, sed est defectus creaturæ rationalis; aliam de resposititua, quæ fit, quia scitur; non scitur à Deo, quia fit.

285 Respondeo me à principio monuisse, eadem verba posse diuersas inducere significationes alijs diuersis adiuncta; indè, si ex verbis discerptis à proprijs locis esset venanda veritas, tota Scriptura posset probari plena contradictionibus, non tam Augustinus, & alij Sancti Patres: sensus ergo verus verborum est consulendus sæpè ex cōtextu doctrinæ: non paucis inclusus verbis, & ab alijs discerptis. In libro de Ciuitate Dei loquitur Augustinus contra Stoicos, & Ciceronem, qui non arguebant ex Dei præscientia infallibili interitum libertatis creatæ in solo peccato, sed in omni præscito, & si Augustinus de solo peccato doctrinam præfatam de præscientia non causante, sed supponente futuritionem, tradidisset, Stoicos, & Ciceronem non sufficienter repulisset. de omni ergo præscientia futuri dependentis à nostra libertate contra eos locutus est, nec propterea illa doctrina opponitur isti, quam tradidit in libro 6. de Trinitate: quandoquidem de alia scientia est sermo hic, de alia ibi. Plures namque communiter distinguimus cū D. Thoma

ma scientias in Deo: aliam simplicis intelligentiæ, quæ habet obiectum necessarium, & creaturas attingit in seipso etiam necessariò: & hæc non est factiua rerum actù, sed potentia, si videlicet adiungitur voluntas, vt docet Angelicus prima par. quæstio. 14. artic. 16. ad primum dicens, *Scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum: quorumdam quidem actù, quæ secundùm aliquod tempus fiunt: quorumdam verò virtute, scilicet eorum, quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt*. Alia est scientia visionis, quæ, etiam ex eodem Angelico, & præcitato articulo in corpore, est duplex, alia practica directiua practicè potentiæ executiuæ actù, in qua dicit consistere formaliter rationem prouidentiæ, & prædestinationis, cùm de his agit; alia purè speculatiua, qua opus factum intuetur.

286 Secundùm autem has diuersas scientiæ Dei acceptiones patet, quòd scientia simplicis intelligentiæ secundùm se non est de futuro, sed euadit deindè scientia de futuro, accedente actu voluntatis diuinæ; eo tamen modo, quo futurum est à Deo volitum, ita dictæ potentiæ executiuæ, illamque dirigit. Tertio autem modo scientia speculatur, quod iam supponitur, non quod iam facit. Prima ergo scientia, vt talis non causat futurum, sed est indifferens; & de hac non loquebantur Stoici, & Cicero. Secunda eo modo est scientia, quo est voluntas: & ita, si voluntas vult obiectum indifferenter, vt fit, vel non fit, nec ista scientia respicit obiectum, vt infallibiliter futurū: atq; adeò neq; de ista scientia loquebantur Stoici; sed de tertia, quæ obiectum speculando, infallibiliter vera est de futuritione obiecti, & indè arguebant auferri nostram libertatem, si Deus ab æterno nostros actus prænouisset: & Augustinus eos refellit ex eo, quòd hæc infallibilitas scientiæ non ponit, sed supponit futuritionem nostri actus: & ideò non potest tollere, quod iam supponit futurum, exercitium libertatis. In præfato libro de Trinitate loquitur de scientia Dei, qua creaturæ videntur incommutabiliter in verbo, tamquam in dicto Patris, creaturæ autem in verbo continentur necessariò, & independenter à voluntate, & in eo consequenter videntur per scientiam simplicis intelligentiæ; de hac ergo cognitione, quæ euadit factiua accedente actu voluntatis, dicit, quòd hæc, quæ creata sunt, non ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt: sed potius ideò potuit Deus facere, & fecit, quia eorum possibilitatem, & modum, quo fieri possent, immutabiliter in verbo cognouit. Quod articulus fidei est, sed nihil contra scientiā mediam facit, secundùm quam non dicimus scientiam simplicis intelligentiæ, adiūcta voluntate diuina, attingere nostros actus, quasi à nobis solùm factos, & non simul, imò per priùs à Deo; sed solùm dicimus Deum non præparare concursum determinatum ad vnum, benè verò ad vtrumlibet.

§. QVINTVS.

Aliud proponitur argumentum simul ex Augustino, & Scriptura confectum, & eiusdem Augustini doctrina fallacia detegitur.

287 OBijciunt Aduersarij septimò illud Actorum 4. *Conuenerunt in veritate in Ciuitate ista aduersus Sanctum puerum tuū Iesum Herodes, & Pilatus, & Populus Israel facere, quanta manus tua, & Concilium prædestinauit fieri*. In quem locum Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum cap. 16. ait, *Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei, & Consilium prædestinauit fieri, quanta necessaria fuerunt Euangelio propter nos*. Ex quo loco prætendunt Aduersarij eodem prorsus modo, quoad entitatem, & materiale actuum, posse, imò defacto à Deo prædestinata, & prædefinita esse bona, ac mala, cùm Herodes, Pilatus, & Populus Israel in malo conuenerint contra Iesum Christum Dominum nostrum; & tamen idipsum dicitur fuisse per diuinum Consilium prædestinatum.

288 Respondeo, quòd, si Aduersarij vellent verba Scripturæ, & Augustini diligēter considerare, non ea nobis obijcerent: nunquid enim legunt alicubi siue in Scriptura, siue in Augustino, quòd nimus, vel consilium Dei prædestinauit Herodem, Pilatum, & Populum Israelem facturos, quod fecerunt? an nolunt discernere, quòd agere fuit per conuentionem Hæbreorum, fieri verò fuit à Deo efficaciter præuolitum, & prædestinatum, quoniam illorum actio displicuit, sed Christi passio odor fuit suauissimus Deo. hæc ergo fuit efficacissimè volita, sed illorum actio purè permissa.

289 Dupliciter autem ex Augustino id intelligi potest. Vno modo, vt, præuisa

pri-

primò mala futuritione volũtatis Hæbreorum contra Iesum Deus voluerit Christum voluntariè, & libenter suscepturum passionem, non verò quia voluerit passionem Christi, ideò permiserit illorum malam actionem. Hoc modo explicat Augustinus præfata verba Actorum 4. in loco citato de prædestinatione Sanctorum, dum ait, *Quid ergo apertiùs dici potest, quam id, quod dictum est, secundùm Euangelium inimici propter vos. Est ergo*, subiungit, *in malorum potestate peccare: vt autem peccando, hoc, vel hoc illa malitia faciant, non est in eorũ potestate, sed Dei diuidentis tenebras, & ordinantis eas*. Vides ne, quòd Deus sua prędefinitione nõ prędestinauit tenebras peccatorum Hebreorum, sed has illorum potestate præuisas, tãquam futuras, diuisit, ac ordinauit, in beneficiũ nostræ redemptionis. Alio modo ex eodẽ Sancto Doctore in cap. 21. Exodi numero 79. intelligi potest, vt videlicet Deus prædestinauerit quidem ante præuisionem peccati Hæbreorum, passionem Christi, imò etiam actionem Hæbreorum; sed præscindendo ab hac actione malitiosa, vel ab alia puræ obedientiæ: poterat namque occidi Christus innocentissimus Agnus Dei, & occidi sine malitia occidentium, siue in pura ignorantia inuincibili diuinitatis, siue alio modo. Audi Augustinum loco citato in illa verba Exodi, *Si quis percusserit aliquem, & mortuus fuerit, morte moriatur: qui autem nolens, sed Deus tradidit in manus eius, dabo tibi locum, in quem fugiat*, quomodò loquatur inter alia, *Sed non facit Deus*, inquit, *vt homo; Deus enim non nisi iustè, homo autem pœna dignus: non quia illum occidit, quem Deus nollet occidi: sed quia per iniquitatem; non enim ministerium Deo iubenti præbuit, sed suæ malignæ cupiditati seruiuit*. Eadem applica Deo volenti mortem, & passionem Christi, & Hærodi, Pilato, ac Hæbreis inferentibus, *Sed non fecit Deus, vt homo*, nempè prædicti Hærodes, Pilatus, & Hæbrei: *Deus enim nonnisi iustè*, exigendo condignam satisfactionem pro peccatis hominum, quæ non poterat, nisi ab homine Deo exiberi: *Homo autem pœna dignus, non quia illum occidit, quem Deus nollet occidi*, iam enim fuerat prædestinatus occidendus; *sed quia per iniquitatem; non enim ministerium Deo iubenti præbuit, sed suæ malignæ cupiditati seruiuit. In vno igitur*, post dicta subdit, *eodemque facto, & Deus de occulta æquitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur: non enim quia Deus* (Ecce casum, de quo loquimur) *proprio Filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ideò Iudas excusatus est, qui eumdem ad mortem tradidit Christum*: quia nimirùm Deus iustè, Iudas verò, suæ inseruiens malignæ cupiditati, Christum ad mortem tradidit.

§. SEXTVS.

Argumentum, cui satis confidit Mastrius, proponitur, & enodatur.

290 Obiicit octauò Mastrius ita: Assertores scientiæ mediæ, ideò eam adstruunt, vt concilient libertatem voluntatis humanæ cum diuina prouidentia, & efficaci Dei prædestinatione; atqui ad hanc conciliandam Augustinus non recurrit ad scientiam mediam, sed ad secretum, & inscrutabile consilium Dei; ergo talis scientia est contra mentem Augustini. Probat minorem pluribus locis eiusdem Augustini: quandoquidẽ hic lib. de Spiritu, & Lit. cap. 34. hanc sibi difficultatem proponens, *Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur, illi autem non ita*, Respondet, *Duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat, O altitudo diuitiarum, &, numquid iniquitas est apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat Doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptiores*. Epistola item 105. *Cur ille*, inquit, *credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident, altitudo est sapientia, & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia*. & infra, *Cur illum potiùs, quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, iudiciorum eius magnum profundum: verumtamẽ caueat præcipitium*. & tandem de Prædestin. Sanctorum cap. 9. vbi, *Cur istum potiùs*, inquit, *quàm illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: meliùs enim & hic audimus, aut dicimus, ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? quàm dicere audeamus, quasi nouerimus, quod occultum esse voluit*. Ita discurrit Mastrius in 1. Sẽtent. disp. 3. quęst. 4. art. 2. num. 234.

291 Si hoc argumento Mastrius directè voluisset impugnare scientiam mediam, secundùm quòd eam omnes Oppugnatores sibi indiuisibiliter proponũt impugnãdam, vt videlicet forsan ab aliquibus defenditur, tamquam præcisè fundatam in libero arbitrio, scrupulosi audire Deum vnum præ alio voluisse saluare, vel vni præ alio specia-

le aliquod donum tribuere : Ipsum cum alijs excusarem, & dicerē benè hoc scrupulum habentes, vbi oppositum potiùs est maximè scrupulosum, impugnare, propterea, quòd dona Dei, quasi debita extimant, vt non possit, aut Deum dedeceat, prout placuerit ei, sua dona tribuere, vel non tribuere: cùm idem Deus dicat in Euangeliō. *An nōn licēt mihi, quod volo facere: an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.* Contra hos ergo benè argueretur prędictis locis Augustini, si tamen sint, qui ita sentiant, quandoquidem etiam primi Assertores scientiæ mediæ non ad hoc attendebant, sed ad impugnandam infallibilitatem physicam, & metaphysicam, quamuis in aliqua proruperint verba, quæ videntur hoc significare; hanc, inquam, scientiam mediam benè oppugnaret, quia non esset, vndè Deus vnum præ alio liberaret, si ex parte sua ęqualia omnibus tribueret; non tamen indè impugnaret scientiam mediam, fundatā in Deo miserente, & liberante, de qua vsque modò locutus sum.

292 Quod tamen Mastrius illis locis velit probare Augustinum in difficultate de cōponenda libertate creatæ voluntatis cum diuina prouidentia, & prædestinatione recursum habuisse ad secretum, & inscrutabile consilium Dei, ego certè stupidus maneo, nec satis mirare possum de simili illusione; Quis namque ita cæcutit, vt non videat in illis nec vestigium contineri de libertate creatæ voluntatis: sed dumtaxat de libera, & gratuita, aut iusta voluntate Dei, quare scilicet, iuxtà Apostolum, ex eadem massa corruptionis, quos Deus misericorditer vult, condat in vasa honoris: alios verò, exigens ab eis debitū, in vasa contumelię? quod eandem difficultatem habet, ac si dicatur, Deus, viso per præsciētiam mediā, quod Iudas, si fuisset vocatus ea vocatione, qua fuit vocatus Latro in Cruce, aut Maria Magdalena c. g. se pœnituisset, sed ita illū Deus noluit vocare, sicut hos. Tyrij, & Sidonij, si fuissent vocati, sicut gētes, quæ de facto conuersæ sunt, fuissent, sicut istæ, conuersi, has tamen vocauit, non illos, quare? si hęc à me similia quęras, dicit Augustinus, respondeo, vt supra. Hoc ergo est valde diuersum à difficultate componendę libertatis creatę cum prędestinatione, cùm etiam vim habeat apud componentes talem libertatem per scientiam mediam.

§. SEPTIMVS.

Pelagianorum errores nihil prorsus commune continere cum doctrina scientiæ mediæ euidenter ex Augustino conuincitur.

SVnt, qui modestè, sunt etiam, qui summa audacitate, & imprudentia, scientiam mediam censura afficiunt, quòd, aut de erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum particeps sit: aut saltem aliquod commune habeat, quod illi admittebant in materia de necessitate gratię ad benè operari, sed tamquam insufficiens ab Augustino refellebatur, necnon aliud admitti requirebat, quo scientia media radicitus euertitur. Nunc quid de erroribus Pelagij isti cōponant, atque confingāt, trutinandum erit, in subsequenti verò Paragrapho quid de Semipelagianorum erroribus. Loquar tamen cum modestibus modestè, nihil curans de verbosis, quibus vox pergrandis quidem est, sed prętereà nihil.

293 Summā errorum Pelagij ego quidem ex Augustino in his sitam esse video, quòd negabat posteros Adæ fuisse huius peccato ita obnoxios, quòd omnes homines nascātur in peccato originali, filij iræ, filij vindictę, & gehennę: sed solùm dicebat Adę peccatum dici ab Apostolo commune omnibus ob malum exemplum, quod dedit omnibus peccandi. Hinc asserebat, omnes homines nasci innocentes, & cum ijsdem innocentię donis, cum quibus fuit à Deo creatus Adam: vndè, sicut ille habebat in linea naturę posse adimplere omnia pręcepta Dei, licèt non sine aliqua difficultate, orta ex proprijs naturę inclinationibus; ita dicebat, homo quilibet in natura, quā accipit à Deo conditore, nascitur cū potentia cognoscitiua, & voluntate libera, quibus mediantibus, & solis, omnia quidem potest simpliciter Dei præcepta obseruare, & eorum notitiam intellectus perspicacitate acquirere, ac voluntatis arbitrio implere: at non sine difficultate, tùm ex parte intellectus, qui cuius non facilè potest omnia penetrare: tùm ex parte voluntatis, quia non sine difficultate potest proprias compescere passiones.

294 Iuxtà autem hunc errorem, alios adiũgebat circa necessitatem gratiæ, non quidẽ omninò negando gratiam Christi Redẽptoris, sed certè valde exinaniens: asserebat namque hanc sanè per Christum nobis gratis datam fuisse, nimirum, vt peccatorum, quæ fortè commiserimus, non nisi per eius merita, & Sacramenta, puta Baptismi, vel Pœnitentiæ, remissio nobis tribuatur: vt suo exemplo incitaremur, & stimularemur ad faciliùs proprias subigendas passiones: ac tandem vt eius doctrina, & Euangelio facilè notitiam credendorum, & agendorum acquiramus: quæ nõ nisi difficulter, aut ageremus, aut scire possemus: & quoniam per hæc non explicabat, quomodò gratia Christi sit necessaria ad singulos actus bonos faciẽdos, addidit tandẽ ad singulos actus excitari in nobis à Deo naturalẽ reminiscentiã remissionis peccatorum, exempli, & exhortationum Christi, ac præcepti Dei, nos obligantis: & in hac naturali reminiscentia totam Christi gratiam ad benè operandum constituebat, qua videlicèt voluntas, proposito obiecto per talem reminiscentiam, & propensa cogitatione exempli Christi, & eius exhortationibus, per proprias, & innatas vires sola prorumperet ad actus, & faciliùs.

295 Omnem autem aliam gratiam quoad substantiam supernaturalem pro posse operari benè, sicut expedit ad salutem, & vt Catholici necessariam fatentur: tùm scilicet gratiam physicè eleuantem potentiã, & dantem physicas vires ad actum supernaturalem, tum præuenientem, & dirigentem, seu excitantem, quæ consistit in cognitione intellectus, dirigente homines supra se ipsos: & pio affectu voluntatis, coñtẽ supra se ipsos trahente, omninò negabat: & in hoc, sicut, & in negando commune peccatum originis, erat hæreticus, & continuò fuit ab Augustino impugnatus, & expugnatus: in hoc autem nihil pænitùs commune habet cum Assertoribus scientiæ mediæ, prout talibus: nam (quidquid sit, an aliqui substineant sufficere gratiam præuenientem, supernaturalem quoad modum pro posse operari benè, & meritoriè, de quibus non curo:) cõmuniter tamen Assertores scientiæ mediæ pro præmio supernaturali quoad substantiam, qualis est vita æterna, requirunt meritum, & opus bonum eodem modo supernaturale, vt sint proportionata in ratione meriti, & premij: & pari etiam modo pro opere supernaturali requirunt eamdem supernaturalitatem etiám in gratia præueniente, & excitante.

296 Huius autem rationem ego in antecedenter dictis explicaui, quia videlicet tota quanta esse potest, aut excogitari naturæ rectitudo, non potest ferri supra, & contra se ipsam: vndè, & si intellectus speculatiuè possit ferri in rectum ordinem, quòd omnia sint referenda, & ordinanda ad Deum: non potest tamen id practicè iudicare: vel adhuc si intellectus id posset efficere ratione veritatis obiecti, non tamen posset per hoc naturale iudicium causare affectum, sed potiùs fugam in voluntate: eo modo, quò verè iudicans malum esse malum, fugam, non amorem in eo excitat: quãdoquidem in illo iudicio practico includitur, quòd ipsamet voluntas debet deprimere se, & compescere suas inclinationes naturales: in quo, cùm natura reluctet, tale iudicium, vtpotè contra naturam, fastidium, & odium suimet in natura ipsa induceret, non affectum: cùm autem supernaturale quoad modum, sit in se opus naturale, & contentum in natura, implicat, vt per aliquam gratiã solùm supernaturalẽ quoad modũ, naturá rationalis dirigatur ad opera, supernaturalia quoad substantiam, in quibus natura ferri debet saltem inchoatiuè supra, & contra se ipsam: sed necesse est, vt sit specialis gratia, quæ tamquam Dei instrumentum, naturã eleuet directiuè, & effectiuè ad Deum, vt vltimum finem supernaturalem; ac supra totius naturæ limites, consequenter sit omnimodè supernaturalis.

297 Sed vide beneuole Lector, quæ congerat odium scientiæ mediæ apud eius Oppugnatores: in substantia conantur probare, quòd Pelagius, & sequaces admittebant gratiam sufficientem Christi in hominibus, necessariam ad singulos actus bonos: sed negabant voluntatem applicari in actu secundo à Deo, asserendo in potestate voluntatis remanere, etiam in sensu composito cum gratia, se applicare sua intrinseca libertate ad vnum, vel ad oppositum; atque in hoc fuisse impugnatos semper ab Augustino: hanc autem esse doctrinam, & fundamentum scientiæ mediæ, patet ex dictis: quid hinc, inquiunt, sequatur, iudicent, qui legunt.

298 Vt huic autem aereæ machinæ subsistẽtiam præbeant, nubilosas aggerunt apparentias, veris simul commixtas, & falsis, quæ omnia maiori, qua potuero, breuitate adducam, & deindè simplicis veritatis flatu ex Augustini doctrina refutabo, nec vestigium totius machinæ remaneat, præstabo.

299 Primò ergo dicunt quater Pelagium

suum moderasse errorem, sed non nisi in quarta moderatione admisisse necessitatē gratiæ sufficientis: quamuis enim in tertia, pressus authoritate Cōcilii, fassus fuerit gratiam Christi necessariam esse ad singulos actus bonos, subdolè tamen, & æquiuocè locutum fuisse detegit Augustinus, vt videre est apud eumdem Augustinum lib. de Gratia Christi cap. 2. intelligendo nomine gratiæ Christi remissionem peccatorū, exemplum, exhortationes, & doctrinam Christi. In quarta nihilominùs moderatione dicunt verè admisisse gratiam sufficientem, antequam autem id probent

300 Secundò dicunt, quòd, sicut intellectus, & voluntas sunt duæ potentiæ interiores, sed voluntas est interior intellectu: quandoquidem intellectui subministrant sensus externi, voluntati autem non subministrat, nisi intellectus: ita in qualibet potentia ex his duplicem proportionali modo distinguunt gratiam: respectu scilicet intellectus aliam exteriùs per sensus subministratam, & hæc habetur ex positione legis, & doctrinæ, atq; exemplo, exhortationibus, &c. Aliam verò intrinsecùs subministratam per Spiritum Sanctum illuminantē, & illustrantem eumdem intellectū: respectu item voluntatis duplex etiam, aiunt, est gratia, sed vtraque interior: alia tamen subministrata medio intellectu ex positione obiecti, cuius cognitione voluntas trahitur, & afficitur: & hæc dicitur moralis motio voluntatis: altera verò non subministratur ab obiecto, sed immediatè à Spiritu Sancto, præsupposita tamen cognitione obiecti: & hæc consistit in quadam subministratione suauis, & efficacis virtutis, qua mediante voluntas acceptat bonum, sibi propositum, & fugit à malo culpæ: & in hac constituunt rationem applicationis, & determinationis, quia Deus applicat, & determinat voluntatem. Ex his ergo gratiis, concludunt, admisit Pelagius vtramque pertinentem ad intellectum, ac etiam primam pertinentem ad voluntatem, ortam scilicet ex propositione obiecti, media illuminatione, & illustratione Spiritus Sancti; ac consequenter totam rationem gratiæ, pertinentem ad sufficientiam potentiæ, in sua quarta moderatione: solùm autem negauit actualem applicationem suauem gratiæ, suauiter determinantis opus, propter quod non cessauit Augustinus ipsum iugiter impugnare.

301 Hanc autē fuisse quartam moderationē Pelagii pluribus locis probant ex præcitato libro Augustini de Gratia Christi: & quidem quoad spectat gratiam pertinentem ad intellectum, primò ex cap. 7. Cùm enim Augustinus Pelagiū oppugnasset, eo quòd gratiam constituebat in lege, atque doctrina, quæ est gratia intellectus interior; vt notatum iam est; ita in præfato capite refert Augustinus contra se scripsisse Pelagiū, *Quam gratiam, non vt putas, in lege tantummodò, sed in Dei esse adiutorio confitemur*: quale autem sit hoc adiutorium his explicat verbis, *Adiuuat nos Deus per reuelationem, & doctrinam, dum cordis nostri oculos aperit, dum futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* Cùm ergo neget Pelagius se constituere gratiam Christi in lege, & doctrina, & dicat eam ponere in multiformi, & ineffabili dono Dei reuelantis, & docentis aperientis oculos cordis, &c. aliam gratiam interiorem intellectus admittit. Secundò ex cap. 13. vbi sic habet Augustinus, *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs, & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere: non solùm per eos, qui plantant, & rigant extrinsecùs, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus: ita vt non ostendat tantummodò veritatem, sed etiam impertiat charitatem.* Quid est, aiunt Aduersarii, *ita vt non ostendat tantummodò veritatem, sed etiam impertiat charitatem?* nisi quòd primū concedebant Pelagiani, & negabant secundum? Rursus cap. 24. eodem modo refellit Augustinus Pelagium dicens, *Legant, & intelligant, intueantur, & fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecùs: sed interna, atque occulta, mirabili, & ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes*: hoc ergo concedebant Pelagiani; *sed etiam bonas voluntates.* En quod negabant, loquendo tamen de operari gratiæ relatè ad voluntatem vltimo modo. Insuper ex cap. 26. vbi Pelagium impugnans Augustinus habet, *Cogitationem, & delectationem (sicut discernenda sunt) discernat; quia scientia inflat, charitas autem ædificat; & cùm vtrumq; sit donum Dei, alterum minus, alterum maius; non sic iustitiam nostram super laudem iustificatoris nostri extollat, vt horum duorum, quod minus est, tribuat adiutorio: quod autem maius, humano vsurpet arbitrio.* Cogitationem ergo, inquiunt Aduersarii, tribuebat Pelagius diuino adiutorio; sed dilectionem, qua voluntas determinatur ad bonum, tribuebat arbitrio. Quoad spectat autem gratiam pertinentem ad voluntatem, scilicet primam ex propositione obiecti, fuisse admissam à Pelagio, probant ex cap. 10. in quo hæc ab Augustino referuntur Pelagij verba, *Operatur in*

nobis

nobis velle, & perficere, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum modo animalium, tantùmmodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem: dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne, quod bonum est. Ecce gratia primo modo explicata, consistens in Dei desiderio, ad quod suscitatur stupens voluntas, & in suasione orta à Deo, qua suadetur, & trahitur ad bonum, post reuelationem sapientiæ, quæ obiectum desiderabile, & ad quod voluntas suadetur, ipsi voluntati creatæ proponitur. Hæc sunt, quæ maiori industria, quàm veritate, componunt aduersarij, vt probent doctrinam de scientia media maximam communicationem habere cũ erroribus Pelagij.

302 Verùm in primis adhuc admisso, quòd concesserit Pelagius, quæ Aduersarij eum admisisse ostentare conantur, & solùm negauerit gratiam interiorem suauis ardoris voluntatis per Spiritum Sanctum infusam, non ortam ex propositione obiecti; quid indè contra scientiam mediam probatur? Quòd enim Aduersarii dicant hanc secundam interiorem voluntatis gratiam à Pelagio negatam, consistere debere in infallibili applicatione, atque actuali determinatione voluntatis creatæ, numquid aliqua ex parte probant? aut potiùs gratis, & omninò voluntariè sibi confingunt? Concedunt namque Assertores scientiæ mediæ ardorem hunc voluntatis non posse oriri ex pura propositione obiecti, quatenus propositio obiecti est; quia, vt supra dicebam, si talis propositio non induat ex aliquo dono Dei, ordinante voluntatem creatam ad Deum, & eleuante supra seipsam, specialem quamdam intrinsecam suauitatem, ipsamet obiecti propositio, vtpotè contra naturales inclinationes ipsius voluntatis, ei fastidio esset, & odiosa, ac trahens ad fugam, non ad prosecutionem. Necessaria est ergo suauitas ista ardoris voluntatis à Spiritu Sancto ineffabili modo proueniens: sed dicent scientiæ mediæ Defensores eam consistere in qualitate excedente sua suauitate illam, quam præstant motos concupiscentiales, ac sufficere, si ita trahat ad opus bonum, sicut probatum est numero 117. & 118. dum autem ita dicitur, iam receditur ab eo, in quo impugnabatur Pelagius, sed scientia media in suo permanet vigore. Quòd enim dicas non ita loqui scientiæ mediæ Defensores. Respondeo ita me loqui, & scientiam mediam propugnare. Quid ergo? tu non scientiam mediam oppugnas; sed speciales modos loquendi Authorum. Credo tamẽ nullum scientiæ mediæ Authorem negare, quæ à me dicta sunt, sed videri aliter loqui, eo quòd in punctum determinationis voluntatis creatæ à Deo totũ suum dirigunt sermonem.

303 Addo, nec omnes præfatas gratias, spectantes duas ad intellectum, & duas ad voluntates, sufficere ad operari, prout expedit ad salutem: omnes namque prædictæ gratiam integrant præuenientem, excitantem, & vocantem, præter quam requiritur gratia physicè, & effectiuè eleuans voluntatem, & dans illi supernaturales vires effectiuas, quæ est gratia cooperans; hãc autem requiri negabat Pelagius negando originale peccatum: aut saltem non admittebat reacquiri ex meritis Christi: & de hac forsan loquebatur Augustinus, cùm aliam à Pelagio requirebat gratiam, præter posse naturæ, quam Pelagius asserebat ita potentem, vt sola, & sine adiutorio in actum secundum prorumperet, licet indigeat adiuuari, vt possit: in quo Augustinus iugiter ipsum oppugnat.

304 Sed tempus iam est, vt ad prædictam aduersariorum machinam ex fundamentis dissipandam accedam, probaturus nullam aliam gratiam Pelagium, & sequaces admisisse, nisi exteriorem legis, doctrinæ, exempli, & exhortationum Christi in ordine ad operandum benè: quamuis non negauerit remissionem antecedentium, quæ commissa fuerint, peccatorum, gratis nobis dari ex meritis Christi, & quidem.

305 Vellem ante omnia Aduersarios percõtari, si legerint in 10. tom. Augustini (quẽ edidit post omnes libros, iam contra Pelagianos scriptos, vt videre est in libris retractionum) sermonem, qui inscribitur, ad populum contra Pelagianos, positum paucis folijs ante finem; si enim legerint, mirum prorsus est, quòd errores maximos Pelagij tantùm diminuere velint; Videãt, quæ in tali sermone scribat Augustinus, *Sanctus Frater, & Coepiscopus meus Vrbanus noster, qui hic Presbyter fuit, & modò est Siccensis Episcopus, cùm remeasset ab Vrbe Roma, & ibi cum quodam, talia sentiente, confligeret, vel se conflixisse referret, cùm vrgeretur pondere orationis Dominicæ; vrgebat enim eum, & dicebat, si in nostra potestate est non peccare, & in nostra potestate est omnes peccatorum tentationes, solis voluntatis nostræ viribus* (Notent Aduersarij, solis voluntatis nostræ viribus) *superare, quare Deo dicimus, ne nos inferat in tentationem? quid eum putas respondisse? Rogamus, inquit Deum, ne nos inferat in tentatio-*

 nem,

tem; ne aliquid mali patiamur, quod non habemus in potestate; ne ruam de equo, & ne frangā pedem; ne latro me interficiat, & quid huiusmodi: hæc enim, inquit, non habeo in mea potestate: nam vincere tentationes peccatorum meorum, si volo, & possum, nec Dei adiutorio possum. Vbi est nunc gratia sufficiens? vbi duplex gratia relatè ad intellectum, & vna relatè ad voluntatem? *nec*, ait, *Dei adiutorio possum.* Et sanè, si necessitatem huius adiutorij agnouisset, vtique respondisset, pro eo nos Deum deprecari; & non recursum habuisset, ne cadat de equo, ne frangat pedem, vel ne ab inimicis interficiatur. Sed pergamus vlteriùs, & videamus, quod signanter de Pelagio subiūgat Augustinus; illum, de Pelagio loquens, ait, *nemo dicat absolutum esse ab Episcopis: absoluta est, sed confessio, quasi correctio ipsa est absoluta; quia ea, quæ dixit ante Episcopos, Catholica videbantur: quæ autem scripsit in libris suis, Episcopi, qui absoluerant, nescierant.* Ruit ne tota Aduersariorum machina? absolutam fatetur Sanctus Doctor ab hæresi confessionem, quam fecit coram Episcopis Pelagius; quia ea, quæ ante Episcopos protulit, verbar Catholica videbantur: sed subdolè, & æquiuocè loquebatur, & deindè in scriptis suis in alium transferebat sensum. Non ergo verum est, quòd adhuc ab Augustino secundùm vltimam, quam fecit Pelagius, moderationem, fuit tamquā hæreticus impugnatus?

306 Hęc quidem sufficerent pro falsa demōstranda locorum ab Aduersarijs adstructa congerie: sed nolo ista sufficere, dolos Pelagij ex Augustino in iisdem locis detectos, quos Aduersarij tacent, aperiam, ad ostēdendū nihil penitus gratiæ, sed solā exteriorem doctrinam in illis sub fucatis verbis admisisse; ac tandem deindè, quæ ego proposui, tamquam lectores Pelagij, talia fuisse, qualia à me dicta sunt, ostendam.

307 Quando ergo Aduersarij legerunt caput septimum Augustini de lib. Gratię Christi, illa ne verba sola legerunt, *Quam nos, non vt ille putat, in lege tantummodò, sed in Dei esse adiutorio confitemur.* &, *adiuuat nos Deus per reuelationem, & doctrinam, dum cordis nostri oculos aperit, dum futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat?* Ea verò, quibus dolos Pelagij detegit Augustinus, nimirùm *In his omnibus non recessit à commendatione legis, atque doctrinæ, hanc esse adiuuantem gratiam diligenter inculcans. Denique Dei adiutorium multipliciter insinuandum putauit, commemorando doctrinam, & reuelationem, & oculorum cordis adapertionem, & demonstrationem futurorum, & adapertionem Diabolicarum insidiarum; & multiformem, & ineffabilem dono gratiæ cœlestis illuminationem; ad hoc vtique, vt diuina præcepta, & promissa discamus. Hoc est gratiam Dei ponere in lege, atque doctrinæ.* Hæc, inquam, non legerūt? Monet ergo Augustinus Lectores de versutia Pelagij, ne in illis verbis multiformis gratiæ Dei, aliquid credant diuinitùs & per Spiritum Sanctum immediatè infusum ipsum admisisse, sed sub diuersis verbis interiorem legis, atque doctrinæ propositionem (quibus cordis nostri oculi, vt bonum, & malum agnoscant, adaperiūtur, promissa futura demonstrantur, & Diaboli panduntur insidiæ) tantummodò voluisse significare, credendo sub tanta speciositate verborum se occultum mansurum fore. An non totum hoc, eadem Pelagij verba improbans, adstruit Augustinus cap. 9. *Quid enim iuuat*, ait, *Pelagium, quia diuersis verbis eamdem rem dicit, vt non intelligatur, in lege, atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserit adiuuari: quantùm autem existimo, ideò veretur intelligi, quia damnauit eos, qui dicunt gratiam Dei, & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina, & tamen latere se putat, cùm alijs, atque alijs locutionibus versat significationem legis, atque doctrinæ.*

308 Quod si quis, dicat Augustinum nihil aliud per verba citata voluisse insinuare, nisi, quòd gratiæ illæ intellectus, etiam si sint per Spiritum Sanctum infusę, non discedunt à limitibus legis, atque doctrinę.

309 Si, inquam, quis ita dicat; non ergo latenter locutus est Pelagius, sed secundū id, quod mente tenebat, se explicauit; Non ita subdolè locutus est, vt non intelligatur, nec veritus est intelligi, sed clarè gratiam, quam admittebat, expressit. Quid ergo dicit Augustinus? de qua versutia Lectores monet? debuisset potiùs dicere, quòd talis gratia non sufficit, sed alia prętereà admittenda est; & non asserere, quòd diuersis rebus eamdem rem dicit, vt non intelligatur, quòd veritus fuerit intelligi, quòd latere se crediderit. Sileat iste, qui credit sufficere, si loquatur; & videat, quę sit doctrina (de qua sub speciosis nominibus latere posse credens, Pelagius loquebatur) ex cap. 10. in quo ex Pelagio sic refert Augustinus, *Operatur in nobis velle, quod bonum est, velle, quod Sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium, tantummodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ*

in

in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatē, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne, quod bonum est Quid est ista reuelatio, nonnè gratia infusa per Spiritum Sanctum secundùm sensum aduersariorum? hunc enim eundem locum afferunt ad probandum admisisse Pelagium primam gratiam voluntatis, ex propositione obiecti diuinitùs habitā; sed vide, quæ sit ex Augustino ista reuelatio. *Quid manifestius*, inquit, *nihil aliud eum dicere gratiam*, (notent Aduersarij; tò nihil aliud eum dicere gratiā,) *qua Deus in nobis operatur velle, quod bonum est, quàm legem, atque doctrinam?* In legis, atque doctrinæ verbis adhuc sumus, sed quid horum nominum per Pelagij sensum iudicauerit venire Augustinus, explicandū expectemus. *In lege namque*, subiungit, *& doctrina Sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo; ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia reuelatur: ad doctrinam pertinet, tùm suadetur omne, quod bonum est: & si inter docere, & suadere, vel potiùs exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur; quæ quibuscumque sermonibus, vel litteris continentur: nam & Sancta Scriptura, & docent, & exhortantur: & potest esse in docendo, & exhortando etiam hominis operatio.* Vides ne, quid per legem, atque doctrinam intellexerit Augustinus, nempè Sanctas Scripturas, in qua continetur lex, qua docemur, exhortationes, quibus suademur, vbi etiam in docendo, & exhortando accedere potest operatio hominis docentis, & exhortantis: seu, vt sub aliis verbis explicat Augustinus, *Quæ sub quibuscumque sermonibus, & litteris continentur.*

310 Et sanè, si sub nomine legis, & doctrinæ intellexisset ex Pelagio Augustinus internas cognitiones, per Spiritum Sanctum infusas, extra propositum Pelagium ipsum impugnans, diceret Augustinus cap. 13. *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs, & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos, qui plantant, & rigant extrinsecùs: sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus.* Et pari modo impertinenter contra Pelagium dixisset cap. 24. *Non lege, atque doctrina forinsecùs sonātē, sed interna, atq; occulta, mirabili, & ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Iam enim per Aduersarios non in lege, & doctrina contenta in extrinseca Sacra Scriptura, vel etiam Prædicatoribus, & Doctoribus extrinsecè, & forinsecùs sonantibus, Pelagius constituebat gratiam in quarta moderatione, sed in interiori Spiritus Sancti illuminatione, causante etiam in voluntate successionem charitatis, & desiderium Dei. Nec item gratiam cōstituebat solùm in extrinsecùs plantante, & rigante, sed etiam in Spiritu Sancto intrinsecùs infundente suum incrementum. Quid ergo? falsam censuram impingebat Augustinus Pelagio, talia ipsi obijciens, post quam iam negabat, & se retractauerat? Euidens ergo est illam multiplicem, & speciosam gratiæ nominationem non in alio constituisse Pelagium, quàm in Scriptura Sacra, extrinsecùs proposita, qua adaperiuntur nobis oculi mentis, dum per eam instruimur de his, quæ fugere, nec non de his, quæ amplecti debemus: qua futura proemia, nobis promissa, demonstrātur: quæque Diaboli, continuò circueuntis, vt deuoret, pandit insidias. Hoc autē gratiam specialem Dei vocabat, quia reuelatio Scripturæ per Spiritum Sanctum, etiam gratiosè facta fuit Prophetis, & Apostolis: & licèt nobis fiat per homines, & Scripturam naturali modo, hoc tamen fieri nō posset, nisi gratia præcessisset. Ad primū ergo locum ab Aduersariis adductum, patet dicendum Pelagium voluisse subdolè se videri admittere aliam gratiam Christi, a lege, & doctrina: sed in re non admisisse aliam.

311 Quando item legunt Aduersarii Augustinum in cap. 13. numquid per saltus verba considerant, vt applicare valeant sensum, quem maluerint? Cur namque illa sola, & vltima considerant verba, *Ita vt non ostendat tantummodò veritatem, sed etiam impertiat charitatem*, ad hoc vt isto modo prima pars videatur fuisse à Pelagio admissa, & secunda negata; quasi quod cætera Augustini verba, quæ huic sensui opponuntur, considerati etiam non debeant, nimirùm, *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs, & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere?* Hoc ergo altiùs, & interiùs infundi à Deo non credebat Pelagius. Item *non solùm*, ait, *per eos, qui plantant, & rigant extrinsecùs: sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus.* Ex his ergo primum concedebat Pelagius, at non secundum. Sed quia hoc dumtaxat secundū non sufficit ad operari, ideò addidit Augustinus, *Ita ut non ostendat tantummodò veritatem: sed etiam impertiat charitatem*, quæ voluntatem supra concupiscentiam alliciens, faciat operari: non autem ista adiecit, vt volunt Aduersarii, quasi Pelagio concedenti iam vnum, aliud, quod negagat, insinuare

nuare

nuare voluerit Augustinus.

312 Quando insuper in cap. 24. reflectunt Aduersarii ad verba illa, *Non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates*, cur transgrediuntur antecedentia, *legant, & intelligant, intueantur, & fateantur non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta mirabili, & ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum*. Ad quid illa? nonnè etiam cæci vident, non aliam Dei operationem, quos redarguit Augustinus, admisisse, nisi per legem, atque doctrinam, insonantem forinsecùs: nullam verò internam, atque occultam? quia tamē neque hæc sola sufficit, superaddit Sanctus Doctor, *sed etiam bonas voluntates*, vt paulò ante dicebam.

313 Quod autem addunt Aduersarij ex capite 26. mirum est quomodò adduci possit ab hominibus, de cætero Doctissimis; quis enim ita desipit, vt nesciat libero arbitrio non tribui opus illud præueniens, sed quæ ex ipso sunt. Dum ergo Augustinus exprobrat Pelagium, quòd cogitationem tribuat Deo, & dilectionem libero arbitrio, iam non loquitur de ardore charitatis præueniente, & applicante voluntatem, vt volunt intelligi Aduersarij: sed de dilectione libera elicita post omnem Dei gratiam præuenientem, & cooperantem, seù eleuantem physicè voluntatem: Ad quid ergo hic locus ab Aduersarijs adducitur, vt probent Pelagium solùm non admisisse gratiam præuenientem applicatiuam, & determinatiuam voluntaris.

314 Quod tandem adducunt Aduersarij ex cap. 10. Augustini, nimirùm quòd Pelagius admiserit primam gratiam voluntatis, procedentem ex præcisa propositione obiecti, iam satis dictum est numero 307. patet enim ex ibi dictis aliam non admisisse, nisi quam somniauit ex extrinseca propositione obiecti per legem, atque doctrinā, de quibus idem Augustinus cap. 8. ait, *Cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, si gratia desit opitulatio, vt fiat mandati præuaricatio*: quandoquidem ex Apostolo ad Romanos 7. *Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*; rei namque prohibitio desiderium auget, non minuit; & ideò ab eodem Apostolo, iuxtà Augustinum libro 1. ad Simpl. quæst. 1. dicitur ad Romanos 5. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum*; & 2. ad Corinth. 25. *Virtus verò peccati lex*. Somnium ergo, & demētia Pelagii fuit, quòd cognitio rei per legem mandantem, naturæ viribus habita, amorem, vel desiderium eius suscitet in voluntate, cùm potiùs odiosa sit voluntati, & concupiscentia ex legis oppositione vires desumat, nisi gratia opitulante, legis cognitio altiora habeat principia, quæ simul suauitatem in voluntatem ad rem præceptā diffundant: quidquid sit pro modò, an hæc suauitas afferatur ab ipsa supernaturali cognitione, an verò sit specialis actus distinctus, de quo non est hic agendum. Ex quibus concluditur non solùm in tertia, verùm etiam in quarta moderatione, & semper subdolè ex Augustino locutum verbis fuisse Pelagium, aliud seruando in mente, & scriptis deindè propalando.

315 Restat modò pro huius Paragraphi complemento ostendendum, tùm quòd Pelagius simpliciter necessitatem omnis gratiæ negauit, asserendo solam naturam creaturæ rationalis sufficientem sibi esse ad totam implendam legem: gratiam verò, quæcūque sit illa, quem admisit, solùm posuisse ad faciliùs operandum: Tùm quòd hāc gratiam, quā ad faciliùs posse admisit, nullo modo posuerit influentem in actum, sed tamquam conditionem adiuuantem ipsum posse.

316 Hæc autem non ex alio Augustini libro ostendam, nisi ex eodem, ex quo probant Aduersarii præscriptam quartam Pelagij moderationem, & quidem post omnia capta ab Aduersarijs adducta, nimirū ex cap. 41. vbi, post quam alia refert Pelagii verba, in quibus conqueritur, quòd ipsum. *Iniquè negatione gratiæ infamare gestierint*, monens de eius dolo, subdit Sanctus Doctor, *Ab illo enim suo manifestissimo dogmatè non recedit omninò, vbi tria illa constituit, possibilitatē, voluntatem, actionem: & solam possibilitatem dicit diuino semper adiuuari auxilio: voluntatē autem, & actionem, nullo Dei adiutorio existimat indigere. Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adiuuari in lege constituit, atque doctrina, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu reuelari, propter quod, & adorandum esse concedit; sed hoc auditorium legis, atque doctrina etiam Prophetieis fuisse temporibus; adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo; quod nihilominùs ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Euangelica prædicatur: vt videlicet, tamquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamuis, & ipsam viam contendat, etiam sola inueniri posse natura, sed faciliùs, si adiuuet gratia*. Remanet ne vltra, quid in Pelagianorum erroribus, tam longè distantibus à luminosa veritate scientiæ mediæ, contra eandem cōgetant Aduersarij?

§. OCTA-

§. OCTAVVS.

Semipelagianorum errores omninò distare à doctrina scientiæ mediæ indè conuincitur, vndè oppositum quidam probare conantur.

317 NOn dissimilis ab antecedenti, iam diruta, contra scientiam mediam ab aliquibus alia construitur machina, materiam desumentibus ex Epistolis Prosperi, & Hilarii, quas ad Augustinum, (vt videre est in tomo 7. ante tractatum de Prædestinatione Sanctorum,) contra Massilienses, qui dicti sunt Semipelagiani, scripserunt, eorumdem referentes errores: formā tamen explicationis, & intelligentiæ, non qualem in se continent, sed iuxta propriū libitum tribuentibus, vt indè probent sciētiam mediam cum eisdem communicare erroribus.

318. Antequam autem machinam hāc, qualis sit, ostendam, priùs, quæ Semipelagiani asserebant, fideliter ex Epistolis Prosperi, & Hilarii recenscbo: deindè, quæ Aduersarii, verba discerpentes, & in alium transferentes sensum, prout ex proprio libitu placet, componant, distinctè proponam, & eorum commenta detegam.

319 Primò ergo Semipelagiani, (qui ideò tales dicuntur, quia aliquid ex Pelagiana hæresi, & non ex toto retinebant,) concedebāt peccatum originale in posteris Adæ, ac consequenter liberum arbitrium fuisse per illud infirmatum, & sauciatum: sed hanc sauciationem, non talem, ac tantam esse volebant, vt nulla reliquia potentiæ ad bonum remāserit in natura creaturæ rationalis: sed distinguebant duplex posse in voluntate: aliud scilicet ad velle credere in Deum, & velle ad illud recurrere petendo, quærendo, & pulsando: aliud ad facienda opera præcepta, ab istis distincta: exemplo vtentes infirmi infirmitate corporali; qui, & si non possit opera sanitatis efficere, nisi à medico curetur, non propterea non est sanus in eo, vt fidem habeat in medicum, & eum velit inuocare, vt ipsum sanet. Voluntatem ergo hominis sanam, adhuc post originale, volebant, & per vires naturales potentem credere in Deum, & Christum Redemptorem: nec non orare, & Deū inuocare, petendo, quærendo, pulsando: quoad reliqua verò opera sauciam, & infirmam. Ecce clarissima Hilarii verba, vt videre est infra post Prosperi Epistolam littera C. *Consentiūt omnem hominem in Adam periisse, nec indè quemquam posse proprio arbitrio liberari: sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt, cùm prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis, annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum: cæterùm ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerādam putant, exterrita supplici voluntate, vnumquemque ægrotum velle sanari. Vndè nō consequens putant exigendam ab eo fidem cuius naturæ id voluntate conditoris concessum est: & nullam ita depravatam, vel extinctam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quidquam ipsa iam valeat.* Et infra litt. M. *Nec de hac fide posse dici, quid habes, quod non accepisti? cùm in eadem natura remanserit, licèt vitiatā, quæ priùs sana, & perfecta donata sit.* Et post aliquā lit. Q. *Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correctio valeat excitare: quod quidem in esse naturæ sit se dicere confitentur, vt hoc ipso, quòd ignoranti veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit.* Ecce iam reliquia Pelagianæ hæresis, quòd homo post originale adhuc vires in natura habeat credendi in Deū, & recurrendi ad illum, vt sanetur; solo adiuuamine extrinsecæ prædicationis.

320 Secundò dicebant futurum acceptatorem personarum Deum, & diuinum quasi naturarum conditorem, si vnum præ altero prædestinasset ex sua præcisa voluntate, vel aliquid sua sola gratuita Prædestinatione tribuisset: vndè ad hunc hæreticū scrupulum curandum, asserebant Deum ex parte sua æquè omnibus paratum voluisse regnum, & dona gratiæ: ita tamen, vt nulli det nec istam, nec illud, nisi secundùm quòd homines per id, quod in natura, adhuc post lapsum, remanere censebant, se præparassent, vt videlicet ideò his, & non aliis gratiam curationis, siue ad benè operari tribuat, quia illi, & non isti bono, quod in natura vitiata remansit, vtentes per naturalem facultatem, credunt in Deum, & quærunt, petunt, pulsant, vt gratiam operandi illis tribuat: non ita faciunt alii. Totum hoc explicitè constat ex

Pro-

Prosperi Epistola lit. G. illis verbis, *Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quãdam induci necessitatem: aut diuersarum naturarum dici Dominum Conditorem, si nemo aliud possit esse, quàm factus sit. Itaque,* concludunt lit. V. *quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantùm autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint*. Quomodò autem auxilium gratiæ merito credulitatis dixerint accipi, habeas ab eodem Prospero litr. K. *Atque ad hanc gratiam*, scribit, *qua in Christo renascimur, peruenire scilicet per naturalem facultatem petendo, quærendo, & pulsando, vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ benè vsus est, vt ad istam saluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire*. Vocabant autem initialem gratiam gratuitam creationem, vt patet ex antecedentibus verbis litr. I. *Quidam verò horum intantùm à Pelagianis semitis non declinant, vt, cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustrà gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum, nihil priùs merentem, quia nec existentem liberi arbitrij, rationalis gratia Creatoris instituat, vt per discretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem.*

321 Tertiò Consequenter rationem meriti attribuebant operi naturali, scilicet fidei, & voluntatis recurrendi ad Deum, (quas asserebant opera naturæ, quoad has solummodò sanæ,) in ordine ad supernaturale præmium gratiæ: quamuis deindè alii voluerint non inesse illis propriam rationem meriti, sed conditionis, vel occasionis, qua Deus potiùs his, quàm illis tribuat gratis suum adiutorium. Hoc patet ex verbis antecedentibus, *Et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint*. Atque illis iam etiam citatis, *Vt ad istam saluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire.*

322 Quartò dicebant Prædestinationem gratiæ, seu Dei propositum auferre à nobis libertatem in operando: & ideò, si tali gratia quoad omnem actum bonum præueniret voluntatem, inanis esset correctio, & nullus liberi arbitrii industriæ relinqueretur locus: ac propterea liberum arbitriũ in eo solùm saluabant, quòd ante gratiam, & secundùm reliquias facultatis naturalis, in sua potestate habet, vt velit, vel nolit credere, & ad Deũ recurrere pro gratia sanante impetranda. Liquet hoc clariùs ex Epistola Hilarii lit. N. in illis verbis, *Quod autem dicit Sanctitas tua neminem perseuerare, nisi perseuerandi virtute percepta, hactenus accipiunt, vt quibus datur, inerti licèt, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod ad hoc tãtùm liberum asserunt, vt velit, vel nolit admittere medicinam*. Idipsum explicat Prosper illis verbis, *Remoueri omnem industriam, &c.* vt retuli numero 318. & in illis aliis litt. F. *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo, vel ante mundi initium, vel &c. & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis afferre: eò quòd in vtramque partem superfluus sit labor, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque Electus vlla negligentia possit excidere.*

323 Quintò tandem hanc rationem meriti in fide, & voluntate Deum inuocandi, aut secundùm alios, conditionis, vel occasionis, vt Deus suam gratiam vni præ alio tribueret, extendebant ad fidem, & voluntatem conditionatè præuisam, vt futuram, pressi duobus argumentis, quæ contra eos fiebant: altero nimirum desumpto ex paruulis, decidẽtibus ante vsum rationis, quorum aliqui, morientes post susceptum baptismum, saluantur sola gratia Dei, facientis ex eadem massa luti alios quidem in vasa honoris, & non ita omnes: altero exemplo Aduẽtus Christi, & prædicationis Euãgelii, quæ fuerunt gratiæ concessæ aliquibus, non omnibus: in his enim casibus recursum habebant ad fidem, & bonam voluntatem, (quas in hominibus fingebant tamquam opera naturæ,) præuisas, conditionatè futuras, sicut videre est in Prosperi Epistola lit. N. *Cumque inter hæc innumerabilium multitudo obijcitur paruulorum, tales, aiunt, perdi, talesq; saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuã seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit*. Et infra litt. R. *Hanc sanè de humanis meritis præscientiam Dei, secundùm quam gratia vocantis operetur, multò sibi rationabiliùs videntur adstruere, cùm ad earum nationum contemplationem venitur, quæ, vel in præteritis sæculis dimissæ sunt ingredi vias suas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec vlla eis, aut Euangelij illuminatio coruscauit, &c. Præuisos, inquiunt, à Domino. &c. Et ad vnamquamque gentem ita dispensata tempora, ac mynisteria magistrorum, vt exortura erat bonarum credulitas voluntatum.*

224 Conformiter autem ad præcedentes errores duo alia adstruebant Semipelagiani, in quibus ex parte erronicè, & hæreticaliter loquebantur, sed non ex toto. Vnum

est

est circa seriem prædestinationis ad gloriã: non solùm enim eam negabant defacto ante merita absolutè præuisa, in quo nõ erant hæretici, cum plures Theologici Catholici id adhuc substineant: sed hoc ipsum indè negabant, quia aliàs Deum iudicabant acceptatorem personarum, si aliquibus, & non omnibus gratiam hanc contulisset, cõtra illud Christi, *An non licet mihi, quod volo facere, an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Negantes insuper ex hoc impio motiuo prædestinationem gloriæ ante merita, peiorem construxerunt prædestinationis ordinem, videlicet eam totaliter reducendo ad meritum naturale confictæ fidei, & voluntatis naturalis inuocandi Deum; asserebant namque ex præscientia Dei de futura horum, & non illorum fide, ac bona voluntate, conditionatè futura, voluisse Deum his, & non alijs prædicari doctrinã suam: hac autem iam futura prædicatione doctrinæ præuidit Deus, qui iam essent in eum credituri, & inuocaturi, atq; his, & non aliis determinauit dare gratiã facientem necessariò, & non liberè operari, vt ostensum est numero 320. ex qua prædestinatione gratiæ, præuisa etiam vt futura adimpletione legis per gratiam, prædestinauit tandem gloriam: vndè, vt patet, totã rationẽ meriti gratiæ, & per eam gloriæ refundebant in opera naturalia, elicita per solas vires naturales liberi arbitrij. Legas totum hunc ordinem in Epistola Prosperi paucis conclusum verbis lit. D. nimirùm, *Qui autem credituri sunt, quiue in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri sunt, præcisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit.* & similiter in subsequentibus verbis Hilarij, *Cæterùm præscientiam, & prædestinationem, vel propositum ad id valere contendunt, vt eos præsciuerit, vel prædestinauerit, vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri: nec de hac fide posse dici, quid autem habes, quod non accepisti? eã in eadem natura remanserit, licèt vitiata.* Alterum est, quòd, cùm per ipsos gratia nõ detur, nisi ex præcedenti merito fidei, & bonæ voluntatis naturalis, in quo solummodò voluntatem asserebant liberam, non verò iu ordine ad alia opera ex gratia, cõsequenter ad hunc errorem dicebant nulli dari donum perseuerantiæ, quod non possit propria voluntate nolentis liberè aut credere, aut petere, amitti. Sicut loquitur Hilarius lit. N. in illis verbis, *Quod autem dicit Sanctitas tua, neminem perseuerare, nisi perseuerandi virtute præcepta, hactenus accipiunt, vt quibus datur, inerti licèt, præcedenti tamen arbitrio tribuatur, quod ad hoc tantùm liberum asserunt, vt velit, vel non nolit admittere medicinam.* & infra lit. AA. *Cæterùm quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse amittere, & retinere propria voluntate contendunt.*

325 Hæc sunt, quæ in erroribus Semipelagianorum verè contenta fuisse, euidenter, vt probatum est, ex Prosperi, & Hilarij Epistolis colligitur; sed his non obstantibus, videant, exoro Lectores, quæ, & quanta moliantur contra scientiam mediã Aduersarii, nullatenus ad sensum Epistolarum Prosperi, & Hilarij secundùm cohærentiam attendentes, sed verba discerpendo, atque iisdem, quem sibi ipsis cõmodiorẽ iudicant, sẽsũ attribuendo. Ne tamen ex multiplicitate, necnon diuersitate eorum, quæ congerunt, confusio potiùs, quàm comprehensio suboriatur veritatis, si post longam cõfictionum seriem, responsa, & repulsa transferrem: satagam, secundùm quòd opus fuerit, ibidem singulas machinationes in Aduersariorũ manibus confringere, vbi à veritate diuertunt.

326 Arguunt ergo Aduersarij ad probandũ scientiam mediam communionem habere cum erroribus Massiliensium, ita: Scientia media, qua vtebantur Semipelagiani in ordine ad explicandum propositum, & voluntatem Dei, & contra quam Prosper, & Hilarius Augustinum monebant, talis erat, vt nimirùm nihil Deus prædestinet, nisi priùs per eam explorauerit, quid facturum esset liberum arbitrium, vtens Dei concursu, seu diuino adiutorio: quod probãt tum ex illis verbis Prosperi, signatis litteris II. *Penè omnium par inuenitur, & vna sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit: & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione, præscierit.* Tùm ex Fausto Rhegiensi libro 2. de libero arbitrio, & gratia cap. 4. asserente, *Nisi præscientia explorauerit, prædestinatio nil decernit.* Atqui, subsumunt Aduersarii; hæc est scientia media, quæ à Molina, & suis sequacibus defenditur: atque eodem modo in ordine ad prædestinationem, ergo.

327 Cernunt credo Lectores ex iis, quæ notaui numero 318. & 319. nec non 321. quæ confundant Aduersarii, non iuxtà Semipelagianorum sensum: sed illorum verba proprio accomodando, vt scientiam mediam, quam nullo subsistente fundamen-

to oppugnare valent, saltem sophismatibus impetere curent. Patet namque ex prælibatis adnotationibus Semipelagianos non vsos fuisse præscientia media in ordine ad prædestinationem gloriæ, nisi respectu paruulorum decidentium ante vsum rationis: cæterùm respectu adultorum vsi sunt conficta scientia visionis de fide, & volũtate inuocandi Deum, *Vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ benè vsus est, vt ad istam saluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire*: refert Prosper lit. R; non verò quia præuisus est, quòd vteretur, & mereretur peruenire. & lit. D. *Qui autem credituri sunt*, rescribit, non qui credituri essent, *quiue in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam sit iuuanda*, non esset iuuanda, *permansuri sunt*, non permansuri essent, *præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos, &c.* Imò Hilarius refert in sua Epistola lit. CC, quòd non patiebántur Semipelagiani adduci paruulorum causam in exemplum maiorum. Ecce verba Hilarij, *Paruulorum autem causam ad exemplum maiorum non patiuntur afferri, quam & tuam Sanctitatem dicunt eatenus attigisse, vt incertũ esse volueris; ac potiùs de eorum pœnis maluerìs dubitare.* In locis ergo ab Aduersariis adductis locuti sũt Semipelagiani de præsciẽtia visionis; videant ergo iidem Aduersarij, si admittentes scientiam visionis, communicant cum erroribus Semipelagianorum.

328 Quidquid tamen sit de hoc, gratis ipsis do locutos fuisse de præscientia media, dicant tamen Aduersarij, in quo Catholico scientiæ mediæ Propugnatore, inueniunt, qui requirat futurum, vt conditionatè præuisum, tamquam meritum, siue conditionem, aut occasionem, vt Deus hos, vel illos prædestinet? certè apud neminem id inuenient, nisi iuxta eorumdem solitum velint confundere conditionem requisitam ad posse, cum conditione requisita, vt actù sit potiùs prædestinatio, quàm non prædestinatio: quæ inter se sũt valde diuersa; quandoquidem nihil potest Deus prædestinare, quod non præcognouerit possibile: sed non ideò prædestinat, quia cognouit possibile, cùm non omne possibile prædestinauerit futurũ fore. Semipelagiani autẽ nõ attendentes illud Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida, quia, si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cinere, & cilicio, egissent magnos fructus pœnitentiæ*, quos tamen non propterea prædestinauit, non verebantur asserere Deum eos prædestinasse, quos præviderat credituros: atque indè codẽ Matthæi textu impugnari fuerunt ab Augustino lib. de bono perseuerantiæ cap. 9; & 14. vt dictum est numero 147; hoc autem omninò alienum est à Propugnatoribus Catholicis scientiæ mediæ, qui eam prærequirunt, vt possit Deus, inoffensa libertate, quos voluerit, prædestinare: non, vt prædestinauerit, quos ita præscierit.

329 Rursus de quacumque scientia locuti fuerint, siue visionis, siue media, ea certè figmentum ipsorum erat, non realis, vtpotè de obiecto impossibili, nempe de fide, & bona voluntate recurrendi ad Deum per facultatem, & vires naturales liberi arbitrij, quod, nisi aliqua Dei gratia eleuetur à Patre luminum, à quo omne bonum descendit, non potest, nisi malum: *liberum* namque *arbitrium*, etiam Angelorum, & Adæ ante peccatum ex Augustino lib. de Correctione, & Gratia cap. 11. *Ad malum sufficit; ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono*, & inde probat etiam Angelos, & Adamum hoc auxilio indiguisse, vt potuerint benè operari: *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quamprimùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio, posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent*, Post prædicta, & in eodẽ capite ait Augustinus. Chimerica ergo erat scientia, siue visionis, siue media fuerit, quam adstruebant Semipelagiani de fide, & bona voluntate antecedente, & independente à gratia, imò vi cuius gratia ipsa donetur. At Propugnatores Catholicitatis scientiæ pari passu procedunt, sed proportionato, de scientia media, ac de scientia visionis, vt videlicet, sicut nihil actù bonum est, quod non descendat à Patre luminum, præueniente sua gratia, quæ faciat hominem operari; ita nihil conditionatè futurum bonum admittunt, nisi eodem prorsus medio Patris luminum adiutorio conditionatè præconcepto: & solùm negant debere esse actù pro eo, quod non est actù futurum: sed merè cognoscitur, quod esset, si esset tale adiutorium. Quid ergo est, quòd æquiuocè, & terminis confusis Assertoribus Catholicis scientiæ mediæ attribuunt Aduersarij, eos nimirùm, conformiter ad Semipelagianos, etiam docere Deum prænidisse, ante omne suum decretum de gratia, bonum opus conditionatè futurum, cùm illi re vera ante omnẽ prædestinationem Dei, etiam conditionatè præconceptam, & per solas vires liberi arbitrij hoc idipsum docuerint: non ita autem

tem doceant isti: sed requirant prædestinationem, & gratiam ad quodcumque bonum: eo tamē modo, quo est futurum, absolutè scilicet, si cognoscitur, vt absolutè futurum: conditionatè verò præconceptā, si dumtaxat cognoscitur, quòd esset, si esset adiutorium; non autem, quòd esset præciso adiutorio.

330 Sed ecce, replicant Aduersarij, vanum aufugium, quod Propugnatores scientię medię arripiunt, vt se alienos ostentent ab erroribus Semipelagianorum, dicendo, quòd isti scientiam mediam admittebant de futura fide, & bona voluntate recurrendi ad Deum per solas vires liberi arbitrij, & independenter ab omni prædestinatione, & gratia: hoc enim, inquiunt, falsum est: quandoquidem Semipelagiani ad fidem, & bonam voluntatem recurrendi ad Deum admittebant gratiam præuenientem, sed sufficientem, non ex se efficacem: hoc autem idē admittit Molina, & sequaces; ergo. Probant autē assumptum pluribus locis desumptis ex iisdem præfatis Epistolis, ex illa quidem Prosperi tum in illis verbis lit. O. *Et neminem per opera sua, sed per Dei gratiā regeneratione saluari: vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, &c.* Tùm illis alijs lit. D, *Et eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse prauiderit.* Vbi illa verba, *gratis vocatos*, non possunt appellare supra vocationem, ac opera distincta à fide, & voluntate recurrendi ad Deum, quia vocationem asserebant debitam merito fidei, & bonæ voluntatis Deum inuocandi; ergo appellāt supra gratuitam vocationem ad præfatos actus voluntatis, & fidei. Tùm 3. in illis lit. K. *Vt ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire*; ergo cognoscebāt gratiam saluantem, scilicet efficacem ad opera: & initialem, seu sufficientem ad fidem, & bonam voluntatem. Tùm 4. in his lit. L. *Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omninò definiunt, quòd Deus constituerit nullum in Regnum suum, nisi per Sacramentum regenerationis assumere: & ad hoc salutis donum omnes homines vniuersaliter, siue per naturalē, siuè per scriptam legem, siuè per Euangelicam prædicationem vocari.* Tùm tandem in subsequentibus lit. P; *Nec considerant se gratiā Dei, quam comitem, non præuiam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præuentas*; concedebant ergo gratiam præuenientem: sed in ordine ad fidem, & bonam voluntatem inuocandi Deum subijciebant libero arbitrio, quia ponebant eam purè sufficientem. Ex Epistola item Hilarij lit. E. idem colligitur in illis verbis, *Cæterùm ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* & in illis lit. X, *Vndè in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, vt illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, sine qua perseuerare non poterat: hos autem, amissis, & perditis viribus, credentes tantùm, non solùm erigat prostratos, verùm etiam suffulciat ambulantes.*

331 Quibus addo quemdam Modernum afferentem aliqua verba Augustini ex Epistola ad Vitalem Semipelagianum, nempè, *Si ergo ità præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodò legem suam, atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio: nec vocatione illa, atque secreta sic eius ageret sensum, vt eidem legi, atque doctrinæ accommodaret assensum: procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, vel prædicare, sufficeret; nec opus esset orare, vt Deus ad fidem suam fidelium corda conuerteret, &c.* Ex quibus verbis subtiliter se credit arguere iste Modernus, cùm ita discurrit: nisi Vitalis supponeretur admisisse illuminationem infusam à Spiritu Sancto, & non solam extrinsecam propositionem legis, atque doctrinæ, verba præfata Augustini redderentur identica, & ridicula; haberent namque hunc sensum, si Deus ita præpararet, atque operaretur hominis voluntatem, vt tantummodò exhiberet legem suam, atque doctrinam libero arbitrio per lectionem, vel explicationem, & prædicationem; ergo sufficeret eam exhibere per lectionem, vel explicationem, & prædicationem: qui esset discursus identicus, & ridiculus; ne ergo talis notetur Augustini discursus, benè conuincitur Vitalē admisisse illuminationem Spiritus Sancti circa præcepta legis, & obiecta: & Augustinus eum arguat ex eo, quòd, si id sufficeret, & non opus præterea esset, vt Deus ipse vocatione sua alta, & secreta accomodaret eidem legi, atque doctrinæ voluntatis assensum, procul dubio sufficeret eamdem legem, & doctrinā legere, &c.

332 Verùm quis erit, qui hanc Aduersariorum molem simul, & quæ in adnotationibus dicebam, considerans, non videat Oppugnatores scientię medię non vera inquirere, quę adinuenire nequeunt pro ea impugnanda: sed, sicut Prouerbio dicitur, pilos in ouis. Si enim aliquam diuinitùs infusam gratiam, etiam ad actus fidei, & voluntatis inuocandi Deum, admisissent

sent Semipelagiani; quid est, quod refert Prosper lit. L. *Vt, cùm ad confitendum Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne, si meritis redditur, frustrà gratia nominetur; ad conditionem hanc velint uniuscuiusque hominis pertinere, in qua cum nihil prius merentem, quia nec existentem liberi arbitrij, rationalis gratia Creatoris instituat: vt per discretionem boni, & mali, & ad agnitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius, possit suam dirigere voluntatem*. Certè nec Prosper potuisset Semipelagianos arguere, quòd nullam assignarent gratiam, omnia merita humana præuenientem; ne gratia frustrà dicatur; nec Semipelagiani fuissent constricti recurrendi ad gratiam creationis, antecedentem omne meritum, si iam cognouissent ad omne meritum gratię prȩuenientis, & diuinitùs illuminantis necessitatem. Quid item est illud eiusdem litt. K, *Atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur peruenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, &c: vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ benè vsus, &c.* Quomodò per naturalem scilicet facultatem, si agnoscebant non sufficere, nisi priùs eleuaretur, & supernaturalizaretur gratia sufficienti, diuinitùs infusa? atque quomodò, *quia bono naturæ benè vsus est?* imò potiùs, quia bono gratię, dantis posse, benè vsus esset. Quid rursus est illud lit. L. *Et ad hoc salutis donum omnes homines vniuersaliter, siue per naturalē, siue per scriptam legem, siue per Euangelicam prædicationem vocari*: vbi est hic illuminatio per Spiritum Sanctum infusa? numquid ad percipiendam legem, & Euangelium? sed legas in lit. S. *Nec vacillare*, ex Semipelagianis refert, *illud, quod Deus vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: quandoquidem inexcusabiles sint, qui & ad vnius Dei cultum potuerint instrui intelligētia naturali, & Euangelium ideò non audierint, quia nec fuerant recepturi*. Hęc ne est illuminatio Spiritus Sancti, intelligentia naturalis? Et si dicebant Euangelium non audiuisse, quia prȩuidebantur non recepturi, vbi est illuminatio ad percipiendam legē, & Euangelium, cùm potiùs huius defectum docuerint in pœnam prȩuisę infidelitatis conditionatè futurę? Quid insuper est illud Hilarij lit. G. *Vndè non consequens putant exigendam ab eo fidem, cuius natura id voluntate Conditoris concessum est, & nullam ita deprauatam, vel extinctam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari?* Quid est, *& nullam ita deprauatam, vel extinctam putant*, naturam? in natura ergo non omninò deprauata, & extincta, non in superaddita gratia, ponebant posse; secundùm quòd etiā refert lit. M. *Nec de hac fide posse dici, quid autem habes, quod non accepisti; cum in eadem natura remanserit, etiam vitiata*. Sed tandē pro coronide accedat intelligentia Augustini; vt ex ipso appareat, si puram naturā volebant Semipelagiani sufficientem ad fidem, & voluntatem recurrendi ad Deum, an verò aliquam gratiam diuinitùs infusā admiserint. Certè nullus dubitat librum de prędestinatione Sanctorum; sicut & aliū de bono perseuerantię, respodendo Epistolis Prosperi, & Hilarij, cōtra Semipelagianos Aug. scripsisse: sed vide quid inter alia in primo eorumdē cap. 5. pro eis impugnādis ex illo 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit*, habeat: *in hac Apostoli euidentissima intentione*, ait, *qua contra humanam superbiā loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari, siue ipsam totam, perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est: siue vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, nimis, quantùm existimo, absurdum est*. Vides ne, quid ex Epistolis Prosperi, & Hilarij de sensu Semipelagianorum conceperit Augustinus, nempè dona naturalia, quę secundùm aliquas reliquias, remanserint in vitiata natura, vt propterea Deo, naturam condenti, attribuatur etiam vnius hominis ab alio discretio, non verò ratione alicuius doni supernaturalis. Vt quid ergo tot nebulis, & tot ȩquiuocis sub caliginoso ambagum latibulo lumen veritatis obiegere?

333 Tria ergo gratiarum genera distinguebant Semipelagiani, vt colligere quisque potest ex dictis; vnam nimirum, quam vocabant initialem, cōsistentem in gratuita productione naturę rationalis, potentis discernere bonum, & malum, & dirigere ab bonum suam voluntatem; vt adnotaui numero 318. Secundam verò completiuā extrinsecè liberi arbitrij constituebant in lege, & Euangelij doctrina extrinsecùs proposita, vel prædicata, prout patet ex 4. loco adducto ab Aduersariis, *Et ad hoc salutis donum omnes homines vniuersaliter, siue per naturalem, siue per scriptam legem, siue per Euangelij prædicationem uocari*. & Epistola Hilarii lit. M. *Quod quidem in esse naturæ sic se dicere confitentur, ut hoc ipso, quòd ignoranti ueritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit*. Qua scilicet mediante possit naturalis facultas voluntatis, non obstante peccati originalis sauciatione, in Deum credere, & ipsius inuocare adiutorium in ordine ad reliqua inchoanda, & perficienda opera, vt probatum est in numero antecedenti, ac etiam in numeris 317; & 318.

Ter-

Tertiã autem gratiam admittebant supernaturalem quoad substantiam, qua mediãte inchoarentur, atque perficerentur omnia opera præcepta distincta à fide, & bona voluntate recurrendi ad Deum, quam asserebant dari ex merito fidei, & bonæ voluntatis, petentis, quærentis, pulsantis, vt patet etiam in eodem numero 318; negabant tamen cum hac voluntatem creatam operari liberè. Prout ex Hilario præcipuè probaui num. 327. iuxtà autẽ hanc gratiarũ diuersitatem, quas Aduersarij satagunt cõfundere, procedit machina, quam construunt, ad probandum Semipelagianos admisisse gratiam sufficientem, prout admittitur à Propugnatoribus scientiæ mediæ.

334 Ad primum ergo ex locis in argumento adductis dico, in eis verbis solùm contineri, quòd gloria non datur ex sola fide, & bona voluntate inuocandi Deum, sed ex operibus bonis, ad quæ requirebant gratiam supernaturalem; sed hanc non asserebant gratis dari, sed ex merito fidei & bonæ voluntatis præcedentis, sicut probatum est numero 323; & quoniam de omnibus hominibus idem ferebant iudicium, habere nimirùm in viribus naturæ posse credere in Deum, & posse velle sanari, ideò dicebant, omnium simili voluntati, & fidei propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, esse æquè propositã. Ad secundum patet ex numero 337. quare gratia faciens operari, licèt per Semipelagianos dictum fuerit dari ex merito fidei, adhuc vocata fuit gratia, quia videlicet etiam fides, & bona voluntas supponunt gratiam creationis, & prædicationis Euãgelij. Addo per tò, *gratis vocatos*, intellexisse de primo, & secundo genere gratiæ, non de tertio. Ad tertium nihil est addendum: probaui enim paulò ante nomine gratiæ initialis intellexisse gratiã creationis. Ad quartum patet Semipelagianos vocasse gratiam sufficientẽ legem, atque Euangelicã prædicationem, quæ reuera gratia est, sed medio ministro plantante, & irrigante, & quæ percipitur sensibus à natura: ideòque, absq; alia Patris interiùs docẽtis, siue efficaciter, siue sufficiẽter, illa nullo modo est sufficiens ad fidem, & bonã voluntatẽ supernaturalem. Ad quintum dico, cur attendũt Aduersarij ad vltima verba, & de antecedentibus non curant; nonnè vident, quòd priùs refert Prosper, *Quam comitem, non præuiam humanorum volunt esse meritorum.* Quid? simul præuiam, & non præuiam docebant? Vide ergo, quæ dixi ex Epistola Hilarij in prima adnotatione; volebant enim Semipelagiani initium, & inchoationem fidei, ac bonæ voluntatis esse ex nobis, & deindè augmentum, & perfectionem ex gratia, & hoc inter alia erat insania, vt in eadem linea ad initium sufficeret natura, gratia non præuenta: sed ad augmentũ requirebant præueniri debere gratia, vndè ad initium fidei gratiam non præuenire, sed potiùs comitari, vel subsequi dicebãt, præuenire autem ad augmentum eiusdem fidei; contra quam insaniam plura affert Augustinus lib. de Prædestin. Sanctorum cap. 2. præcipuè verò hæc habet verba, *Sed nunc eis respondendum esse video, qui diuina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, vt nouerimus, ex nobis quidem nos habere ipsam fidem; sed incrementum à Deo, tamquam fides, non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamen augeatur in nobis, & merito, quo capit à nobis.* Ad illud autem, quod additur primò ex Hilario, deberent notare aduersarii, quòd de opere, quod distinguebant à fide, & bona voluntate, ac pro quo, etiam quoad inceptionem, prærequirebãt Semipelagiani gratiam, loquitur Hilarius, non de fide, & bona voluntate inuocandi Deum; de his autem, quæ referat, vide in prima, & secunda mea adnotatione. Pari modo in alio ex eodem adducto loco nonnè vident Aduersarij verba Hilarij, *Hos autem, amissis, & perditis viribus, credentes tantùm, non solùm erigat prostratos, &c.* Gratia ergo de qua loquitur, supponebat ex Semipelagianis iam credentes, quos erigere debebat, & deindè suffulcire ambulantes.

335 Ad id autem, quod ex Epistola ad Vitalem subiungit Modernus, iam citatus, dico ipsum sola attentione ad proprium finẽ, verba Augustini considerantem, non aduertisse, quòd si talis, qualem impingere vult, fuisset verborum Augustini sensus, irridendum fuisset eiusdem argumentum: quæ enim consequentia esset, si sufficit supernaturalis illustratio Spiritus Sancti, proponens opus actu supernaturali amplectendum; ergo etiam sufficit propositio naturalis per lectionem, aut prædicationẽ? easdemne tribuit vires ad opus supernaturale, prout expedit ad salutem, propositio naturalis, ac supernaturalis illuminatio Spiritus Sancti? An non videt Augustinum non inferre illam consequentiam, quam ex propria phantasia infert ipse, sed aliam valde diuersam? reflectat mecum ad verba Augustini, *Si ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodò legem suam, atque doctrinam libero eius, extrinsecè,* vt ego explico, atque intelligenda

da esse dico? *adhiberet arbitrio, procul dubio,* seu per consequentiã,vt vult Modernus iste, ergo *non opus esset orare, vt Deus ad fidem suam fidelium corda conuerteret: sed eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere,vel prædicare, sufficeret.* Ista ne consequentia, in qua infertur, quod nulla esset necessitas orandi, identica est cum antecedenti argumenti? an aliquid diuersum ab hac consequentia videt in illis verbis Augustini Modernus iste, *Procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, vel prædicare sufficeret: nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam fidelium corda conuerteret?* Sed admittamus iam huic talem esse consequentiam Augustini, qualem vult ipse; certè ad summum Vitalis admisit illustrationem Spiritus Sancti supernaturalem quoad modum, vt videlicet faceret Spiritus Sanctus hic, & nunc, quod faceret lectio, & prædicatio Scripturæ, si esset; aliàs consequentia Augustini esset omninò impertinens: Quid ergo? putat iste Modernus gratiam sufficiẽtem esse ad opus supernaturale quoad substantiam illustrationem quoad substantiam naturalem? aut hoc sibi persuasit asseri à Propugnatoribus scientię medię? Si, inquam, alterum ex his putat, longè se sciat à veritate aberrare.

336 Arguunt præterea ita. Indè Semipelagiani fuerunt inducti ad asserenda merita fidei, & bonæ voluntatis inuocandi Deum antecedenter ad Dei gratiam, quia putabãt per diuinum decretum, seu constitutionem, & prędestinationem auferri à nobis libertatem, si nostras pręuenit operationes, *Remoueri*, namque refert Prosper lit. G. *tollique uirtutes, si Dei constitutio humanas præueniat uoluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.* & Hilarius lit. N. *Quoad hoc solùm*, scribit, *liberum asserunt, ut uelit, uel nolit admittere medicinam.* Contra hoc autem Semipelagianorum assertum vterq; Augustino scribit, vt doceat rursus, atque clariori doctrina, quomodò Dei constitutio, & prædestinatio, & si præueniat, non propterea auferat liberum arbitrium. Atqui subsumunt Aduersarij, Propugnatores scientiæ mediæ in eo ferè totam eorum fundant sententiam, quòd Dei decretum, & prædestinatio libertatem auferrent; ergo subsunt ijsdem Augustini argumentis, & impugnationibus, quibus obnoxij sunt Semipelagiani.

337 Reticent Aduersarij, ac sub silentio prętereunt Prosperi verba lit. EE. quibus Augustinum exorat, vt doceat quomodò per Dei prædestinationem liberum non impediatur arbitrium; ne, illa referendo, fallaciam argumenti detegant; sic namque loquitur Prosper, *Primùm, quia plerique non putant Christianam fidem hac dissentione violari, quantùm periculi sit in eorum persuasione patefacias. Deindè quomodò per istam præoperantẽ, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium.* Videsne quam ob causam reticebant, ne videlicet appareret, quod Semipelagiani non loquebantur de decreto prædeterminante voluntatem, de quo nũquam vestigium inuenerant apud Augustinum: sed de prædestinatione gratiæ faciẽtis benè operari, qua putabant auferri liberum arbitrium, tolli virtutes, inanem reddi correctionem, &c? Hoc autem non sõniant Assertores scientiæ mediæ: omnes enim admittimus sub potestate figuli esse ex eadem massa luti alios in vasa condere in vasa honoris, & alios in vasa contumeliæ; ad quid ergo velle confundere prædestinationem gratiæ antecedentis ad omne opus bonum, quam omnes admittimus, asserimusque contra Semipelagianos nullatenus offendere libertatem, cum decreto Dei prędeterminatiuo voluntatis creatæ ad vnum, quod ideò dicimus offendere libertatẽ, quia non sineret illam suos agere motus, prout exigit eius natura?

338 Arguunt tertiò hoc modo: Assertores scientiæ mediæ eadem prorsus ratione, ac Semipelagiani, ponunt in Deo propositum, & prædestinationem: sed isti fuerunt ad preces, & relationes Prosperi, atq; Hilarij ab Augustino impugnati; ergo similiter, & illi. Probant maiorem: nam Semipelagiani duplex in Deo distinguebant propositũ, & prædestinationẽ; vnum omninò antecedens libertatem creatam, vniuersale, & indifferens; per quod Deus decreuit omnibus aliqua media sufficientia ad acquirendam salutẽ, vt colligitur ex illis verbis Prosperi lit. T, *Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omninò definiunt, quòd Deus constituerit nullum in Regnum suum, nisi per Sacramentum regenerationis assumere: & ad hoc salutis donũ omnes homines vniuersaliter, siue per naturalem, siuè per scriptam legem, siue per Euangelicam prædicationem uocari.* Ecce, aiunt quidam ex Aduersarijs, quòd vocationem generalem in remedium peccati, quæ vtique se habet, vt sufficiens gratia, ponebant Semipelagiani dependentem à decreto Dei indifferenti, gratuito, & omninò antecedẽti ad nostram libertatem. Aliud verò decretum adstruebant, dependens quo ad efficaciam à nostra libertate, sub conditione præuisa operatura cum adiutorio gratiæ sufficientis, prout constat ex alijs verbis Prosperi

ſperi circa finem Epiſtolæ lit. H. *Penè omnium par inuenitur, & una ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperint, vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præuiderit: & ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſſet voluntate, & actione præſcierit*. Illis præterea verbis lit. D. *Qui autem credituri ſunt, quique in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum: & eos prædeſtinaſſe in Regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit.* Ac tandem verbis illis Fauſti Rhegienſis num. 324. relatis, *Niſi præſcientia explorauerit, prædeſtinatio nil decernit*. Hanc autem præſciẽtiam, à qua dependeat efficacia diuinæ prædeſtinationis, ideò requirunt, vt cum ea conciliarent libertatem creatam, quam ex decreto efficaci antecedenti putabant offẽdi, vt conſtat illis verbis lit. F. *Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani eligendorum, vel reiciendorum dicitur facta diſcretio, vt ſecundùm quòd placuit Creatori, alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre, &c.* Talis autem eſt doctrina, & ſententia Propugnantium ſcientiam mediam; ergo, &c.

339 Huic argumento, quod ſuper omnia alia componunt commentitijs ſuppoſitionibus, reſpondeo, negando maiorem. Ad probationem concedo Semipelagianos docuiſſe per decretum illud vniuerſale legis, ſiue naturalis, ſiue ſcriptæ, aut prædicationis Euangelii quemlibet ſufficienter vocari ad actum fidei, & bonæ voluntatis naturalis: ſed ſatis demirari non poſſum, aliquos ex Aduerſarijs dicere, quòd talis vocatio vtique ſit gratia ſufficiens; imò quoad hoc conſequentiùs loquuntur Semipelagiani, quàm Aduerſarij; illi enim talem vocationem requirebant ad fidem, & bonam voluntatem naturalem, ad quos actus ſomniabant remanſiſſe vires in natura, adhuc vitiata. Sed Aduerſarij iſti, qui ſic arguunt, plùs illis chimerizant, dicentes eſſe gratiam ſufficientem ad opera ſupernaturalia extrinſecam propoſitionem legis, & Euangelij, naturalibus viribus cognoſcibilem. Videant ergo quid dicant; nam Aſſertores ſcientiæ mediæ etiam requirũt ad gratiam ſufficientem Patrem intrinſecùs docentem, & non ſolùm extrinſecùs; & cum doctrina neceſſariam etiam volunt ſupernaturalem piam affectionem voluntatis: ita tamen, vt vires det ſupernaturales quoad ſubſtantiam libero arbitrio: at non ita excedentem motus oppoſitos, vt faciat operari: ſed ſolùm vt relinquat eidem libero arbitrio, quòd velit, vel nolit operari.

340 Circa ſecundam verò partem probationis antecedentis, quòd Semipelagiani admittebant decretum conſequens ad ſcientiam mediam, cuius efficacia dependeat ab eadem, omnia certè ſunt ſomnia, tùm, quæ de Semipelagianis, tùm, quæ de Aſſertoribus ſcientiæ mediæ componunt: dixi enim numero 325. Semipelagianos non vſos fuiſſe Scientia media, niſi in ordine ad prædicationem Euangelij, & causâ paruulorum, decidentium ante vſum rationis, quam, vt ibi monui ex Hilario, nolebant adduci in exemplũ maiorum; & ſi non ſufficit Hilarius, legant idem apud Proſperi Epiſtolam lit. GG. in illis verbis, *An per genera cauſarum, & ſpecies perſonarum iſta uarietur, vt quia diuerſæ ſunt uocationes in his, qui, nihil operaturi, ſaluantur*, Ecce vbi ſignificãtur paruuli ante vſum rationis e x hac vita decidentes, *Quaſi ſolùm Dei propoſitum uideatur exiſtere? in his autem, qui aliquid boni acturi ſunt*, En hic adultos ab illis diſtinguit, *per præſcientiam poſſit ſtare propoſitum? an uerò uniformiter præſcientia quodam ordine ſit ſubnixa propoſito, &c.* Vides ne, quòd nomine præſcientiæ non venit ſemper ſcientia media apud Semipelagianos: ſed reſpectu adultorum ſignificabant ſcientiam viſionis de futura fide, & bona voluntate, quas cõfingebant præcedere gratiam, tamquam ipſius meritum.

341 Do tamen aduerſarijs ſemper Semipelagianos loquutos fuiſſe de præſcientia media in locis ab iiſdem adductis: quomodò indè probant decretum Dei ſubſequens efficaciam deſumere per eoſdem à præſcientia operis? numquid decretum efficax Dei dandi præmium poſt præmiſſum meritum non ponit ratione ſui præmium, quod vult? Semipelagiani autem præſcientiam fidei, vel operum volebant, tamquam meritum, vel conditionem, aut occaſionem, vt Deus propterea daret ſuam gratiam, aut vellet ſaluare; ſed non indè ſomniabant, quòd, ſi non fuiſſet præſcientia, & fuiſſent in Deo talia decreta, non poneretur gratia, vel ſaluatio: ſed dicebant, quòd non fuerunt talia decreta in Deo, reſpectu quorum non præuidit crediturus, vel benè operaturos; ergo non ponebant decreta ex ſe non efficacia, & efficaciam habentia à præſcientia: ſed dicebant decreta ex ſe efficacia habuiſſe Deum relatè ad eos, quos præuidit credituros. Et ſanè ridiculum valde eſt dicere non eſſe ex ſe efficax illud de-

decretum, quod, si præcederet liberum arbitrium, illud ratione sui necessitaret: cùm verò subsequitur, necessitat ad reliqua, & solùm non necessitat ad id, quod jam supponit liberè exercitum. An non talem adstruebant Semipelagiani Dei constitutionē, & decretum? lege numerū 300: & cernes ex Hilario, *Quod ad hoc tantùm liberum asserunt, ut uelit, uel nolit admittere medicinā:* quam quidem voluntatem, vt ex eodem Hilario notaui numero 318. præcedere dicebant diuinam prædestinationem, *Nec negari gratiam*, refert ex Semipelagianis Hilarius lit H. *Si præcedere dicatur talis uoluntas, quæ tantùm medicum quærat.* Cernes etiam ibidem ex Prospero, *Remoueri omnem industriam, tollique uirtutes, si diuina constitutio humanas præueniat uoluntates, & fatalem quamdam necessitatem induci.* Item, *Hoc autem propositum uocationis Dei, quo uel ante mundi initium, &c. & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis afferre, si neque reiectus ulla industria possit intrare, neque Electus ulla negligentia possit excidere* Quę ergo componunt Aduersarij, tamquam ex Semipelagianorum doctrina, propria phantasia cōponunt, non ex illis.

342 Rursus falsum est, & chimericum, quòd in doctrina propugnantium scientiam mediam supponunt Aduersarij, videlicet efficaciam alicuius decreti diuini pendere à nostro libero arbitrio: sed dicimus eo modo, quo Deus res vult, eodem prorsus modo vi sua facere, vt ponantur: vnde, si vult actus nostros bonos poni à nobis liberè, & nos ipsos per nosmet determinari, non debet ipse nos determinare; sed modum tribuere, vt à nostra determinatione sint opera, non à sua; hoc autem facere Deum directum à sua scientia, ex Augustino adnotaui numero 149. *In sua namque, quæ falli, mutarique non potest præscientia: opera sua futura disponere, id omninò nec aliud quid quam est, quam prædestinare.* A sua, inquā, scientia, qua præuidit, non quæ facturi essemus nos per vires superstites in vitiata natura, vt volebant Semipelagiani; sed per vires, quas Deus ipse communicaret; vt sub quibus vidit fore nos accommodaturos nostram determinationem, eas, si deindè vellet, posset præstare: non verò vt propterea præstet.

343 Sed ecce, replicant Aduersarij, in quo conuenimus cum Semipelagianis, necnon, discedimus ab Augustino, & fingimus longè ab illis distare: quandoquidem hoc eodem modo componunt libertatem cū prædestinatione Semipelagiani: quia videlicet Deū sua prędestinatione illud opus prędestinate dicebant, quod sua præscientia explorauerat sub suo adiutorio nos forè facturos: vt, referendo Semipelagianorum sensum, Augustinum consulit Prosper in illis verbis, *Tum vtrum præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, vt ea ipsa, quæ sunt proposita, sint accipienda præscita: an per genera causarum, &c.*

344 Iterum ne redire debeo ad probandum, Semipelagianos nullum supernaturale auxilium admisisse ad fidem, & bonam volūtatem, (quas solas asserebant nobis liberas,) nec etiam in statu absoluto? Videantur, quæ dixi num. 319. 331, & 333. Nūc autem, vt quisque videat, qui? nos, an Aduersarij ab intelligentia Augustini discedant? plurima eiusdem Sancti Doctoris ex cap. 2 de Prædest. Sanctorum, ad præsens negotium spectantia, consideranda offero, vt indè appareat prædestinationem, iuxta errorem Semipelagianorum, non cadere supra id, quod à Deo fuerat præscitum vt conditionatè futurum: sed supra id, quod debebat per ipsos esse præmium prænisæ fidei, & recursus ad Deum, tamquam absolutè futurorum vi dumtaxat liberi arbitrij creati; *Sed nunc*, inquit Sanctus Doctor, *eis respondendum esse video, qui diuina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicūt valere, vt nouerimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ex Deo, tamquā fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamē augeatur in nobis*, & deindè afferens illum Apostoli, *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum*, ita subiungit Augustinus, *Nec ait, vt pleniùs, & perfectiùs credatis in eum: sed vt credatis in eum: Nec seipsum misericordiam consecutum dixit, vt fidelior, sed vt fidelis esset: quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo incrementum.* & post aliqua, *Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis; debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur: & sic merces esset fidei cœptæ fides aucta.* Rursus, *Cur autem*, ait, *non totum tribuatur homini, vt, qui sibi potuit instituere, quod non habebat, ipse, quod instituit, augeat?* & tandem *nolens ergo*, concludit, *his tàm claris testimonijs repugnare, & tamen uolens à seipso sibi esse, quod credidit homo, quasi componat cū Deo, ut partem fidei sibi uindicet, atque illi partem relinquat: &, quod est latiùs, primam tollit ipse, sequentem dat illi, &c.* Superest ne adhuc dubium vllum de errore Semipelagianorum, secundùm quòd possint Aduersarij superimponere, quòd in eorumdem errore per id componebatur libertas voluntatis creatæ cum prædestinatione, quòd prædestinatio decerneret ponendam

eam

eam ipsam fidem, quæ fuerat sub adiutorio gratię præuisa sub conditione futura? an claret iam ex Augustino partem fidei, & quidem initium, eos posuisse, tanquam ex nobis, ad finem, quòd deindè Deus in præmium daret subsequenti efficaci prædestinatione alias partes, & augmentum: sub qua tamen prædestinatione augmenti cessaret iam liberum arbitrium; *Quod ad hoc tantùm liberum asserũt, ut uelit, uel nolit admittere medicinam*? Alia ergo, si habent, adducant contra scientiam mediam Aduersarij argumenta, & non eam censurent confictis ab ipsismet machinis, & doctrinis. Ad id autem, quod ex Prospero afferunt, dico esse intelligendum conformiter ad Semipelagianorum doctrinam; nimirùm, an gratia, & dona prædestinata, seù proposita sint intelligenda præscita, tamquam credita, quòd Deus dabit, & tamquam quæsita, petita, &c. quod erat Semipelagianorũ error.

345 Arguunt tandem sic. Tale adstruebant Semipelagiani donum perseuerantię, quale adstruunt, & adstruere coguntur Assertores scientię medię, vt scilicet possit retineri, vel amitti vi humani arbitrij. *Ceterùm*, scribit Hilarius, *quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse, & amittere, & retinere propria uoluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si uerum putarent eam quosdam perseuerantiam accepisse, ut nisi perseuerantes esse non possint*. Ad id autem asserendum cogi Assertores scientię medię euidens est, cũ negent à decreto Dei de dando perseuerantię dono infallibilitati voluntatem creatã. Cùm ergo aduersus hunc Semipelagianorũ sensum scripserit Augustino Hilarius, tamquam contrarium ipsius doctrinę, tales etiã conuincuntur Assertores scientię medię.

346 Respondeo, quòd, si Aduersarij Epistolam Hilarij, ex qua præcitata verba in sensum valde diuersum ab errore Semipelagianorum distrahunt, puro animo legerent, non obijcerent contra scientiam mediam simile argumentum. Semipelagiani enim in ordine ad donum perseuerantię nõ discedunt à prima radice suorum errorum, nimirùm nullum donum specialis gratiæ à Deo tribui vni pręalijs, nisi ex præcedenti merito fidei, & bonę voluntatis, siue se habentibus his, vt conditione, siue vt occasione; consequenter autem ad hunc errorem dicunt, quòd donum perseuerantię tribuitur merito perseuerantis fidei, & bonę voluntatis; quòd, si istę deficerent, deficeret etiam donum perseuerantię illis tributum; & quoniam libertatẽ voluntatis creatę non admittebant, nisi in his duobus actibus præcedentibus gratiam, & elicitis liberè viribus naturæ, indè dicebãt, quòd, sicut quilibet potest suo naturali arbitrio credere, vel non credere, inuocare, vel non inuocare Deum in auxilium: ita quilibet & perseuerantiæ, & omne aliud Dei donum potest, vel perseuerando in fide, & bona voluntate, retinere; vel, deficiendo ab illis, etiam dona, in ipsorum intuitum à Deo data, deperdere. An non clarè sic refert Hilarius lit. N. in illis verbis, *Quod autem dicit Sanctitas tua neminem perseuerare, nisi perseuerandi virtute percepta, hactenus accipiunt, vt quibus datur; inerti licèt, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod ad hoc tantùm liberum asserunt, vt velit, vel nolit admittere medicinam: nolunt autem ita hanc perseuerantiã prædicari, vt non vel supplicetur emereri, vel amitti contumaciter possit*? Cùm ergo aliam libertatem in nobis in benefaciendo non agnouerint, nisi in ordine ad fidem, & voluntatem inuocandi Deum: & per has dicant posse quemlibet donum perseuerantię mereri, vel contumaciter amittere, totam rationem perseuerandi, vel non perseuerãdi à perseuerantia fidei, & bonæ voluntatis, quæ essent à nobis, & possent esse, vel non esse, desumebant, quæ doctrina hæretica est. Assertores autem scientię medię duplex donum perseuerantiæ distinguunt; vnum causale, consistens in continuata Dei gratia præueniente, & faciente operari liberum arbitrium; & hanc dicunt esse ex Deo sine nobis: ideoq; neq; in potestate nostra esse, vt nobis detur, necq; vt eam amittamus (loquendo cum Augustino de dono speciali perseuerantiæ, quod Deus gratuitò, quibus vult, dat ex posteris Adæ: quandoquidem Adam ante culpam non habuit donum faciens perseuerare, sed quo potuisset perseuerare, si voluisset: & ideò in potestate etiam habuit, vel retinere, vel amittere: verumtamen non ita euenit post originale, quo supposito, etiam ex nolentibus Electos suos Deus facit volentes.) Alterum donum perseuerantiæ est actuale, in quantùm scilicet numquam moraliter cadit, qui donum perseuerandi in Dei iustitia accepit; & de hoc dono sæpè dixi hominem electum dupliciter non posse perseuerantiæ donum amittere: vno modo impotentia subsequenti, quatenus Deus quęcumque elegit, *In sua præscientia, quæ falli, mutarique non potest*, præparauit, & *cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat*; quamuis de cętero potentia antecedenti, etiam qui donũ perseuerantię accepit, possit non perseuerare: & gratiam, iuxta Concilium Tridentinũ,

vt suo loco dixi, respuere. Alio modo impotētia morali, iuxtà quā Augustinus in expositione capituli quinti Epistolæ ad Galatas ait, *Quod enim magis nos dilexerimus, secundùm id operemur, necesse est.* Hoc ergo modo, quo dicit Augustinus, necesse est operari id, quod voluntas præuenta magis dilexerit, dicit etiam, quòd, qui perseuerantē à Deo accipit maiorem dilectionem ad bonum, quàm tetrahunt concupiscentiales motus, necesse est, vt perseuerans sit, seu vt non nisi perseuerans sit. In quo etiam, vt patet, tùm quoad substantiam, quia hanc perseuerantiam, & omne opus bonum fatemur esse donum Dei; tùm quoad modum, secundùm quem dicimus à Deo etiam habere, vt & impotentia morali, & impotentia subsequenti, orta ex dono gratiæ conditionatè præconceptæ, non possit non perseuerare, qui perseuerantiam acceperunt, omninò alieni, & ex opposito stamus erroribus omnibus Semipelagianorum.

347 Pro coronide autem totius doctrinæ, quam in præsenti Paragrapho hactenus tradidi, ad hoc, vt quisque præ oculis habeat, quæ ego, & quæ aduersarij ex Epistolis Prosperi, & Hilarij dicimus: & cōmodiùs, quis ex nobis sophismata componat, discernere valeat, eas ex Augustino huc integras transferre opere pretium duxi; ipsis, pro maiori, ad inuenienda, quæ cito, loca, facilitate superadditis, vbi opus fuerit, Alphabeticis litteris: sperans hinc etiam certiores reddendos fore Lectores, quòd non dissimili modo procedunt Aduersarij in antecedenti Paragrapho, referendo Pelagianorum errores pro oppugnanda scientia media.

PROSPERI

Epistola ad Augustinum de reliquijs Pelagianæ hæreseos.

Domino Beatissimo Papæ, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præstantissimo Patrono Augustino, Prosper. Ignotus quidem tibi facie, sed iam aliquatenus, si reminiscaris, animo, & sermone compertus: nam per Sāctum Fratrem meum Leontium Diaconum misi Epistolas, & recepi: nunc quoque Beatitudini tuæ scribere audeo, non solum salutationis, vt tunc, studio: sed etiam fidei, qua Ecclesia viuit effectu. Excubante enim pro vniuersis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, & aduersus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verēdum putaui, ne onerosus tibi, aut importunus essem in eo, quòd ad multorum salutem, ac proindè ad pietatem tuam pertinet: quin potiùs reū futurum esse me crederem, si ea, quæ valde perniciosa intelligo, vel ad specialem Patronum
A. *fidei non referrem. Multi ergo Seruorū Christi, qui in Massiliensi Vrbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ aduersus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione Electorum secundùm Dei propositum disputasti. Et, cùm aliquandiù tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehēdere, quidamque eorum lucidiorem super hoc, atque apertiorem Beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare, euenit ex dispositione misericordiæ Dei, vt, cùm quidam intra Africam similia mouissent, librum de Correctione, & Gratia, plenum diuinæ authoritatis, emitteres. Quo in notitiam nostram inspirata opportunitate delato, putauimus omnes querelas resistentium sopiendas: quia vniuersis quæstionibus, de quibus consulenda erat Sanctitas tua, tam plenè illic, absolutèque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, vt quæ apud nos erant turbata, componeres. Recensito autem hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut, qui Sanctam, atque Apostolicam doctrinæ tuæ authoritatem antea sequebantur, intelligentiores multò, instructioresque sunt facti: ita, qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, auersiores, quàm fuerant, recesserunt. Quorum tàm abrupta dissensio primùm propter ipsos metuenda est, ne tam claris, tamque egregiis in omnium virtutum studio viris Spiritus Pelagianæ impietatis illudat: ne simpliciores quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutissimum sibi extiment, quod audiunt eos, quorum authoritatem*
B. *sine iudicio sequuntur, asserere. Hæc enim ipsorum definitio, ac professio est, omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse, & neminē per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione*
C. *saluari: Vniuersis tamen hominibus propitiationē, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam: vt quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint,*
D. *salui esse possint. Qui autem credituri sunt, quiue in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri sunt, præscisse ante*
E. *mundi constitutionem Deum: & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit. Ideòque omnem hominem ad credendum, & ad operandum diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ deuotioni*

F. notioni remuneratio sit parata. Hoc autem propositum vocationis Dei, quo, vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum, & reijciendorum dicitur facta discretio, vt, secundùm quod placuit Creatori, alij uasa honoris, alij uasa contumeliæ sint creati, & lapsis curâ resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis afferre: eò quòd in vtramque partem superfluus labor sit, si neque reiectus ulla industria possit intrare, neque Electus ulla negligentia possit excidere; Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quàm Deus definiuit, accidere: & sub incerta spe cursum non posse esse costantem, cùm, si aliud habeat prædestinantis Electio, cassa sit annitentis inten-

G. tio. Remoueri itaque omnem industriam, tolli que uirtutes, si Dei constitutio humanas præueniat uoluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem; aut diuersarum naturarum dici Dominum conditorē, si nemo aliud possit esse, quàm factus sit. Atque, ut breuiùs, ac pleniùs, quod opinantur, exponam, quidquid in libro hoc ex contradicentium sensu Sanctitas tua sibi opposuit: quidquid etiam in libris contra Iulianum, ab ipso sub has quæstione obiectum, potentissimè debellasti; hoc totum ab istis Sanctis intentiosissimè conclamatur. Et cùm contra eos scripta Beatitudinis tuæ ualidissimis, & innumeris testimonijs diuinarū Scripturarum instructa proferimus, ac secundùm formam disputationum tuarum aliquid etiam ipsis, quo concludantur, astruimus, obstinationē suam uetustate defendunt: ut ea, quæ de Epistola Apostoli Pauli, Romanis scribentis, ad manifestationem diuinę gratiæ, pręuenientis Electorum merita, proferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirment. Cùmque, ut ipsi ea exponant, secundùm quorum uelint sensa, deposcimus, nihil se profitentur inuenisse, quod placeat: & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus at-

H. tigerit. Eò postremò peruicacia tota descendit, ut fidem nostram edificationi audientium contrariam esse definiant: ac sic, etiam si uera sit, nō promendam: quia & perniciosè non recipienda tradantur, & nullo periculo, quæ intelligi nequeant, conticeantur. Quidam verò horum in-

I. tantùm à Pelagianis semitis non declinant, vt, cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustrà gratia nominetur: ad conditionem hanc velint pertinere, in qua eum, nihil priùs merentem, quia nec existentem liberi arbitrij, rationalis gratia Creatoris instituat: vt per discretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius,

K. possit suam dirigere voluntatem: atque ad hāc gratiam, qua in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatem petendo, quærēdo, pulsando: vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ benè vsus est, vt ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope,

L. meruerit peruenire. Propositum autem vocātis gratiæ in hoc omninò definiunt, quòd Deus constituerit nullum in Regnum suum, nisi per Sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes homines vniuersaliter siue per naturalem, siue per scriptam legem, siue per Euangelij prædicationem vocari: vt, & qui voluerint, fiant filij Dei: & inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint: quia iustitia Dei in eo sit, vt, qui non crediderint, pereant: bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita: sed indifferenter vniuersos velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Iam hic proferunt testimonia, quibus diuinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum inuitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio, aut faciant, quæ iubentur, aut

M. negligant: & consequens putant, vt quia præuaricator, ideò dicitur non obedisse, quia noluit: fidelis quoque non dubitetur ob hoc deuotus fuisse, quia voluit: & quantùm quisque ad malum, tantùm habeat facultatis ad bonum: parique momento animum se, vel ad vitia, vel ad virtutes mouere: quem, bona appetentem, gratia Dei foueat: mala sectantem damnatio iusta

N. suscipiat. Cùmque inter hæc innumerabilium illis multitudo obijcitur paruulorum, qui vtique, excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio secernuntur, vt ante discretionem boni, & mali de vsu vitæ istius auferendi, alij per regenerationem inter cœlesti Regni assumantur hæredes; alij sine Baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores:

O. Tales aiunt perdi, talesque saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit.

P. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non prauiam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam, non negant es-

Q. se præuentas. Sed in tantùm quibuscumque commentitijs meritis electionem Dei subijciunt, vt quia præterita, quæ non extant, futura, quæ non sunt futura, confingant: nouoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint,

R. & præscita non acta sint. Hanc sanè de humanis meritis præscientiam Dei, secundùm quam gratia vocantis operetur, multò sibi rationabiliùs videntur adstruere, cùm ad earum nationū contemplationem venitur, quæ vel in præteritis sæculis dimissæ sunt ingredi vias suas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt: nec vlla eis aut Legis, aut Euangelij illuminatio coruscauit: cùm tamen, in quātùm Prædicatoribus ostium apertum est, & via

facta est, gentium populus, qui sedebat in tene-
bris, & in vmbra mortis, lucem viderit magnam:
& qui quondam non populus, nunc autem popu-
lus Dei sit: & quorum aliquando non misertum
est, nunc autem misereatur, præuisos inquiunt
S. *à Domino credituros: & ad vnáquamque gen-*
tem ita dispensata tempora, ac ministeria Ma-
gistrorum, vt exortura erat bonarum credulitas
voluntatum. Nec vacillare illud, quòd Deus
omnes homines velit saluos fieri, & in agnitioné
veritatis venire: quandoquidem inexcusabiles
sint, qui & ad vnius veri Dei cultum potue-
rint instrui intelligentia naturali, & Euangeliũ
ideò non audierint, quia nec fuerant recepturi.
T. *Pro vniuerso autẽ humano genere mortuũ esse*
Dominũ nostrum Iesum Christum, & neminem
prorsus à redemptione Sanguinis eius exceptum,
etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo men-
te pertranseat: quia ad omnes homines pertineat
diuinæ misericordiæ Sacramentum: quo ideò plu-
rimi non renouentur, quia, quod nec renouari
V. *velle habeant, prænoscantur. Itaque quantũ*
ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam
æternam: quantùm autem ad arbitrij libertatem,
ab his eam apprehendi, qui Deo sponte credide-
rint, & auxilium gratiæ merito credulitatis ac-
X. *ceperint. In istam verò talis gratiæ prædi-*
cationem hi, quorum contradictione offendimur,
cùm priùs meliora sentirent, ideò se vel maximè
contulerunt: quia, si profiterentur ab ea omnia
bona merita præueniri: & ab ipsa, vt possint es-
se, donari, necessitate concederent Deum se-
cundùm propositum, & consilium voluntatis
suæ occulto iudicio, & opere manifesto, aliud vas
condere in honorem, aliud in contumeliam: quia
nemo, nisi per gratiam iustificetur: & nemò, ni-
si in præuaricatione nascitur. Sed refugiunt istud
fateri, diuinoque adscribere operi Sanctorum
AA. *merita formidant. Nec acquiescunt præde-*
stinatum Electorum numerum nec augeri posse,
nec minui, ne locum apud infideles, ac negli-
gentes cohortationum incitamenta non habeant;
ac superflua sit industria, ac laboris indictio,
cuius studium, cessante electione, frustrandum
BB. *sit. Ita demùm enim posse vnumquemque*
ad correctionem, aùt profectum vocari, si se
sciat sua diligentia bonum esse posse, & liber-
tatem suam ob hoc Dei auxilio adiuuandam,
si, quod Deus mandat, elegerit. Ac sic, cùm
in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis,
duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei
CC. *scilicet gratia, & hominis obedientia, prio-*
rem volunt obedientiã esse, quam gratiã, & ini-
tiũ salutis ex eo, qui saluatur, nõ ex eo credendum
sit stare, qui saluat: & voluntas hominis diuinæ
gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam
subijciat voluntatem. Quod, cùm peruersissi-
mum esse, reuelante Dei misericordia, & in-
struente nos tua Beatitudine, nouerimus, possu-
mus quidem ad non credendum esse constantes,
sed ad authoritatem talia sentientium non sumus
pares: quia multùm nos, & vitæ meritis ante-
cellunt, & aliqui eorum, adepto nuper summo
Sacerdotis honore, supereminent: nec facilè quis-
quam, præter paucos, perfectæ gratiæ intrepidos
amatores, tantis superiorum disputationibus au-
sus est contraire. Ex quo non solùm his, qui eos
audiunt, verùmtamen etiam ipsis, qui audiun-
tur, cum dignitatibus, creuit periculum: dùm
& multos reuerentia eorum aùt inutili cohibet si-
lentio, aut incuriosos ducit assensu: & saluber-
rimũ ipsis videtur, quod penè nullius contradic-
DD. *tione reprehẽditur. Vndè, quia in istis Pe-*
lagianæ prauitatis reliquijs non mediocris viru-
lentiæ fibra nutritur, si principiũ salutis malè
in homine collocatur: si diuinæ voluntati impiè
voluntas humana præfertur, vt ideò quis adiune-
tur, quia voluit: non ideò, quia adiuuatur, ve-
lit: si originaliter malus receptionem boni non
à summo bono, sed à semetipso inchoare malè cre-
ditur: si aliundè Deo placetur, nisi ex eo, quod
ipse donauerit: tribue nobis in hac causa Papa
Beatissime, Pater optimè, quantùm, donante Do-
mino, potes: diligentiam pietatis tuæ obsecro,
vt, quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad
percipiendũ difficiliora sunt, quàm lucidissimis
EE. *expositionibus digneris aperire. Ac primùm,*
quia plerique non putant Christianam fidem dis-
sensione violari, quantùm periculi sit in eorum
FF. *persuasione patefacias. Deindè quomodò per*
istam præoperantem, & cooperantem gratiam
GG. *liberum non impediatur arbitrium. Tùm*
vtrum præscientia Dei ita secundùm propositum
maneat, vt ea ipsa, quæ sunt proposita, sint ac-
pienda præscita: an per genera causarum, & spe-
cies personarum ista varientur: vt, quia diuersæ
sint vocationes; in his, qui nihil operaturi sal-
uantur, quasi solùm Dei propositum videatur
existere; in his autem, qui aliquid boni acturi
sunt, per præscientiam possit stare propositum:
an verò vniformiter, licèt diuidi præscientia
à proposito temporali distinctione non possit, præ-
scientia tamen quodam ordine sit subnixa proposi-
to. Et, sicut nihil sit quorumcumque negotio-
rum, quod non scientia diuina præuenerit: ita
nihil sit boni, quod in nostram partici pationem
HH. *non Deo authore defluxerit. Postremò quẽ-*
admodum per hanc prædicationem propositi Dei,
quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam
æternam, nemo eorum, qui cohortandi sunt, im-
pediatur: nec occasionem negligentiæ habeant, si
II. *se prædestinatos esse desperent. Illud etiam*
qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipien-
tiam nostram ferendo, demonstres, quòd retrac-
tatis priorum de hac re opinionibus, penè omniũ
par inuenitur, & vna sententia, qua propositum,
& prædestinationem Dei secundùm præscientiam
receperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris,
alios vasa contumeliæ fecerit, quia finem vniuf-
cuiusque

cuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit. Quibus omnibus enodatis, & multis insuper, quæ altiori intuitu ad causam hanc pertinentia magis potes videre, discussis, credimus, & speramus, non solùm tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis, atq; honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defecatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam vnum eorum præcipuę authoritatis, & spiritualium studiorum virum Sanctum Hilarium, Arelatensem Episcopum, sciat Beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in alijs omnibus tuæ esse doctrinæ: & de hoc, quod in querelam trahit, iampridem apud Sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia vtrum hoc facturus; aut quo fine sit facturus, incertum est, & omnium nostrum fatigatio, prouidente hoc præsenti sęculo Dei gratia, in tuę Sanctitatis, & scientiæ vigore sperat; adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium & vtile est etiam, quæ scripta sunt, scribere, ne leue existimetur, quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse, quod non dolet: nec vulnus, superducta cute, sentiunt: sed intelligant peruenturum ad sectionem, quod habuerit perseuerantem tumorem. Gratia Dei, & pax Domini nostri Iesu Christi coronet te in omni tępore. & ambulantem de virtute in virtutem glorificet in æternum, Papa Beatissime, ineffabiliter mirabilis, incomparabiliter honorande, præstantissime Patrone.

HILARIVS.

Augustino de eadem materia.

D*Omino Beatissimo, ac toto affectu desiderande, & multùm in Christo suscipiendo, Patri Augustino Hilarius. Si cessantibus contradicentium quæstionibus gratæ sunt plerumque studiosorũ inquisitiones, vt etiam illa quę absq; periculo ignorarentur, edis cant: arbitror gratiorem fore sedulitatem nostræ relationis, quæ dũ indicat, secundùm quorundam profectiones, quędam aduersantia veritati, non tam sibi, quam illis, qui turbantur, & turbant, per consilium Sanctitatis tuæ satagit prouideri, Domine Beatissime, ac toto affectu desiderande, & multum in Christo suscipiende Pater. Hæc sunt itaq; quæ Massiliæ, vel alijs etiam locis in Gallia venti-*
A. *lantur. Nouum, & inutile esse prædicatio-*
ni, quòd quidam secundùm propositum eligi dicantur: & id nec arripere valeant, nec tenere,
B. *nisi quòd credendi voluntate donata. Excludi putant omnem prædicandi vigorem, si nihil, quod per eum excitetur, in hominibus remansisse dica-*
C. *tur. Consentiunt omnem hominem in Adam perisse, nec indè quemquam posse proprio arbi-*
D. *trio liberari: sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt, cùm prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis, annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius*
E. *Sanctitatis suæ consequantur effectũ. Cæterùm ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt:*
F. *neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita supplicij voluntate, vnumquemque ægrotum velle sanari; quod enim dicitur, crede, & saluus eris, vnum horum exigi asserunt, aliud offerri, vt propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id, quod offertur, de-*
G. *inceps tribuatur: vndè non consequens putant exigendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris concessum est: & nullam ita deprauatam, vel extinctam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari: propter quod sanetur quis à sua, vel, si noluerit, cum sua ægritudine*
H. *puniatur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quidquam ipsa iam valeat. nam illa testimonia, vt est illud, sicut vnicuique partitus est mensuram fidei, & similia, ad id volunt valere, vt adiuuetur, qui cœperit velle, non etiam donetur, vt velit, reiectis ab hoc dono alijs pariter reis, & qui possent similiter liberari, si ea, quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur.*
I. *Si autem, aiunt, dicatur vel talem omnibus remansisse, quæ vel contemnere quis valeat, vel obedire, de compendio putant rationem reddi Electorum, vel reiectorum in eo, quòd vnicui-*
K. *que meritũ propriæ voluntatis adiungitur. Cũ autem dicitur eis, quare alijs, vel aliquibus prædicetur, vel non prædicetur; vel nunc prædicetur, quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus, non prædicatum sit? dicunt id præscientiæ esse diuinæ, vt eo tempore, & ibi illis veritas annunciaretur, vel annuncietur, quando, & vbi præuunciabatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum Catholicorum testimonijs, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur: vbi tamen eandem gratiam non minore voluntatis perspicuitate docueris: vt est illud, quod dixit Sanctitas tua in quæstione contra Porphyrium de tempore Christianæ Religionis: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in*

eum fuerant credituri. Vel illud de libro in Epi-
stola ad Romanos, dicis itaque mihi, quid adhuc
conqueritur: nam voluntati eius quis resistit? cui
sanè inquisitioni, inquis, sic respondet, vt intel-
ligamus spiritualibus viris, etiam non secundum
terrenum hominem viuentibus, patere posse pri-
ma merita fidei, & impietatis, quomodò Deus
præscientia eligat credituros, & damnet incredu-
los: nec illos ex operibus eligens, nec istos ex ope-
ribus damnans: sed & illorum fidei præstans, vt
benè operentur: & istorum impietatem, deseren-
do, obdurans, vt malè operentur. Et item in
eodem libro superiùs, æquales omnes sunt ante
meritum: nec potest in rebus omnimodò æqualibus
electio nominari, quoniam Spiritus Sanctus non
datur, nisi credentibus. Non quidem Deus eli-
git opera, quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum
Sanctum, vt per charitatem bona operemur: sed
tamen eligit fidem: quia, nisi quis credat, & in
accipiendi voluntate permaneat, non accipit do-
num Dei, idest Spiritum Sanctum, per quem
infusa charitate, bonum possit operari. Non ergo
eligit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ
ipse donaturus est; sed fidem eligit in præscientia,
vt quem crediturum esse præsciuit, ipsum elege-
rit, cui Spiritum Sanctum daret, vt bona ope-
rando, etiam æternam vitam consequeretur: di-
cit enim Apostolus, idem Deus, qui operatur om-
nia in omnibus: nusquam autem dictum est, De-
us credit omnia in omnibus: quod enim credimus
nostrum est: quod autem operamur, illius: & cæ-
tera in eodem opere, quæ se acceptare, & proba-
re testantur, tamquam conuenientia Euangelicæ
L. veritati. Cæterùm præscientiam, & præde-
stinationem, vel propositum ad id valere contē-
dunt, vt eos præscierit, vel prædestinauerit, vel
M. proposuerit eligere, qui fuerant credituri: Nec
de hac fide posse dici, quid habes, quod non accepi-
sti? cùm in eadem natura remanserit, licèt vi-
tiata, quæ priùs sana, ac perfecta donata sit.
N Quod autem dicit Sanctitas tua neminem per-
seuerare, nisi perseuerandi virtute percepta, hac-
tenus accipiunt, vt quibus datur, inerti licèt,
præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod
ad hoc tantùm liberum asserunt, vt velit, vel no-
lit admittere medicinam. Cæterùm & ipsos a-
bominari se, & damnare testantur, si quis quid-
quam virium in aliquo remansisse, quo ad Sa-
O. nitatem progredi possit, existimet. Nolunt
autem ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non
vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter
possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci
se volunt, vbi eis, quantùm putant, ad obtinē-
dum, vel omittendum, euidens est, qualecum-
que sit, initium voluntatis. Illud etiam testimo-
nium, quod posuisti, Raptus est, ne malitia
mutaret intellectum eius: tamquam non cano-
P. nicum, definiunt omittendum. Vndè illam
præscientiam sic accipiunt, vt propter fidem fu-
turam intelligendi sint præsciti: nec cuiquam
dari talem perseuerantiam, à qua non permittitur
præuaricari: sed à qua possit sua voluntate defi-
Q. cere, & infirmari. Asserunt inutilem exhor-
tandi consuetudinem, si nihil in homine reman-
sisse dicatur, quod correctio valeat excitare.
R. Quod quidem inesse naturæ sic se dicere confi-
tentur, vt hoc ipso, quòd ignoranti veritas præ-
dicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendū
sit: nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad v-
tramque partem, vt de alijs ad alios nullus pos-
sit accedere, quò pertinet tanta extrinsecùs cor-
rectionis instantia, si ab homine, & si non fides
integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis
exoritur, aut periculum demonstratæ mortis hor-
retur? nam, si non potest timere quis, undè ter-
retur, nisi ea voluntate, quæ sumitur, non ex eo
culpandus, quòd nunc non vult: sed in eo, & cū
eo, qui sic aliquando voluit, vt eam damnatio-
nem cum suis posteris mereretur incurrere, vt nū-
quam recta, semper autem praua vellet appetere.
S. Si autē est qualiscumq; dolor, qui ad exhortatio-
nem corripientis oriatur, hanc ipsam dicunt cau-
sam, propter quam vel reijciatur alius, vel alius
assumatur; atque ita non opus esse partes constitui,
quibus nec adijciendum sit aliquid, nec detrahen-
T. dum. Deindè molestè ferunt ita diuidi gratiā,
quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc om-
nibus detur, vt ille acceperit perseuerantiam,
non qua fieret, vt perseueraret, sed sine qua per
liberum arbitrium perseuerare non posset: nunc
verò Sanctis in Regnum per gratiam prædestina-
tis non tale adiutorium perseuerantiæ detur, sed
tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solū,
vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, ve-
rùm etiam, vt per hoc donum, non nisi perseue-
V. rantes sint. His verbis Sanctitatis tuæ ita
mouentur, vt dicant quamdam desperationem
hominibus exhiberi: si enim, aiunt, ita Adam
adiutus est, vt & stare posset in iustitia, & à iu-
stitia declinare; & nunc ita Sancti iuuantur, vt
declinare non possint: siquidem eam acceperunt
volendi perseuerantiam, vt aliud velle non
possint: vel sic quidam deseruntur, vt, aut nec
accedant: aut, si accesserint, & recedant, ad
illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortatio-
nis, vel comminationis vtilitatem, quæ & per-
sistendi, & desistendi obtinebat liberam potesta-
tem: non ad hanc, cui nolle iustitiam ineuitabi-
li necessitate coniunctum est: præter illos, qui sic
concreati sunt his, qui cum vniuersa massa dam-
nati sunt, vt exciperentur per gratiam liberandi.
X. Vndè in hoc solo volunt à primo homine omni-
um distare naturam, vt illum, integris viribus
voluntatis, iuuaret volentem, sine qua perseue-
rare non poterat; hos autem amissis, & perditis
viribus, credentes tantùm non solùm erigat pro-
stratos, verùm etiam suffulciat ambulantes.
AA. Cæterùm quidquidlibet donatum sit præde-
stinatis

stinatis, id posse & amittere, & retinere propria voluntate contendunt; Quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam perseuerantiam percepisse, vt nisi perseuerantes esse non
BB. *possint. Inde est, quòd & illud pariter non accipiunt, vt & eligendorum, reijciendorumque esse definitum numerum velint: atque illius sententia expositionem, non eam, quæ à te est deprompta, suscipiant, idest, vt nonnisi omnes homines saluos fieri velit, & non eos tantùm qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omninò; vt nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quòd quidam eo inuito perire dicantur: Sed quomodo, aiunt, non vult à quocumque peccari, vel deseri iustitiam, & tamen iugiter illa deseritur contra eius voluntatem, committunturque peccata: ita enim saluare velle omnes homines, nec tamen omnes homines velle saluari. Testimonia etiam Scripturæ, quæ de Saule, vel Dauid posuisti, non pertinere putãt ad quæstionem, quæ de exhortatione versatur. Alij autem ad id referunt, vt ex his eam gratiam accipiant commendari, quæ vnusquisque post voluntatem iuuatur; vel ad ipsam vocationem, quæ præstatur indignis: hoc enim, & illis locis tuorum opusculorum, & aliorum, quæ persequi*
CC. *longum est, se demonstrare testantur. Paruulorum autem causam ad exemplum maiorum non patiuntur afferri: quam & tuam Sanctitatem dicunt eatenus attigisse, ut incertum esse volueris, ac potiùs de eorum pœnis malueris dubitari. Quod in libro 3. de libero arbitrio ita posuisse meministi, ut eis hanc occasionem potuerit exhibere. Hoc etiam de aliorum libris, quorum est in Ecclesia authoritas, faciunt: quod perspicit Sanctitas tua non parùm posse iuuare Contradictores, nisi maiora, aut certè uel paria proferantur à nobis; non enim ignorat prudentissima pietas tua quantò plures sint in Ecclesia, qui authoritate nominum in sententia teneantur, aut ad sententiam transferantur. Ad summam fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, uel potiùs querela conuertitur, consentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant, quid opus fuit huiuscemodi disputationis incerto tot minùs intelligentium corda turbari? neque enim minùs utiliter sine hac definitione, aiunt, tot annis, à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis, & aliorum cùm contra alios, tùm maximè contra Pelagianos Catholicam Fidem fuisse defensam. Hæc mi Pater, & alia interminabiliter plura, si summa mea uota confitear, per me deferre maluissem, uel quia hoc non merui, saltem prolixiore tempore omnia, quibus mouentur, collecta dirigere, ut quidquid de hac re contradicitur, quatenus refelli uel, si id non potest, tolerari deberent, audirem; sed quia neutrum ex uoto prouenit, malui, quomodò potui, hæc comprehensa dirigere, quàm penitùs de tanta quorumdam contradictione reticere. Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine Ecclesiastica Laicos summam reuerentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curauimus, Deo iuuante, seruare, ut, cùm opus fuit, non taceremus, quæ ad quæstionis huius assertionẽ exiguitas nostrarum uirium suggerebat. Sed nunc summatim, quantùm festinatio perlatoris admisit, hæc, uelut cõmonendo, suggessi. Tuæ Sanctæ prudentiæ est despicere quid facto opus sit, ut talium, & tãtorum superetur, uel temperetur intentio; cui ego iam parùm prodesse existimo te reddere rationem, nisi & addatur authoritas, quam transgredi infatigabiliter contentiosa corda non possint. Sed planè illud tacere non debeo, quòd se dicant tuam Sanctitatem, hoc excepto, in factis, & dictis omnibus admirari. Tuum erit decernere, quomodò sit in hoc eorũ contradictio toleranda. Nec mireris, quòd aliter, uel aliqua in hac Epistola addidi, quãtùm puto, quæ in superiore non dixeram: talis est enim nunc eorum definitio præter illa, quæ per festinationem, aut obliuionem fortasse præterij. Libros, cùm editi fuerint, quos de uniuerso opere molìris, quæso habere mereamur, maximè ut per eorum authoritatem, si qua tibi in tuis displicent, à dignitate tui nominis, iam non trepidi sequestremus. Librum etiam de Gratia, & libero arbitrio non habemus: superest, ut eum, quia utilem quæstioni confidimus, mereamur accipere. Nolo autẽ Sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de ijs, quæ nunc edidisti, ego dubitem. Sufficiat mihi pœna mea, quòd à præsentiæ tuæ delicijs exulatus, vbi salubribus tuis uberibus nutriebar, non solùm absẽntia tua crucior, uerùm etiam pervicacia quorumdam, qui non tantùm manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Cæterùm hac suspicione in tantùm careo, vt potiùs infirmitatem meam, quæ tales parùm patienter fero, notabilem putem. Qualiter autem ad hæc cõsulendum iudices, ut dixi, tuæ sapientiæ derelinquo; nam ad me hoc pertinere credidi pro ea, quã Christo, uel tibi debeo, charitate, ut quæ in quæstione ueniunt, non tacerem. Quidquid pro ea gratia, quã in te pusilli cum magnis miramur, uolueris, aut ualueris, gratissimè accipiemus, tamquam à nobis charissima, & reuerendissima authoritate decretum. Sanè quia, vrgente perlatore, timui me uel nõ omnia, vel hæc ipsa minùs dignè, cõscius mearum virium, posse dirigere, egi cum viro tùm moribus, tùm eloquio, & studio claro, vt quãta posset, collecta suis litteris, intimaret, quas cõiunctas his destinare curaui; Est enim talis, qui, etiam præter hanc necessitatem, dignus tuæ Sanctitatis notitia iudicetur. Sanctus Leontius Diaconus cultor tuus, cum meis parentibus, multum te salutat. Memorem mei paternitatem tuam Dominus Iesus Ecclesiæ suæ annis pluribus donare dignetur, Domine Pater.*

CA-

CAPVT NONVM.

Angelicum Doctorem præsuppofuisse, vt quid indubitabile, scientiã mediam pluribus concluditur.

348 NE ex proposito assumpto censuram audaciæ, & præsumptionis, exēplò quis me notet, quasi præsumam supra innumeros, atque Excellentissimos Doctores, ab incunabulis ferè in S. Doctoris doctrina versatissimos, eiusdemque lacte nutritos; illius mentem percalluisse, vnum volo beneuolis Lectoribus animaduertendum afferre, quòd nimirùm aliud sit considerari vniuscuiusque fœcunditatem, aut perspicacitatem intellectus secundùm se, aliud verò vt certo legum termino restrictas: quem namque latet, quòd, si ego ipse à scientia media propugnanda compescerer, nunquam procurarem ostendere eam fuisse per Angelicum Doctorem defēsam, ac præcipuè si eiusdem Doctoris me fidum profiterer discipulum? Quid ergo mirum, si talibus nunc non deuinctus legibus ostendere satagam id, quod illi, & si vellent, exequi non possent. His adde me non esse solum, qui id ipsum de mente eiusdem Sancti Doctoris censeam, sed ferè omnes, qui scientiam mediam tuentur; quare, ni fallor, qui arbitri in hoc prudenter munus gerere curat, vim hinc indè rationum pensare debeat, existimarē, non titulos.

349 Moneo præterea in inuestiganda Angelici Doctoris mente circa pręsentem materiam, non esse confundenda decreta Dei, quatenus respiciunt opera bona, & supernaturalia absolutè futura, qualia sūt opera meritoria Electorum in Christo, cum decretis de operibus malis, etiam quoad materiale, pari modo absolutè futuris: vel cum decretis de quibuslibet futuris liberis conditionatè: ferè namque omnes, qui scientiam mediam tuemur, vt sępè dixi, concedimus de facto Deum prædefiniuisse in Electis post originale, & quidem efficacissimè, eorum bona opera, quibus mereātur Beatitudinem: & hanc esse doctrinam, tùm Augustini, de quo in antecedentibus satis dictū est, tùm Aquinatis Doctoris, prout patet in iis, quæ docet quæst. 6. de Veritate artic. 3. vbi loquens de certitudine prædestinationis, sic habet, *Non potest dici, quòd prædestinatio supra certitudinem prouidentiæ nihil aliud addit, quàm certitudinem præscientiæ: vt, si dicatur, quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium: sed cum hoc de prædestinato scit, quòd nō deficiet à salute: sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ euentus: & sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per actionem prædestinantis, quod est contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorū.* Idem etiam docet prim. par. quæst. 23. art. 4. & 5. vbi adstruit gloriam ordine causæ finalis esse à Deo Electis priùs volitā, & propter gloriam merita, ac tandem propter habenda merita gratiam.

350 In ordine ergo ad merita Electorum absolutè futura concedimus de facto præcessisse in Deo, sicut ex mente Augustini, ita & Angelici, decretum Dei actuale efficax, & prædefinitiuum eorum. Sed eodem modo, quo diximus de Augustino, dicimus etiam de Angelico Doctore, & præsupponere, & docere ad hoc decretum pro meritis absolutè futuris dirigi Deum scientia antecedenti media, fundata principaliter in gratia conditionatè præconcepta, nō verò in libero arbitrio: quo pacto suo loco dicemus, decretum non determinare voluntatem creatam ad vnum, & ideò libertatem eius nullatenus lædere; læderet autem si scientiam mediam non præsupponeret. Non ergo aliquid contra nos probabunt Aduersarij ex Angelico per decreta Dei efficacia de futuris absolutis, nisi probent hęc non dirigi pręscientia media, de quo suo loco; nunc autem hęc notaui, vt non miretur quis, si in his, quibus ex Angelico probabo scientiam mediam, contineri videat decreta Dei efficacia, & actualia, quando hęc directione indigent scientię medię in ordine ad opera liberè eliciendà à creata voluntate; tantùm abest, vt eā destruant. His ergo prębabitis.

351 Probo primò assumptum ex 3. parte quęst. 1. artic. 5. vbi quęrens Angelicus, an conueniens fuerit Verbum incarnari ab initio mundi; & dubio respondens negatiuè, argumentum sibi soluendum proponit, quod Augustino obiecerat Porphyrius, vt videre est in libro de Sex quæstionibus contra Paganos, nimirùm, quod plures, qui in diuersis anterioribus sæculis in ignorantiæ tenebris perierunt, saluati fuissent, si Verbum carnem assumpsisset, & suum Euāgelium prædicasset ab initio mundi. Huic autem argumento respondens, refert priùs, quæ

quæ pro simili soluendo argumento dixerat in præfato libro Augustinus, quòd scilicet, *Tunc voluit Christus hominibus apparere, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, &c.* Quam responsionem asserit reprobasse in libro de bono perseuerantiæ, secundùm videlicet sensum, quem tribuerant Semipelagiani: cæterùm ibi Augustinus probat sufficienter se explicasse, quantùm oportebat, in prædicto libro contra Paganos iuxta germanum, & Catholicum sensum. Quapropter Angelicus aliam, quam in eodem libro de bono perseuerantiæ dedit explicitiorem Augustinus, affert, & approbat his verbis, *Proindè ipse soluens argumentum, subdit, sicut Apostolus ait, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit, subuenit; alijs autem non subuenit, de quibus in sua prædestinatione, occultè quidem, sed iustè iudicauit. Ita misericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatē in his, qui puniuntur, sine dubitatione credamus.* Ex quibus Angelici Doct. verbis ita arguo. Ex his, quos præuidit Deus suis miraculis credituros, si apud eos facta fuissent, quibus voluit, subuenit, alijs autem, quales fuerūt Tyrij, & Sidonij, quos idem Angelicus nominat, non subuenit, & si præuiderit fore credituros, eò quòd aliud in sua prędestinatione, occultè quidem, sed iustè iudicauit. Atqui in his verbis euidenter pręsupposuisse liquet scientiam mediam; ergo. Probo minorem; quandoquidem in præfatis verbis duo distinguit Angelicus in Deo, vnum nimirum circa scientiam eorum, quos præuidit credituros, & aliud circa decreta Dei, asserens, quòd ex eis, quos præuidit ita credituros, alijs misericorditer subuenit gratuita prædestinatione, alijs verò suo occulto quidem, sed iusto iudicio noluit subuenire; ergo agnoscit Angelicus etiam scientiā de fide, quæ esset in his, si subueniret, quæ tamē nō erit, quia eis subuenire noluit suo occulto, atque iusto iudicio: atqui hæc scientia de fide, quæ esset, si Deus subueniret, & non erit, quia noluit subuenire, non fundatur in decreto, quod est, sed si esset, & non est; ergo erit scientia media.

352 Respondebunt iuxtà solitum Aduersarij, duo in Deo per Angelicum distingui decreta, aliud absolutum ex parte actus rātùm, & conditionatum ex parte obiecti, quo pacto sunt decreta de futuris conditionatè; aliud verò etiam absolutum ex parte obiecti, qualia sunt decreta de futuris absolutè: in illis autem verbis, *Alijs autem non subuenit, de quibus in sua prædestinatione, occultè quidem, sed aliud iustè iudicauit,* negat Angelicus Deum respectu horum habuisse gratuitum decretum absolutum ex parte etiam obiecti pro fide absolutè futura, non verò decretum pro eadem conditionatè futura, si voluisset apud eos fieri miracula, &c. hoc namque decretum supponit significatum in illis alijs verbis, *Qui his, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, &c.* Non poterat namq; eos præuidere defacto ita credituros, nisi sua actuali voluntate, refundente illis actualem futuritionem conditionatam fidei.

353 Sed nolo hic, vt ad rationes recurrant Aduersarij, an videlicet futuritio conditionata dicat aliquid actū illi communicandū ab aliqua causa actuali: hoc enim suo loco examinabitur; non ergo arguant à ratione, quòd Angelicus in prædictis verbis, *His, quos præuidit, &c.* debuit supponere decretum actuale in Deo, vt tali fidei cōmunicata fuerit futuritio actualis conditionata: sed, si habeant, afferant eiusdē Angelici verba, quòd pro cognoscendo à Deo futuro conditionato, necessarium sit ex eodem aliquod quodcumque decretū actuale, & ego eis litem cedam, simul & victoriæ palmam. Sed certè nec vestigium similium verborum apud Angelicum reperiēt: inueniam tamen ego, & non longè ab articulo citato, quo aduersariorum responsionem iugulem. Legāt namq; quid in articulo antecedēti ad præcitatum, in quo quęrit, An Adam non peccante, Dei filius incarnatus fuisset, in corpore dicat Angelicus: ita namque scribit, *Alij verò contrariū asserunt*, nimirum, quòd homine non peccante, nec Dei filius incarnatus fuisset, *Quorum assertioni*, subiungit, *magis assentiēdum videtur; ea enim, quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, &c.* Numquid autem debita est futuritio conditionata fidei supernaturalis, aut decretum Dei de tali fide creaturæ rationali? aut in aliquo loco Scripturę legit Angelicus, quòd Deus, quos voluit saluandos, priùs voluit conditionatè credituros, & non solùm absolutè, vt dicat, *Qui his, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit, subuenit*? Cū ergo id nullibi legatur in Sacra Scriptura, si pro fide conditionatè præuisa iudicasset Angelicus requiri in Deo decretum actuale, de quo iudicium non potuisset ferre, an Deus habuerit, necne, abstinuisset etiā asserere, quòd Deus, quos saluat, non solùm absolutè, sed etiam cre-

dituros conditionatè præuiderit, vel non. Non autem abstinuit, sed indubitatò asseruit ita Deum præuidisse credituros; ergo talem præscientiam non fundat in decreto Dei, de quo nullatenus iudicare poterat, sed in aliquo alio, quod aliundè supponit non posse Deo denegari, scilicet in veritate ipsa obiecti, quæ Deum latere non potest.

354 Quòd si replicant id dixisse, quia Augustinum legit ita locutum fuisse. Si, inquam, ita replicant, verba velim Augustini afferant, in quibus, sicut Angelicus, locutus fuerit, *Qui his, quos præuidit, si apud eos facta essēt suis miraculis credituros, quibus voluit, subuenit, &c.* Certè enim ita scriptū nō inueniēt apud Augustinū in toto libro de bono perseuerātiæ; Angelicus ergo sensū, nō verba desūpsit ex Augustino, atq; ipsemet proprio marte ait, *his, quos præuidit, &c.* sed dato id inuenisse apud Augustinum, quid indè? nonnè apud ipsum, eundem timorem comperit, ne iudicium feratur de occultis Dei iudicijs, vt probaui num. 159? quòd ergo vterque indubitanter ita loquatur, signum nobis euidens est neutrum vnquam de simili actuali Dei decreto pro futuris liberis conditionatè cognoscendis sōniasse.

355 Hinc etiam maximè patet nec Angelicum potuisse, à simili arguendo, (si tamen similitudo aliqua posset excogitari inter decreta de futuris nobis liberis, quorū conditio pendet à Deo, & decreta de futuris Deo liberis, quorum conditio pendet à nobis, prout videre erit à numero 95. vsque ad 100.) talia decreta pro futuris conditionatè admittere: Quid enim certius ex Scriptura omnia propter seipsum, & sui gloriam operatum esse Deum? non tamen hinc audet Angelicus arguere, Adamo nō peccante adhuc futuram Dei incarnationem, in quo maximè relucet sui bonitas: quandoquidem in Dei occultissima libertate stat, qualem, & quantam sui gloriam extrinsecam voluerit; ergo multò minùs potuit Angelicus ex aliquibus decretis actualibus in Deo de futuris conditionatè, vtpotè promissorijs, vel comminatorijs, arguere defacto alia decreta de futuris conditionatis, nobis liberis, quæ nō solùm nō sunt promissoria, sed etiam vana, eò quòd respiciunt conditionem à solo Deo ponendam, sed non positam vi talis decreti, quale esset hoc, volo Tyrios, & Sidonios fore conuertendos, si vellem apud eos fieri signa, & miracula, &c. Imò in ipsis decretis promissorijs nemo potest ex vno promisso Dei arguere ad alia, quæ potuisset Deus promittere, nisi in Scriptura fundamentum habeat, quātò quæso minùs supponi potest arguisse ita indubitanter Angelicum ex decretis promissorijs in Scriptura, alia omninò diuersa, vt patet.

356 Respondere possent secundò, Angelicum in præcitato loco solùm locutum fuisse de præuisione inclinationum causarū, non de futuris conditionatè liberis in se.

357 Sed contra similem responsionem, datā ab Aduersarijs ad simile argumentum ex Augustino, argumentatus sum num. 167, & sequentibus; quibus modò addo, quòd inclinationes cordium Tyriorum, & Sidoniorum erant actuales, non conditionatè futuræ, aliàs de ipsis inclinationibus rediret argumentum: Diuus autem Thomas sermonem habet, non de eo, quod erat, sed de eo, quod fuisset, si miracula fuissent; ergo non loquitur de inclinationibus causarum, sed de effectu, qui vi causarum, & miraculorum, si fuissent apud eos facta, futurus foret, & Deus alijs subuenit, vt sit, alijs non subuenit. Vrgeo, quia inclinationes causæ liberæ non dicunt infallibilitatē cum effectu ex se; atqui Angelicus habet in citato loco subsequentia verba, quæ desumpsit ex Augustino, *Numquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent: cùm ipse Deus attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum?* Ex quibus patet de eo loqui, quod esset, si fuissent diuinarum illa signa virtutum, non de inclinatione, quæ iam fuit sine illis signis: & tamen asserit non posse dici, quòd forsan non erant credituri, quia Deus attestatur eos fuisse credituros; ergo non loquitur de scientia Dei in inclinatione causæ fallibilis: sed de infallibili suppositione effectus in se, si talia signa virtutum supponerentur, quæ tamen actù non fuerunt supposita.

358 Probo secundò idem assumptum: nam decretum, quod ponunt Aduersarij, efficax, & actuale pro futuris conditionatè, vel ponitur vt determinatiuum solius effectus liberi, & non voluntatis creatæ: vel etiam, vt determinatiuum ipsius etiā voluntatis. Primo modo est sententia Scotistica, quamuis suo loco probabo, similem determinationem effectus, si non supponat in Deo scientiam mediam, non posse non determinare etiam voluntatem; decretum autem secundo modo ponitur à Thomistis; atqui simile decretum est omninò alienum, & ex diametro oppositum

sen-

ſententiæ Diui Thomæ, quam innumeris tradit in locis; ergo. Probo minorem ex eo, quia Angelicus Doctor quandocumque explicat constitutiuum libertatis,distinctum à neceſſitate, non explicat per tò poſſe oppoſita, vt explicant Thomiſtæ, cũ etiam intellectus, & appetitus ſẽſitiuus brutorum ſint ad oppoſita: ſed requirit præterea, vt ad vnum ex his à nullo alio determinetur, nec etiam à Deo, ſed ſolùm à ſeipſa; ergo decreta illa, quæ ponunt Thomiſtæ in Deo, determinantia voluntatem creatam ad vnum, ſunt omninò aliena à doctrina D. Thomæ. Antecedens probo: nam prima parte quæſt. 22. art. 2. ad quartum diſtinguens modum operandi liberum voluntatis creatæ à modo operandi cauſæ neceſſariæ, ſic loquitur, *In hoc, quod dicitur Deum hominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo à diuina prouidentia: ſed oſtenditur, quòd nõ præfigitur ei virtus determinata ad vnũ, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur, tamquam ab altero directę in finem:non autem ſeipſas agũt, quaſi dirigentes in finem, vt creatura rationales per liberum arbitrium, & conſiliantur, & eligũt,* Et quæſtion. 41. artic. 2. in corpore, *Quæ voluntas, & natura*, inquit, *ſecundùm hoc differunt in cauſando,quia natura determinata eſt ad vnum. ſed voluntas nõ eſt determinata ad vnũ.* Quæſt. item 83.artic.1.in corpore indè probat hominem eſſe liberi arbitrij, & non agere ex neceſſitate, quia ad diuerſa ſe habet, & determinatus non eſt ad vnum, his verbis, *Particularia autem operabilia ſunt quędam contingentia, & ideò circa ea iudicium rationis ad diuerſa ſe habet, & non eſt determinatũ ad vnum.* Rurſus prima ſecundæ quæſt.10. arti. 1. ad primum ſic opus naturæ à voluntario, & libero diſtinguit, inquiens, *Voluntas diuiditur contra naturam, ſicut vna cauſa contra aliam: quadam enim fiunt naturaliter, quadam voluntariè;eſt autẽ alius modus cauſandi proprius voluntatis, qua eſt domina ſui actus, præter modum, qui conuenit naturæ, quæ eſt determinata ad vnum.* Et art. 4. in corpore, *Ad prouidentiam diuinam*, ait, *non pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſeruare: vndè omnia mouet ſecundùm eorum conditionem: ita quòd ex cauſis neceſſarijs per motionem diuinã ſequãtur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingẽtibus ſequantur effectus contingenter; quia igitur voluntas eſt actiuum principium, non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa: ſic Deus ipſam mouet, quòd non ex neceſſitate ad vnum determinet: ſed remanet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in his, ad quæ naturaliter mouetur.*

359 Sed ecce,aiunt Aduerſarij, ex ipſomet Angelico hoc vltimo loco patefactum ſenſum omnium antecedentium locorũ, quos extorquere procurant Aſſertores ſcientiæ mediæ: duplicem enim diſtinguit Angelicus Doctor determinationem ad vnum, alteram nimirum præciſæ infallibilitatis, quæ ſtat cum poſſe ad oppoſitum: alteram neceſſitatis, quæ aufert proximum poſſe ad oppoſitum; hanc vltimam autem denegat in omnibus præfatis locis voluntati, vt operanti liberè, & attribuit naturæ: non verò primam. Quod euidenter oſtendere ſibi perſuadent ex 1.par. quæſt. 23. artic. 1. vbi ex Damaſceno hoc ſibi obiicit argumentum Angelicus, *Omnia quidem præcognoſcit Deus, non autem omnia prædeterminat: pręcognoſcit enim ea, quæ in nobis ſunt, non autem prędeterminat ea.* & reſpondet, *Quòd Damaſcenus nominat prędeterminationem impoſitionem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt determinatę ad vnum.* Ergo ſentit Angelicus Deum prædeterminare ea, quæ à nobis liberè ſunt, ſed non ea determinatione, quæ faciat voluntatem noſtram ex neceſſitate operari: ſed quæ facit determinatè quidem, & infallibiliter operari, adhuc tamen liberè, & non neceſſariò.

360 At contra eſt, & quidem primò à confirmatione incipiam, vt, quæ in ea confundunt Aduerſarij, paucis aperiam, & deindè ex hoc gradum faciam ad reliqua. Notent in primis Lectores, quæ ſit difficultas, quam in citato articulo 1. exagitat Angelicus, *vtrum*, nimirum,*homines prædeſtinentur à Deo.* Et pro parte negatiua ponit Angelicus primum argumentum ita ex Damaſceno, *Oportet cognoſcere, quòd omnia quidem pręcognoſcit Deus, non autem omnia prædeterminat: pręcognoſcit enim ea, quæ in nobis ſunt, non autem prędeterminat ea: ſed merita, & demerita humana ſunt in nobis, in quantùm ſumus noſtrorũ actuum Domini per liberum arbitrium; ea ergo, quæ pertinent ad meritũ,vel demeritũ, non prædeſtinantur à Deo:& ſic hominũ prędeſtinatio tollitur.* Patet ex his argumentũ non procedere de determinatione voluntatis creatæ, ſed de prædeſtinatione actuum, in quibus eſt ratio actualis meriti, vel demerіti; & quãuis pro vtraq; ratione tũ meriti, tùm demerіti fiat, Angelicus tamen ipſum ſoluit, prout oppugnat prædeterminationem Dei de actibus meritorijs;non enim ſermonem habet in ſua aſſertione, niſi de prædeſtinatione hominũ in vitã æternã, propter quã Deus,vt monui in principio capitis,pręuoluit, prædeſtinauit, prædeterminauit etiã merita; circa enim finem corporis ſic cõcludit. *Vndè ratio prędictæ tranſmiſſionis creaturę rationalis in finẽ vitę ęternę prędeſtinatio nominatur.* Quid ergo mirũ, ſi diſtinguit Angelicus

licus duplicẽ prædeterminationem: alterã, qua prædefinitur, & prædeterminatur opus meritoriũ, sed non tangitur voluntas, & ideò non ex necessitate procedit: alteram, qua etiam prædeterminatur voluntas, vt ad amorem suæ beatitudinis in genere, ad quã ex eodem Angelico naturaliter, & ex necessitate fertur? hoc quidem concedimus cum eodem Sancto Doctore, & Augustino fere omnes Assertores scientiæ mediæ: Vt quid autem transitum faciunt Aduersarij ex duplici prædeterminatione actuum, quarum vna ideò libertatem nõ offendit, quia libertatem creatæ voluntatis non determinat ad vnum, ad duplicem determinationem voluntatis: & quòd peius Angelicum loquentem de determinatione actuũ, quasi locutum afferunt de determinatione volũtatis? Assertores ne ergo scientiæ mediæ extorquent doctrinam Angelici, an Aduersarij?

361 Similem transitum faciunt Thomistæ in principali responsione; nam particulæ illæ, *non ex necessitate*, quæ ex Angelico appellant supra determinationem ad vnum, transferunt, vt appellent supra actum voluntatis. Libremus quæso locum iterum Angelici, *Ad prouidentiam*, ait, *diuinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed seruare: vndè omnia mouet secundùm eorum conditionem, ita quòd ex causis necessarijs per motionem diuinam sequantur effectus ex necessitate: ex causis autem contingentibus, sequantur effectus contingenter*. Si ad hæc præmissa subiungeret Angelicus, *Quia igitur voluntas est actiuum principium*, nõ necessarium, sed liberum, *sic Deus ipsã monet, quòd nõ ex necessitate ad vnũ determinet*, posset quoquo modo aliquã inducere apparentiã aduersariorũ respõsio At non talis est discursus Angelici, sed valde diuersus, nimirum: *Quia igitur voluntas est actiuũ principiũ, non determinatũ ad vnũ, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnũ determinet, &c.* Similitudinem adduco, vt idem argumentum, & iidem Angelici verbis in forma reducant, & indè consequentiam inferant; nonne hoc erit argumentum? *Ad prouidentiam diuinam non pertinet naturam rerum corrũpere, sed seruare. vndè omnia monet secundùm eorum conditionem, ita quòd ex causis necessarijs per motionem diuinam sequantur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequantur effectus contingenter.* Muta nunc illud sub sequens, *quia igitur*, in sed, & dicito, *Sed voluntas est actiuũ principiũ non determinatum ad vnũ sed indifferenter se habens ad multa*. Nonnè ita erit consequentia; ergo Deus sic eam mouet, vt non determinet ad vnũ,

sed relinquat, ac seruet indifferentẽ? Hoc ergo significat Angelicus in illis verbis, *Sic Deus ipsam monet, quòd non ex necessitate ad vnũ determinet*, vt idem sit, ac dicere, quòd motio diuina, quæ conformis est naturis rerum, non trahat necessariò ex se determinationẽ ad vnum, nisi quãdo natura mobilis est ex se determinata ad vnum: quando verò hæc est indifferens, eamdem in ea seruet, ac relinquat indifferentiã prouidẽtia diuina: & propterea subdit Angelicus, *Sed remanet motus eius contingens*. Quid est contingens? nisi indifferens, vt sit, vel non sit? non ergo remanet determinatus in voluntate creata, sed adhuc indifferens, & contingens eius motus; & quia ex Angelico idem est non determinatum in causa, ac non necessarium, hoc ipsum subiungit per illa verba, *& non necessarius*. Constat ergo etiam principalem Aduersariorum responsionem extorsionẽ esse doctrinæ Angelici Doctoris, quod deindè latius probabo.

362 Nunc autem ostendere volo talem responsionem mendosam, & deficiẽtem reddere doctrinam Angelici in omnibus a me citatis locis: si enim non omnis determinatio ad vnum, proueniens ab extrinseco principio, libertatem offẽderet, numquã distinguens Angelicus liberum à necessario, distinctionem hanc attigisset; redeamus ad loca iam adducta. In primo ergo loco explicans, quid sit hominem relictum fuisse in manu Consilij sui, ait, *In hoc, quòd dicitur Deũ hominem sibi reliquisse, non excluditur homo à diuina prouidentia: sed ostenditur, quòd non præfigitur ei virtus determinata ad vnum, sicut rebus naturalibus*. Explicant Aduersarij non præfigitur ei virtus determinata necessitans ad vnum, sicut rebus naturalibus; hoc est, quod quæritur, quomodò non necessitatur homo, sicut res naturales determinatæ ad vnum, si per diuinam prouidentiam etiam homo præfigitur vni? subiungit Angelicus de rebus naturalibus, *Quæ aguntur, tamquam ab altero directa in finem, non autem seipsas agunt, quasi dirigentes in finem, vt creaturæ rationales, &c.* Quid per hæc verba explicatet Angelicus? etiam homo ab altero dirigitur, & determinatur ad finem; etiam bruta se agunt cognitione, & appetitu in finem: vndè ergo est, quòd non agunt ex consilio, & electione vnius præ alio, vt creaturæ rationales? nihil ergo ad propositum dixisset Angelicus, nisi regula valeat generalis, quòd bruta cognitione determinantur ad vnum, & ideò non consiliantur, non eligunt: homo verò in obiecto cognoscit plura, ad quo-

quorum singula est indifferens; & ideò ratione consiliatur: & voluntate, quod voluerit, determinat eligendum. In secundo loco assignans rationem, quare productio Spiritus Sancti, etiam si sit per volũtatem, sit naturalis, & necessaria, non verò libera libertate opposita necessitati, ait, *Quia voluntas, & natura secundùm hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad vnũ; sed voluntas non est determinata ad vnũ*. Etiam voluntas per Aduersarios est determinanda ab alio ad vnum, etiam intellectus, & appetitus brutorum sunt indifferentia, & determinanda ad vnum; nihil ergo sua ratione concludit Angelicus; adhuc enim deberet assignare, quare natura ex necessitate sit ita determinata, & non voluntas, si iam potest dari determinatio ab alio, præcisa necessitate in voluntate. In tertio loco probans hominem esse liberi arbitrij, ait, *Voluntas diuiditur contra naturam, sicut vna causa contra aliam: quędã enim fiunt naturaliter, quædam voluntariè; est autem alius modus causandi volũtatis, quæ est domina sui actus, præter modũ, qui conuenit naturę, quę est determinata ad vnũ*. Nihil per hæc diceret Angelicus, si admitteret voluntatẽ esse ab alio determinãdam ad vnum: nam intellectus, & bruta, quæ naturaliter agunt, sunt ex se indifferẽtia ad plura, & ab alio determinanda ad vnum; sed dicunt Aduersarij hæc esse determinanda determinatione necessitante, non ita homo. Benè, hoc est assignandũ ab Angelico, sed nõ assignat, nisi præcisam rationem determinationis ad vnum; ergo non benè probat hominem esse liberi arbitrij per prædicta: nec sufficientem assignat diuersitatem naturæ, & voluntatis in operando. In quarto tandem loco nõ assignaret Angelicus quomodò prouidentia diuina seruaret sua motione naturam voluntatis creatæ indifferentis, & contingentis in operando, si esset per eam determinanda ad vnum; iam enim sic nec eam relinqueret in sua conditione naturali indeterminationis, nec vt contingenter acturam: cũ determinatum, & contingens sint inter se opposita: & nihil in eo ipso, in quo est determinatum, sit contingens, vt ex eodẽ Angelico clariùs infra, diffusiùsque ostendam.

362 Refellere tamen præterea eandem responsionem satagam, ac simul intentum conuincere alijs eiusdem D. Thomæ locis, similem voluntatis creatæ determinationẽ omninò profligando: probans enim Angelicus quæst. 6. de malo artic. vnico in corpore, electionem humanam esse liberã, à priori ita rem aggreditur probandam: *Forma rei naturalis est forma indiuiduata per materiam, vndè & inclinatio ipsam consequens, est determinata ad vnum: sed forma intellecta est vniuersalis, sub qua multa possunt comprehẽdi; vndè, cùm actus sint in singularibus, in quibus nullum est, quod adæquet potentiam vniuersalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa*. Sed quoniam tùm intellectus, tùm voluntas, tamquam causæ creatæ præmouendæ sunt à Deo, volens deindè probare, quòd nec huius pręmotionis necessitas libertati electionis humanę obstet, sic post aliquem discursum concludit, *Relinquitur ergo, sicut concludit Aristoteles in cap. de bona fortuna, quòd id, quod primò mouet voluntatem, & intellectum sit aliquid supra voluntatem, & intellectum, scilicet Deus qui, cùm omnia moueat secundùm rationem, vt leuia sursum, & grauia deorsum, etiam voluntatem mouet secundùm eius conditionem, non vt ex necessitate, sed vt indeterminatè se habentẽ ad multa*. Vides ne benignè Lector, quid dicit volũtatẽ creatam moueri à diuina prouidentia secundùm conditionem suæ naturę, atque non ex necessitate determinari ad vnũ, vt nimirum remaneat indeterminata, & adhuc se habens, post diuinam motionem ad multa. Determinari autem ad vnum, & se habere indeterminatè ad multa post Dei pręmotionem, crederem contradictoria inuoluere, quorum primum docent Thomistæ, secundum Angelicus. An etiam hic dicent Angelicum solùm sentire, quòd remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa, secundùm quòd indeterminatio excludit determinationem necessitantem: non verò quòd excludat determinationem infallibilitatem. Obliti sunt ne regularum logicę, quòd negatio negat totum, quod inuenit: non enim potest dici nudus, qui vna induitur veste, & non alia? nec ergo indeterminatus, qui vna specie determinationis affectus est, & non alia: non ergo deberet Angelicus nominare indeterminationem simpliciter, sed solam carentiam necessitatis. Sed si ita concluderet, totus eius discursus rueret, quandoquidem, nec etiam intellectus ita est indiuiduatus à materia ad vnũ, vt eius appetitus innatus sit ad vnum obiectũ: nec bruta ita sunt restricta à natura, vt non appetant, nisi vnum; nihil ergo concluderet Angelicus, si solùm concluderet indeterminationem hanc ad vnum, & non omnem: nam adhuc probandum esset, quomodò alia determinatio orta ex indigentia motionis diuinæ non variet conditionem voluntatis, & libertatem indifferẽtiæ nõ offendat; in quo tota in hac materia con-

consistit difficultas: de quo tamen agens ex professo, & probans libertatem voluntatis creatæ à priori, nec verbum vnum habet; ergo signum est, quòd similis diuisio duplicis determinationis voluntatis, nec in somnijs vnquam venerat Angelico.

364 Rursus in secundo quæst. 59. artic. 1. in corpore explicans dominium, quod habet homo in suos actus, ita habet, *Hoc autem est in homine secundùm illam potentiam; quia ad plura se habet, nec ad aliquod certū determinatur, nisi ex seipsa, quod tantùm voluntati conuenit.* Nemo autem ignorat particulam illam, *nisi*, restringere significatum vocis vniuersalis in eodem ordine, & linea: qui enim dicit, nemo studet, nisi Petrus, idem studium, quod negat de cæteris, affirmat de Petro: & similiter discurrendum semper in omnibus talibus propositionibus restrictiuis; cùm ergo voluntatem creatam asserit Angelicus à nullo alio determinari, nisi ex seipsa, de eadem determinatione affirmat determinari à se, secundùm quam negat determinari ab alio: sed à se non determinatur determinatione necessitante, sed determinatione reddente illam liberè operantem; ergo simili determinatione negat determinari ab alio, eò quòd esset destructiuum determinationis liberę.

365 Similis est locus in quæst. 4. de Veritate artic. 30. ad quintum; in quinto namque loco tale sibi proponit Angelicus argumētum. *Omne, quod se habet ad vtrumlibet, indiget aliquo determinante, ad hoc, quòd exeat in actum: sed liberum arbitrium hominis ad vtrūlibet se habet, scilicet ad bonum, & malum; ergo ad hoc, quòd exeat in actum peccati, indiget, quòd ab aliquo determinetur ad malum, maximè autem id fieri videtur à Diabolo.* In hoc argumento vt patet, conclusio est magis restricta, quàm sint pręmissę: ex quibus eo modo, quo verę sunt, hęc directè infertur consequentia: ergo vt liberum arbitrium hominis exeat in actum, siue bonum, siue malum, ab aliquo indiget determinari, & ideò Angelicus eo modo, quo pręmissas concedit vniuersaliter, etiam satisfacit conclusioni, vt patebit. Adde, quòd nemo intendens ad malum operatur: Malum namque non est volibile, nisi indirectè, quatenus connectitur cum bono physico, vel delectabili, quod volumus; non ergo ad malum datur specialis volitio, nec specialis determinatio: sed volitio, & determinatio ad bonum, vt in agente defectibili, est etiam volitio, & determinatio ad malum, cum tali bono annexum: videndum ergo est, à quo sit talis determinatio, siue ad bonum, siue ad materiale mali ex Angelico in libero arbitrio hominis. Argumento ergo Angelicus respōdens, sic habet, *Ad quæsitum dicendum, quòd voluntas, cùm sit ad vtrumlibet*, hæc erat minor argumenti, quam concedit, *per aliquid determinatur ad vnum*, & in his verbis concedit etiam maiorem: sed veniens deindè ad conclusionem, vt assignet, per quid determinetur ad vnum, *scilicet*, subiungit, *per consilium rationis, nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecū.* Nūquid distinguit materiale, vel formale peccati, vel distinguit determinatiuum ad bonū à determinatiuo ad malum? nihil prorsus tale ponit: sed vniuersaliter docet, iuxta vniuersalitatem præmissarum, liberum arbitrium determinari per consiliū rationis, & nullatenus ab aliquo extrinseco.

366 Hanc porro esse mentem Angelici Doctoris, quòd videlicet non solùm voluntas non determinetur ab extrinseco, nec quidem à Deo, sed à seipsa dumtaxat, pręsupposito consilio rationis: imò, quòd volūtas creata determinet etiam, non quidem Deum, sed eius concursum, quem ipsi voluntati offert, seu parat, atque exhibet indifferentem, non vno, sed pluribus patet eiusdem Sancti Doctoris locis, quæ exhibeo; In tertio namque distinctione 23. quęstion. 3. artic. 1. quæst. unic. in corpore sic docet, *Actio primi Agentis est prior, & posterior: prior in mouendo, quia actiones omnes secundorum agentium, fundantur supra actionē primi agentis; quæ, cùm sit vna consequenter omnes firmans, specificatur eius effectus in hoc, & in illo secundùm exigentiam illius: sicut vno præcepto Ducis vnus accipit gladium, alius parat equum, & sic de alijs: est autem posterior in vtendo aliorum actibus in finem proprium.* Quid quæso est, quòd actio primi agentis est prior in mouendo actione causę secundę; quàm quod, nisi priùs velit Deus cōcurrere, & communicare creaturæ suum agere, non potest hæc agere? quid verò est, quòd eadem actio deindè in vsu ad propriū actionis finem sit posterior actione creaturæ, a qua in vsu specificatur? nisi quia actio ista Dei vniuersalis est, & completiua indifferenter omnium agentium ad omnes effectus, sicut vniuersale est, proportione sua, præceptum Ducis ad omnes milites: sed deindè, quòd cum hoc agente exeat actio Dei in hunc effectum, & cum alio in alium, habetur à determinatione vel huius determinatæ virtutis huius agentis, vel huius determinationis voluntatis? idipsum tamen accipias volo clarè ex quæst. 1. de potentia artic 4. ad tertium, *Licèt*, ait, *causa prima maximè influat in effectum, tamen* (nota) eius

eius influentia per causam proximam determinatur, & specificatur: & ideò eius similitudinem imitatur effectus. & quæst. 5. de Veritate art. 9. ad decimum, *Effectus*, inquit, *causæ primæ magis assimilatur causæ secundæ, quia per eā determinatur quodāmodò actus causæ primæ ad hunc effectum*. Nonnè hæc omninò est sententia scientiæ mediæ? Vide in numero 395.

367 Concludat tandem totum nostrum discursum Angelicus Doctor lib. 20. contra Gentiles cap. 47. subsequentibus verbis, *Principium cuiuslibet operationis est forma, per quam aliquod est in actu, cùm omne agens agat, in quantùm est in actu; oportet igitur, quòd secundùm modum formæ sit modus operationis, consequentis formam. Forma igitur, quæ non est ab ipso agente, per formam causat operationem, cuius agens non est dominus: si quæ verò fuerit forma, quæ sit ab eo, quod per ipsam operatur, etiam consequentis operationis dominiū habebit*. Cùm autem nomine formæ, nec per Thomistas ipsos veniat virtus actiua præcisè, sed id, per quod actuatur virtus, quandoquidem etiam voluntas per se ipsam est virtus actiua actualis: euidens est, quòd, si forma hæc actuans, & determinans voluntatem creatam est Dei motio, quæ non est à nobis, nec sub nostro dominio, consequenter nec consequens operatio ex Angelico esset sub nostro dominio; vt ergo sub nostro sit dominio operatio, necesse erit, quòd determinatio operis, quæ voluntatem actuat ad agere, sit à nostra volūtate, & non ab alio, quod sub nostro dominio non est.

368 Ex his autem expugnata manet commentitia aliquorum responsio, qui distinguunt duplicem determinationem ad vnū in causa secunda, sicut duplex in eadem datur motio; quo enim modo, aiunt, causa secunda, secundùm omnium sensum, mouetur à Deo, & per hoc non tollitur quin adhuc eadem causa secunda moueat seipsam: pariter causa secunda determinatur primò à Deo, & non per hoc impedietur, quin determinet secundò seipsam? Manet, inquam, ex doctrina Angelici expugnata, qui non nisi à seipsa docet voluntatem creatam determinari, nullo verò modo ab agente extrinseco, imò potiùs, quòd Dei influxus per ipsam causam secūdam determinetur ad hunc effectū, tantùm abest, vt determinatus influxus Dei determinet voluntatē creatā. Sed videat Lector beneuolus quomodò Aduersarij sēper sub terminorū cōfusione versētur, dicēdo, quòd sicut Deus mouet volūtatē creatā, & per hoc nō tollitur, quòd secundò moueat seipsā: ita benè poterit à Deo prædeterminari, & non indè impediri, quin possit seipsam secundò determinare; nomen namque motus multipliciter stat ex Angelico, vt infra in solutione argumentorum constabit: ex quo fit, vt alio modo dicatur moueri à Deo, quàm mouere seipsam: numquam verò, quòd in eo ipso, secundùm quod mouetur, sit mouens seipsam: dicitur enim Deus mouere voluntatem ex parte obiecti, quatenus ipse dat obiecto creato bonitatē, vt moueat, hoc autem modo non mouet seipsam; quia non ipsa creat obiecta. Dicitur item mouere immediatè, vt obiectum, quia Deus est summum bonum, & in hoc locum non habet voluntas. Ex parte item potentiæ dicitur mouere Deus, quatenus dat esse volūtati, & cōseruat, illiq; dat inclinationes ad obiecta, siue innatas, siue superadditas per adiūctas qualitates naturales, vel supernaturales: in quo nihil præstare potest voluntas. Rursus mouet Deus voluntatem sua prouidentia excitando, siue per seipsum, siue alia creata specie ad primam cognitionem, præcedentem omnem actum voluntatis, quod nec præstare sibi potest voluntas. Ac tandem mouet ipsam exhibendo suum concursum; & in hoc stat difficultas præsens, vtrum moueat determinatè ad vnum, an indifferenter; sanè si moueret determinatè, benè arguerent aduersarij; at in hoc, vbi videmus moueri à Deo determinatè, prout ex Angelico mouetur ad suum finem vltimum in genere, relatè ad idem non mouet voluntas creata seipsā, vide numero 425. Si verò Deus mouet ad duo indifferenter, & voluntas se mouet ad vnum determinatè, tā non in eo ipso, in quod mouetur, se mouet voluntas, sed aliter; nos autem dicimus moueri hoc secūdo motu, non primo; quid ergo est, quòd ex confusione huius nominis motus, arguunt aduersarij, cùm in omni motu distincto à motu determinationis ad vnū, sit mota, non mouens: in hoc autem vltimo motu sit aliter mota, quàm mouens: ac pari modo aliter determinata, ac seipsam determinans: determinatur namque à Deo ad vnum, vel ad alterum, à se autem ad vnum, excluso, & repudiato altero, quæ est mea conclusio? His addo, si daretur prima determinatio Dei, vel ista ratione sui trahit infallibiliter secundam creatæ voluntatis, vel non? Si primum, ergo vi sua antecedenti ponit etiam secundam determinationem, & ita non relinquit secūdò determinandam, sed vi sua reddit secundò determinatam. Si secundum, ergo nō est vndè infallibilitetur volūtas ad secūdam determinationem, sed adhuc remanet secun-

secundò indifferens, vt ponat hanc, vel illā determinationem; impertinēs ergo erit Dei prima determinatio, quæ posset à creata voluntate frustrari.

369 Conuincunt taliter, tùm istæ rationes, tùm ex Angelico adducta loca quemlibet disciplinatum intellectum, vt ex Thomistis ipsis, qui, volentes nolentes, necesse est concurrant omnes contra scientiam mediam, non deficiant, qui à tam clara doctrina discedere erubescant, talis est Ioseph de Vita, pro se etiam citans plures ex Antiquioribus Thomistis, nempè Capreolū, Ferrariensem, Herueum, atque Caietanum. Hic ergo in prima secundæ §. 22. numero 4. acriter tuetur non componi ex Angelico Doctore libertatem creatam cū determinatione ad vnum ab extrinseco, etiā à Deo habita; vndè docet voluntatem creatam determinari à se per consilium rationis, prout agens in virtute ipsiusmet volūtatis; nè tamen labatur in scientiam mediam, admittit decretum in Deo efficax, & omninò antecedens de effectu libero voluntatis, & de quadam complexione causarum, ita dispositarum, vt indè sequatur infallibiliter effectus, quamuis vi talis decreti non determinetur causa liberè operatura: de cuius sententia infra diffusiùs agā.

370 Probo tertiò meum assertum quibusdā Diui Thomæ locis, quibus Aduersarij vtūtur inter alia pro iugulanda ex eodem Angelico scientia media: quapropter attentos exopto Lectores, vt inter meum, & Aduersariorum discursum iudicium ferant. Loca ergo Angelici sunt subsequentia, nimirum 1. par. quæst. 19. att. 8. in corpore, vbi circa finem habet, *Non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes: sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes causas ad eos præparauit*. Et lib. 1. perihermen: lect. 14. *Ad effectus enim*, ait, *quos voluit contingentes, ordinauit causas contingenter agentes, idest potentes deficere*. In prima item ad Anibaldum epist. 47. quæst. vnica artic. 4. inquit, *Voluntate Dei non solùm res in esse producuntur; sed etiam rebus producēdis modum, quo producantur, prædeterminauit; disposuit autem Deus ad complementum vniuersi, vt quædam fierent necessariò, & his præparauit causas necessarias: quædam verò, vt fierent contingenter, & his præparauit causas cōtingētes*. Hoc ipsum docet pluribus in locis, sed sufficiant, quæ adducta sunt.

371 Ex his autem locis quomodò contra scientiam mediam arguant Thomistæ, patebit infra, cùm eorum adducam argumēta. Ego autem arguo in fauorem eiusdem scientiæ, ita. Certum est non indè effectus esse contingentes, quia præcisè causæ proximæ sunt ex se contingentes, Deus namque, tamquam Dominus supremus omnium, potest & causas ex se contingentes necessitare ad actionem: & hanc eandem, sicut & necessariam, impedire. Verissimū ergo est, quod dicit Angelicus, effectus non esse contingentes, vel necessarios: quia huiusmodi sunt causæ eorum proximæ: sed principaliter ideò aliquid necessatium est in ordine naturæ, quia sic voluit Deus; & idem dico de effectu contingenti. Quia tamen Deus voluit effectus aliquos contingenter esse, non solùm aptauit causas, quæ ex se possint contingenter agere, sed vt contingenter agant, seù *contingenter agentes*, vt verbis vtar Sancti Doctoris: sed causa, vt infallibiliter agens, & causa vt contingenter agens opponuntur: quod enim infallibiliter habet, vt sit, non contingenter est; ergo, si Deus voluit effectus aliquos contingenter esse, & propterea aptauit causas contingenter agētes, non eas infallibilitauit ad agere, sed eas reliquit in sua indifferentia, & contingentia.

372 Vrgeo ex eodem Angelico; nam per eius doctrinam contingens sub ea ratione, sub qua induit determinationem ad vnum, exuit sub eadem rationē contingentis; ergo implicat contradictionem in terminis per Sanctum Doctorem, vt, dum Deus vult effectum aliquem contingenter esse, præparet causam determinatam ad vnum; esset namque præparare causam spoliantem effectum contingentia præuolita. Antecedens probo ex prima parte quæst. 14. artic. 13. in corpore, vbi sic loquitur, *Contingens aliquod dupliciter potest considerari, vno modo in seipso, secundùm quòd iam in actu est, & sic non consideratur, vt futurum, sed vt præsens: neq; ad vtrumlibet contingens, sed vt determinatum ad vnum. Alio modo potest considerari contingens, vt in sua causa: & sic consideratur, vt futurū, & contingens, non dū determinatū ad vnū.* Quid clarius poterat dicere Angelicus, & quidem replicatò? Primò sanè effectus dū actū est, non consideratur, vt contingēs, quia iam determinatum ad vnum: prout in causa verò secundò consideratus, ita est contingens, quia vt sic non dum est determinatus ad vnū; qua ratione ergo stare poterit, vt Deus dicatur præparare causas contingenter agentes, si sua præparatione eas optat, vt determinatas ad vnum?

373 Sed respondent solita verborum circūlocutione, vt clara obnubilent, Aduersarij, quòd ea determinatio ad vnum aufert contingentiam in causa, quæ tollit posse, ad

ad oppositum, non verò ea, quæ stat cum posse vtrumlibet, qualis est causa contingens prædeterminata à Deo: quod, & patet ex verbis ipsis Angelici in secundo loco citatis, dum dicit, quòd Deus ad effectus, quos voluit contingentes, *Ordinauit causas contingenter agentes, idest potentes deficere*, non quæ deficiant.

374 Non poterat profectò Angelicus dicere, quòd pro effectibus contingenter habendis ordinauerit Deus causas, quæ deficerent; sic enim iam etiam ordinasset, vt determinatas ad vnum, scilicet ad defectũ; debuit ergo dicere, *vt potentes deficere*. Sed quæ sit ista potentia colligi potest non solũ ex his, quæ dicta sunt numero 113, verùm ex loco, à me mox vltimò citato; si enim contingens sub ea ratione seruat contingẽtiam, sub qua non est determinatum ad vnum: ac eamdem exuit, sub qua est ad vnum determinatum, & quidem sermonẽ habet Angelicus de determinatione ex suppositione, in illo statu intelligit Angelicus applicare Deum causam contingentem, & potentem deficere, vel operari, sub quo eadem causa ab omni præscindit determinatione ad vnum, scilicet in priori naturæ causæ. Ex quibus liquet Aduersariorum responsionem, nec vel minimò lędere nostri argumenti vim: licèt namque ex Angelico contingens, adhuc dum existit, estque ad vnum determinatum, retineat rationem contingentis: hoc tamen indè est, quia in causa sua, non determinata adhuc ad ipsũ, fuit potens non esse; si autem causa numquam fuisset non determinata, numquam certè fuisset contingẽs. Vndè sic repeto argumentum. Contingẽs ex Angelico in eo contingentiam seruat, quia in sua causa nõ determinata ad vnũ, fuit indifferens ad vtrumlibet, vt sit, vel non sit: cæterùm vbi determinationem ad vnum induit, secundùm id contingentiam amittit, & non per hoc causa potens vtrumlibet, dum determinatè vnum agit, potentiam amittit ad oppositum: sed per Aduersarios Deus ad contingentia numquam applicaret causas, vt non determinatas, sed quæ vi applicationis fierent determinatæ ad vnum; ergo pro effectu contingenter ponendo, poneret causas, vt spoliatas contingentia, non vt contingentes, etiã admissa in iisdẽ potentia ad oppositũ.

375 Vrgeo: nam præfatam distinctionem contingentis, prout in seipso, & prout in sua causa dat Angelicus pro soluendo hoc argumento, *Omne scitum à Deo necesse est esse: sed nullum contingens futurũ necesse est esse; ergo nullum contingens futurum est scitũ à Deo*, quod ante doctrinã suã in corpore articuli posuerat; ex præfata autẽ distinctione concludit, *Vndè quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantùm, non habet de eo, nisi coniecturalem cognitionem: Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solùm prout sunt in suis causis, sed etiam prout vnumquodq; est actù in seipso: Vndè manifestum est, quòd contingentia & infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantùm subduntur diuino conspectui secundùm suam præsentialitatem: & tamen sunt futura contingentia suis causis proximis comparata.* Tota autem hæc doctrina defectuosa esset, si Angelicus supposuisset in Deo decretum determinatiuum causarum; quandoquidẽ in causis, vt ita determinatis, esset etiam cognoscibilis effectus infallibiliter, & non ratione solius pręsẽtialitatis in seipso. Quòd si argumentum velint retorquere contra nos de causa, vt à seipsa iam determinata, in qua etiam esset cognoscibilis effectus. Ludicra erit retorsio, quia hæc determinatio est temporalis, non ab æterno, qualis est determinatio habita vi decreti Dei: vndè de determinatione vi voluntatis creatæ, eadem est difficultas, quomodò fuerit à Deo cognita, vt futura, ac de effectu: & ideò de hac non meminit Angelicus; quòd si cognouisset determinationem causæ creatæ ab æterno, de illa mentionem facere debuisset, & non dicere, quòd quicumque cognoscit effectũ in suis causis tãtùm, non potest habere, nisi coniecturalem cognitionẽ de eo; Deũ autẽ habere infallibilẽ, quia illum etiam cognoscit secundùm suã præsentialitatem: sed debuisset etiam addere, quòd taliter etiam cognoscit in suo decreto determinante causas, &c.

376 Respondere quis posset secundò argumento, voluntatem creatam determinari ad vnum non per aliquid distinctum ab effectu, sed per ipsum effectum: vndè, dum applicatur effectui, non applicatur, vt determinata, sed vt indifferens, & determinanda ab effectu. Sed qui sic responderet, ridiculè loqueretur; per hoc enim, quòd causa formaliter applicatur huic effectui, & non illi, nonne determinatè applicatur vni præ alio? ergo ui applicationis formaliter determinatur, & non applicatur, vt determinanda. Vrgeo, nam effectus liber non potest intelligi determinare causam, nisi cùm intelligitur determinatè esse potiùs, quàm non esse: atqui effectus liber indifferens est, vt sit, vel non sit; ergo, vt sit, debet priùs ab aliquo habere determinatè esse: non potest intelligi autem effectus liberè esse, nisi vi suæ causæ liberę; ergo sua causa in priori signo causæ debet esse determinata,

T

terminata: aliter in eodem ordine prioritatis causa esset prior effectu, vt determinans illum, & hic esset prior causa, vt determinans illam. Dices datam rationem probare, neque Deum posse velle efficaciter actum liberum post scientiam mediam, quia vi talis voluntatis actus fieret determinatè futurus; ergo vi suæ causæ, iam determinatæ; ergo etiam tale decretum applicaret causam, vt iam determinatam, non vt determinandam.

377 Respondeo duo in hoc casu reperiri, & scientiam scilicet mediam, qua attingeretur futurum conditionatè, vt determinatè tale: & decretum Dei absolutum, determinatum ad absolutam futuritionem effectus. Prima attingit quidem determinatū effectum, qui esset, non qui erit: vndè nō aufertur indifferentia vt sit, vel non sit: sed vt esset, vel non esset: adhuc ergo causa est applicabilis ad effectum, tamquam indifferens, vt ponat, vel non ponat ipsum in statu absoluto. Secundum verò, nempe decretum ad determinatum effectum, ad ipsum determinatè tendit, vt suo loco constabit, intentiuè, non effectiuè: ideòque causa effectiua remanet indifferens in sua ratione causandi, & applicatur, vt effectiuè per seipsam determinanda.

378 Probo quartò idem assertum ex quadā doctrina, quam tradit Angelicus de necessitate ex suppositione, docens quando lędat, & quando non, libertatem: ex qua vulgaris illa diuisio sensus compositi, & diuisi apud Thomistas aliena prorsus, vt puro, à mente Angelici Doctoris, ostendetur. Quæst. ergo 3. de Veritate artic. 10. quærens, an commissa ex infirmitate passionū sint peccata, ita in corpore discurrit, *Considerandum est, quòd necessitas, quæ est ex suppositione alicuius, quod subiacet voluntati, non tollit rationem peccati mortalis: sicut, si gladius infigatur alicui in membris vitalibus, necesse est, quòd moriatur; sed infixio cultelli est voluntaria. Similiter dicendum est in proposito; posito enim, quòd ratio sit ligata per passionem, necesse est, quòd sequatur peruersa electio: sed in potestate voluntatis est, hoc ligamen rationis repellere: dictum est enim, quòd ratio ligatur ex hoc, quòd intentio animæ applicatur vehementer ad actum appetitus sensitiui, vndè auertitur à considerando in particulari id, quod habitualiter in vniuersali cognoscit: applicare autem intentionem ad aliquid, vel non applicare, in potestate volūtatis est. vndè in potestate volūtatis est, quòd ligamē rationis excludat, &c. Sed si ligatio rationis per passionē in tantū procedat, quòd nō esset in potestate volūtatis huiusmodi ligamen remouere, puta, si per aliquas animæ passiones in insaniam verteretur, quidquid cōmitteret, nō imputaretur ei ad culpā.* Ex qua doctrina euidens cuiq; fit regulā pręscribi ab Angelico vniuersalē, quòd id, quod necessariò sequitur ad suppositionem alicuius, liberum est voluntati, si hoc aliud, ad quod sequitur, ex eiusdem volūtatis libertate pendet, vt sit, aut remoueatur; non sic verò, si hoc aliud à voluntate non pendet: propterea, quòd dum consequens necessariò sequitur ad præsuppositum antecedens, nec in se, nec in suo antecedenti libertatem includit: non ita verò res se habet, quando antecedens est liberum voluntati: dum namque vellet vnum, vellet liberè & aliud, necessariò consequēs ad illud: Atqui decretum Dei à voluntate nostra non pendet, vt sit, vel non sit, & ad illud impossibile est non sequi effectum decretatū; ergo huius positio, iuxta doctrinam Angelici, non esset nobis libera; ergo distinctio illa Thomistica sensus compositi, & diuisi, explicata in ordine ad aliquod, cuius existentia, vel remotio à nostro non pendet arbitrio, omninò commētitia est, & prorsus aliena à mente Angelici Doctoris.

379 Respondere possent Aduersarij doctrinam Angelici esse in diuersa materia, ac sit ea, de qua agimus; nam, qui ligatam habet rationem ad vnum, non potest omninò oppositum; vndè non potest circa illud haberi libertas immediata, sed solùm mediata circa antecedens, ad quod sequitur; si ergo hoc non est pendens à nobis, nullo modo illud poterit esse nobis liberum: at verò in casu nostro circa obiectum à Deo decretatum datur nobis posse immediatū, & libertas; & ideò potest esse nobis liberū, siue id, ad quod sequitur, pendeat, siue nō pendeat à nobis.

380 Sed vanum est hoc effugium; nam ex Angelico nō dicitur ligata ratio ad vnum, quasi non sufficienter cognoscatur malitia retrahens ab illo; si enim ita sentiret Anlicus, non diceret, quòd *In potestate voluntatis est hoc ligamen rationis repellere*: si enim potest repellere; ergo habet sufficiens posse ad oppositum per sufficientem cognitionem malitiæ retrahentis ab applicatione: sed quia vincit vehemens applicatio, & ea stante, non valet voluntas oppositum, indè sequitur necessitas, quæ libertatem impedit immediatam, non verò mediatam: atqui maior, efficacior, & infallibilior est applicatio decreti Dei; ergo cùm hoc non potest, iuxtà doctrinam Angelici, stare libertas immediata; neque in causa, vt patet, cùm decretum non pendeat à nobis; ergo nulla. Notanda ergo sunt

sunt verba Angelici: non enim dicit, ratio auertitur à cognoscendo in particulari id, quod habitualiter in vniuersali cognoscit, sed *à considerando*: considerare enim rem, non significat simpliciter cognoscere, sed cum aliqua speciali attentione: & ab hac asserit auerti per vehementem applicationē ad obiectū sensibile: non verò, quòd non sufficienter proponatur malitia obiecti per illam cognitionem habitualem, & vniuersalem, quòd obiectum sensibile sit malum. Taceo nunc ea, quæ toties dicta sunt contra hanc potentiam ad oppositum, stante ineuitabili infallibilitate ad vnum, proueniente à Dei decreto, cui resistere omninò creaturæ est impossibile.

381 Probo adhuc quintò. Nulla est maior infallibilitas operandi in statu viæ, seu præsentis vitæ ea, quæ reperitur in confirmatis in gratia ad operandum benè: vel in obstinatis in peccato, ad operandum malè; atqui in his Angelicus nullam aliā agnoscit infallibilitatem, nisi moralem; ergo ex eius mente exulat omninò decretum Dei infallibilitans physicè, vel metaphysicè creatam voluntatem ad opus. Minorem probo, & quidem primò circa confirmatos in gratia: quest. namque 24. de Veritate art. 1. quærens num liberum arbitrium in statu viæ possit confirmari in bono, ita in corpore sentit, *Dicendum, quòd aliquis potest in bono confirmari dupliciter. Vno modo simpliciter, ita scilicet, quòd habeat ex se sufficiens suæ firmitatis principium, quòd omninò peccare non possit: sicut Beati sunt confirmati in bono. Alio modo dicuntur aliqui confirmati in bono per hoc, quòd eis datur aliquod munus gratiæ*, &c. Notent Thomistæ quale munus detur gratiæ ex Angelico, & quid in sensu composito cum illa detur confirmatis in bono: *A quo ita*, inquit, *inclinantur in bonum, quòd non de facili possunt a bono deflecti; non tamen per hoc*, subiungit, *ita retrahuntur à malo*. Nonne illę particulæ, *per hoc*, signant sensum compositum? sed vide quid tribuit huic sensui composito Angelicus, *Quin omninò*, ait, *peccare non possint, nisi diuina prouidentia custodiente: & hoc modo aliqui in statu viæ possunt confirmari in bono, non primo*. Vident nequale est munus gratiæ datum confirmatis in bono? tale nimirum, quo non ita facilè possit confirmatus cadere: sed adhuc aliquando caderet, nisi exterior prouidentia principia cadendi comprimeret, nō excedendo tamen terminos infallibilis permanentiæ moralis, prout ex Angelico totū hoc ostendam. Pro modo ita mihi liceat arguere: munus interioris gratiæ, prout distinctum ab exteriori prouidentia, non tribuit tale nō posse peccare, quòd nō ad huc prætereà requiratur diuina prouidentia custodiens; ergo aliquid superaddit exterior custodia prouidentiæ, quod non præstatur ab interiori gratia; de hoc alio per prouidentiam superaddito peto quid addat confirmatis in bono? vel enim addit, per eam nec in sensu diuiso confirmatum posse cadere, & ita custodia hæc libertatem euacuaret: quandoquidem etiam auferret posse oppositum in sensu diuiso; vel per eam tribuitur, vt omninò non possit homo peccare in sensu composito, & ita donum gratiæ interioris id non tribuet ex Angelico, sed solùm, vt non de facili peccent.

382 Quid sit autem confirmatum in gratia nonnisi de difficili cadere posse, & quomodò adhuc cadere valeat; qualis prætereà sit custodia Prouidentiæ, ac tandem quid præstet, superaddatque gratiæ interiori, singula ex eodem Angelico ostendam. Et quidem primum ex præcitato articulo 9. de Veritate, vbi hoc ipsum explicitè declarat his verbis. *Sed tamen per gratiam viæ ita potest homo bono adstringi, quòd non nisi valde difficili peccare possit per hoc quòd ex virtutibus infusis inferiores vires refrenantur, & voluntas in Deum fortiùs inclinatur*. Ex doctrina Augustini explicata numero 241. *Et esse*, subsequitur, *perficitur in contemplatione veritatis diuinæ; cuius continuatio ex feruore amoris proueniens*, Nota continuationem ex feruore amoris, quo nimirum voluntas in Deum fortiùs inclinatur, *hominem retrahit*, inquit, *à peccato*. Similiter loquitur in quæstion. 6. de malo articul. vnico in corpore, vbi distinguit tres modos, quibus voluntas fertur magis ad vnum, quàm ad aliud, duos spectantes ad necessitatem, & vnum ad libertatem rationis, his verbis. *Et quòd voluntas*, ait, *fertur in id, quod sibi offertur, magis secūdū hāc particularē cōditionem, quàm secundùm aliam, potest contingere tripliciter. Vno quidem modo, in quantùm vna prępōderat, & tunc mouetur voluntas secundùm rationem, hoc est liberè, puta cùm homo præeligit id, quod est vtile sanitati, & quod est vtile voluptati. Alio verò modo*, &c. Id ipsum docet lib. 3. contra Gentiles cap. 160. illis verbis. *Cùm enim mens hominis à statu rectitudinis declinauerit, manifestum est, quòd recessit ab ordine debiti finis; illud igitur, quod deberet esse in effectu præcipuum efficitur minùs dilectum illo, ad quod mens inordinata conuersa est, sicut vltimum finem*. Signa particulas, *præcipuum*, & *minùs dilectum*, & deindè vide quas ex illis regulas tradat vniuersales, conformes ad regulas explicatas Augustini, *Quandocumq; igitur*, concludit, *occurrerit aliquid conueniens inordinato fini*, quem iam in suptadictis ver-

verbis supponit magis dilectum apud declinantes à statu rectitudinis, *repugnans fini debito*, à quo etiam supponit in iisdem verbis iam recessisse, *Eligetur*, inquit, *nisi reducatur ad debitum ordinem, vt finem debitum omnibus præferat, quod est gratiæ effectus*. Potest ne quid clarius desiderari pro explicando gratiæ effectu, ac simul concupiscētiarum, à quibus ortum ducit recessus hominis à fine debito, & declinatio à statu rectitudinis? & ex his patet quomodò homo gratia speciali confirmatus in bono cadere posset, præcisa exterioris prouidentiæ custodia, puta, si excitantur, vel ab intrinseca cupiditate, vel à suggerente Diabolo, motus tentationum fortiores, & magis ponderantes, quàm ponderet gratia interior cōfirmationis; qualis autem sit, & quid præstet custodia diuinę Prouidentiæ, accipias primò adæquatè ex libro 3. contra Gentiles cap. 162. vbi ita habet, *Hoc autem auxiliū est, nō solū infusio gratiæ, sed etiā exterior custodia*. ecce iam Prouidentiæ custodia qualis sit, nempè exterior; vide nunc, quid ipsa suppeditet, *Per quam*, ait, *occasiones peccandi homini ex diuina Prouidentia tolluntur, & prouocantia ad peccatum comprimuntur*. Et prim. part. quæst. 22. artic. 2. ad quartum, *Hominum autem iustorum*, inquit, *quodam excellentiori modo Deus habet Prouidentiam, quàm impiorum, in quantùm non permittit contra eos euenire aliquid, quod finaliter impediat salutē eorū*. Hoc ergo modo est custodia diuinæ Prouidentiæ erga confirmatos, in quantùm non permittit eis euenire aliquid, quod fortiùs ponderans, quàm gratia interiùs infusa, eos faciat à gratia excidere. Ideòque præcitato articulo 9. de veritate, in quo de taliter cōfirmatis sermonem habet, vt supra monui, postquam dicit, quòd *Continuatio, ex feruore amoris proueniens, hominē retrahit à peccato*, tentationes, quæ possent iisdem fortiores insurgere, sibi obiiciens considerandas, ad Prouidentię custodiam recursum habet his verbis, *Sed totum, quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam diuinæ Prouidentiæ in illis, qui confirmati dicuntur, vt scilicet quādocumque occasio peccati se ingerit, eorum mens diuinitùs excitetur ad resistendum*. In hoc ergo stat diuinæ Prouidentiæ custodia, vt vel non permittantur tentationes præponderantes; vel, dum istæ permittuntur, mens confirmati nouo interioris gratiæ auxilio adiuta, robustior fiat ad resistendum, conformiter ad Apostolum; *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*.

383 Eodem autem modo loqui de obstinatis in malo, videre quisque poterit in eadem quæst. 24. de veritate artic. 2. in corpore, vbi ita discurrit, *Quòd autem aliquis non possit à peccato reuerti, potest intelligi dupliciter. Vno modo ita, quòd vires suæ non sufficiant ad hoc, quòd à peccato totaliter liberetur, &c. Alio modo habet aliquis firmitatem in peccato, ita, quòd nec cooperari possit ad hoc, quòd à peccato resurgat. Sed dupliciter est hoc, vno modo, ita, quòd nullo modo possit cooperari, & hæc est perfecta obstinatio, qua Dæmones sunt obstinati, &c. Alio modo, ita, quòd non de facili possit cooperari ad hoc, quòd exeat à peccato, & hæc est obstinatio imperfecta, qua aliquis potest esse obstinatus in statu via*. Vndè autem sit hęc difficultas, audias, *dum scilicet*, subdit, *habet aliquis ita firmitatem in peccato, quòd non surgunt motus ad bonum, nisi debiles*. Numquid tamen ita debiles, vt non sufficiant? non quidem ita: subiungit enim Angelicus, *Quia tamen aliqui surgunt, ex eis datur via, vt præparentur ad gratiam*. Sunt ergo debiles relatè ad firmitatem, quam habent similes obstinati in peccato, quæ firmitas voluntatis in malum magis præponderans, steriles reddit debiliores insurgentes motus gratiæ.

384 Probo item sextò eandem conclusionē ratione cohærente ad antecedētem, fundata scilicet in maiori proportione aliquorū mediorum præ aliis, quam ex se habent in ordine ad finem, atque ita argumentor: Illa scientia Dei de re, quæ antecedit Dei decretum dispositiuum de illa, & fundatur in intrinsecis eiusdem rei, non in decreto Dei connectente, habetque pro obiecto rem extra præcisum statum possibilitatis, est scientia illa media, quæ propugnatur ab eius defensoribus; atqui ex Angelico Doctore ad quamcumque prædestinationē, & ordinationem mediorum in finem debet præcedere in Deo similis scientia; ergo tātùm abest vt scientia media sit contra mentem Angelici, quòd ipse semper ad omnē voluntatem de fine, & prædestinationem mediorum, requirit, vt directiuam diuinæ voluntatis. Probo autem minorem ex libro 2. contra Gentiles cap. 24. vbi, ita loquitur, *Ordinatio enim aliquorum fieri non potest, nisi per cognitionē habitudinis, & proportionis ordinatorū ad inuicē, & aliquid altius, quod est finis eorū*. Quæ sit autē ista proportio, & habitudo mediorū ad inuicē, & cū fine, nemo nō videt, quòd cōsistat in eo, vt ad inuicem comparata vtilia sint pro executione finis: quod & Angelicus docet 2. 2. quæst. 48. arric. vnico in corpore, vbi explicans partes prudentiæ, sic loquitur, *Ratio autem*

ad

ad hoc, vt rectè præcipiat, tria debet habere, primò quidem, vt ordinet aliquid accomodum ad finem, & hoc pertinet ad Prouidentiam, &c. Quòd verò ista cognitio debeat præcedere actum ordinatiuum voluntatis diuinæ, constat tùm ratione: aliter enim Deus cęco modo prouideret, nesciens, si sit fini accõmodum, quod ad finem ordinaret: tùm ex Angelico pluribus in locis, vt libro 3. contra Gentiles cap. 94. dùm ait, *Cùm in quolibet prouidente duo considerari oporteat, scilicet ordinis præmeditationem, & præmeditati ordinis institutionem in rebus, &c.* Prior ergo est ordinis meditatio, propterea namque dicitur præmeditatio, quia ordinis institutionem præcedit. Quæst. item 24. de veritate art. 5. in corpore sic habet, *Et hunc quidem modum rebus diuinæ voluntas præfigit ex ordine suæ sapientiæ.* Liquet ergo ex his nihil Deum velle vt finem, nec aliqua ad illius executionem præordinare, nisi præcognoscat, non solùm possibilitatem finis secũdùm se, atque mediorum, verùm etiam talia media esse magis accomoda pro fine hoc modo acquirendo, quàm alia: sed hęc præscientia non est simplicis intelligentiæ, nec visionis, fundata in decreto actuali absoluto ex parte sui, & conditionato ex parte obiecti; ergo media. Minor probatur; & quidem quoad primam partem est euidens: etenim aliud est cognoscere effectum esse possibilem, si est possibilis causa, aliud effectum existere, si existit causa; & primũ pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, non secundum, in quo res attingitur, vt conditionatè extracta à statu possibilitatis: atqui ad prudentem, atque prouidam voluntatem finis non sufficit præcognoscere, quòd finis per talia media sit possibilis: sed requiritur, vt etiam præcognoscatur, quòd hoc medium præ illo sit accommodum pro executione finis; tam enim gratia sufficiens, quàm efficax est potens ponere actum meritorium gloriæ; sed non esset Prouidentia prudens, & efficax, si Deus pro tali actu volito poneret solùm gratiam sufficientem; ergo præmeditari media accomoda ad finem, non est ea præcognoscere, vt potentia ponere finem, sed quòd vnum præ alio executiuè poneret: ergo debet attingi medium, quod ratione propriæ congruibilitatis extraheret præ alio finem ad executionem. Quoad secundã verò partem eadem facilitate probatur: nam scientia visionis fundata in decreto conditionato ex parte obiecti suum obiectum attingit in decreto, vi cuius cognoscibilitatem habet: atqui hoc medium præ illo esse accõmodum ad finem habet ex se, non vi decreti conditionati ex parte obiecti; non enim gratia sufficiens potest esse medium accommodum ad finem vi decreti conditionati eodem modo, ac efficax, pro habenda gloria, & aliàs pro naturaliter comburendo, non minùs esset accommoda aqua, quàm ignis, & pro exhortando peccatore ad pœnitentiam non minùs esset accommodum insensitiuum, ac homo; ergo habitudo, & proportio mediorum ad finem non est præcognoscenda in vi decreti conditionati, à quo eam non habet: sed in seipsis secundùm propriam naturam; ergo talis cognitio non est fundata in decreto conditionato ex parte obiecti, & consequenter non est visionis.

385 Respondere huic argumẽto possent Aduersarij, quòd omnis causa est proportionata in suo genere in actu primo, non verò in actu secundo, vt exeat in effectum: sed ad id est determinanda à Deo; & ita, quòd Deus in ordine ad finem præcognoscat aptitudinem vnius medij præ alio ex se in actu primo, non in executione actus secundi: ac consequenter primo modo non requiritur decretum actuale cõditionatum ex parte obiecti: & pertinet ad scientiã simplicis intelligentiæ: vt verò præcognoscatur medium accommodum secundo modo, requiritur decretum actuale determinans medium ad actum secundum, sed conditionatè: atque ita præcognoscitur scientia visionis.

386 Sed contra est: quid namque quæso indifferentiæ potest excogitari in causa ex se necessitata ad vnum, vt sit determinanda à Deo ad hoc, quòd exeat in actum secundum? si enim tali causæ violentum esset nõ agere, connaturale verò agere, quomodò ex se non est determinata potiùs ad agere, quàm non agere? aliud ergo est indigere concursu Dei determinato ad vnum, eò quòd eius natura est determinata ad vnum: aliud verò, quòd per hunc Dei concursũ sit in se determinanda: imò potiùs, quia est ex se determinata, exigit concursum determinatum. Sed progrediamur ad responsionem, prout respicit voluntatẽ creatam liberam, & media, quibus agere debet: & trutinandã propono differentiam gratiæ sufficientis ab efficaci, in quo sita sit; si enim gratia efficax est solùm ex se efficax in actu primo, & ad actum secundum sit prætetea determinanda; ex se ergo non habet, nisi posse, non verò agere, quod est actus secundus; ergo gratia sufficiens non deficit solùm ab agere, sed etiam à posse, vel ex se est æquè efficax, ac illa. Quòd si dicas efficacem exigere vt deter-

minetur

minetur ad agere, non ita sufficientem, dupliciter arguam. Primò quia, si efficax præ sufficiente exigit determinari ad agere; ergo sua exigentia est potiùs ad agere, quàm non agere; ergo est determinata ex se, & non determinanda potiùs ad agere, quàm non agere, & ex sua intrinseca determinatione habet, vt exigat concursum determinatum, qui ideò sit determinatus ad agere, quia talis est exigentia gratiæ efficacis, non econtra, ideò hæc determinatur, quia Dei concursus est determinatus. Secundò, quia, si hæc esset istarum gratiarũ differentia; ergo gratiæ sufficienti, vel esset impossibilis determinatio, & coniunctio cũ opere, vel saltem non connaturalis; ergo cui Deus dat gratiam sufficientem, aut dat principium, cui impossibilis est operatio, aut cui nõ sit cõnaturalis; dũ ergo abeo exigit opus, exigit aliquod, vel quod ei repugnat, vel quod, vt taliter posito, cõnaturaliter & sine nouo miraculo euenire nõ potest; quandoquidem determinatio operis constituto cum sola gratia sufficienti, non potest esse connaturalis. Potest ne quidquã ridiculosius excogitari, vt Deus à creatura exigat, quod non solùm non habeat, sed nec etiam connaturaliter competere ei possit pro eo statu, pro quo Deus ab illa exigeret: non minùs quàm, si à me, prout nunc sum, exigeret, vt me penetrem cùm pariete? Quòd si iterum replices gratiam sufficientem esse indifferentem ex se, vt determinetur ad agere, non verò esse illi supernaturalem ipsam determinationem. Benè, ergo gratiæ efficaci connaturale est determinatum agere præ non agere, & ei debetur concursus determinatus ad agere, redi ergo mecum ad meum argumentum, quòd maior habitudo, & proportio mediorum ad finem non fundatur nec in decreto conditionato ex parte obiecti; nec in solo actu primo mediorum; sed etiam in maiori connaturalitate actus secundi cum hoc medio præ illo, ratione cuius hoc medium præ illo esset ex se magis accommodum pro excessione finis, si esset tale medium, in quo tota mei argumenti vis fundatur.

387 Probó idem assertum septimò signanter in materia ipsa, de qua agimus, quomodò scilicet componi possit libertas liberi arbitrii creati cum infallibilitate prædestinationis; Sanctus ergo Doctor quæst. 6. de veritate artic. 3. quærit, *Num Prædestinatio certitudinem habeat?* pro cuius difficultatis solutione duplicem in corpore articuli distinguit certitudinem, alteram nimirum formalem, seu cognitionis, quæ potest esse ex sola suppositione obiecti: alteram ordinis, seu obiectiuæ connexionis, quæ reperitur inter obiecta ex aliqua voluntate ordinantis, scilicet Dei prædestinantis media in ordine ad finem; atque vtramque asserit includi in Prædestinatione: agit tamen in præcitato articulo præcipuè Angelicus de certitudine ordinis, quam dicit consistere in eo, quòd causa infallibiliter sit positura effectum. Distinguit deindè certitudinem ordinis Prouidentiæ vt sic, à certitudine ordinis Prædestinationis per hoc, quòd ordo Prouidentiæ, licèt semper habeat respicere aliquem finem vniuersalem, non tamen respicit finem particularem, & euentum rei, ad quam est, nisi in prouidendo, & ordinando causas necessarias: Prædestinatio verò Electorum ad salutem respicit infallibili certitudine ordinis determinatum euentum, etiam effectus liberè producendi à voluntate creata. Ecce verba Angelici, *Nec tamen hoc modo certus est ordo Prædestinationis, sicut erat ordo Prouidentiæ: quia in Prouidẽtia ordo non erat certus respectu particularis finis, nisi quando causa proxima necessariò producebat effectum suũ: in Prædestinatione autẽ inuenitur certitudo respectu singularis finis, & tamen causa proxima, scilicet liberũ arbitriũ, non producit effectum illum, nisi contingenter.* Ex quo difficultatem, de qua agimus; atque communem tangit his verbis. *VNDE DIFFICILE VIDETVR CONCORDARE INFALLIBILITATEM PRÆDESTINATIONIS CVM LIBERTATE ARBITRII.* Hic autem constat Prouidentiam diuinam, prout distinctam à Prædestinatione Electorum, de qua agit in toto citato articulo Angelicus, non respicere euentum rei, ad quàm prouidet causas liberas, sed solum, cùm prouidet causas necessarias; vbi est ergo decretum efficax, & antecedẽs Dei prædeterminans voluntatem creatam, etiam ad materialia peccatorũ, iuxta Thomistarum sensum? nonne videat quàm accuratè distinguit Angelicus opera bona Prædestinatorum, quibus Deus præuoluit gloriam, infallibiliter exequendã per merita, à cæteris operibus prouisis, non secundùm speciales fines euentus ipsorum, nisi in causis necessarijs; in liberis autem non habere, nisi fines vniuersales, ostendendi suam scientiam, potentiam, munus perfecti Authoris naturæ, gubernationem Vniuersi, &c? Quid ergo, demptis operibus Prædestinatorum, quæ specialiter prædefinit, ac prædestinat Deus, adstruunt vniuersaliter Thomistæ?

388 Attendamus autem nunc, quomodò cũ prædestinatione operum bonorum Electorum

rum

rum componat Angelicus libertatem arbitrij, an nimirum eò, quòd Deus, dum vult determinatè opus, ita ad illud determinet voluntatem, vt eam infallibiliter, & simul velit in ea posse ad oppositum, sicut est doctrina Thomistarum? an verò per præcedentem scientiam mediam, qua præuiderit Deus ipsam huic, aut illi vocationi nō consensuram, alii verò maiori consensurā, & deinde prædestinando, vt docent Assertores scientiæ mediæ?

389 Thomisticum quidem sensum de decreto, aut medio quocumque alio physicè voluntatem prædeterminante, è regione opponi doctrinæ Diui Thomæ nemo inficiabitur, si huius verba recto animo considerare velit: ad explicandum enim quomodò Dei Prædestinatio infallibilis libertatē nō offendat creatæ voluntatis, in qno tota huius materiæ est difficultas, ita procedit, *Quod hoc modo*, inquit, *potest considerari: inuenimus enim ordinem compossibilem respectu alicuius dupliciter. Vno modo in quantùm vna causa singularis producit effectum suum ex ordine diuinæ Prouidentiæ; alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium, & deficere possibilium, peruenitur ad vnum effectum, quarum vnamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco eius, quæ deficit, vel ne altera deficiat: sicut videmus, quòd omnia singularia vnius speciei sunt corruptibilia, & tamen per successionem vnius ad alterum, potest in eis secundùm numerum saluari perpetuitas speciei, diuina Prouidentia taliter gubernante, quòd non omnia deficiant, vno deficiente: & hòc modo est* (Notet quisque paritatem hanc ex Angelico) *in Prædestinatione: liberum enim arbitrium deficere potest à salute: tamen in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel si cadat, quòd resurgat: sicut exhortationes, & suffragia orationum, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideremus*, concludit, *salutem respectu causæ proximæ, scilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem, sed contingentiam: respectu autem causæ primæ, quæ est Prædestinatio, habet certitudinem.*

390 Ex hoc autem Angelici Doctoris discursu euidenter patet duo per ipsum distingui genera causarum in ordine ad aliquē effectum per diuinam Prouidentiam dispositа: alterum nimirum, in quo, & si concurrant plures causæ inadæquatæ, vna tamen non subrogatur loco alterius deficiētis, sed omnes vnam constant causam singularem adæquatam in ordine ad suum effectum; quales sunt intellectus, visus, &c. ad quorum actus plures concurrunt causæ, vnam componentes adæquatam. Alterum verò est, in quo, & si plures designantur causæ propter aliquem effectum habendū, singulæ tamen pro eodem effectu sufficiūt: & quia singulæ possunt deficere, designantur à prudentissimo Prouisore tot, & tot, singulæ in aliorum defectum, vt ex tali supplemento non deficiat effectus: & ita species hominis in singulis hominibus cōseruaretur, si homines essent incorruptibiles, sicut Angeli, & Sol, vel Luna: sed, quia homo corruptibilis est, diuina Prouidentia, ne species deficeret, subrogauit succedentes homines continuò loco illorum, qui corrumpuntur: vndè, licèt singuli sint in se corruptibiles, & defectibiles, species tamen non deficit ob continuatum supplementum. Hoc autem secundo modo asserit Angelicus futurum infallibiliter à nobis opus bonum liberum, per diuinam Prædestinationem præuolitum, & prædefinitum; vt nimirum, ad eum modum, quo conseruatur, & non deficit species, nō ex eo, quòd ponatur aliquis homo indefectibilis, vel incorruptibilis: sed ex eo, quòd, licèt singuli sint defectibiles, quia tamē ad defectū aliquorum succedunt cōtinuò alij, semper sint, in quibus conseruetur species: ita, & si voluntas sit defectibilis ex se in ordine ad opus prædefinitū à Deo, tot tamen ipsi alia subministrantur, ac præparantur adminicula, vt, quamuis etiā hæc sint singula defectibilia, per multiplicitatem tamen, & subrogationem aliorum ad supplendum defectum illorum, cum quibus voluntas deficeret, non deficiat: vel si deficiat, quòd resurgat. Nisi totum Angelici discursum, & exemplum ab eodem allatum velimus eneruare, certè hæc est Angelici doctrina; ergo decretum infallibilitans, & determinans voluntatem creatam: aut quodlibet aliud determinatum adminiculum subrogatum, quod ratione sui infallibilitet, & determinet volūtatem eamdem, iuxtà sensum Angelici Doctoris omninò gratis excogitata sunt in Dei Prædestinatione ad componendam cū ea libertatem: & ex sensu Thomistarum est, non Angelici Doctoris, infallibilitas ad vnum cum posse ad oppositum: si enim libertas voluntatis staret cum eiusdem infallibilitate, & determinatione ad vnum, ac posse oppositum, non recursum haberet Angelicus ad continuam subrogationem adminiculantium auxiliorum ad supplendum defectum illorum, quibus deficeret voluntas, pro habendo infallibiliter effectu: ad modum, quo infallibilis est conseruatio speciei per hoc, quòd singulis deficientibus

cientibus alij subrogantur succedentes homines: nec, sicut ad saluandam defectibilitatem speciei in singulis hominibus, singuli subrogantur alij defectibiles: ita ad conseruandam libertatem volũtatis requireret concursum *causarum multarum contingentium, & deficere possibilium, quarum vnamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus, loco eius, quæ deficit, vel ne altera deficiat:* cùm iam in hoc causarum multarum concursu aliquam adstrueret indefectibilem,& quæ voluntatem infallibilitaret; atq; adeò difficultas rediret à principio, & totius Angelici discursus rueret simul, & exemplum.

391 Sed videant nunc curiosi Lectores, quomodò sobriè aliqui insignes Thomistæ sibi hunc locum obijciant, vt aliquem sibi relinquant aditum ad doctrinam Angelici in alium sensum reducendam; solùm enim sibi obijciunt hæc verba, *In Prædestinatione, licèt liberum arbitrium deficere possit, tamen in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd non cadat: vel si cadat, quòd resurgat, sicut exhortationes & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia, huiusmodi:* Vt deindè per saltum se expediant,dicendo,quòd inter alia adminicula adstipulatur etiam ab Angelico decretum prædeterminatiuum: & sub dono gratiæ illa, quæ infallibilitat ad opus. Cùm autem nostra ratio non fũcetur in verbis ab Aduersariis adductis, sed in antecedentibus, quæ hoc ipsum determinatiuum voluntatis, quodcumque sit illud, excludunt,nihil contra eorum responsionem addendum est.

392 Probandum modò remanet Angelicũ in præfatis verbis adstruere scientiam mediam, directiuam voluntatis Dei prædestinantis: quod sic ostendo; nam illa adminicula, quæ ponit Angelicus intelliguntur relatè ad scientiam mediã, nõ in facto esse, vt sensus sit, quòd Deus tot adminicula preparat, secundùm quæ videt, quòd voluntas non caderet: vel quòd, si caderet, resurgeret. Tùm quia aliàs Deus cæco modo vellet adminicula, nesciens quando, & cui consensura sit voluntas, quod quantò distet à diuina Maiestate, nemo non videt. Tùm quia voluntas, quæ potest singulis adminiculis deficere, solum moraliter potest non deficere omnibus, non physicè: aliter relatè ad omnes perderet libertatem: sicut,si ab vno determinaretur, eam perderet per Angelicum; decretum autem Dei debet esse infallibile etiam metaphysicè; ergo ad illud non sufficit illa moralis certitudo ordinis obiectorum,sed prærequirit certitudinem metaphysicam scientiæ. Tùm tandem quia Deus præuidit Tyrios, & Sidonios conditionatè benè operaturos per illa eadem signa,& virtutes, quibus non cooperati fuerunt Corozaitæ, & Bethsaiditæ; ergo per signa, & virtutes, quæ non infallibilitabant, nec collectiuè, ex se voluntatem creatam; ergo non in decreto infallibilitante per illa, sed ex suppositione consensus, qui fuisset vi voluntatis Tyriorum, & Sidoniorum ponendus, quod est cognouisse per scientiam mediam.

393 Probo tandem assumptum meum argumento negatiuo huiusmodi; ex iis, quæ vsque modò dicta sunt de mente Angelici Doctoris circa scientiam mediam, saltem non mediocriter persuadetur ipsum eam admisisse: & nisi alicubi principia tradiderit, quibus non cohæreat scientia media; contumax conuincitur, qui, dictis non obstantibus, atque nullo prorsus aduersante principio, id ipsum voluntariè inficiari contendit: Atqui nihil prorsus reperitur apud Angelicum Doctorem, quod non cohæreat cum præsuppositione scientiæ mediæ; ergo non benè procedit, qui eam ex mente Angelici inficiatur. Probo autem minorem in stateram iudicij adducendo omnia ea, quæ ab Aduersarijs ex Sancto Doctore adducuntur, tamquam scientiæ mediæ incõpossibilia, & aduersantia. Vndè sit.

CAPVT DECIMVM.

Loca, quæ ex Angelico pro impugnãda scientia media adduci solent, referuntur, & eorumdem æquiuocatione detecta, nullatenus ad propositum finem conducere efficacissimè ostenditur.

IN hoc etiam capite, vt maiori claritati consulam, & desidiam, ex latitudine materiæ, atque multiplicitate rerum induci solitam, euitem, per varios, & distinctos Paragraphos singula Aduersariorum argumenta, & quidem potiùs eis addendo, quã vel in minimo diminuendo, adducam, atque efficaciter soluam.

§. PRI-

§. PRIMVS.

Argumentum desumptum ex ratione primæ causæ mouentis secundas proponitur, & soluitur.

394 OBijciunt primò Aduersarij contra scientiam mediam Angelici Doctoris plurimas phrases, quas de Deo, vt prima causa solitus est edicere; argumentum hoc modo formant. Deus, vt prima causa, & vniuersalissima, se habet ex Angelico in ordine ad omnem operationem creaturæ, etiam voluntatis, non solùm tamquam dans esse, & posse operari, verùm etiam tamquam primò causans ipsammet operationem creaturæ, & tamquam primò mouens ipsam causā creatā ad suū operari; ergo in omni statu siuè absoluto, siuè conditionato, non potest intelligi eadem operatio, vt aliquod habens esse à causa creata, quin per prius, atque intimiùs sub eodem statu intelligatur idem esse habere à Deo, tùm vt prima causa, tum vt primo mouente; atqui non potest Deus intelligi, vt causans, & mouens ad hanc operationē, nisi intelligatur, vt iam determinatus ad eam causandam, atque ad mouendum; ergo etiam in statu futuritionis conditionatæ supponitur Deus determinatus ante voluntatem creatam ad determinatum effectum; ergo in tali Dei determinatione redditur quilibet effectus, siuè absolutè, siuè conditionatè cognoscibilis, & non in seipso, vi causæ secundæ, se determinātis ad ipsum: & ita ex radice conuellitur scientia media.

395 Antecedens, in quo sibi persuadēt Thomistæ totam in præfato discursu litem cum Assertoribus scientiæ mediæ habere, sic probant, Primò ex libro 3. contra Gentiles cap. 88. vbi habet Angelicus, *Si voluntas mouetur ab exteriori principio, erit violentus motus: dico autem moueri ab extrinseco principio, quasi ab agente; sed oportet, quòd omnis motus voluntatis ab interiori procedat, nulla autem substantia creata coniungitur animę intellectuali, quantùm ad sua interiora, nisi solus Deus, qui solus est causa ipsius, & substinens eam in esse; à solo ergo Deo potest motus voluntarius causari.* Et infra, *Illud*, ait, *solum agens potest causare motum voluntatis absq; violentia, quod causat principium intrinsecum huius motus, quod est potentia ipsa voluntatis, hoc autem est Deus, qui animam solus creat.* Secundò ex prima parte quæst. 105. artic. 4. in corpore, quo in loco ita discurrit, *Sicut intellectus mouetur ab obiecto, & ab eo, qui dedit virtutē intelligendi: ita voluntas mouetur ab obiecto, quod est bonū, & ab eo, qui causat virtutē volēdi: virtus autē volēdi à Deo solo causatur: velle autē nihil aliud est, quàm inclinatio quædam in obiectum voluntatis, quod est bonum vniuersale: inclinare autem in bonum vniuersale est primi mouentis, cui proportionatur vltimus finis.* & ad secundū, *Moueri*, inquit, *volūtariè est moueri ex se, idest à principio intrinseco: sed illud principiū intrinsecū potest esse ab alio, & sic moueri ex se nō repugnat ei, quod mouetur ab alio.* Rursus in eadē prim. parte quæst. 83. artic. 1. ad tertium. *Liberum*, inquit, *arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum mouet ad agendum: non tamen hoc est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui id, quod liberum est: sicut nec ad hoc, quòd aliquid sit causa alterius, requiritur, quòd sit prima causa eius. Deus igitur est prima causa mouens, & naturales causas, & volūtarias: & sicut naturalibus causis, mouendo eas, non aufert, quin actus earū sint naturales: ita mouendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque secundùm eius proprietatem.* Et tandē prim. secundę quæst. 109. artic. 1. in corpore sic loquitur, *Vsus autem quilibet quemdā motum importat, largè accipiendo motum secundùm quòd intelligere, & velle motus quidam esse dicuntur, vt patet per Philosophum in 3. de Anima: videmus autem in corporalibus, quòd ad motum non solùm requiritur ipsa forma, quæ est principium motus, vel actionis: sed etiam requiritur motio primi mouentis: primum autem mouens in ordine corporalium est corpus cæleste; manifestum est autem, quòd, sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cælestis corporis, sicut in primum mouens corporale: ita omnes motus tàm corporales, quàm spirituales reducuntur in primum mouens simpliciter, quod est Deus: & ideò quātumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta non potest in suum actum procedere, nisi moueatur à Deo: quæ quidem motio est secundùm suæ Prouidentię rationem, non secundùm necessitatem naturæ: sicut motio corporis cælestis.* & deindè, *sic igitur*, ait, *actio intellectus, & cuiuscūque entis creati dependet à Deo in quātùm ad duo: vno modo in quantùm ab ipso habet perfectionem, siuè formam, per quam agit; alio modo in quātùm ab ipso mouetur ad agendum.*

396 Respondeo vanum esse Aduersariorum laborem in probando ex Angelico id, in quo nullus scientiæ mediæ Propugnator cū eis litem habet: quis enim (paucis cum

Durando exceptis) negat Deum esse causam omnis actionis creatæ, non solùm, quia dat creaturæ esse, & potentiam operandi, verùm etiam, quia immediatè per priùs, essentialiùs, atque intimiùs ipsissima actio creaturæ pendet à Deo: à quo, sicut ipsi cõmunicatur esse, & posse operari per identitatem, & formaliter: ita etiam communicatur efficienter operatio, in ordine ad quam multis, & non vno modo mouet Deus causam creatam, vt deindè ostendam? Id, quod solùm negamus, est, quòd Deus agentibus liberis exhibeat vnum operari determinatè, atque dicimus offerre illi ex parte sua Deum duo operari opposita, vel operari, & non operari, relinquendo agentiũ liberorum arbitrio, vt determinet se ad id, quod maluerit: & hoc ipsum dicimus explicitè doceri ab Angelico, prout patet ex numero 366; quibus addo nunc explicitiorẽ locũ prout facit ad præsens ex quæst. 3. de potentia artic. 7. vbi, postquam ad quartum dixerit, *Quòd tàm Deus, quàm natura immediatè operantur, licèt ordinẽtur secundùm priùs, & posteriùs*, non per hoc nõ fatetur ad 13. loquens de operati libero volũtatis creatæ, *Quòd voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, vt eam ex necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam; & ideò determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.* Agit ergo Deus per priùs, quàm agat voluntas creata, sed non determinat ipse actum, aliàs non voluntas, & ratio illum determinarent, sed à Deo reciperent determinatum: & ad summum posset secundò determinare seipsam, sed non actũ, qui determinatus iam; & priùs præstaretur à Deo, & nihil indifferens ab eodem Deo, ei offerretur determinandum à ratione, & voluntate.

397 In forma ergo ad argumentum concedo totum antecedens, & primam cõsequẽtiam, & distinguo minorem subsumptam; non potest Deus intelligi causans, & mouens ad hanc operationem, nisi intelligatur, vt iam determinatus ad eam causandam, & ad mouendum determinatè nego, nisi intelligatur determinatus ad causandũ, & ad mouendum indeterminatè, concedo minorem, & nego consequentiam. Videntur forsan noui alicui isti termini determinatum indeterminatè? An non taliter loquutus est Christus cùm dixit, vnus vestrum me traditurus est? dicendo enim, vnus vestrum, ex duodecim determinauit iam vnũ, & non alios, sed non determinauit, quis eorum futurus esset. Qui præterea determinat equitare, adhuc indifferens manet, vt equitet hoc, vel illo equo: pari ergo modo Deus, vt prima causa, indifferens est primò, vt producat, vel nõ producat creaturã, deindè, vt productã cõseruet, vel nõ conseruet; & determinatus, vt producat, & conseruet, indifferens est, vt velit eum ea agere, vel non agere: agere hoc, vel illud: determinat autem se ad agendum cum creatura, & præcipuè cum voluntate, non tamen determinat ipse, quid agat voluntas, sed solùm determinat se præstare concursum ad vtrumlibet, sicut eget voluntas; quis autem hic, & nunc præstetur, determinatur à creata voluntate. Eodem modo dico de motu ad actionem; nam determinat se Deus mouere creaturam ad motum, sed indeterminatè, relinquendo voluntati, vt quo motu voluerit, vtatur. Pro huius autem maiori claritate.

398 Notandum est etiam ex Angelico pluribus modis mouere Deum, vt primam causam, quascumque causas creatas, præcipuè autem voluntatem liberam, quam prima diuisione mouet dupliciter, nimirum ex parte obiecti, & ex parte potentiæ. Quatuor autem modis mouet Deus ex parte obiecti; vno modo in ratione obiecti, quia est summum bonum amabile: alio modo tribuendo cognitionem eiusdem suæ bonitatis, Ecce verba Angelici prim. part. quæst. 106. artic. 2. in corpore, *Voluntas*, inquit, *immutatur dupliciter: vno modo ex parte obiecti, alio modo ex parte potentiæ: ex parte quidem obiecti mouet voluntatem & ipsum bonum, quod est voluntatis obiectum: sicut appetibile mouet appetitum: & ille, qui demonstrat obiectum, puta qui demonstrat aliquid esse bonum; sed nihil sufficienter mouet voluntatem, nisi bonum vniuersale, quod est Deus, & hoc bonum solus ipse ostendit.* Tertiò mouet quatenus ab ipso Deo est omnis virtus motiua obiectorum creatorum: sicut enim dicitur Deus per Angelicum mouere causam ex parte agentis, quia ab ipso est virtus actiua, & ab eo conseruatur prim. part. quæst. 105. artic. 3. in corpore, dum ait, *Sic igitur Deus mouet intellectum, in quantùm dat ei virtutem ad intelligendum, & in quantùm imprimit ei species intelligibiles, & vtrumque tenet, & conseruat in esse*: pari modo, cùm omnis virtus obiecti creati ad mouendum sit à Deo ei præstita, & conseruata in esse, etiam per obiecta creata mouet Deus voluntatem. Et quartò eandem mouet, quia vel Deus producit species, quibus mediantibus cognoscatur, & ostendatur obiectum, vel ipse sua prouidentia disponit agentia, aut etiam in ordine ad opera meritoria cognitionem illu-

illuminantem producit ipseque modo loquitur prim. 2. quæst. 109. artic 2. istis verbis, *Ad primum dicendum, quòd homo est Dominus suorum actuum, & volendi, & non volendi propter deliberationem rationis: sed quòd deliberet, vel non deliberet, & si huiusmodi etiam sit Dominus, oportet quòd hoc sit per deliberationem præcedentem: & cùm hoc non procedat in infinitum, oportet quòd finaliter deueniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moueatur ab aliquo anteriori principio, quod est supra mentem humanã, scilicet à Deo.*

399 Ex parte item agentis pluribus etiam modis mouet Deus voluntatem creatam; & quidem primò in quantùm dat, & conseruat esse actiuum voluntati, sicut modò dictum est de intellectu. Secundò in quantùm voluntatem applicat ad agere, communicando ei, tamquam causæ secundæ, & suo instrumento, suum operari, hoc, vel illud, modo supra explicato, prout habet quæst. 3. de potentia artic. 7. in corpore illis verbis, *Sequitur de necessitate, quòd Deus sit causa actionis cuiuslibet rei naturalis, vt mouens, & applicans virtutem ad agendum.* Tertiò immutat Deus voluntatem, seu mouet, quia præter esse actiuum, dat ei siue appetitum, puta ad bonum, siue odium, nempe ad malum; aut identificatum ipsi volũtati, & innatum in ordine ad actus naturales: aut superadditum, & gratuitum per gratiam præuenientem in ordine ad actus supernaturales: quo pacto loquitur in prim. parte quæst. 106. artic. 2. in corpore, dum sic scribit, *Ex parte verò ipsius potentiæ volũtatis nullo modo potest moueri, nisi à Deo; operatio enim voluntatis est inclinatio quædam volẽtis in volitum; hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturæ contulit: sicut & naturalem inclinationem solum illud agens potest mutare, quod potest dare virtutem, quam sequitur inclinatio naturalis; solus autem Deus est, qui potestatem volendi tribuit creaturæ.* Quilibet præterea ex his motibus tenentibus se ex parte potentiæ suas habet subdiuisiones, quas longum esset, & sine necessitate recensere. Vnum sufficiat hic memoriæ seruare, quòd cùm tot modis dicatur Deus mouere voluntatem nostram, ex quibus quidam sunt necessarij, & non nobis liberi, alij verò liberi, Aduersarij idem volunt intelligi per Angelicum nomine motionis Dei, ac determinationẽ voluntatis creatæ ad actum liberum, prouenientem à Deo.

400. Examinemus ergo loca adducta ab Aduersarijs ex Angelico, vt videamus quid valeant ad probandam præfatam prædeterminationem voluntatis creatæ ad vnum à Deo. Ad primum itaque locum dicò sermonem in eo habere Angelicum de motione, quæ est in voluntate per inclinationem ad obiectum, & probat hoc modo non posse directè, & absque violentia moueri, nisi à solo Deo: quærit namq; Angelicus, an substantiæ creatæ separatæ possint esse causæ electionum, & voluntatum nostrarum, & respondet non esse causas, sed posse dumtaxat habere rationem suadentis, idest ostendentis id, quod causare potest voluntatem, non quidem directè, sed indirectè applicando, vel excitando. Tota autem substantia discursus Angelici cõsistit in eo, quòd causa voluntatis nostræ est obiectum, & voluntas; vel ergo substãtiæ creatæ separatæ mouerent nos, causãdo obiectum, & hoc non, quia obiecta causantur à Deo; solùm autem possunt tales substantiæ de obiecto excitare in nobis species, quod est applicare agens, non agere: atque applicare indirectè, non producendo agens, quod esset applicare directè: & ideò secundùm hunc modum mouendi ex parte obiecti, concludit Sanctus Doctor, *Nulla igitur substantia creata potest mouere voluntatem, nisi mediante bono intellectu: hoc autem est, in quantùm manifestat ei aliquod esse bonum ad agendum, quod est persuadere; nulla igitur substantia creata potest agere in voluntatem, vel esse causa electionis, nisi per modum suadentis.* Vel mouerent ex parte potentiæ, nimirum voluntatis; & hoc neque, quia mouere ex parte potentiæ est vel producere, & conseruare virtutem, vel producere in ea inclinationes, vel communicare illi suam actionem. Hoc autem vltimum pertinere ad Deum, vt primam omnium causam, cuilibet est euidẽs. Dare autem voluntati inclinationes proportionatas suo esse, illius est, qui dat esse, prout explicitè dicit Angelicus, *Inclinationes autem naturales dare, non est, nisi illius, qui naturam instituit: ergo & voluntatem inclinare in aliquid, non est, nisi eius, qui est naturæ intellectualis causa.* Virtutem tandẽ actiuam voluntatis producere, & cõseruare solius Dei est, vt in verbis citatis ab Aduersariis patet, nimirum, *Nulla autem substantia creata coniũgitur animæ intellectuali quãtũ ad sua interiora, nisi solus Deus qui solus est causa ipsius, & sustinẽs eã in esse.* Benè ergo ex parte potẽtiæ cõcludit Angelicus, *A solo ergo Deo potest motus voluntarius causari. &, si voluntas mouetur ab exteriori principio, erit violentus motus: dico autem moueri ab extrinseco principio, quod mouet per modum agentis, & non per modum finis;* Ac deindè, *Illud solum agens potest causare motum voluntatis absque violentia,*

quod causat principium intrinsecum huius motus, quod est potentia ipsa voluntatis: hoc autem est Deus, qui animam solus creat. Quid autem ex hoc motu per inclinationem inferunt Thomistæ? numquid enim quia voluntas naturaliter est inclinata ad omne bonum, & ad maius bonum magis inclinata, indè, sicut bruta, à natura erit determinata ad vnum? Sicut ergo formaliter hæc inclinatio non est determinatio voluntatis ad vnũ; & aliàs substantiæ separatæ eam excitando per applicationem boni, voluntatem determinarent indirectè ad vnum: ita neque Deus mouendo, hoc est talem inclinationẽ voluntati dando directè, ipsam ad vnum determinat.

401 Ad secundum dico ex verbis ipsis patere; quòd loquatur de duplici motione, alia nimirum ex parte obiecti, secundùm quam Deus, tamquam bonum vniuersale, mouet per suam obiectiuam bonitatem voluntatem creatam: alia verò ex parte potẽtiæ, secundùm quam virtutem dat ei actiuam volendi. Quid hinc volunt Thomistę? numquid Deus creat voluntatem cum virtute determinata ad vnum, quod opponitur essentiali conceptui creaturæ rationalis, & omnibus locis, quos attuli ex Angelico numero 361. & 366? Circa Deum autem vt vniuersale bonum, distinguendum est cũ eodem Angelico; vel enim sermo est de bonitate Dei, vt visa per visionem beatam, & hoc modo non solùm determinat, sed etiam necessitat voluntatem creatam; vel vt cognita per speculũ, & in ęnigmate, & ita mouet quidem, sed nec necessitat, nec eã ad sui amorem determinat, aliter nullus cogitans Dei bonitatem, ipsum offenderet, & vtinam sic esset. Legatur Angelicus prim. part. quæst. 82. art. 2. in corpore, *Sed tamen*, inquit, *antequam per certitudinem visionis necessitas huiusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhęret, neque his, quæ Dei sunt: sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhæret Deo.* Hoc eodem modo loquitur, cùm dicit, *Moueri voluntariè est moueri ex se, idest à principio intrinseco: sed illud principium intrinsecũ potest esse ab alio principio: & sic moueri ex se non repugnat ei, quod moueatur ab alio.* Verba enim ipsa clarè ostendunt non loqui Angelicum de motu determinante ad vnum, quòd hic sit à Deo: sed dicit, quòd principium motus sit intrinseca virtus voluntatis, & quòd hæc intrinseca virtus sit à Deo: & propterea Deus est mouens voluntatem, secundùm doctrinam datam in corpore, quia ipse producit virtutem voluntatis, seipsam ex seipsa mouentis.

402 Ad tertium, Respondeo loqui in eo loco Angelicum de motione actuali, qua voluntas actu agit, & de hac dicit, quòd non est ita à voluntate, vt non sit etiam à Deo, tamquam à prima causa: quærit enim ibi Angelicus, an homo sit liberi arbitrij; & argumento in contrarium, quo ita sibi objicit, *Liberum est, quod sui causa est; quod ergo mouetur ab alio, non est liberum, &c.* Respondet, quòd non est de ratione libertatis, quòd sit prima causa sui id, quod liberum est, &c. imò, quia Deus ipsum mouet, prout essentialiter requiritur ad libertatem, nimirum mouendo ad vtrumlibet, *Operatur enim in vnoquoque secundùm eius proprietatem, &c.* per hoc ipsum, mouendo, causat in voluntate liberum operari, dando illi ita moueri, vt ex qua parte motui se applicet, liberè se applicet.

403 Ad quartum dico Angelicum in eo loco quærere vtrũ homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit; & ad probandũ, quòd ad aliquas veritates, excedentes sphæram naturalem, indiget speciali gratia illuminante, non ita ad cognoscendas veritates, contentas intra limites naturalis sphæræ; monet primò, quòd cùm cognitio se habeat, vt actio, & motus, dupliciter ad eam mouet Deus, & producendo principium eius, & illud applicando, tribuendo scilicet, tamquam instrumento, suum operari, sicut tribuit omnibus alijs causis creatis. Quis ex Assertoribus scientiæ mediæ id negat? quòd scilicet operari creaturæ sit prius à Deo, quàm ab ipsa natura? Id, quod dicimus, est Deum prius præparare, & determinare se ad communicãdum suum cõcursum actualẽ creaturæ iuxtà huius naturam, determinatum videlicet ad vnum causis necessarijs, indifferentem ad vtrumlibet causis liberis; contra hoc autem nec vsque modò, nec vnquã aliquid afferent Thomistæ.

404 Instant tamen; Deus sua motione, etiã ex Angelico, mouẽndo voluntatem creatam, eam determinat ad vnum; ergo ruit tota doctrina antecedens. Probant assumptum: Deus sua motione infallibilitat, etiã metaphysicè, volũtatem creatam ad vnum: sed non eam ita infallibilitaret, si non eam ad idem vnum determinaret; ergo. Probant maiorem pluribus Diui Thomæ locis. Primò quidem ex quęst. 6. de malo artic. vnico ad tertium, vbi sic habet; *Deus mouet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas; sicut etiam in omnibus Pro-*

uidentia

uidentia diuina infallibiliter operatur, & tamen à causis contingentibus proueniunt effectus contingenter, in quantùm Deus mouet omnia proportionaliter, vnumquodque secundùm modum suum. Ex quo loco euidens est, aiunt Thomistæ, vacare prorsus recursum ad præscientiam mediam, cùm totam infallibilitatem operis refundat Angelicus in efficaciam diuinę virtutis, mouentis voluntatem creatam. Secundò ex prim. secundę quæst. 10. artic. 4. ad tertium, vbi, *Si Deus*, inquit Sanctus Doctor, *mouet voluntatem, impossibile est, quòd voluntas ad illud nō moueatur, sed non est impossibile simpliciter*. Tertiò ex quæst. 112. artic. 3. in corpore, quo in loco, *Si ex intentione Dei mouentis est*, ait, *quòd homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter eā consequitur*. Quartò ex quæst. 6. de veritate articulo primo in corpore, vbi ita loquitur. *Praexigitur etiam electio, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab alijs separatur.* Quintò ex quæst. 3. artic. 7. vbi vniuersali doctrina ait Angelicus, *Quia nos ponimus Deum immediatam causam vniuscuiusque rei, secundùm quòd in omnibus causis secundis operatur: & quòd omnes effectus secundi ex eius pradefinitione proueniunt, ideò non solùm primorum entium, sed etiam secundorum ideas ponimus*. Sextò ex libro 3. contra Gentiles cap. 94. vbi habet, *Prouidentia diuina per se est causa, quòd hic effectus contingenter proueniat: & hoc cassari non potest. Ex quo patet, quòd hac conditionalis non est vera, si Deus prouidit hoc futurum, hoc erit: sed sic erit, sicut prouidit illud esse futurum; prouidit autem illud esse futurum contingenter; sequitur ergo infallibiliter, quòd erit contingenter, non necessariò.* Septimò ex lectione 3. super cap. 5. Diui Dionysij de diuinis nominibus, vbi in hæc Diui Dionysij verba, *Exemplaria dicimus existentium rationes substantificas, & singularitates praexistentes, quas Theologia pradefinitiones vocat: & diuinas, & bonas voluntates existentium pradeterminatiuas, & factiuas, secundùm quas substantialis essentia omnia pradefiniuit, & produxit*, sic subiungit Angelicus, approbans eadem verba, *Huiusmodi rationes Scriptura Sancta vocat pradefinitiones Rom. 8. quos pradestinauit, hos & vocauit. Quæ quidem pradefinitiones, & voluntates sunt distinctiuæ entiū, & effectiuæ ipsorum*. Octauò ex libro item 3. contra Gentiles, & cap. 94. *Si autem*, ait, *omnia, quæ possunt agere, necesse est, ut in agēdo ei ministrent, impossibile est, quòd aliquod agens diuinæ Prouidentiæ executionem impediat, sibi contrarium agendo: neque enim possibile est diuinam Prouidentiam impediri per defectum alicuius agentis, vel patientis; cùm omnis virtus actiua, & passiua sit in rebus*

a.

secundùm diuinam dispositionem causata. & post pauca, *Deus*, inquit, *qui est vniuersi Gubernator, intendit, quòd effectuum eius hic quidem stabiliatur per modum necessitatis, hic autem contingenter: & secundùm hoc diuersas causas eis adaptat*. Et clariùs idem antecedens ostenditur, aiunt quidam ex Aduersarijs, tùm ex prima ad Anibaldum distinct. 47. quęstion. vnica artic. 4. vbi habet, *Voluntate non solùm res in esse producuntur, sed etiam rebus prouidendis modum, quo producantur, prædeterminauit.* Tùm ex quodlibeto 12. quęst. 3. artic. 4. vbi, *A Prouidentia*, inquit, *Dei omnia sunt pradeterminata, & ordinata*. Tùm tandem ex secundo physicorum lectione 8. vbi vniuersali doctrina sic docet, *Sicut potentia motiua, quæ est ad vtrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitiuam determinetur ad vnum; ita nihil, quod est in potentia ad vtrumlibet, exit in actum, nisi per aliquod determinetur ad vnum*, nempe à Deo, aiunt Thomistæ: quandoquidem Angelicus prima parte quæst. 105. artic. 1. ad tertium dicit, *Quòd hoc ipsum, quòd causæ secundæ determinantur ad suos effectus, est illis à Deo*.

405. Sed priùsquàm ad præfatorum locorū germanum exhibēdum sensum deueniam, animaduertant volo Lectores quã, & quanta passione procedant Oppugnatores scientiæ mediæ pro ea refellenda, vt, dummodò videātur aliquid aduersus ipsam ex Angelico discerptum adducere, non curent, si contradictoria apud eumdem Angelicum componant. Quis non videt maiorem partem locorum, in antecedenti instantia allatorum, in diuinæ Prouidentiæ infallibilitate fundari? Si ergo quid probarent, vtique probarent diuinam Prouidentiam infallibilitare ex Angelico voluntatem creatam ad hoc determinatum opus liberum taliter, vt vi diuinæ Prouidentiæ infallibiliter sit futurum hoc determinatum opus, licèt fallibiliter, & contingenter vi voluntatis creatæ, ambō ita disponente diuina, & efficaci Prouidentia. Si ita ergo res se habet, quid est illud, quod docet Angelicus de veritate quæst. 6. artic. 1. in corpore, *Sed tamen Prædestinatio quantùm ad duo à Prouidentia differt. Prouidentia enim dicit vniuersaliter ordinationem in finem. Pradestinatio autem respicit tantùm illum finem, qui est principalis creatura rationali, &c. differt etiam alio modo: in qualibet enim ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, & exitum, vel euentum ordinis; nō enim omnia, quæ ad finē ordinantur, finem consequuntur. Prouidentia ergo ordinem in finem respicit tantùm: vndè per Dei Prouidentiam omnes homines ad Beatitudinem ordinantur. sed Pradestinatio respicit etiam*

exi-

exitum; vel euentum ordinis: vndè non est, nisi eorum, qui gloriam consequuntur. Sicut igitur se habet Prouidentia ad impositionem ordinis, ita se habet Prædestinatio ad ordinis exitum, vel euẽtum, &c. Quid item, quod in eadem quæstione artic. 3. In corpore replicat, & clariùs, *Cùm Prædestinatio sit quadam Prouidentiæ pars, sicut secundùm suam rationem super Prouidentiam addit, sic & certitudo eius super certitudinem Prouidentiæ: ordo enim Prouidentiæ dupliciter certus inuenitur: vno modo in particulari, quando scilicet res, quæ à diuina Prouidentia in finem aliquem ordinantur, absque defectu in finem illum particularem deueniunt. Alio modo in vniuersali, & non in particulari, &c. & sic nihil potest deficere à generali fine Prouidentiæ, quamuis quandoque deficiat ab aliquo particulari: Sed ordo Prædestinationis est certus, non solùm respectu vniuersalis finis, sed etiam respectu particularis, & determinati: quia ille, qui est ordinatus per Prædestinationem ad salutem, nunquam deficiet à consecutione salutis; nec tamẽ hoc modo certus est ordo Prædestinationis, sicut erat ordo Prouidentiæ, quia in Prouidentia ordo non erat certus respectu particularis finis, nisi quando causa proxima necessariò producebat effectum suũ: in Prædestinatione autem inuenitur certitudo respectu singularis finis?* Credi non poterat posse vel vnum reperiri doctrinæ Angelici Professorem, qui ex prætactis locis non secernat, quàm accuratè, & diligenter distinguat Sanctus Doctor infallibilitatem Prouidentiæ, sicut & finem, ab infallibilitate Prædestinationis, atque ab huius fine? nimirum, quòd Prouidentia vniuersali sua ratione in eo sita sit, quòd ordinem ponat in rebus sub aliqua ratione vniuersali, atque ad finem vniuersalem: ideòque hoc modo suam certitudinem, & infallibilitatem seruet indefectibiliter; sicque ordinauit vniuersaliter aliqua genera effectuum fieri necessariò, & propterea aptauit eis causas necessarias: hoc posito ordine implicat aliquem ex his effectibus fieri, & non fieri necessariò. Rursus ordinauit alia genera effectuũ fieri liberè, siue contingẽter. Pari modo ordinauit opera bona meritoria, & supernaturalia, præcipuè finali præmianda fore consecutione Beatitudinis, & peccaminosis reddendos æternos cruciatus: implicat hoc ordine posito, aliquod opus siue bonum, siue malum, ab hoc ordine exire. Cæterùm nihil in liberis, & contingentibus, sed solùm in causis necessariis, iam ex se determinatis ad vnum, determinatè præuoluit futurum: sic enim iã respiceret determinatum euẽtum futurum huius particularis finis vi sua, & vt Prouidentia est, quòd, si ita esset, tota recteran-

tecedens Angelici doctrina. Mirum ergo, quòd ab Aduersariis tot loca Angelici de diuina Prouidentia contra nostram suprà datam responsionem adducantur?

406 Vt tamen etiam ex Angelico latiorem præstem viam intelligentiæ eorum, quę dicam, alias opus duco hic eiusdem præbere doctrinas, vim omnem Aduersariorum obiectionibus eneruantes. Legant ergo doctrinę Sancti Doctoris Amatores, quę in quęst. 12. de veritate artic. 10. in corpore docet, triplex genus prophetię ex Diuo Hieronymo distinguens, nimirum comminationis, prędestinationis, & prę̨scientię: differentiam namque assignans inter duas vltimas à prima, dicit, quòd ista respiciit tantum ordinem causarum: illę verò etiam euentum rei; distinguens deindè inter se duas vltimas, quę respiciunt euentũ rei, sic loquitur, *Impletio verò ordinis eorũ fit dupliciter: quandoque quidem ex sola operatione diuinæ virtutis, vt suscitatio Lazari, & conceptio Christi, & huiusmodi: & secundùm hoc est prophetia Prædestinationis, quia, vt dicit Damascenus, ea, quæ Deus prædestinat, non sunt in nobis; vndè Dei Prædestinatio, quasi quædam Dei præparatio dicitur: hoc autem aliquis præparat, quod facturus est ipse, non quod alius: Quędam verò explentur operatione causarum aliarũ, siue naturalium, siue voluntariarũ: & hæc, inquantùm per alias causas. (* Notet quisque particulas has restrictiuas, & secũdùm quid, non simpliciter,) *complentur, non sunt prędestinata, sunt tamen præscita: vndè horum dicitur prophetia secundùm præscientiam.* Cernũt ne Aduersarii, quòd hęc, non quidem, quę sunt solùm à causis secundis, quo pacto Angelicum possent explicare de malitia peccati; sed quę explentur, & complẽtur per causas secundas, non sunt ex Angelico prędestinata, & prędolita prout sunt à causis secundis, quid est hoc? nisi quòd licèt prędestinata forsitan sint in se, vt opera Electorum, hæc tamen prædestinatio nõ tangit ea, prout expleti debent à causa secunda, quasi sua voluntate Deus causam afficiat, & determinet ad ea. Audiant prætereà quomodò loquatur, respõdens ad tertium. *Dicendum, inquit, quod præscientia hic accipitur contra Prædestinationem, diuisa quantùm ad ea, in quibus præscientia Prædestinationem excedit, non autem excedit præscientia Prædestinationem in malis solùm, si Prædestinatio strictè accipiatur: sed etiam in omnibus bonis, quæ non fiunt sola virtute diuina.* Sunt namque omnia bona præscita, etiam prout à causa secunda, sed vt talia non prædestinata, prout dicit in corpore, & aliàs non esset, in quo in bonis præscientia excederet Prædestinationem

ſtinationẽ. Et clariùs ad quartũ, *Dicẽdũ*, ait, *quòd meritũ noſtrũ, & eſt ex gratia, & ex libero arbitrio, nõ autẽ ſubiacet Prædeſtinationi, niſi ſecũdũ quòd eſt ex gratia, quæ à ſolo Deo eſt: vndè id, quod ex noſtro arbitrio eſt, Prædeſtinationi ſubeſſe dicitur p acciděs*. Quomodò ergo ſtare poſsũt, quòd voluntas Prædeſtinatione determinatur taliter, vt vi illius agat, & producat hunc actum: & quòd actus non ſubiaceat Prædeſtinationi, prout eſt à voluntate, ſed ſolùm prout à gratia? nonne hæc ſunt luce Solis clariora? his ergo poſitis.

407 In forma ad argumentum nego antecedens; ad cuius probationem nego maiorẽ, ſi ſermo ſit de infallibilitate phyſica, vel metaphyſica; concedo verò, prout ſępè dictum eſt, ſi ſolùm ſit ſermo de morali, & in ordine ad actus bonos eliciendos ab homine poſt originale. Ad primum autẽ locum adductum ex Angelico dico diuinã motionem eſſe infallibilem non relatè ad euentum rei ſimpliciter, quaſi ex ſe nõ poſſit eſſe, & non poni effectus vi ſuę infallibilitatis; ſed pręcisè quantùm pertinet ex parte Dei mouentis, quatenùs videlicet, cũ Deus mouet, ità ex parte ſui eſt determinatus ad effectum, vt ſi non deficiat ex parte cauſę ſecundę, non poſſit Deus non ponere opus: cùm enim Deus ſit immutabilis, quod ſemel voluit, immutabiliter vult, eo modo, quo voluit, quia tamen, *Omnia mouet, vnumquodque proportionaliter ſecundùm modum ſuum*, ſua motio non reſpicit euentum rei: ſed ordinem proportionatum cauſarum, relinquendo cum liberis modũ determinandi ſe ad vnum, non ipſe determinando: aliàs enim non moueret ſecundùm modum earum fallibilem, & contingentem, ſed reducendo eas ad propriũ modum ipſiuſmet Dei infallibilem, & immutabilem, quod deſtrueret doctrinam Angelici in eodem loco contentam. Atque eodem modo infallibilis eſt ordo Prouidẽtiæ diuinæ, vt patet ex dictis: & quoad hoc concedo nullo modo prærequiri ſcientiam mediam: hanc namque requirimus ſolùm ad Prædeſtinationem actus determinati, ne huius determinatione offendatur libertas, quo pacto non eſt motio, nec Prouidentia diuina, quæ reſpiciunt actũ, vel in genere, vel indifferenter.

408 Ad ſecundum dico rectiſſimè dici ab Angelico, *Si Deus mouet voluntatem, impoſſibile eſt, quòd voluntas ad illud non moueatur, ſed non eſt impoſſibile ſimpliciter*: loquitur enim Angelicus de motione, qua Deus mouet, applicando eam ad opus, ſicut procedit argumentum, ad quod reſpondet, quod tale eſt, *Poſſibile eſt, quo poſito, non ſequitur impoſſibile; ſequitur autem impoſſibile, ſi ponatur, quòd voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam mouet, quia ſecundùm hoc operatio Dei eſſet inefficax*. Loquitur ergo Angelicus de Deo prius operante, & communicante ſuum operari creatæ voluntati, ſecundùm quòd dicitur illam mouere. In hac autem motione tria ſunt, nempè quòd Deus moueat, quòd ſua motio communicetur creaturæ, & quòd iſta ſe moueat, agendo liberè. *Quoad primum Deus mouet omnia, vnumquodq; proportionaliter ſecundùm modum ſuum*, ex Angelico, vt in primo loco adducto ab Aduerſarijs patet; mouet ergo voluntatem Deus quantùm eſt ex parte ſua, motione indifferenti, & ſe habente ad vtrumlibet, per voluntatem ſuam antecedentem, qua voluntatem creatam vult, tamquam prima cauſa, complere: ſed hac motione determinatus remanet Deus ad vtrumlibet, non creata voluntas, quouſque creatæ voluntati intelligatur communicari Dei actio; communicatur autem ipſi, cùm ex duabus actionibus à Deo ipſi oblatis, vni ſe applicat; Deus ergo per prius mouet, ſed motione indifferenti, & ideò benè dicit Angelicus, *non eſſe ſimpliciter impoſſibile*, quòd voluntas non moueatur ad hoc determinatum velle, ſecundùm quòd procedebat argumentum; ſed quia non intelligitur Deus voluntatem mouere, quouſque ei intelligatur communicari motus, & hic tunc intelligitur cõmunicari actù, cùm intelligitur voluntas ſe applicare illi, ac conſequenter cùm iam intelligitur ex ſe determinari ad alteram partem determinatam motus: Deus namque vult agere cum creatura, non ad vtrumque, ſed ad vnum, quod ipſamet elegerit: ac conſequenter non communicatur ipſi motus, niſi cùm eligit, propterea optimè etiam dicit Angelicus, *Si Deus mouet volũtatem*, quod inuoluit iam communicationem actualem actionis Dei, & conſequenter actualem determinationem voluntatis, qua ex ſe ſeipſam applicat vni parti motus, *impoſſibile eſt, quòd voluntas ad illud non moueatur*: quia tamen iſta impoſſibilitas non naſcitur ex Deo mouente, ſed ex ſuppoſitione propriæ determinationis liberæ volũtatis, propterea, *non ſequitur*, vt concludit Angelicus, *quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moueatur*,

409 Ad tertium millies dictum eſt Deum poſt ſcientiam mediam poſſe, & de facto efficaciter præuelle in Electis merita; quid ergo nouum affertur, cùm dicitur, quòd, *Si ex intentione Dei mouentis eſt, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter eam conſequitur*? ſi enim Deus hanc gratuitam intentionem habet, non mouet cor, niſi

nisi ex prænotione medij accommodi ad finem, vt ex Angelico probaui num. 384; in quo Deus extrinseca suæ Prouidentiæ dispositione etiam prouidet, vt nō occurrant tali homini tentationes supra id, quod potest: sed facit cum tentatione prouentum, vt possit sustinere; cæterùm notanda sunt verba Angelici, & non confusè accipienda. Non enim dicit, sic mouet, vt infallibiliter consequatur gratiam, sed infallibilem consecutionem soli Dei intentioni tribuit, non motioni; imò eius verba talia sunt, vt significent, quòd stante eadem motione, si intentio Dei non esset, vt talis homo gratiam consequeretur, non consequetur: non ergo motionem, sed Dei intentionē adstruit infallibilem, quæ quo modo infallibilis sit, & ex se, non ex præscientia, infra patebit. Atque eodem modo respondeo ad quartum, concedēdo, scilicet electionē Electorū, de qua ibi loquitur Angelicus, agens de Prædestinatione, esse eorumdem infallibilem directionem in finem, sed per electionem mediorum præcognitorum, vt accommodorum ad finem.

410 Ad quintum eadem proportione respōdeo; omnes nempe res esse ex Dei prædefinitione, & immediato concursu: sed secundùm modum cuiusque rei, scilicet in necessariis ex prædefinitione determinata ad vnum; in liberis verò ex prædefinitione præuolitiua vtriuslibet.

411 Ad sextum patet quid sit dicendum ex numero 405. si enim Prouidentia non habet ex Angelico finem particularem, sed vniuersalem; cùm deindè dicit. *Prouidentia diuina per se est causa, quòd hic effectus contingenter proueniat, & hoc cassari non potest.* Ac, *quòd hæc conditionalis non est vera, si Deus prouidit hoc futurum, hoc erit: sed sic erit, sicut prouidit illud esse futurum, &c.* Omnia verba hæc appellant supra ordinem vniuersalē prouisorum, non supra determinatum euentum rei: & eorum præcisus sensus est, Prouidentia diuina per se est causa, quòd, si sit hic effectus, siue ille, aut omnis alius, quē prouidit cōtingēter futurū, cōtingēter proueniat: quòd tamen hic determinatè, aut ille eueniat, non habetur ex Prouidentia, quæ in solis causis necessariis certitudinem habet de euentu rei. Sed, si admitterem etiam Prouidentiam diuinam respicere euentum determinatum huius rei, quid indè? nonne in eodem capite, ex quo nobis obijciunt Aduersarij, docet Angelicus, *Cùm in quolibet Prouidente duo considerari oporteat, scilicet ordinis præmeditationem, & præmeditati ordinis institutionem in rebus*: & deindè, *In prouidendo igitur sua sapientia præmeditatione sempiterna omnia ordinat*, præscientia nimirum mediorum accommodorum ad finem, vt probaui numero 384? Quid ergo probant similibus locis Aduersarii contra nos, qui non negamus Deum posse, imò defacto asserimus Deum prædefiniisse efficaciter merita Electorum, sed post scientiā mediam? An iterum redeūt ad calumnias, quasi nos asseramus decreta talia Dei efficaciam emendicare à suppositione operis præscititi? Sæpè dixi hoc falsū esse: nō enim præscientiā requirimus, vt indè efficaciam desumat Dei decretū: sed ecōtra ne efficacia, quā ex se habet decretū diuinū, libertas voluntatis creatæ eradicetur, sicut clarè constabit suo loco.

412 Ad septimum respondeo, prout ad quintum, tùm secundùm quòd spectat ad Diuum Dionysium, tùm ad Angelicum: in artifice enim non sunt solùm exemplaria, dum est determinatus ad vnum: sed etiam cùm indifferenter cogitat de vno, vel altero opere construendo, quantò magis cū determinatè vult alterutrum? & eodem modo, si Angelicus loquitur de omni opere extra Prædestinationem Electorum, vocat prædefinitiones quascumque Dei voluntates, etiam ad vtrumlibet, exemplo vtens verborum Apostoli ad Romanos 8. non quoad omnia, sed solùm in eo, quòd diuina voluntas ordinatiua ad finem dicatur prædefinitio, siuè deindè respiciat finem vniuersalem, vt in prouidendo, siue particularē, vt in prædestinando Electos.

413 Ad octauum breuiter respondeo, prout ad sextum, neminem nimirum posse impedire diuinam Prouidentiam, secundùm quòd est Prouidentia: hæc autem ordinē respicit prouisorum, non euentum rei. Et, si respiceret euentum, illum præfigeret post, non ante scientiam mediam.

414 Ad nonum dico nihil in eo, scĩētię mediæ aduersum, contineri: in primo enim loco ex prima ad Anibaldum solùm continetur, quòd Deus rebus modum, quo producuntur, scilicet, vel necessariò, vel cōtingenter, prædeterminauit: non verò quòd prædeterminauerit euentum determinatum, vel causas. In secundo patet ex responsionibus ad sextum, & ad septimum, secundùm quòd omnia per Prouidentiam Dei dicantur prædeterminata, & ordinata, scilicet secundùm ordinem, non secundū euentum, nec non post, non ante scientiam mediam. In tertio sermonem habet Angelicus de potentijs vitalibus ex se indeterminatis, & non liberis, sed subditis imperio voluntatis, quæ cùm liberæ non sint, & ali-

unde

undè sint indeterminatæ, determinari debent, & non à se. Dicam tamen adhuc voluntatem indigere aliquo primo determinante, & actuante, sed quà simul natura est, non quà voluntas libera ex eodem Angelico. In quarto tandem quid omninò impertinens adducitur; loquitur enim ibi Angelicus de potentia materiæ, vt reducibili ad formā, & quærit vtrū materia possit reduci ad formam immediatè à Deo, & respondet affirmatiuè. Et obiectioni ita se habenti, *Sicut esse commune dependet à prima causa vniuersali, ita esse determinatum dependet à determinatis causis particularibus: sed determinatum esse alicuis rei est per propriam eius formam; ergo propriæ rerum formæ non producuntur à Deo, nisi mediantibus causis particularibus.* respondens, ait, quòd *hoc ipsum, quòd causæ secundæ ordinantur ad determinatos effectus, est illis à Deo.* Vbi, vt patet, sermo est de causis necessarijs necessariò, nō liberè producentibus formas in materia. Sed admisso iam, quòd etiam loquatur de causis liberis, numquid Assertores scientiæ mediæ dicunt aliquid esse in volūtate creata, quod non sit à Deo illis communicatum? Dicā autem suo loco, cùm obiectiones Aduersariorum, desumptas à rationibus, examinabo, quid importet, quòd determinatio operis in causis liberis dicatur esse à voluntate creata, & non à Deo; hinc enim sciētiæ mediæ Assertores videntur admittere aliquid à nobis in nobis, quod non sit à Deo per priùs: dicā, inquā, quòd in ista determinatione sunt duo cōsideranda, nimirū esse, in, & esse, ad, & quòd secundum esse, in, est quid reale positiuum indistinctum à voluntate, & cùm voluntas sit tota à solo Deo, etiam huiusmodi determinatio, secundū hoc esse est tota à solo Deo. At non est libera, nec habet voluntatem determinare ad opus per hoc esse, sed per esse, ad, secūdùm quòd dicit quidem realem respectū, purè tamen actiuum, nihil addentem ex parte voluntatis: agere namque non est aliud nouiter acquirere agens, sed aliud nouum dare esse; vndè aliquod de non agente fieri agens, non dicit quid sibi nouiter additum, sed quid effectui nouiter datum: & si potentia agit immanenter non mutatur, quà agens, sed quà in secundo signo recipiens id, quod producit: secundùm autem hunc respectum actiuum habet rationem determinationis, & secundùm hunc respectum non est proximè à Deo, sed solùm remotè, quatenus dedit voluntati posse se actiuè determinare; quam doctrinam tenentur omnes admittere, nisi velint negare rationem causæ in creatura: si enim quod creatura causet, à Deo immediatè est, non ergo creatura, sed solus Deus causat; causatio ergo naturæ prout à creatura nō est immediatè à Deo, sed mediatè, quatenus ipse dedit creaturæ, vt ratione suæ entitatis distinctæ à Deo, etiam cum Deo immediatè concurrat. Hoc id ipsum ergo dicimus nos de determinatione volūtatis creatæ: hoc namque, quod est volūtatem creatam se determinare ad agēdum, nihil superaddit voluntati, nisi purum respectum actiuum, sine quo tamen potest esse voluntas: & ideò Deus dans esse volūtati, non dat hunc respectum immediatè, sed mediatè, & radicaliter, quatenus dat esse, vi cuius deindè est hic respectus; & hinc dicimus determinationem hanc voluntatis, vt sit, vel non sit, non esse à Deo, sed à voluntate creata, secundùm quòd nimirum hic respectus importat voluntatem creatam ratione suæ entitatis agere; sicut enim voluntas creata non est Deus, ita agere volūtatis, indistinctum ab ipsa, non est agere Dei indistinctum à Deo, & solùm vtrumque superaddit in vtroque agente purum respectum actiuum actuale, & separabile à causis. Conformiter autem ad hanc doctrinam procedit nostra assertio in tota hac materia, cùm dicimus effectum liberum creatæ voluntatis non determinari à Deo, sed à voluntate, nimirum per illum respectum actiuum proprium voluntatis, qui, vt talis, seu vt actù reddens voluntatem agentem, non est à Deo, sed à sola voluntate, licèt radicaliter sit à Deo.

415 Vrgent tamen contra nostram responsionem Thomistæ argumento desumpto ex doctrina Angelici, quod iactant insolubile, quamuis reuera sit antecedentibus facilius. Sic ergo arguunt; inter aliàs motiones, quibus ex Angelico, vt constat ex locis iam citatis, indiget voluntas creata præmoueri à Deo, vna est, per quam debeat applicari actioni; atqui hæc applicatio non potest ex eodem Angelico esse ad vtrumlibet, vt nos explicamus, sed necessariò debet esse determinatiua ad vnum, ergo. Probant minorem, quia principium, ex quo Angelicus requirit talem motionem applicatiuam, probat applicationem debere esse determinatiuam ad vnum, ergo. Probant antecedens: quandoquidem illius necessitatem ex hoc probat, quòd voluntas, cùm sit indifferens ad vtrumlibet, non potest exire in actum determinatum, nisi ab aliquo alio determinetur priùs ad vnū; ergo principium, vndè talis motionis necessitatem probat Angelicus, eam probat debere esse determinatiuā voluntatis creatæ

ad vnum. Antecedens hoc pluribus cogũtur locis Angelici probare, sed quia omnia idem continent, sufficiat afferri duo principaliora. Primum nimirum ex 6. metaphy. lect. 2. vbi sic loquitur, *Contingens ad vtrũlibet non potest esse causa, in quantùm huiusmodi; secundùm enim, quòd est ad vtrumlibet, habet dispositionem materiæ, quæ est in potentia ad duo opposita: nihil enim agit secundùm quòd est in potentia: vndè oportet, quòd causa, quæ est ad vtrumlibet, vt voluntas, ad hoc, vt agot inclinetur magis in vnam partem per hoc, quòd mouetur ab appetibili*. Secundum verò ex quæst. 8. de veritate artic. 10. in corpore, quo in loco ita habet, *Quidam effectus futuri sunt, quorum causa indifferenter se habent ad vtrumq; hæc autem vocantur contingentia ad vtrumlibet, vt sunt illa præcipuè, quæ dependent ex libero arbitrio: sed quia ex causa ad vtrumlibet, cùm sit quasi in potentia, non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquam aliam causam determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud, vt probat Commentator in secundo physicorum, ideò hic effectus in causis ad vtrumlibet nullo modo cognosci possunt, per se acceptis*. Si quis autem alia similia loca ex Angelico desiderat, legat eumdem in 2. physi. lect. 8. Item in 2. Sẽtentiarum distinct. 25. quæst. 1. Insuper in lib. 3. contra Gentiles cap. 2. In Epistolam ad Romanos cap. 9. lect. 3. In quæst. 3. de malo art. 3. ad quintum, & in prim. part. quæst. 14. art. 8.

416 Ratio autem à priori præfatæ doctrinæ, dicunt Thomistæ, desumitur ex illo principio per se noto, quòd nihil potest actù agere, nisi in quantùm est in actù: quòd autem est indifferens ad vtrumlibet, se habet, sicut ens in potentia; quãuis enim nõ sit re vera ens in potentia, dum actù existit: nihilominus in ordine ad agere se habet, sicut si esset ens in potentia: illud enim dicitur ens in potentia, quod est indifferens, vt sit, vel non sit: sed quod est ad vtrumlibet agendum, indifferẽter se habet, vt agat, vel non agat: hoc, vel illud; ergo in ordine ad agere se habet, sicut ens in potentia. Sicut ergo implicat, vt ens in potentia fiat ex se ens in actù, sed hoc habere debet ab alio: ita implicat, vt indifferens ad agere, fiat ex se determinatè actù agens, sed debet ab aliquo alio mouente actuari, seu determinari. Qui est discursus Angelici in secũdo Sententiarum dist. 25. quæst. prima art. 1. vbi, *Nihil agit*, inquit, *nisi secundùm quòd est in actù: & indè est, quòd oportet omne agens determinatum esse ad alteram partem: quod enim ad vtrumlibet est, æqualiter se habens, est quodammodò potentia respectu vtriusque; & indè est, quòd ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi determinetur.*

417 Hoc argumentum, quod tam magnifaciunt Thomistæ communiter, sibi proponit Ioseph de Vita, qui, vt dicebam numero 369, vltrò fatetur non componi ex Angelico Doctore libertatem creatam cũ decreto Dei determinatiuo quoquo modo intrinsecè voluntatis, nec cum motione intrinseca, eandem determinante ad vnũ: quapropter, & si concedat præfatis locis Angelici probari voluntatem creatam indigere aliquo alio, determinante ipsam ad vnum, negat tamen determinari proximè siue diuino decreto, siue intrinseca motione habita à Deo, sed asserit determinari proximè à consilio, seu à sententia, & iudicio practico rationis, prout agente in virtute voluntatis: remotè verò à decreto Dei, disponente quamdam congeriem causarũ, quibus infallibiliter erit opus, licet tali dispositione nullo modo tangatur intrinseca indifferentia voluntatis creatæ: ac proindè, cùm consilium rationis voluntatem ipsam non determinet propria virtute, sed virtute eiusdemmet voluntatis, sequitur, quòd indigeat aliquo superaddito, ita illam determinante, vt non excludat propriam sui-ipsius determinationem.

418 Componit autem isthæc omnia subsequenti discursu. Sicut intellectus in ferẽdo iudicium de suis obiectis dupliciter se habet, nimirum circa aliqua, siue speculatiua, siue agibilia, statim ac apprehendit, iudiciũ præbet, nec potest ab illo se compescere ratione suæ euidentiæ prout euenit in hoc obiecto speculabili, omne totum est maius sua quaque parte; & in hoc operabili, bonum, quà bonum, est amplectendum, & malum, quà malum, fugiendum: circa alia verò non nisi industria, & collatione plurium principiorum inter se potest iudicium præbere, sicut euenit, cũ consentit conclusioni ratione antecedentiũ præmissarum: vbi etiam duplici modo se gerere solet; aut enim præmissæ sunt ex se notæ, & in eis etiam nota fit connexio subiecti cum prædicato conclusionis: aut cũ, vel premissæ ex se non sunt notę, vel, & si notæ sint, quia tamen malè dispositę, indicant probabilem cognitionem de obiectis conclusionis, sed non claram, & euidentem: & in primo casu adhuc intellectus ex assensu præmissarum necessitatur ad assentiendum conclusioni: in secundò verò, quia præmissæ videntur posse stare, siue cum hoc obiecto, siue cum opposito cõclusionis; hoc enim est probabile, quod ita potest esse, vt possit etiam esse oppositũ, vt intellectus præbeat assensum determina-

to obiecto conclusionis, huic, vel opposito, determinandus est ab imperio voluntatis, cui subditur. Pari proportionali modo se habet voluntas ad sua obiecta: cùm enim voluntas, sicut discurrit Angelicus, in aliqua natura fundetur, non potest ita esse libera, vt omninò subfugiat modum operandi naturæ, idest necessariò: & ita circa aliquod obiectum, nempe circa beatitudinem suam, quæ est suus vltimus finis, naturali necessitatis pondere fertur, tamquam ad quid adæquans illius appetitum; non quidem in indiuiduo, ad quod scilicet re vera est sua beatitudo, sed saltem in genere: cùm enim voluntas non possit ferri ad obiectum, nisi vt cognitum, & cognitio aliquando sit falsa, vel dubia in repræsentando, quodnam re vera sit beatitudo voluntatis, est autem infallibilis in genere, quòd aliquod obiectum est illius adæquatiuum: hinc est, quòd ad beatitudinem vt sic necessitatur voluntas; sed non ad hoc, vel illud obiectum. Supposito tamen, quòd iam voluntas amat aliquod, tamquam finem, cùm huius acquisitio pendeat à medijs, necessitatur etiam voluntas ad volendam media in genere; in ordine verò ad hoc, vel illud dupliciter se habere potest; vel enim vnum, siue plura media cognoscuntur, & proponuntur illi, tamquam necessaria ad acquisitionem finis, & ita ex amore finis necessitatur, & nõ remanet libera ad amorem talis, siue talium mediorum; vel ad executionem finis plura repræsentantur apta media, ita vt singulis eorum sine reliquis possit haberi finis, & tunc remanet voluntas libera, & indifferens, vt eligat hoc, vel illud: atque circa similia media tota est libertas voluntatis; & quamuis voluntas sit etiam libera, vt amet hoc, vel illud, tamquam sibi præfixum finem determinatum, adhuc tamen inquisitio talis finis nascitur ex necessitate amoris fœlicitatis propriæ in genere, in ordine ad quam requiritur specialis finis: vndè etiam inquisitio huius, vel illius finis imperatur à voluntate, tamquam medium ad beatitudinem, quam supponitur in genere ex necessitate amare. Et ideò communiter cum Angelico totam libertatem voluntatis diximus cõsistere in electione mediorum.

419 His autem ita positis, quæ communia sunt apud Doctores: infallibilem futuritionem actus volũtatis creatæ, præuoliti à Deo, ortam ex complexione causarum, à Deo dispositarum, intacta indifferentia intrinseca voluntatis, sic explicat prærecensitus P. Ioseph de Vita. Voluntas creata ex amore finis vltimi, seu beatitudinis, siue in genere, siue in indiuiduo, nõ potest nõ amare media in genere: quia tamẽ acquisitio finis nõ potest haberi per media in genere; sed habenda est per media singularia, & à parte rei, sicut, si voluntati repræsentaretur vnũ medium, tamquam necessarium ad finem, non posset non illud amplecti ex efficacitate, qua tendit ad finem: ita illustrata, quòd aliquod medium necessarium sit ad finem hoc, vel illud, ea efficacitate, qua tendit ad finem, imperat intellectui, vt inquirat medium proportionatum pro executione finis; intellectus autem huius imperij efficacitate motus inquirit media, & ea ad inuicem, ac cum fine comparat, vt discernat quod, vel quæ ex illis sit aptius, vel apriora ad executionem finis: atque hac discretione habita, & eadem efficacitate motus, iudicium fert definitiuum, & sententiat hoc, vel hæc media esse amplectenda, & per hoc efficax iudicium efficacitate cõmunicata ipsi ab imperio voluntatis, vltimò determinatur voluntas ad amplectendũ hoc, vel hæc media: non enim potest nõ determinari voluntas illo iudicio definitiuo, quod non aliundè hic, & nunc est definitiuum, nisi vi ipsiusmet efficacis volũtatis volentis media pro executione finis; hæc autem omnia, vt patet, sunt inter se infallibiliter connexa, quòd voluntas velit aliquem finem in genere, & ex hoc aliquem in particulari, in quo iudicat intellectus reperiri propriam creaturæ rationalis fœlicitatem; huic autem volitioni connectitur volitio medii in genere, atque huic efficax imperium in intellectum, qui subditus imperio voluntatis, non potest nõ inquirere, vel non iudicium ferre, nec tãdem voluntas iudicio intellectus agentis, vt ab ipsa moti, non acquiescere. Ex quo cõcludit voluntatem ad hunc liberum actum electionis medij remotissimè determinari ab amore finis, deindè minùs remotè ab amore medij in genere, postea proximiùs à proprio imperio, quo intellectui imperat inquisitionem medij: vltimò autem, & omninò proximè ab imperio intellectus, vt sententiantis in vi, & motu, ei præstito à præcedenti imperio voluntatis.

420 Tria autem deindè ex hac doctrina distinguit præfatus Thomista, quæ singula probare curat ex mente Angelici Doctoris. Primum est, quòd voluntas ad ea, quæ sũt ad finem, nimirum ad tale, vel talia media determinetur proximè, ac tamquam à forma vltimò determinante, à iudicio, seu sententia definitiua rationis, licèt vt agente, non vi propria, sed in vi præcedentis imperij voluntatis. Secundum est, quòd talis definitiua sententia sic deliberatio de obiecto

obiecto ex consilio, seu collatione mediorum inter se, & cum fine. Tertium est, quòd ad talem intellectus sententiam necessariò necessitate, vt vocant, sequelæ, & ex suppositione, sequatur electio voluntatis de obiecto, de quo intellectus definiuit fore amplectendum.

421 Primum ergo ex his pluribus probat D. Thomæ locis, vt ex quæstione 3. de malo artic. 3. ad quintum, vbi habet, *Voluntas, cùm sit ad vtrumlibet, per aliquod determinatur, scilicet per consilium rationis*. Ex 6. Metaphy. lect. 2. in quo loco, *Oportet*, inquit, *quòd causa, quæ est ad vtrumlibet, vt voluntas, ad hoc, quòd agat, inclinetur magis ad vnam partem per hoc, quòd mouetur ab appetibili apprehenso per rationem determinantem*. Ex primo item contra Gentiles cap. 82. vbi scribit, *Bonum apprehensum voluntatem, vt proprium obiectũ, determinat*. Rursus ex quæst. vnica de virtutibus artic. 9. in corpore, vbi, *Quia igitur*, ait, *vis appetitiua se habet ad vtrumlibet, non tendit ad vnum, nisi secundùm quòd à ratione determinatur ad illud*. & tandem ex secundo Sent. distinct. 25. artic. 1. in quo loco sic habet, *Determinatio agentis ad actionem est à cognitione præstituente finem actioni*.

422 Secundum verò, de quo non est difficultas, cùm, ipsa magistra experientia, notum sit omnibus, vnico probat Angelici Doctoris testimonio, nimirum ex quæstione 24. de veritate artic. 2. vbi ita loquitur, *Cũ actus liberi arbitrij sit electio, quæ cõsiliũ, idest deliberationem rationis sequitur, ad illud liberũ arbitrium se extendere non potest, quod deliberationem rationis subterfugit*. Ex quò est illa actuum volũtatis ex Damasceno distinctio, nimirum in Thelesim, qui est actus indeliberatus, præcedens consilium rationis, & communiter dicitur motus naturalis, & actus primò primus: & in Bulisim, qui est actus deliberatus, sequens ad consiliũ rationis, & vocatur communiter actus rationalis, & simpliciter voluntarius.

423 Tertium tandem probat ex Angelico tùm quæst. 24. de veritate artic. 2. in corpore, vbi, *Tota*, inquit Angelicus, *ratio libertatis ex modo cognitionis dependet; appetitus enim cognitionem sequitur: cùm appetitus non sit, nisi boni, quod sibi per vim cognoscitiuam proponitur: & quòd quandoque videatur appetitus cognitionem non sequi, hoc ideò est, quia non circa idem accipitur appetitus, & cognitionis iudicium. Est enim appetitus de particulari operabili, iudicium verò rationis quandoque est de aliquo vniuersali, quod est quandoque contrariũ appetitui: qui enim vult fornicari, quamuis sciat in vniuersali fornicationem malum esse, tamen iudicat sibi, vt tunc bonum esse fornicationis actum, & sub specie boni illum eligit*. Tùm ex 3. Ethycorum lectione 9. vbi explicans verba quædam Aristotelis, sic habet, *Comparat ergo primò consilium, & electionem dupliciter: vno modo quantùm ad obiectum, siue materiam vtrinsque; in quo conueniunt: & quantùm ad hoc dicit, quòd idem est consiliabile, & eligibile: quia vniuersaliter tàm consilium, quàm electio est de ijs, quæ operamur propter finem: alio modo quantùm ad ordinẽ vtriusq; & quantùm ad hoc dicit, quòd quando iam determinatum est aliquod per consilium, tunc primò eligitur, quasi consilio præcedente electionem*.

424 Thomista iste incidit in maiores Scyllæ vertices cupiens euitare Charybdim, coactus ab odio scientiæ mediæ: volens namque euitare læsionem libertatis, quam cognoscit inferri ex efficacia diuini decreti, diuinæq; intrinsecæ motionis omninò præcedentium, recursum habet ad quamdam causarum subordinationem talem, quæ si vera esset, necessitatem naturæ inferret in voluntatem ad omnem suipsius actum. Vt autem hoc ex Angelico probem.

425 Supponi ex eodem priùs necesse est, voluntatem necessitate naturali, & non solùm specie quadam infallibilitatis, trahi ad amandũ aliquem finem, in genere saltem, supposito quòd aliquam habeat operationem, taliter quòd ex ipso Angelico volũtas sic amans dicitur operari, vt natura, non vt voluntas: quod explicitis verbis docet de veritate quæst. 22. artic. 5. in corpore, ita discurrens, *Natura autem, & volũtas hoc modo ordinata sunt, vt ipsa voluntas quædam natura sit: & ideò in voluntate oportet inuenire, non solùm id, quod voluntatis est, sed etiam quod naturæ est: hoc autem est cuiuslibet naturæ creatæ, vt à Deo sit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud: vndè & voluntati inest naturalis quidam appetitus sibi conuenientis boni: & præter hoc habet appetere aliquid secundũ propriam determinationem, non ex necessitate, quod ei competit, in quantùm voluntas est. Et ideò, quod voluntas de necessitate vult, quasi naturali inclinatione ad ipsum determinata, est finis vltimus, & beatitudo: ad alia verò, &c.* Simili necessitate duci voluntatem ad media, sine quibus finis haberi non potest, pluries etiam docet Sanctus Doctor, & præcipuè prima secundæ quæst. 10. artic. 2. ad tertium his verbis, *Dicendum, quòd finis vltimus ex necessitate mouet voluntatem, quia est bonum perfectum: & similiter illa, quæ ordinãtur ad hunc finem, sine quibus finis, haberi non potest, sicut esse, & viuere, & huiusmodi. Alia verò, sine quibus finis haberi potest, non ex necessitate vult, qui vult finem*. Cùm ergo sine aliquo medio in genere, & indeterminatè

natè finis haberi non possit, eadem naturali necessitate, qua quis vult finem vltimũ, saltem in genere, vult etiam in genere, vel indeterminatè aliquod medium, nõ solùm quadam conficta specie infallibilitatis, vel sequelæ, naturalem necessitatem excludẽte. His autem ex Angelico, imo & ratione suppositis.

426 Arguo contra præscriptam Iosephi de Vita doctrinam ita: primus actus voluntatis de fine saltem in genere, est necessarius necessitate naturæ, vt probatum est: actus item voluntatis ad media, saltem indeterminatè, quia sine his finis haberi non potest, est etiam necessarius necessitate naturæ: applicatio item, qua voluntas applicat intellectum ad inquirendum de medijs, eadem necessitate ex amore finis nascitur, quia finis non est acquisibilis, nisi per media determinata, & singularia; ergo amans necessariò executionem finis, eadem necessitate applicat ea, quibus inuestiganda sunt media ad acquisitionem finis; nec enim finis potest acquiri sine applicatione potentiæ inquisituræ media: intellectus tandem, tùm quia potentia est necessaria, tùm quia à voluntate, necessitata à natura, determinatur ad inuestigandum, & iudicandum, de necessitate iudicium suum fert; & voluntas hoc iudicio operante in virtute eiusdem voluntatis, necessariò applicantis intellectum, determinatur ad vnum; ergo ex necessitate naturæ est omnis operatio voluntatis, tùm circa finem, tùm circa media; & quidem necessitate simpliciter, non verò ex suppositione, cùm sit necessitas orta ex alia necessitate naturæ, & non ex suppositione alicuius actus liberi.

427 Alio modo resolutorio procedere potest argumentum: nimirum: vel intellectui, sententiam laturo, vnicum solum mediũ relucet, tamquã necessarium ad finem, & ita, vt patet ex dictis, necessitatus ad finẽ, erit eadem necessitate necessitatus ad medium: vel plura relucent media; & iterum peto, vel ista relucent, vt æquè conducẽtia, vel vt vnũ aptius præ alio ad finẽ: si primũ indifferens remanebit intellectus, vt ferat iudicium de vno potiùs, quàm de alio, & determinandus à voluntate, vt ex adnotatione eiusdem Ioseph de Vita numer. 418. patet, & de hoc imperio voluntatis redibit sermo, vndè sit hoc determinatũ potiùs imperium, quàm aliud, cùm non possit esse ex amore finis, cuius executio æquè posset haberi ab vno, ac ab alio medio? ergo erit à voluntate: atque consequenter à voluntate indifferenti, vt eliciat hoc, vel illud imperium, exiet vnum ex his determinatum. Si secundum repeto, vel voluntas potest intellectum compescere, ne ferat sententiam de medio aptiori, vel non potest; si potest, determinanda adhuc erit voluntas & petetur à quo determinanda sit, vt supra; si non potest, ergo intellectus à maiori aptitudine vnius medij præ alio ad finem, necessitatur in iudicio ferendo; voluntas autem necessitatur ad sequendum iudicium intellectus, quod patet; nam ideò hoc iudicium determinat voluntatem in virtute eiusdem, quia procedit ab ea, vt applicante intellectum ad inquirenda media, mota ex amore finis: sed voluntas necessitate naturæ applicat intellectum, amans finem, vt inquirat media, & aliàs, si non ex necessario amore finis intellectum applicaret, quęrendum esset, à quo determinaretur, vt ipsum intellectum applicaret; ergo ordo iste excogitatus ab isto Doctore inducit in voluntate creata determinationem ad vnum ex necessitate naturæ.

428 Vrgeo simpliciter contra hunc excogitatum ordinem causarum. Amor finis nõ potest plus addicere voluntatem ad media, quàm sit horum necessitas pro consecutione finis, cum nihil possit excedere suam causam, & amor mediorum sit ex amore finis; vel ergo ex medijs vnum iudicatur necessarium ad consecutionem finis, & ad hoc ex Angelico voluntas necessitata erit ex amore finis, nec à iudicio rationis erit nouiter determinanda: & quidquid sit de hoc, non seruabit relatè ad hoc medium voluntas libertatem, ad quod necessitate naturæ constringitur; vel plura media extimantur sufficientia singula, sed vnum aptius alijs, & tunc nullatenus voluntas poterit determinari à iudicio rationis ad vnũ: quod sic probo: nam iudicium rationis non determinat voluntatem, vt agens virtute propria, sed ad summum, vt agens motum ab ipsamet voluntate: vt patet ex Angelico tùm quæst. 22. de Veritate artic. 14. in corpore in illis verbis, *Nam quantumcũque ratio vnum alteri præfert, non dum est vnum alteri præacceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinetur in vnum magis, quàm in aliud: non enim voluntas de necessitate sequitur rationem*. Tùm prima secundæ quæstio. 17. artic. 1. dum ita loquitur, *Primum mouens in viribus animæ ad exercitium actus est voluntas; cùm ergo secundum mouens non moueat, nisi in virtute primi mouentis: sequitur, quòd hoc ipsum, quod ratio mouet, imperando, sit ei in virtute voluntatis*. Non ergo potest ratio plus determinare voluntatem, agendo in virtute voluntatis, quàm acceperit à vo-

lun-

luntate, applicante intellectum ad inquirẽda media: sed voluntas ex amore finis solùm inducitur ad applicandum intellectum pro exquirendis medijs sufficientibus, non verò pro inquirendo medio aptiori; ergo iudicium rationis sententians pro medio aptiori, non aget in virtute voluntatis applicantis intellectũ ex amore finis præciso, sed vel non ita debet ratio iudicare, nisi de sufficientia medij: vel si ita iudicat, non aget in virtute voluntatis applicantis intellectum ex præciso amore finis, sed ex alio libero imperio, quo voluntas liberè vellet maiorem facilitatem ad consecutionem finis. Minor argumenti patet: nam amor finis mouet ad media, quia consecutio finis non potest haberi sine illis; non ergo plus mouet, quàm necessarium sit pro consecutione ipsius finis. Consequentia autem Syllogismi, iam facti, ex se est euidens, quòd videlicet, si voluntas vi amoris finis solùm applicat intellectum ad quærendum medium sufficiens, non poterit, nisi de mediorum sufficientia vi huius applicationis iudicium facere; si autem etiã de maiori aptitudine iudicabit, non erit præcisè vi amoris finis, sed vi voluntatis volentis certiùs, vel faciliùs acquirere finem; hic autem amor non est ex necessitate naturæ, sed voluntarius, ac liber, & de hoc redibit sermo, per quid ad illum determinatur voluntas, cùm iam præcedat, imò applicatiuus sit rationis? Vel, si etiam hic amor est necessarius, cùm etiam ad cõsequendum finem certiùs, & faciliùs sit necessarium medium aptius, & voluntas ex necessario amore finis necessitetur ad medium, secundùm quòd hoc est necessarium, iam voluntas ex necessitate naturæ amans faciliorem consecutionem finis, eadem necessitate necessitabitur ad amandum medium aptius, & sumus à principio.

429 Insto fortiùs: nam sæpè in ordine ad aliquem finem possunt occurrere media omninò prorsus æqualia, vt ad pergendum in aliquem locum vicinæ, & æquales viæ: ad extinguendam famem, vel sitim æquales panes, vel pocula æquè distantia, in æqualibus vasibus, ex eadem parte: ad sublevationem miseriæ æqualia adiuuamina, taliter vt nihil in vno medio aliquid peculiare præ alio inueniat intellectus, ratione cuius vnum præ alio iudicet esse præferendum, motus ab obiecto. Pone ergo taliter fame laborãti, vel sitienti æqualia applicari pocula, vel cibos, quid dicent Aduersarij? vel intellectus ex se vnum præferet alij, indifferens ad præferendum hoc, vel illud, & iam ex indifferenti exiet actus determinatus; vel intellectu æquè iudicante de vtroque, voluntas determinabit vnum, & pariter ex voluntate indifferenti exiet actus determinatus; vel vtrumque remanebit suspensum, & nec ego, nec quisque crederet, quòd ita fame periens, vel sitiens remanebit suspensus, & quòd nesciens, quid eligat, permittat potiùs se mori. Sed dicunt semper intellectum, vel verè, vel falsò aliquid in vno medio præ alio apprehẽdere, ratione cuius vnum præferat alteri. Quis tamen experientia non contrarium experiatur in duobus ouis æqualibus, aut duobus panibus, siue nummis aureis omninò similibus, quòd cum aliquis vnum ex illis offerat, ratione æqualitatis, quam in eis conspicimus, vni, vel alteri applicamur, nulla maiori inclinatione, sed æquo animo?

430 Confundit ergo iste Thomista plurima falsa veris in doctrina Diui Thomæ, & non distinguendo ea, quæ à Sancto Doctore distinguntur, satis superque æquinocè incedit. Sed hoc indè, quoniam, si, vt distinguenda sunt, distingueret, scientiam mediam propulsare non posset. Primò ergo confusè procedit de iudicio rationis circa finem vltimum voluntatis, & media omninò necessaria ad illius consecutionẽ, ac circa media sufficientia quidem, sed nõ necessaria ad finem consequendum, puta cùm finis haberi potest hoc, vel illo medio. Probaui autem ex Angelico numero 425, ad finem, & ad media pro illius consecutione necessaria voluntatem non tẽdere liberè, sed necessitate naturæ: ex quo euidens est, quòd in ordine ad hæc libertatem non habet, sed statim ac accedit iudicium rationis, iudicans in hac determinata re consistere fœlicitatem, & beatitudinem, & hæc media esse necessaria, per illud iudicium vltimò determinatur voluntas ad amorem necessarium finis, & talium mediorum in actù ponendum, à quo solùm impediri poterat à carentia cognitionis finis, & medij necessarij, vt patet ex Angelico prima secundæ quæst. 10. artic. 2. in corpore, vbi de necessitate voluntatis quoad exercitium ita loquitur, *Voluntas à nullo obiecto necessariò mouetur, potest enim aliquis de quocumq; obiecto non cogitare, & per consequẽs neque actù velle illud*. Cùm ergo cogitat, & adest iudicium rationis, supponit iam necessitari à fine. Quòd clarius docet in antecedenti quæst. 9. art. 3. in corpore bis verbis, *Hoc modo se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus: manifestum est autem, quòd intellectus per hoc, quòd cognoscit prin-*

principium reducit seipsum de potentia in actum, quantùm ad cognitionem conclusionis, & hoc modo mouet seipsum; & similiter voluntas per hoc, quòd vult finem, mouet seipsam ad volenda ea, quæ sunt ad finem. Ad finem ergo non mouet seipsam liberè, sed, posito iudicio rationis, ad illum fertur, vt natura, sicut etiã ad medium necessarium; atque in his vērum est iudicium rationis determinare voluntatem in virtute eiusdē voluntatis, nēpe in virtute impetus naturalis, quem habet voluntas ad finem, & ad media necessaria ad finem: sed non ita respectu mediorum, quorum vnumquodque sufficit, sed nullũ est determinatè necessarium; consequenter amor finis mouet voluntatem, non ad aliquod determinatè, sed indeterminatè: nec voluntas applicat intellectum ad medium aptius, sed ad media, quæ sufficiũt pro finis executione, electura deindè ipsa, quod maluerit: & respectu horum loquitur Angelicus, cùm quæst. 22. de Veritate artic. 14. in corpore docet, *Quantumcumque ratio vnum alteri præfert, non dum est vnũ alteri praacceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinetur in vnum magis, quàm in aliud: non enim voluntas de necessitate sequitur rationem.* Si enim hæc verba solùm significarent, quòd ratio non determinat voluntatem in virtute sua, sed in virtute ipsiusmet voluntatis, falsum esset, quòd, dum ratio vnum alteri præfert, non adhuc vnũ est alteri præacceptatum, quousque, &c: nam voluntas, vi cuius vnum medium esset præferendum per rationem, iam præcederet ipsam rationem, applicando eã, qua stante de necessitate voluntas sequi deberet rationem: & non deindè deberet inclinari.

431 Confundit secũdò iste modernus Thomista motionem obiectiuam, seu quoad speciem actus, & motionem potentiæ, seù quoad exercitium actus: euidens namque est voluntatem non esse liberam, neque à se ipsa determindam, vt amet, vel odio habeat bonum, quà bonum: sed ad illud nō potest tendere, nisi amore; & econtra ad malum, quà malum, non potest tendere, nisi odio, atque quoad hoc etiam voluntas ab intellectu, & ratione vltimò determinatur, quæ dicitur determinatio quoad specificationem actus. Libera autem est in his, quæ sunt ad finem, vt amet hoc, vel illud medium, & ita singula potest hic, & nunc velle, vel non velle in ordine ad finem: & hæc est determinatio ex parte potentiæ, seu quoad exercitium potentiæ: & tota nostra difficultas de hac secunda determinatione procedit, vbi voluntas est libera, non de prima, in qua voluntas libertatem non habet. An non tota hæc doctrina est explicita mens Angelici quæst. 6. de malo artic. vnico in corpore his verbis, *Si ergo consideremus motus potentiarum animæ ex parte obiecti specificantis actum, primum principium motionis est ex intellectu; hoc enim modo bonum intellectum mouet eam ipsam voluntatem: si autem consideremus motus potentiarum animæ ex parte exercitij actus, sic principium motionis est ex voluntate: nam semper potentia, ad quam pertinet finis principalis, mouet ad actũ potentiam, ad quam pertinet id, quod est ad finem: sic ergo ad ostendendum, quòd voluntas non ex necessitate mouetur, oportet considerari motum voluntatis, & quantùm ad exercitium, & quantùm ad determinationem actus, quæ est ex obiecto. Quantùm ergo ad exercium actus primò quidem manifestum est, quòd voluntas mouetur à seipsa, &c.* Imò Angelicus, loquens de motione, determinante exercitiũ, omninò excludit motionem intellectus, prima secundæ quęst. 9. artic. 3. ad tertium his verbis, *Dicendum, quòd non eodem modo voluntas mouetur ab intellectu, & à seipsa: sed ab intellectu quidem mouetur secundùm rationem obiecti, à seipsa verò quantùm ad exercitium actus.* & artic. 1. ad tertium, *Dicendum*, inquit, *quòd voluntas mouet intellectum quantùm ad exercitium actus, sed quantùm ad determinationē actus, quæ est ex parte obiecti, intellectus mouet voluntatem: & sic patet quòd non est idem mouens, & motum secundùm idem.* Si ergo ad exercitiũ voluntas determinaretur à iudicio rationis, iam idem esset mouens, & motum secundùm idem, & rueret Angelici hæc doctrina.

432 Confundit tertiò accipiendo semper pro eodem hæc verba, iudicium rationis, cùm tamen Angelicus prima secundæ quęstion. 14. artic. 1. ad primum moneat ex Damasceno, quòd, *Consilium est appetitus inquisitiuus*, nomine ergo consilij, vel iudicij rationis aliquando non significat solùm actũ intellectus, sed etiã actũ voluntatis subsequentem ad iudicium intellectus, eo modo, quo scientia dicitur practica ratione actus voluntatis adiunctæ, & determinantis opus iuxtà directionem artis: atque hoc modo voluntatem determinari à cōsilio, vel iudicio rationis, idē est, ac determinari ex se, supposito consilio, & iudicio rationis. Vndè

433 Ad authoritates desumptas ex Angelico pro probanda prima parte ex tribus, quas iste Thomista distinguit, facilè ex eodem Sancto Doctore respondeo, & ad primam dico loqui ibi Angelicum de determinatione obiectiua, de qua dicam postea, sol-

uens

uens instantiam supra factam numero 415. distinguam enim duplicem indifferentiam voluntatis, vnam auferendam ab obiecto, quam vocabo determinationem obiectiuā, aliam auferendam ab ipsamet voluntate, quam vocabo determinationem actiuam, seù exercitij voluntas est, prout vocat Angelicus: quarum secunda est libera, & de qua disputamus: prima autem non est libera, & non est de ea lis. Et si velint Thomistæ adhuc Angelicum loqui de determinatione exercitij, dicam, quòd, vt Angelicus sit in doctrina sua cōstans nomine consilij rationis intellexit appetitum inquisitiuum, non primum actum intellectus.

434 Ad secundam respondeo eodem modo; loquitur enim ibi Angelicus de indifferentia voluntatis, secundùm quam se habet vt materia, quam probabo ex Angelico consistere in voluntate secundùm se, præcisa cognitione finis, & mediorum, quę indifferentia non potest tolli per ipsammet voluntatem: ecce verba Angelici, *Contingens ad vtrumlibet non potest esse causa in q antùm huiusmodi: secundùm enim quòd est ad vtrumlibet, habet dispositionem materiæ, quæ est in potentia ad duo opposita: nihil enim agit secundùm quòd est in potentia: vndè oportet, quòd causa, quæ est ad vtrumlibet, vt voluntas, ad hoc, quòd agat, inclinetur magis in vnam partem per hoc, quòd mouetur ab appetibili, apprehenso per rationem determinantem.* Et mirū est, quod iste Thomista nomine apprehēsionis appetibilis per rationem velit intelligi consilium, & iudicium rationis. Et ne absque necessitate tempus teram, codē modo dico ad tertiam, quartam, & quintam: ex verbis enim ipsis, adductis ab isto recentiore, constat loqui Angelicum de determinantione obiectiua, non de actiua, & quo ad exercitium actus.

435 Circa secundam partem ex tribus, quas distinxerat idem Thomista, concedo doctrinam. Vndè transeo ad tertiam partem, quam, vniuersaliter loquendo, nego: nam in medijs iudicatis æqualibus dixi iam voluntatem solam determinare se ad vnum. Regulariter autem concedo voluntatem sequi iudicium rationis, sed nego aliquam infallibilitatem metaphysicam, concedendo de morali: quapropter ad primum locum, desūptum ex Angelico, dico ibi loqui Angelicum de determinatione voluntatis quoad speciem actus, non quoad exercitium; & aliàs non probaret, quòd intenderet, sed oppositum: si enim probat totam libertatem originem ducere ex modo cognitionis, non alium sensum habent eius verba, nisi quòd voluntas non fertur, nisi in cognita: & cùm cognitio non sit ad vnum, sed ad multa, talis est etiam potentia voluntatis, & ideo libera. Cui opponit, quod iudicās fornicationem esse malam, eam amplectitur, vndè non videtur sequi ductum rationis quoad speciem actus: & respondet, simul talem fornicarium iudicium habere de malitia fornicationis in genere, & aliud iudicium, quo hic, & nunc indicat esse bonam ratione delectationis. Cæterùm, si probaret Angelicus voluntatem determinari in exercitio à iudicio rationis, cùm intellectus sit causa necessaria, potiùs probaret necessitatem, quàm libertatem voluntatis. Ad secundùm autem locum dico me nescire quid ex illo inferre velit iste Thomista; quis enim negat electionem includere etiam aliquid ex parte cognitionis, cùm voluntas rationalis supponat consiliū; quod dicit collationem plurium, in quibus iudicium rationis vnum præfert alijs? *At non dum est vnum alteri praeacceptatum*, ex Angelico, *quousque voluntas inclinetur in vnum magis, quàm in aliud: non enim voluntas de necessitate sequitur rationē.* Vt notaui num. 428. Incipit ergo electio ex iudicio rationis, præferente vnum alteri ex eligibilibus: sed quantùm est ex parte intellectus, non verò quasi adæquatè per illud fit determinatio: sed completur simpliciter à determinatione voluntatis, quæ, cùm ordinariè eam partem amplectatur, ad quam magis propendet, ordinariò consequenter id acceptat, quod fuerat reliquis per iudicium rationis prælatum; ita se accommodando ex seipsa, non determinata à iudicio rationis, quòd non de necessitate ex eodem Angelico sequitur voluntas.

436 Vt ergo instantiam, quam ex Thomistis retuli numero 415. euidentissimè soluā, simulque probem nullam prorsus Oppugnatoribus scientiæ mediæ offerri viam, nisi confusionis, & æquiuocorum.

437 Duplicem noto statum indifferentiæ in potentia voluntatis, alterum nimirum indifferentiæ obiectiuę, alterum indifferentię actiuæ seu vnū quoad speciem actus, alterū quoad exercitiū actus; Prima indifferentia cōsistit in voluntate, secundùm se cōsiderata, ex qua nascitur in ipsa ratio libertatis; & hæc indifferentia est vniuersalis in ordine ad omne obiectum, quatenus scilicet indifferens ex se est, vt ei proponatur per intellectum hoc, vel illud obiectum, vel nullum, prout euenit in dormiente. Secūda verò est indifferentia proxima, quatenus scilicet adhuc voluntas ex obiectis sibi propositis indifferens est, vt eligat vnum,

præ alio, & hæc non est, ex dictis numero 425. ita vniuersalis: quandoquidem in ordine ad finem suum vltimum, saltem in genere, atque ad media huic fini necessaria, non est, supposita illorum propositione, indifferens: sed necessitate naturæ rendit in illa; solùm autem indifferentiam seruat, vel ad velle inquisitionem finis particularis, & determinati, vel ad velle hoc, aut illud medium ex ijs, quæ sufficiunt, sed nō sunt necessaria ad finem, vt patet ex Angelico in præcedēsito numero. Voluntas considerata secundùm primum statum indifferentiæ se habet quasi materia, & in potentia ad sua obiecta, eò quòd forma, per quā actuatur ad suum obiectum, est idem obiectum præconceptum per rationem: necnō hoc idem obiectum est ratio agendi; quousque ergo non intelligitur obiectum præconceptum, & propositum voluntati, hæc non habens rationem agendi, se habet vt in potentia, & tamquam materia ad formam. Cæterùm considerata secundo modo, nec se habet vt materia, nec vt in potētia, quæ importat rationē recipiētis; sed vt pura potentia actiua iam actuata, & proximè potens agere, & seipsam determinare ad opus.

438 Totum hunc discursum esse explicitam mentem Angelici euidētissimè demonstro. Et quidem quoad primam partem, nimirū quòd forma potentiæ volūtatis, eam actuās, sit obiectum præcōceptum, præcipuè finis: & quòd hic ita præconceptus actuet voluntatem, sicut, (seruata proportione,) forma naturalis: atque etiam sit ratio agendi, colligere est ex quæst. 22. de Veritate artic. 12. in corpore, vbi sic loquitur, *Dicendū, quòd intellectus aliquo modo mouet voluntatem, & aliquo modo voluntas mouet intellectum, & alias vires; ad euius euidentiam sciendum, quòd tàm finis, quàm efficiens mouere dicuntur, sed diuersimodè, cùm in qualibet actione duo considerētur, scilicet agēs, & ratio agēdi: vt in calefactione ignis est agens, & ratio agēdi calor: in mouendo dicitur finis mouere, sicut ratio mouēdi; sed efficiēs, sicut agens motum. Ratio autem agendi est forma agentis, per quam agit, vndè oportet quòd in sit agenti ad hoc, quòd agat: non autem inest secundum esse naturæ perfectum, quia hoc habito quiescit: sed inest agenti per modum intentionis; nam finis est prior in intentione, sed posterior in esse: & ideò finis præexistit in mouente propriè secundùm intellectum, &c.* Vides ne, quòd finis est forma, & ratio agendi voluntatis, præexistens in illa, non quidem secundùm esse naturæ, sed per modum intētionis secūdùm intellectum: atq; ideò, quòd tamquam forma actuet voluntatem, prout clarius expressit prima secundæ quæst. 1. artic. 2. in corpore his verbis, *Dicendum, quòd omnia agentia necesse est agere propter finem. Cuius ratio est, quia materia non sequitur formam, nisi secundùm quòd mouetur ab agente, nihil enim reducit se de potentia in actum: agens autem non mouet, nisi ex intentione finis: si enim agens nō esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc, quàm illud; ad hoc ergo, quòd determinatum effectum producat: necesse est, quòd determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis.* Quid clarius dicere poterat ad significandum, quòd per determinatum finem aufertur indifferentia voluntatis ad agendum hoc, vel illud determinatè, & quòd se habeat vt forma, actuans potentiā voluntatis?

439 Quoad secūdā verò partē discursus prefatus patet ex quæst. 6. de malo artic. vnico in corpore, vbi, postquam etiam docet, quòd finis præconceptus sit forma voluntatis, qui, cùm sit forma vniuersalis, sub qua multa possunt comprehendi, causat in eadē voluntate indeterminationem ad multa, ita concludit, *Sic ergo ad ostendendum, quòd voluntas non ex necessitate mouetur, oportet considerare motum voluntatis, & quantùm ad exercitium actus, & quantùm ad determinationem actus, quæ est ex obiecto. Quantùm ergo ad exercitium actus, primò quidem manifestum est, quòd voluntas mouetur à seipsa, &c.* Indifferētiā ergo exercitij tollit voluntas à seipsa, seipsā mouens; quamuis indifferentiam obiectiuam, non possit à seipsa tollere, quia cæca potentia est, & se applicare non potest in incognitum, & non propositum à cognitione; & præterea, cùm in aliqua natura fundetur, & participare debeat modum operandi naturæ, ad primum suum obiectū, quòd est vltimus finis, aliundè, quàm à seipsa illi propositum, de necessitate naturæ tendere debet; sed ab hoc iam actuata, à seipsa se actuat in ordine ad ea, quæ sunt ad finem; & in hoc est tota Thomistarum æquiuocatio, dum volunt Diuum Thomā, loquentem de actuatione voluntatis habēdā à fine, extendere ad actuationem, quæ est in ordine ad media; nolentes reflectere, quæ ad prædicta subiungit Angelicus, *Nec propter hoc, ait, sequitur, quòd voluntas secundùm idem sit in potentia, & in actu: sicut enim homo secundùm intellectum in via intentionis mouet seipsum ad scientiam, in quantùm ex vno noto in actū, venit in aliquid ignotum, quod erat solùm illi in potentia notum: ita per hoc, quòd homo aliquid vult in actū: mouet se ad volendum aliquid alud in actū: sicut per hoc, quòd vult sanitatem, mouet se ad volendum sumere potionem.*

440 Ratio autem huius ex ipsa doctrina Angelici colligitur, si benè pensetur; quia enim

enim in voluntate est aliquid considerare, quatenus quædam natura est, determinata ad vnum, vt ex eodẽ Sancto Doctore notaui numero 425. & aliquid voluntatis, se habentis ad multa: atque voluntas potentia sit ex se cæca, non habens sibi præsens obiectum, cui intentionaliter, & affectiuè vniatur, nisi sibi priùs per intellectum proponatur: nec vt natura, nec vt voluntas potest agere, nisi priùs actuetur per obiectum cognitum, & sibi propositum; antequam ergo se moueat, vel agat voluntas, necesse est, vt ab alio proponatur ipsi obiectum hoc, vel illud: & in hoc non determinat voluntas, quid sibi proponatur, cùm antecedere debeat omne agere voluntatis: & ideò hæc indifferentia veluti passiua, & materialis in recipiendo præsentiam intentionalem sui obiecti, actuanda est ab intellectu intrinsecè, & formaliter, effectiuè verò à diuina Prouidentia, ordinante omnia ad suum proportionarum finem; sic autem passiuè à sua forma intentionali actuata voluntas, incipit tendere ad opus proprium: &, sicut voluntas fundatur in natura, non verò natura in voluntate; ita primum eius opus est naturale, scilicet amor necessarius sui proprij, & vltimi finis, quem, cùm non semper cognoscat, nisi in genere, de necessitate amat in genere, & consequenter in ordine ad illud, supposita cognitione, non est in potentia, sed actuata, cùm non sit ex se indifferens, sed determinata ad illum: sicut autem finis nõ potest haberi sine medijs in genere, ad quæ etiam voluntas est necessitata: ita etiam ad media in genere actuatur per illud idem, per quod actuatur ad finem; in amore ergo finis iam aliquo modo voluntas actuatur ad media, sed imperfectè: hac tamen actuatione imperfecta mouetur deindè voluntas, vt per seipsam perfectiùs actuetur; eo modo, quo intellectus, dum actuatur per præmissas notas, quia in ipsis conclusio continetur, per illas actuatur taliter, vt vi illarum tendat ad actualitatem perfectam conclusionis formalis, cum hac solùm differentia, quòd intellectus non est liber, vt actuet se ad id, quod maluerit: sed voluntas est libera, & ex pluribus medijs actuat se completè, & determinatè, ad quod ex pluribus maluerit. His ergo adnotatis.

441 Respondeo argumento, & priùs in forma concessa maiori argumenti, nimirum, quòd inter alias motiones, quibus Deus mouet voluntatem creatam, vna sit, qua eam applicat actioni: nego minorem, quòd hæc ex Angelico debeat esse determinatiua eiusdem voluntatis ad vnum. Et ad eius probationem nego antecedens. Ad huius probationem nego causalem; adhuc enim, quæ sunt determinata ad vnum, indigent præmoueri à Deo motu hoc actualis applicationis, cùm omne agens creatum non possit agere, nisi Deo præuolente cũ eo ad tale opus concurrere, & communicare illi suam actionem. Ad probationem autem antecedentis nego loca adducta in argumẽto ex Angelico, vel citata procedere de motione applicatiua, quæ se tenet ex parte agentis: sed semper sermonem habet de motione, qua finis vltimus de necessitate mouet voluntatem, & sine qua nihil posset voluntas producere: vndè admirabilis est iste transitus, & æquiuocatio Thomistarum, vt, quæ docet Angelicus de motione vltimi finis, ad quem voluntas tendit ex necessitate, velint transferre ad motionem exercitij, se tenentis ex parte potentiæ: & in ordine ad ea, ad quæ eadẽ voluntas non est necessitata, sed libera; in stateram ergo examinis adduco omnia loca Angelici, tùm allata, tum citata in argumento. Et quidem

442 Primus locus ex 6. Metaphysices per seipsum clarè ostendit sermonem in eo habere Angelicum de necessitate motionis finis ad vnum; ait enim, *Vndè oportet, quòd causa, quæ est ad vtrumlibet, vt voluntas, ad hoc, vt agat, inclinetur magis in vnam partem per hoc, quòd mouetur ab appetibili apprehenso per rationem determinantem*: quod autem simpliciter dicitur appetibile, est finis, non mediũ: hoc enim nõ est appetibile ratione sui, sed ratione finis; quòd item mouet, vt apprehensum, est finis; nam medium non mouet, vt apprehensũm, sed vt iudicatum per consilium rationis: vbi est ergo hic motio per applicationem actiuam Dei, quæ ex parte agentis determinat, applicãdo & se, & creatam voluntatem ad opus, vt probare prætendunt Aduersarij?

443 Secundus autem locus ex quæstione 8. de Veritate, nescio quomodò contra Propugnatores scientiæ mediæ adducatur ab Aduersarijs, cùm potiùs ingulet prætensã ab ipsis prædeterminationem physicam voluntatis creatæ. Quærit namque in citato loco Angelicus, num Angeli cognoscant futura? & postquam docet futura necessaria, qualis est ortus Solis, cognoscere in suis causis; venit ad contingentia, & distinguit duplicẽ statũ causarum ad illa, nimirũ, quòd aliquæ sũt magis inclinatæ ad vnũ effectũ, quã ad aliũ; & in his asserit posse solùm cõiecturaliter cognosci futura: aliquæ verò sunt omnimodè indifferentes ad vtrumlibet, & de his subiungit verba, quæ adducuntur

cuntur ab Aduersarijs, *Ex causa ad vtrumlibet, cùm sit, quasi in potentia, non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquam aliam causam, determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud, vt probat Comment. in 2. physic: ideò huiusmodi effectus in causis quidem ad vtrumlibet nullo modo cognosci possunt, per se acceptis: sed, si adiungantur causæ illæ, quæ causas ad vtrumlibet inclinant magis ad vnum, quàm ad aliud, potest aliqua certitudo coniecturalis de effectibus prædictis haberi: sicut de his, quæ ex libero arbitrio dependent, aliqua futura conijcimus ex consuetudinibus, & complexionibus hominum, quibus inclinantur ad vnum, &c.* Videat quisque, si per præfata verba adstruitur, an potius depellitur omnis determinatio voluntatis ad vnum circa ea, ad quæ est libera; posita namque determinatione causæ ad vnum, effectus est infallibiliter futurus, taliter: vt per Thomistas ipse Deus in suo decreto, ita voluntatem prædeterminante, cognoscat infallibiliter futura creata libera; sed in præcitatis verbis duo asserit Angelicus de similibus futuris liberis, primò quòd in causis, per se acceptis, nullo modo ab Angelis cognosci possint: secūdò, quòd in illis, adiunctis alijs causis, magis inclinantibus ad vnū, quàm ad aliud, possunt cognosci coniecturaliter, ita vt concludat idem Angelicus; *Cognitione igitur naturali illa tantùm per formas innatas futura præscire possunt, quæ in causis naturalibus sunt determinata, vel in vna tantùm causa, vel in collectione plurium.* Vbi ergo colligunt Thomistę ex præfato loco voluntatem fore ab alio ad exercitium sui liberum physicè prædeterminandam? Notanda sunt ergo, ac trutinanda verba Angelici, & non proprio sensui accomodanda: dicit namque, *Ideò huiusmodi effectus in causis quidem ad vtrumlibet nullo modo cognosci possunt, per se acceptis*: de ijsdem ergo, vt per se acceptis, loquitur, cùm antea asserit, *ex causa ad vtrumlibet, cùm sit, quasi in potentia, non progreditur aliquis effectus*, atque de causa finali, seu fine vltimo sunt subsequentia (si loquamur de voluntate creata ad vtrūlibet, & non de causis naturalibus contingentibus) *nisi per aliquam aliam causam determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud*: finis namque, dum voluntatem, ex se ad ipsum necessitatam, mouet, eam etiam ex sui amore magis inclinat ad vnum mediū aptius, & vtilius, quàm ad aliud: & hinc ex necessario amore finis coniecturari potest futura libera electio huius medij aptioris præ alio.

444 Tertius locus citatus in argumento, iā à me explicatus fuit numero 414. sed quia ibi tetigi rationem finis vltimi determinantis, non tamen adæquatè declaraui, nunc addo, quòd potentia loco motiua est essentialiter ordinata ad causam efficientem, & passiuam: mouetur enim loco quælibet res, vt agat, vel perficiatur: vndè non habet diuersum finem ab agente: indè est, quòd in homine finis voluntatis, determinans eā ad vnum, sit etiam finis potentiæ loco motiuæ; & ratione proprij finis voluntas, sicut determinat intrinsecè seipsam, determinat etiam potentiam loco motiuam ad media, quando eis indiget.

445 Quartus locus citatus ex secundo libro Senten. dist. 25. artic. 1. explicatione non indiget, cùm sit explicitè de ipso fine: hæc namque sunt verba in ipso contenta, *Determinatio autem agentis ad aliquam actionem oportet, quòd sit ab aliqua cognitione, præstituente finem illi actioni.* Vndè, vt patet, sermonem habet de determinatione obiectiua, & remota: non enim agens vllum agere potest sine fine, vt docet idem Angelicus tum lib. contra Gentiles cap. 30. illis verbis, *Agens enim in tantùm agit, in quantùm finem intendit, tàm in naturalibus, quàm in voluntarijs.* Tum prima secundæ quæst. 1. artic. 2. in corpore, *Dicendum, quòd omnia agentia necesse est agere propter finem.* Benè ergo probat Angelicus, quòd *determinatio agentis*, etiā qua determinat se per seipsum, *oportet, quòd sit ab aliqua cognitione* anteriori, *præstituente finem tali actioni.*

446 Quintus locus citatus ex libro 3. contra Gentiles etiam explicitè est de determinatione finis; ita enim ibi discurrit Angelicus, *Si agens non tenderet ad aliquem effectum determinatum, omnes effectus essent ei indifferentes: quod autem indifferenter se habet ad multa, non magis vnum eorum operatur, quàm aliud: vndè à contingente ad vtramque non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid determinetur ad vnum; impossibile igitur esset, quòd ageret: Omne igitur agens tendit ad aliquem determinatum effectum, qui dicitur finis eius.*

447 Sextus, desumptus ex cap. 96. in Epistolam ad Romanos, vtramque determinationem continet explicitè, & obiectiuam, nimirum ex fine, & actiuam ex ipsa voluntate; ideòque nescio, quare contra scientiam mediā adducatur. Ecce Angelici verba, *Cùm enim homo habeat potentiam ad opposita, puta ad sedendum, vel non sedendū, oportet quòd reducatur in actum per aliquid aliud: reducitur autem in actum alterius horum per consilium, per quod vnum oppositorum præeligit alteri; sed cùm iterum homo habeat potentiam consiliandi, oportebit esse aliud, per quod reducatur in actum consilij; & cùm in hoc non sit procedere in infinitū, oportet esse aliquod principium extrinsecum superius*

rius homine, quod ipsum moueat ad consiliandū, & hoc non est aliud, quàm Deus. Ecce duo determinantia, vnum primum, quod actiuè est Deus, sua Prouidentia mouens ad primam cognitionem, præstituentem finem, ex cuius deindè amore est consilium de medijs: consilium namque est de medijs, & supponit voluntatem finis ex Angelico prima secundę quæst. 14. art. 2. in corpore: aliud verò est idē consiliū rationis, nimirū appetitus inquisitiuus determinans ex pluribus sufficientibus medijs vnum præ alijs. An non consilium rationis est actus voluntatis præsupponens consilium? Legant Angelicum non solùm citatum numero 432. verùm etiam in Compendio Theolog. capit. 96. vbi, *Quod autem*, inquit, *indeterminatè se habet ad diuersos effectus, determinatur ad vnum producendum per desiderium, vel determinationem voluntatis; sicut homo, qui potest ambulare, vel non ambulare, quando vult, ambulat.* An forsan potens ambulare, vel non ambulare, ad vnum ex his determinatur per desiderium, & determinationem voluntatis? Et potens sedere, vel non sedere, per consilium rationis, & non per desiderium, & determinationem voluntatis? Nomine ergo consilij rationis intelligit Angelicus determinationem voluntatis ex præsupposito consilio.

448 Septimus explicatus fuit numero 433. quòd scilicet determinetur voluntas per consilium rationis determinatione obiectiua, & quoad speciem actus: non verò determinatione actiua, nisi per consilium rationis intelligatur determinatio voluntatis supponens consilium.

449 Vltimus tandem locus ex prima parte quæstion. 14. pro mea facit, non pro Aduersariorum sententia: ita enim ibi habet Angelicus, *Et similiter forma intelligibilis nō nominat principium actionis secundùm quòd est in intelligente, nisi adiungatur ei inclinatio ad effectum, quæ est per voluntatem: cùm enim forma intelligibilis ad opposita se habeat (cùm sit eadem scientia oppositorum) non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad vnum per appetitum, vt dicitur in 9. Metaphys.* Appetitus ergo, & inclinatio adiuncta, non quę præcedit iudicium rationis, determinat effectum, qui est per voluntatem, ex Angelico.

450 Insurgunt adhuc ex eodem Angelico in prima parte quæst. 19. artic. 3. ad quintum, vbi assignans differentiam inter voluntatē diuinam, & creatam sic habet, *Dicendum, quòd causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectū: sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Ex quibus verbis Angelici dupliciter argui potest cōtra nostram responsionem. Primò; quia determinabilitatem ab alio respectu voluntatis creatæ fundat Sanctus Doctor in ratione contingentiæ ad esse, ratione cuius, sicut indiget determinari ab alio, vt sit, ita indiget determinari ab alio, vt operetur; cùm ergo etiam sit contingens ad agendum in ordine ad media, etiam in ordine ad illa, & quoad exercitium, debet ab alio determinari. Secundò, quia eam determinabilitatem ab alio docet in voluntate creata, quam excludit à diuina; & quam admittit in diuina, vt se determinet, excludit à voluntate contingente secundùm esse: sed voluntas diuina quoad exercitium determinat se, ergo non ita voluntas creata: sed etiam quoad hoc indiget determinari ab alio, nempe à prima causa.

451 Respondeo adhuc in præfato loco Angelicum loqui de determinatione obiectiua: quærit namque vtrum quidquid Deus vult, de necessitate velit? Cui quæsito respondet, *Quòd aliquid Deum velle est necessarium absolutè, non tamen hoc est verum de omnibus, quæ vult: voluntas enim diuina necessariā habitudinem habet ad bonitatem suam, quæ est proprium eius obiectum. Vnde bonitatem suam esse Deus ex necessitate vult: alia autem à se Deus vult, in quantùm ordinantur ad suam bonitatem, vt finem: ea autem, quæ sunt ad finem, non ex necessitate volumus, volentes finem, nisi sint talia, sine quibus finis esse non potest: Vndè, cùm bonitas Dei sit perfecta, & esse possit sine alijs, cùm nihil ei perfectionis ex alijs accrescat, sequitur, quòd alia à se eum velle non sit necessarium absolutè.* In hac autem doctrina fundat Angelicus doctrinam supra allatam ab Aduersarijs in argumento: quòd enim est ex se contingens, non habet suam bonitatem, sed aliam à se, nimirum Dei, pro fine, & proprio obiecto, à quo est in suo esse perficiendum: & ideò ad hanc perfectionem vnionis affectiuæ cum illo, tamquā cum vltimo fine, est determinandum ab alio; quod verò ex se necessarium est, sicut voluntas Dei, non habet pro obiecto, & fine proprio aliud à se, sed suā propriam bonitatem, quæ, cùm à nullo alio sit perfectibilis, à nullo alio est determinabilis ad aliquem actum suum, sed ad alia à se seipsam per seipsam determinat: Ad primum ergo argumentum concedo Angelicum in contingentia creatæ voluntatis ad esse fundare determinabilitatem eiusdem ab alio, tamquam à fine: sed non tamquam à causa efficiente; quod enim est contingens, implicat

plicat, quòd sit suum esse; non verò implicat, vt sit causa efficiens per participationē à prima: & eodem modo nec implicat, vt sit sui determinatiua per hoc, quòd creata libertas sit diuinæ libertatis in suo genere participatio: ideòque, sicut illa determinat seipsam, ita ista, cum hac differentia, quòd diuina ad se determinādum non supponit aliam causam determinantem se: & creata supponit essentialiter priùs Deum determinare seipsum, & communicare illi suum concursum ad vtrumlibet. Ratio autem disparitatis est, quia finis creatæ voluntatis debet includere omne bonum; & ideò ratio finis non potest communicari creaturæ: causa autem efficiens non debet includere omnem vim agendi, nec etiam determinans se debet includere omnem vim determinatiuam, sed solùm in suo genere: & indè vtrumque potest creaturæ à Deo communicari. Ad secundum patet ex dictis, quòd eam determinabilitatem includit Angelicus in diuina voluntate, & excludit à creata, quæ se tenet ex parte finis, non quæ se tenet ex parte agentis.

452 Ex dictis colligi debet verum esse in aliquo sensu creatam volūtatem fore ad quēlibet suum actum, etiam de medijs ad finē, prædeterminandam à Deo: sed remotè, & radicaliter, non proximè, quatenus scilicet nihil posset determinatè agere, nisi esset ad aliquem finem prædeterminata: cùm autem prædeterminatio finis sit illi à Deo, à quo habet esse naturaliter determinatum ad propriū finē: & ab eodē sit Prouidentia primæ cognitionis, qua moueri possit voluntas ad suum primum actum, benè stat, quòd omnis determinatio createę voluntatis primò, & radicaliter sit à Deo; non tamen proximè, & immediatè; quasi Deus ad hunc potiùs actum, quàm ad illum, per velle vnum potiùs, quàm alium, ipsam voluntatem determinet.

§. SECVNDVS.

Aliud argumentum, fundatum in vniuersalitate primæ causæ, refertur, & eneruatur.

453 SEcundum argumentum componūt ex Angelico Aduersarij ijs, uel alijs similibus locis, quibus ego scientiam mediam probaui numero 370, atque sic argunt: Deus tamquam prima causa ex Sācto Doctore non solum continet in vi sua rationem entis creati producibilis, verùm etiam differentias, & modos omnes eiusdem entis, inter quos sunt contingens, & necessarium: sed quod Deus continet in sua virtute, potest seipso, & suæ voluntatis efficacitate facere, vt sit, & non debet expectare, quasi emendicans, vt ab alio ponatur; hoc namque modo non esset continere, sed potiùs alterius opere indigere; ergo independenter, & antecedenter ad omne opus voluntatis creatæ, vi, & voluntate sua præcisa potest Deus facere, vt sit effectus necessarius, & ut sit effectus contingens, & liber; ergo eodem modo potens est facere, ut sit conditionatè futurus, atq; hinc radicitus euulsa manet scientia media. Totum hoc argumentum uidetur lumine naturæ notum, si maior probetur, quæ pluribus ostenditur Angelici Doctoris locis: & quidem 1. ex 6. Metaph. lect. 3. ubi ita habet, *Ens, in quantùm ens, habet causam ipsum Deum: vndè sicut diuinæ Prouidentiæ subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis, in quantùm est ens, inter quæ sunt necessarium, & contingens. Ad diuinam igitur Prouidentiam pertinet, non solùm quòd faciat hoc ens, sed etiam quòd det ei contingentiam, vel necessitatem.* & infra, *Sic ergo patet*, ait, *quòd, cùm de diuina Prouidentia loquimur, non est dicendum solùm, hoc est prouisum à Deo, vt sit: sed, hoc est prouisum à Deo, vt contingenter sit, vel necessariò sit; quòd quidem singulare est in hac causa, scilicet in diuina Prouidentia, reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed constituta à causa superiori vtuntur: vndè causalitati alterius causæ subditur solùm, quòd eius effectus sit: quòd verò sit necessariò, vel contingenter, dependet ex causa entis, à qua ordo necessitatis, & contingentiæ in rebus prouenit.* Secundò ex primo Periherm. lect. 14. ubi, *Voluntas*, inquit, *diuina est intelligenda, vt extra ordinem entium existens, velut causa quædam profundens totum ens, & omnes eius differentias; sunt autem omnes differentiæ entis possibile, & necessarium, & ideò ex ipsa voluntate diuina originantur necessitas, & contingentia in rebus, & distinctio vtriusque secundùm rationem proximarum causarum; ad effectus enim, quos voluit contingentes, ordinauit causas contingenter agentes, idest potentes deficere, & secundùm harum conditionem causarum effectus dicuntur contingentes, quamuis omnes dependeant à voluntate diuina, & à prima causa, quæ trascendit ordinem necessitatis, & contingentiæ: hoc autem non potest dici de voluntate humana, nec de aliqua alia causa, quia omnis*

alia

alia causa cadit iam sub ordine necessitatis, & contingentiæ. Tertiò ex quæstione 23. de Veritate artic. 5. ubi docet, quòd, *Voluntas diuina est agens fortissimum: vndè oportet eius effectum ei omnibus modis assimilari, vt non solùm fiat id, quod Deus vult fieri: sed vt fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, vt necessariò, vel contingenter, citò, vel tardè; &c.* Quartò ex prima parte quæst. 19. artic. 8. ubi, *Cùm enim*, inquit, *aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantùm secundùm id, quod fit: sed & secundùm modum fiendi, vel essendi; cùm igitur voluntas diuina efficatissima sit, non solùm sequitur, quòd fiãt, ea, quæ Deus vult fieri: sed etiã, quòd eo modo fiant, quo Deus vult ea fieri; vult autem quædam fieri necessariò, quædam contingenter, vt sic ordo in rebus ad complementum vniuersi: & ideò quibusdam aptauit causas necessarias, quæ deficere non possunt, quibusdam contingentes, & defectibiles.* & solutione ad secundum, *Ex hoc ipso*, ait, *quòd nihil voluntati diuinæ resistit, sequitur, quòd non solùm fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quòd fiant contingenter, vel necessariò, quia sic vult fieri.* Similiter loquitur in prima ad Anibaldum distinct. 47. quæstio unica art. 4. & lib. 3. cõtra Gentiles cap. 94.

454 Sed pro hoc librando argumento curiosos aduoco Lectores, ut quid eo probetur, notent, si uim haberet in sensu, secundùm quem necessariò ab Aduersariis sumi debet, ut scientiam mediam oppugnet: Tota namque illius uis in eo sistat opus est, quòd ea, quæ Deus continet in sua uirtute, ui, & efficacia suæ uoluntatis, ponere possit, nihil expectando à uoluntate creata, quasi ab ea aliquid emendicans, ad consecutionem eius, quod Deus uult fieri. Si ita res est, ergo ad nostros actus liberos à Deo præuolitos nihil præstat nostra uoluntas: nam si aliquid præstare debet, secũdùm hoc, nõ præstaret solus Deus, sed expectaret, & emendicaret à nobis; manus ergo hoc argumento, si uerum esset, daretur Luthero, quòd figmentum in rebus, & titulus sine re sit nostrum liberum arbitriũ, quod nihil præstat in actum: sed potiùs, tamquam inanimatum instrumẽtum, quidquid habet, passiuè recipiendo à Deo, habeat. Cùm autem hoc sit apertè & falsum, & damnatum, apertè etiam erit falsum, quòd Deus se solo, ut prima causa, potest præstare non solùm ens, ut ens, verùm etiã omnes differẽtias entis: sed in ordine ad aliquas differentias entis necesse est interueniat concursus creaturæ: quando ergo dicitur, quòd Deus, ut prima causa, omnia continet, atque quòd omnia uoluntatis efficacia præstare potest, non est sensus proximus, & immediatus, atque exclusiuus creaturæ: sed siue proximus, siue radicalis, quòd videlicet, omnia Deus prẹstare potest, siue se solo, siue ponendo ea, quibus mediantibus ponatur effectus à Deo volitus.

455 Non ergo actus liber creatæ voluntatis ita continetur in Deo, vt prima causa, quòd se solo possit facere, vt sit talis actus liber, sed solùm potest ponere ea, quibus possit esse actus liber, nec sua præcisa, & solitaria efficacia potest facere, vt actù sit: quãdoquidem ita esset contingens Deo, non voluntati creatæ; vndè cum ista contingẽtia in eo sita sit, quòd relatè ad voluntatẽ creatam possit eidem coniungi vel vnum, vel alterum ex oppositis indifferenter, non potest Deus velle contingentiam, & velle determinatè vnum: sed velle vnum, vel alterum; atque ita Deus continet, vt prima causa, istam contingentiam, in quantùm potest ponere causam ad vtrumlibet, non in quantùm potest ponere causam determinatam ad vnum; hoc enim est ponere necessitatem, non posse ponere contingentiam. Quia ergo Deus tamquam prima causa, vtrumque continet, & posse ponere causam necessariò agentem, & posse ponere causam contingenter agentem: continet consequenter, & posse ponere causã determinatam ad vnum, & posse ponere causam non determinatam ad vnum, sed indifferentem ad multa: non tamen continet, vt ponat, & componat simul causam contingenter acturam, & determinatam ad vnum: sicut potest Deus ponere corpus, potest, & ponere spiritum: sed non potest ponere corpus, quod sit spiritus. Vndè potest quidem Deus, etiam in ordine ad voluntatem creatam, velle vnum actum determinatè, & ad ipsum determinare candẽ voluntatem: sed secundùm hoc non est continere contingentiam actus, imò potiùs necessitatem actus: quia tamen prætereà potest velle vel hunc, vel illum actum, & voluntatem creatam ponere indeterminatè se habentem ad vtrumlibet, & seipsã per seipsam determinaturam, per hoc etiã continet contingentiã actus. His ergo præhabitis.

456 Respondeo in forma ad argumentum, distinguo maiorem, Deus, vt prima causa, ex Angelico Doctore, non solùm continet rationem entis, sed etiam omnes eius modos, præsertim contingentiam, & necessitatem, se solo agendo, nego maiorem: quandoquidem etiam inter alios modos agendi continet hos, vt possit agere vel se solo, vel cum creatura, & contradictionẽ

in-

inuoluit; vt ſe ſolo contineat hoc, quod eſt agere cum creatura; ſiue ſe ſolo agendo, ſiue communicando creaturæ ſuum agere, concedo maiorem: diſtinguo etiam minorem; quod Deus continet in ſua virtute, eo modo, quo continet, poteſt ſeipſo, & ſuæ voluntatis efficacitate ponere, non expectando, quaſi emendicans, vt ponatur ab alio, concedo; diuerſo modo, quo cõtinet, nego primam partem minoris, & ſuppoſitionem ſecundæ partis, nego nimirum poſſe ſe ſolo proximè ponere, quod, & ſi ſe ſolo remotè contineat, non tamen ſe ſolo proximè continet, ſecundùm quod eſt producendum ſimul cum creatura; atque etiam nego, quòd hoc ſit expectare, quaſi emendicans ab alio, quod Deus vult, vt ponatur ab alio; ſi enim ita Deus ex ſuo dominio, & voluntate vult, vt effectus pendeat etiam à creatura, non mendicando, ſed, ſuo vtens dominio, id facit. Vndè ad primam conſequentiam nego ſecundã partem, quòd ſcilicet Deus poſſit facere, vt exiſtat determinatus effectus contingens ex ſua præciſa voluntate antecedenter, & independenter à voluntate creata, hoc enim modo velle, eſſet illũ velle vt neceſſariò, nõ vt contingenter exiſtat. Et tandem nego vltimam conſequentiam, quòd ex mente Angelici vllo modo exulet ſcientia media.

457 Ad primum ergo locum adductum ex Angelico nego, quòd apud Aſſertores ſcientiæ mediæ ſupponunt Aduerſarij, nimirum, quòd modus ipſe contingentiæ in actu libero ſit nobis liber; benè enim poſſumus facere, vt actus ſit, vel non ſit, ſed non eſt in noſtra poteſtate, vt actum ponamus ſiue liberè, ſiue neceſſariò: ſed, ſiue ponimus, ſiue non ponimus, non aliter poſſumus, niſi liberè ponere, vel non ponere in iis, in quibus dominium habemus; libera ergo eſt nobis poſitio, vel non poſitio actus, ſed non eſt nobis liber modus ſiue contingentia tùm actus, tùm carentiæ actus: quia non valemus aliter agere, niſi ſecundùm quòd ſumus à Deo conſtituti: quod idem eſt, ac euentum, vel non euentum actus, qui non eſt nobis à Deo prædefinitus, eſſe nobis liberum: ordinem verò actus, qui per diuinam Prouidentiam eſt nobis conſtitutus, non eſſe nobis liberum: quare ſatis accuratè aſſerit in eodem loco Angelicus, quòd, *Reliquæ cauſæ non conſtituunt legem neceſſitatis, vel contingentiæ: ſed conſtituta à cauſa ſuperiori vtuntur: vndè cauſalitati alterius cauſæ ſubditur ſolùm, quòd eius effectus ſit: quòd verò ſit neceſſariò, vel contingenter dependet ex cauſa altiori, à qua ordo neceſſitatis, & contingentia in rebus prouenit*. Si hic ordo contingentiæ non ſubditur cauſalitati cauſæ creatæ, nõ ergo contingentię ordo eſt nobis liber, ſed ſolùm, vt effectus, qui quoad cõtingentiã, à ſola cauſa ſuperiori eſt conſtitutus, ſit, vel non ſit, ſecundùm quòd nobis ſubditur; non ergo claudant, ſed aperiant vel hinc Aduerſarij mentis oculos, & videant, quòd vbi præuenit diuina conſtitutio, non remanet in nobis libertas: ſed ſolùm in ordine ad determinatũ euentũ, quẽ non præfigit nobis diuina Prouidentia; ex quo etiam patet, quid dicendum ſit ad ſecundum Diui Thomæ locum.

458 Ad tertium ex verbis ipſis Angelici dico eum loqui vniuerſaliter de omni diuina voluntate: & conſequenter proportione accommoda, & eo modo, quo eſt ſua voluntas, vt videlicet fiant omnia, quę Deus vult, eo modo, quo vult; ſiue à ſe ſolo, ſi vult fieri à ſe ſolo, ſiue etiam concurrente creatura, ſi vult, vt ipſa concurrat; fiat neceſſariò, ſi determinatè vult fieri hunc ſingularem effectum: fiat contingenter, ſi uult hunc, vel illum fieri. Fiat ſecundùm quòd præuiſus eſt futurus liberè, ſi iuuat ad finem intentum: non fiat liberè, ſi præuiſus eſt, quòd finem impediret, &c. Omnia namque Deus ſua ſempiterna præſciẽtia præordinat, ut ſæpè ex Angelico dictũ eſt. Et eodem modo loquitur idem Angelicus in 4. loco, ſeruata ſemper proportione accommoda, & illæſa manente doctrina alibi tradita. Ad quintum autem, & ſextum locum citatos iam reſponſum eſt numero 414; vndè non ſunt hic repetenda, quæ iam ibi dicta ſunt.

§. TERTIVS.

Aliud ex eodem compactum argumentum refertur, & ſoluitur.

459 OBiiciunt tertiò argumentum, quod Aduerſarij uocant iugulum ſciẽtiæ mediæ, ita arguendo. Quidquid creata uoluntas, ſeu liberum arbitrium præſtat circa ſuum actum, eſt eidem uoluntati ex Angelico communicatum à Deo, tamquã inſtrumento, & cauſæ ſecundæ à ſua cauſa principali, & omnium prima, à qua omnes

nes aliæ pendent in esse, & operari; ergo ipsissima determinatio, per quam creata uoluntas se determinat ad unum, est illi cõmunicata à Deo: atqui quælibet ratio cõmunicata priùs exit à communicante, quã ponatur in usu ab eo, cui communicatur, saltem prioritate à quo; ergo per priùs creata uoluntas redditur à Deo, communicãte illi ipsam determinationem, determinata ad unum, quàm seipsam deindè in usu determinet per seipsam ad idem unum: in quo consistit tota sententia Thomistarum. Discursus hic, posita ueritate primi antecedentis, est itá ex se euidens, ut aditum omnem præcludat tergiuersationibus. Imò antecedens ipsum ita etiam clarum est per seipsum, ut probatione non indigeat; adhuc nihilominus ostenditur tùm authoritate Angelici, tùm euidenti ratione.

460 Ex Angelico quidem pluribus demonstratur locis. Primò ex libro 3. contra Gẽtiles cap. 89. ubi sic habet, *Vndè non solùm virtutẽ volẽdi à Deo habemus, sed etiã operationẽ*. & deindè, *Deus ergo*, ait, *est causa in nobis, non solùm voluntatis, sed etiam volendi*. & libro 1. cap. 68. ***Dominium***, inquit, *quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius potestate est velle, vel nolle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exterioris agentis: non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari*. Secundò ex libro 2. Sententiarum dist. 25. quæst. 1. artic. 1. ad Tertium, ubi, *In libero autem arbitrio*, ait, *hoc modo agit; vt virtutem agendi subministret, &, ipso operante, liberum arbitrium agat*. Tertiò ex quæstion. 22. de Veritate artic. 8. in quo ita scribit, *Sicut omnis actio naturalis est à Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantùm est actio, non solùm est à voluntate, vt immediatè agente, sed à Deo, vt primo agente, qui vehementiùs imprimit; vndè, sicut voluntas potest mutare actum suum in aliud, vt ex dictis patet: ita & multò ampliùs Deus*. Quartò tandem clariùs ex prima parte quæst. 105. artic. 1. ad Tertium, ubi, ***Dicendum***, inquit, *quòd hoc ipsum, quòd causæ secundæ determinẽtur ad determinatos effectus, est illis à Deo*.

461 Ratione autem idipsum conuinci ita probatur; nam determinatio ista creatæ voluntatis ad opus non est nihil, & chimericũ, cùm voluntas à parte rei sit realiter ex indifferenti ad multa, determinata ad vnum præ alijs: & non agat, vt realiter indifferens, sed vt realiter determinata ad vnum; ergo est quid reale in voluntate, quod potuit in voluntate non esse: sed quidquid reale est à parte rei per priùs debet esse à Deo, tamquam à prima causa, a qua & esse, & operari communicatur creaturæ; ergo ipsissima determinatio creatæ voluntatis per priùs est à Deo, & ab eo communicatur illi.

462 Ex quo ruit tergiuersatio illa, inquiũt Thomistæ, quòd Deus exhibet creatæ voluntati concursum suum ad opposita, & deindè voluntas seipsam applicat, & accõmodat, ad quem maluerit. Ruit, inquã, funditus: quandoquidem de ista applicatione, accommodatione, determinatione, aut quomodocumque alio vocetur nomine, redit argumentum, nimirum vel est aliquid reale, vel nihil: secundùm dici non potest, quia realiter, à parte rei vi huius applicationis, accommodationis, & determinationis voluntas creata est potiùs ad hunc, quàm ad illum physicum actum, ac physicè determinatè agit, impotens agere, quousque non est applicata, accommodata, vel determinata. Ergo est aliquid; ergo per priùs à Deo, à quo volũtati creatæ communicatur; ergo, quia per priùs Deus applicat, accommodat, & determinat volũtatem creatam ad vnum, ideò deindè hæc se accommodat, applicat, & determinat ad vnum. Et hæc, aiunt Thomistę, est fouea, quam Propugnatores scientiæ mediæ euadere, & prætergredi numquam valebunt.

463 Fateor sanè argumentum hoc esse vnũ ex ijs, quæ, dum non reducuntur ad sua prima principia, sed dumtaxat secundùm id, quod facialiter præferunt, considerantur, plures decipiunt ad falsa pro veris approbanda. Sed in primis vellem, vt quisq; consideret ad quæ disrupta, minùs, quàm par est, rem hanc trutinantes, reducit hoc argumentum, si prout exiat, subsistentiã haberet; quandoquidem concludit etiam Deum nos primò determinare ad formale peccati: nam homo non est ex se determinatus ad peccatum, sed indifferens, vt peccet, vel non peccet; vel ergo determinatur ad formale peccati per ipsum determinare se ad materiale, vel per aliam determinationem. Si primum, cùm à Deo determinetur ad materiale, si iam hoc ipsum est determinari ad formale, dùm Deus determinat ad materiale, determinat etiam ad formale: si est alia, vel secunda, vel qualiscumque vocetur determinatio, hæc verè, qualis est, à parte rei est, & potuit non esse; ergo aliquid est; ergo per priùs à Deo. Neque enim dici potest peccatum esse purum defectum rectitudinis debitæ, & ad defectum non dari determinationem realem. Non valet, inquam, quia sicut cognitio carentiæ non est carentia, sed quid reale

reale, licèt obiectum nihil sit: ita determinatio ad defectum est quid reale, non nihil. Ratio à priori est, quia determinatio debet reddere voluntatē ex physicè, & realissimè indifferente, physicè, & realissimè determinatam, licèt non semper ad terminum, qui sit aliquod physicum; ergo determinatio voluntatis, ad quodcumque sit, debet, pro physicè determinanda voluntate, esse quid physicum, aliàs per nihil tolleretur physica indifferentia voluntatis.

464 Tota ergo vis argumenti in æquiuoco hoc fundatur, nimirum quid importet à parte rei id ipsum, quod est voluntatem creatam determinari ad vnum? quo explicato, apparebit non aliam argumētum præcedens parare Propugnatoribus sciētiæ mediæ foueā, quàm confictā, & chimerizatā.

465 Circa hoc autem primò secernenda sūt duo in voluntate creata, operante vitaliter suos actus, scilicet & indifferentia, quæ tollitur per determinationem ad agendum: & indifferentia, quæ tollitur per determinatā receptionem actus, iam producti: aliud est enim agere, aliud recipere in se, quod agit: ex his autem priùs natura, vel ratione est agere, quàm recipere: non enim potest intelligi aliquid recipi, quod nō sit in se productum: benè autem potest intelligi aliquid in se, & nō adhuc intelligi in alio. Cū autē voluntas creata non possit producere actus suos, & eos in se nō recipere, euidēter sequitur, quòd tota voluntatis creatæ libertas, & formalis indifferentia, non consistit, nisi in posse agere, vel non agere; quia enim potest agere, vel non agere, ideò potest recipere, vel non recipere; cæterùm supposito, quòd agat, non potest non recipere: & supposito, quòd non agat, non potest per seipsam determinari ad recipiendum; sed, si aliquid, non agendo, recipit, sicut dona gratiæ, non liberè, sed necessitata recipit. Constat ergo, quòd totus pūctus præsentis difficultatis situs est in eo, quid videlicet à parte rei importet hoc, quod est creatam voluntatem in priori signo ad receptionem sui actus determinari, ex indifferenti ad producendum, vel non producendum: siue ad producendum hunc, aut illum, ad vnum ex his.

466 Secundò ex communi Philosophorum sensu, Duce tùm Aristotele, tùm Angelico, considerandum offero causam actiuam, quà actiua est, non mutari præcisè, quà agit: sed, si mutatur, non id habet, quia agit: sed quia recipit deindè, quod produxit; vndè causæ, quæ agunt, transeunter, non mutantur per hoc præcisè, quòd agunt: sed mutant, vel effectum de non esse ad esse, vel passum, in quo aliquid de nouo producunt: causæ verò immanentes, mutant agendo, & mutantur recipiendo, quod egerunt. Ratio est, quia agere est dare esse, non recipere esse per hoc, quòd agat: recipere autem est agi, non dare; quod ergo agit, quà agens est præcisè, mutat, nō mutatur. En totum id clarissimè ex Aristotele in 3. Physicorum textu 19. *Actio*, inquit, *est actus actiui, & passio actus passiui.* Actio ergo actuat agens, hoc est constituit agens in actuali exercitio agendi, non verò patiendi, quia id præstat passio; ergo actio nō mutat agens, quà agens, quia ita esset passio, non actio. Angelicus autem prima secundæ quæst. 3. artic. 2. ad Tertium, distinguens actionem transeuntem ab immanente, sic habet, *Duplex est actio, vna, quæ, procedit ab operante in exteriorem materiam, sicut vrere, & secare: & talis operatio non posset esse beatitudo; nam talis operatio non est actio, & perfectio agentis, sed magis patientis.* Neque hoc, si stemus terminis, poterit ab vllo negari: quamuis enim plurimi Thomistæ velint actionem inchoatiuè subiectari in agēte, cuius est actualitas, reddens ipsum de nō agente agens: nihilominus rem subtiliùs trutinemus in ordine ad ipsam actionē; hæc enim, si est modus superadditus, suū esse modale, vel formalitatem non habet à se, sed etiam ab agente, vt quo, & in suo genere: vt autem ipsa eadem recipiatur, priùs debet intelligi esse, non verò priùs recipitur, & deindè est; per quid ergo agens in eo signo, in quo dat esse vt quo actioni, constituitur formaliter dans esse? numquid per aliam actionem in infinitum? firmum ergo stet, quòd transitus agentis de non dante esse ad dare esse, quia est transitus actiuus, dicit ex suo genere, quòd mutet, nō quòd mutetur: seu quòd det, non quòd recipiat.

467 Ex quibus satis euidenter constat, quòd actualitas agentis, secundùm quam hoc de non agente, & potente agere, transit ad actuale agere, importat quidem quid nouum, & reale ex parte effectus recipientis esse, quod priùs non habebat: non quidē, quia effectus sit actualitas causæ, se tenens ex parte causæ, sed tamquam terminus productus, & mutatus de non esse ad esse, vi causæ: actualitas autem, prout se tenet ex parte causæ, cùm sit purè actiua, in illo priori signo, in quo agens intelligitur agere, & non dum recipere, nihil aliud dicit, nisi ipsissimam entitatē virtutis agentis, & quādam respectum, seu tendentiam actiuam purè ad ipsum effectum, secundùm quam agens, sicut physicè, vel realissimè dat esse,

 non

non recipit: ita realissimè, & physicè trāsit de non dante esse ad dandū esse; sed quia hic est physicus transitus dandi, non recipiendi, ideò addit quid physicum ex parte termini, non ex parte agentis. Actualitas ergo agentis, prout formaliter est actualitas, se tenens ex parte agentis, nihil aliud est, quàm entitatiuè ipsū agens, prout ex nō dāte euadit dās esse effectui: & ita entitatiuè, & prout in se cōsiderata, est quid physicū formaliter in se ipso dicens esse, sed non aliud esse, nisi ipsissimū esse virtutis agentis, quo pacto vocabimus actualitatem agentis secundùm esse, in; eadem ratio, prout est ad effectum, addit agenti respectū, & tendentiam purè actiuam, quæ quid nouum dicit ex parte effectus; sed nihil nouæ entitatis ex parte causæ, cùm sit nouum dare, non nouum recipere esse: & hoc modo vocabimus actualitatem agentis secundùm esse, ad, scilicet prout tendit ad effectum.

468 Cùm ergo actualitas ista agentis aliud non sit, nisi ipsissima virtus agentis, quatenus dat esse effectui, sicut entitas virtutis agētis creati nō est Deus, sed quid productū, & distinctū à Deo; ita dare Dei, prout se tenet ex parte causæ, quæ est Deus ipse, est quid entitatiuè diuersū à dare creaturæ, quod est ipsa entitas creaturę: ex parte tamē effectus producti, siue vt quo, siue vt quod, idē, quod datur à Deo, datur à causa creata, sed à Deo intimiùs, essentialiùs, & per priùs, prioritate dumtaxat à quo, quàm detur à creatura: quia tamen ipsa entitas virtutis createę etiā est producta à Deo, sequitur, quòd etiam ipsum dare, prout est à virtute creata, sit dare Dei, sed remotè, quatenus à Deo est virtus creata, non verò proximè: quandoquidem virtus ista, data à Deo, potest actû non agere; ergo dare hanc virtutem, non est dare ipsum actuale agere eiusdem virtutis, nisi in causa, & remotè; non hinc tamen sequitur reperiri aliquid in creatura, quod proximè non sit à Deo, quandoquidem ipsum actuale agere creaturæ nihil reale superaddit ipsi causæ creatæ, sed purum respectum actiuum eiusdem ad effectum: & cùm causa sit immediatè à Deo, totum, secundùm quòd est aliquid, est immediatè à Deo, secundùm quòd verò est respectus actiuus causæ creatæ ad effectum, chimericum esset dicere, quòd sit immediatè à Deo: sic enim non causa creata cū Deo ageret, sed solus Deus, imò creatura esset Deus: cùm enim agere sit ipsa causa, & agere creaturæ esset agere Dei, creatura esset ipse Deus; restat ergo, quòd agere creatæ voluntatis est quidem immediatè à Deo secundùm esse, in; at secundùm esse, ad, est à sola voluntate immediatè: à Deo verò non, nisi remotè, & in causa. His præhabitis.

469 Venio iam ad clarissimam solutionem argumenti, & dico, quòd, cùm indifferentia voluntatis creatæ, in qua consistit formaliter ratio eius libertatis, vt ostensum est num. 465. sit ad agendum, vel non agēdum, siue ad agendum hunc actum, aut illum, est iam indifferentia purè actiua ad actualitatem determinatam actiuam: sicut autē Deus, primum liberum, ex indifferēti ad producere, vel non producere mundum, ex seipso determinat seipsum ad producēdum: mutans quidem effectum, ipso omnimodè immutato, & nihil acquirendo per actualitatem, eò quòd est actualitas purè actiua: ita libertas creata, quæ est diuinæ libertatis participatio, virtus est actiua participata, indifferens ad agendum, vel nō agendum, ex seipsa seipsam determinans, immutata in eo, quòd agat, & mutans suum actum ex eo, quòd ista determinatio est purè actiua; quamuis deindè, quia creatura mutabilis etiam est, non solùm agat, & mutet: sed etiam quod agit recipiat, & mutetur; Deus autem agit, sed non recipit in se, quod agit. Creata ergo voluntas conuenit cum Deo, à quo participat, & agere, & liberè agere, in eo, quòd, agēdo, non mutatur; sed differt à Deo, quia ipsa perfectibilis est, & mutabilis per suum effectum: & ideò recipit ipsum, & non solùm producit; Deus autem, qui est purus actus, agit, sed recipere non potest, nec perfici, aut mutari per id, quod agit. Id ergo, per quod creata libertas ex indifferenti liberè transit ad determinationem actus, formaliter nihil aliud est, nisi purus respectus actiuus, qui potuit in ea non esse; respectus autem iste, vt ostensum est num. antecedenti, non est immediatè à Deo, sed à sola voluntate creata; à Deo verò solummodò est remotè, quatenus ipse talem virtutem dedit voluntati, quæ posset actiuè determinare seipsam: vndè falsum est, quòd determinatio, per quam voluntas determinat seipsam, sit per priùs à Deo: ipse enim non dat voluntati actû se determinare, sed virtutem actus primi, qua illa possit se determinare; ipsa autem actualitas, qua determinatur, prout actualitas est, & secundùm esse, ad, secundùm quod poterat esse, vel non esse in voluntate, cùm agere sit voluntatis creatæ, non Dei, à sola creata voluntate est, à qua non distinguitur, non à Deo, à quo realiter distinguitur.

470 In forma ergo ad argumentum distinguo antecedens, quidquid creata voluntas præstat in suum actum, est illi communica-

tum

tum à Deo, siue immediatè, siue mediatè, concedo: solùm immediatè, subdistinguo, quoad esse, in, & formale concedo: quoad respectum, ad, & actiuum, nego antecedens. Distinguo etiam consequens, ergo ipsissima determinatio, qua voluntas determinat se, est illi à Deo, mediatè concedo; immediatè subdistinguo: quoad esse, in, duntaxat, secundùm quod non est formaliter actualitas, & determinatio, cōcedo: quoad esse, ad, secundùm quòd est formaliter actualitas, & determinatio, nego consequentiam. Nego autem deindè suppositionem minoris; supponit namque ipsam actualem determinationem voluntatis creatæ, prout actualem, & secundùm quòd dicit de esse, ad, esse voluntati creatæ communicatam à Deo proximè, & immediatè, ita vt per id ipsum, quod Deus dat voluntati, ipsam determinet ad vnum, quod est falsum: cùm id, quod dat Deus voluntati, sit virtus determinandi se, non determinatio: etenim eadem virtus potest esse determinata, & potest esse non determinata; ergo secundùm quòd est à Deo, non est determinatio, sed virtus determinabilis à se.

471 Loca autem Angelici Doctoris omninò extra propositum adducuntur à Thomistis, cùm non procedant de determinatione libera voluntatis, qua, ex parte causæ, actiuè se determinat: sed, vel de actione, quæ est effectus vtriusque determinationis, non ipsa determinatio: quo pacto procedunt primus, & secundus locus: vel de determinatione Dei, prout procedit tertius locus, in quo docet Angelicus, quòd dominium voluntatis creatæ in suos actus, non dicit, quòd ipsa sola in eum se determinare debeat; & influere: sed etiam prærequirat Deum esse prædeterminatum ad influendū cum illa, determinatione tamen ad vtrumlibet, vt explicaui numero 397: vel tandem de determinatione causæ necessariæ, prout procedit quartus locus, quem iam aliàs examinaui, scilicet numero 414.

472 Ad rationem autem iam patet ex dictis, quid sit dicendum; nimirum quòd determinatio ipsa voluntatis creatæ non est nihil, sed quid reale physicum à parte rei, cū sit ipsamet voluntas; secundùm verò esse, ad, nec est nihil, sed quid reale nouum ex parte termini, ex parte verò agentis non addit aliquid, sed purum respectum actiuum.

473 Quod si dicas, ergo voluntas creata ex realiter à parte rei indifferenti transit ad statum determinatum per nihil, & consequēter, si nihil est determinatio, voluntas aget, vt iam in se indifferens à parte rei. Respondeo primò, vt idem argumentum soluant Aduersarij in Deo, de quo nec dubitare quis potest eum esse ex se indifferentē ad agendum, vel non agendum: nec quòd transeat ad determinatū statum agendi, nihil prorsus nouiter habendo. Dico ergo, quòd respectus ad effectum, nec mente præscindibilis est ab esse, in; non enim potest concipi, nisi in aliquo: quamuis econtra esse, in, non solùm concipi, sed etiam realiter sit sine esse, ad, à parte rei: eo modo, quo differentia entis non potest concipi præcisò ente, sed ens potest concipi sine differentia: determinatio ergo voluntatis creatæ, etiam prout determinatio, & secundùm esse, ad, est quid reale, & includens esse, in: sed superaddit quòd esse, in, sit hic, & nunc ad aliquid determinatum, actiuè tamen, non passiuè, quod est addere quid nouum determinatum ex parte effectus, sed nihil nouum determinatè ex parte causæ; hoc autem non est agere, vt indifferens, quandoquidem, vt indifferēs, respicit non minùs vnum, quàm alium effectum; dum ergo respicit determinatè vnum; iam in actiuo respectu accedit determinata tendentia causæ ad vnum, & ita agit, vt determinata, sed actiuè: non verò, vt indeterminata. Atque eodem modo dico de applicatione, & accommodatione, qua voluntas actiuè se applicat, vel accomodat ad vnum ex concursibus oppositis, quos Deus exhibet voluntati creatæ.

474 Tota autem hæc doctrina ita clara in terminis est, & iuxta communem sensum Scholasticorum de causa actiua, vt actiuà, quòd fouea, quam iactant Thomistæ per antecedens argumentum parari scientiæ mediæ, alium locum non habet, nisi in eorumdem mente, secundùm quam nolūt reducere scientias ad sua prima, & radicalia principia. Nescio tamen si foueam, quæ ipsis paratur circa determinationem ad formale culpæ, valeant, & ipsi simili facilitate euadere, prout videre est numero 463.

475 Instabis illud, quod educit effectum de potentia in actum, non se habet indeterminatè, sed determinatè ad illum: sed Deus, qui est causa prior, eminentiùs educit effectus, quàm causa creata, educit effectum de potentia in actum; ergo, vt causa prior, non se habet indeterminatè ad vtrumlibet, sed determinatè ad vnum: ergo, vt prior, non dat concursum determinandum, sed determinatum voluntati creatæ. Minor probatur ex Angelico quæst. 3. de potentia artic. 7. in corpore, vbi ita loquitur, agens de Deo,

Deo, vt prima causa. *Quantò causa aliqua est altior, tantò est communior, & efficacior, & quantò est efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit in actum.*

476 Respondeo ex sæpè dictis distinguendo maiorem; quod educit, vt causa adæquata, effectum de potentia in actum non se habet indeterminatè, sed determinatè ad illum, concedo: quod educit, vt causa inadæquata, principalior, & prior, subdistinguo: quando alia concausa in suo genere est ex se determinata, vel ab alio determinanda ad vnum, vt sunt causæ creatæ necessariæ, concedo: quando est causa libera, non ab alio, sed à seipsa determinanda, nego: & eodem modo distincta minori, nego vtramque consequentiam. Notare deberent Thomistæ, quòd Angelicus non dicit Deum proximè educere quemlibet effectum de potentia in actum, ne præiudicium ferat causæ liberæ, quæ est proxima causa, hunc præ alio educens effectum: sed dicit, quòd de remotiori potētia educit in actum: non quia Deus non etiam concurrat, sed quia Deus non cum omnibus causis est causa proxima, vt iste potiùs effectus educatur: est tamen quoad hoc causa remota: quia, nisi Deus pararet priùs suũ concursum ad hunc, vel illum effectum, nunquam causa creata posset hũc effectum, determinatum educere: ergo etiam relatè ad hunc determinatum remotè Deus est causa educens illum in actum, tamquam scilicet causa intimior, & profundior, & essentialiùs necessaria, quàm sit causa creata.

§. QVARTVS.

Argumentum fundatum in veritate futuri in sola prima causa adducitur, & diluitur.

477 OBiiciunt quartò Thomistæ ex doctrina Angelici hoc modo: quodcumque futurum siue absolutum, siue cōditionatum, non habet ex Diuo Thoma aliam veritatē certò cognoscibilem, nisi in solo decreto Dei determinato, & infallibiliter connexo cum illo: sed scientia media ponit futurum conditionatè, tamquam cognoscibile in seipso, & extra decretum Dei determinatum, ac infallibiliter connexum cum illo; ergo doctrina de scientia media est opposita doctrinæ Angelici Doctoris. Probant maiorem primò ex ijs, quæ docet Angelicus in 1. Periherm. lect. 13. ita enim habet, *Falsum est, quòd omne, quod est, verum fuerit determinatè dicere esse futurum. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd, cùm verum hoc significet, vt dicatur aliquid esse, quod est, hoc modo est aliquid verum, quod habet esse; cùm autem aliquid est in præsenti, habet esse in seipso: sed quamdiù aliquid est futurum, nondum est in seipso, est autem aliqualiter in sua causa; quod quidem contingit tripliciter: vno modo, vt sic sit in sua causa, vt ex necessitate ex ea proueniat, & tunc determinatè habet esse in sua causa: vndè determinatè potest dici de eo, quod erit: alio modo aliquid est in sua causa, quæ habet inclinationem ad suum effectum, quæ tamen impediri potest; vndè & hoc determinatum est in sua causa, sed mutabiliter: & sic de hoc verè dici potest, hoc erit, sed non per omnimodam certitudinem: tertiò aliquid est in sua causa, sed purè in potentia, quæ etiam non est magis determinata ad vnum, quàm ad aliud; vndè relinquitur, quòd nullo modo potest de aliquo eorum determinatè dici, quòd sit futurum, & quòd sit, vel non sit.* Cùm ergo futurum cōditionatè non dum sit in seipso, adhuc nāque potest remanere in statu possibilitatis, aliam veritatem habere non potest, nisi in sua causa; nulla autem alia causa talis est, quę sit infallibilis, & impediri non possit, nisi solùm diuina voluntas; ergo in hac dumtaxat potest habere cognoscibilitatem infallibilē futurũ cōditionatè. Secũdò idem probāt authoritate Angelici ad hominē; hic enim prim. part. quæst. 16. art. 7. cognoscibilitatem futuri, quam adstruunt Assertores scientiæ mediæ, sibi in 3. argumento proponit his verbis, *Id, quod est verum in præsenti; semper fuit verum esse futurum: sed, sicut veritas propositionis de præsenti est veritas creata, ita veritas propositionis de futuro; ergo aliqua veritas creata est æterna.* Nonne hæc est doctrina Assertorum scientiæ mediæ, aiunt Thomistæ? & tamen Angelicus non eam approbat; sed refutat, ita respondens, *Ad tertium dicendum, quòd illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, vt fieret: vndè sublata causa, non esset futurum illud fieri, sola autem causa prima est æterna: vndè ex hoc non sequitur, quòd ea, quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, vt ea essent futura: quæ quidem causa solus Deus est.* Ex quibus verbis euidenter, & destruitur fundamētũ sciētiæ medię, cognoscibilitas nimirũ futuri in seipso, & stabilitur doctrina Thomistica

mistica de futuri cognoscibilitate in solo diuino decreto.

478 Respondeo hoc etiam argumẽtum vim aliquam fucatam, veluti doctrinam Diui Thomæ continentem, ex confusione quorumdam terminorum inducere: duo namque in eo, quæ deberent suo modo distingui; omnimodè confũdũtur. Primum est, quòd id, quod docet Angelicus de futuris absolutè, & debet proportionaliter applicari futuris conditionatè, Thomistæ intelligunt eodem prorsus modo absoluto. Secundum est, quòd nomen futuri, quod aliter sumitur ab Angelico, quàm sumatur ab Assertoribus scientiæ mediæ, Thomistę volunt quasi eodem modo ab vtrisque sumatur, & hac terminorum confusione veritatem rei etiam confundunt.

479 Circa primum ergo aduertendum est, quòd Angelicus in neutro loco ex adductis loquitur de eo, quod esset, sed semper de eo, quod est; illud autem, quod est, absolutè est, & eodem modo, quo fuit futurum, antequam fuit, erat futurum absolutè; de eo porro, quod est, vera sunt hæc duo, quòd, dum est præsens, & in seipso absolutè existens, habet veritatem, & est vt tale cognoscibile, quòd est; dum verò est futurum, est cognoscibile, quòd erit, si causam habet infallibilem: de futuro autem conditionatè neutrum ex his verificatur, neque videlicet quòd sit in seipso, neque, quòd erit, si causam habet infallibilem: & ita loca Diui Thomæ non cadunt supra futurũ conditionatè, sed supra futurum, & præsens absolutè; intelligenda sunt tamen suo proportionali modo, etiam de futuris conditionatè, cùm etiam futura conditionata sint cognoscibilia: nimirum, quòd futura conditionata, sicut absoluta, dupliciter possunt accipi: & vt cõditionatè præsentia in seipsis, si essent suæ causæ: (verum nãq; est, quòd, si causæ essent, essẽt in seipsis præsentes, & extra suas causas tales effectus:) & secundò vt contenta in causa; atque ita quod Diuus Thomas asserit de futuro pro tempore, in quo est in seipso, intelligi debet de futuro conditionato pro tempore, in quo esset in seipso: & pari modo, quod asserit de futuro absolutè, vt in causa, debet intelligi dictum de futuro conditionato, vt in causa: non verò confundi ita eius doctrina, vt, quod asserit de futuro absoluto, prout solùm in causa, debeat accipi omnimodè de futuro conditionatè: quamuis enim futurum conditionatè nec sit, nec erit forsan in seipso: hoc tamen verum est absolutè, non conditionatè, loquimur enim de effectibus, qui essent, si

conditio

esset conditio, licèt numquam erunt: ergo in futuris conditionatè non attendenda sunt, quæ erunt, vel non erunt, quo pacto considerantur absolutè, non conditionatè: sed consideranda sunt, quæ essent tum in seipsis, tum in causa, quo solùm modo sunt futura conditionata.

480 Circa autem secundum sunt plura consideranda. Primò quidem, quòd, sicut possibile dicitur dupliciter: & intrinsecè, quatenus in se repugnantiam non habet: & extrinsecè, quatenus causa potest illud producere. Præteritum insuper potest dici præteritum intrinsecè, quatenus fuit, & non est: & extrinsecè, quatenus in causa fuit iam contentum, & nunc non ampliùs cõtinetur; sic futurum dicitur dupliciter: & intrinsecè, quatenus erit in seipso, sed nõ dum incœpit esse: & extrinsecè, quatenus in causa habetur, quòd vi illius erit. Et certè sæpè nos, eo modo, quo, dum audimus præteritum, concipimus aliquod, quod erat, sed nunc non est; ita, cùm audimus futurum, Antichristum v. g. concipimus hominem, qui erit in seipso, & nunc non est, non verò illũ solùm cogitamus in causa. Secundò aduertenda est differentia, qua res dicitur nobis præsens ab ea, qua dicitur præsens Deo. Diuus Thomas, & Thomistæ, quibus & ego adhæreo, in materia de scientia visionis Dei tuentur nihil relatè ad Deum esse præteritũ, nihilque futurũ, sed omnia indiuisibiliter coexistẽtia, tũ quę nobis sunt præsentia, tum quæ relatè ad nos fuerunt, & non sunt, vel non sunt, & erũt: vndè cùm nihil sit Deo futurum, quod pro aliqua differentia temporis sit in seipso, non datur relatè ad Deum alia futuritio rerum, nisi extrinseca, quatenus scilicet res consideratur, prout in causa, & non prout in seipsa. Et propterea Angelicus hoc nomẽ futuri absolutè semper sumit pro re, vt in sua causa, quamuis relatè ad nos res ipsa habeat aliã futuritionem: quia tamen hæc non est vniuersalis, & relatè ad nos res nõ sit, vt futura, cognoscibilis certò in seipsa, sed solùm in causis aliquo modo, parum de hac acceptione futuri curat Angelicus: sed nomine futuri semper vtitur pro effectu, vt in causa. Econtra plures Assertores scientiæ mediæ non valent intelligere, quomodò res, quæ non semper est, relatè ad Deum sit immutabiliter præsens; & propterea negant Deo indiuisibiliter, & eodem modo posse esse præsentia futura, & præterita, sicut existentia: ac consequenter asserunt, quòd etiam respectu Dei omnia creata ab æterno erant futura; secundùm autem hunc eorum sensum, nomen futuri

non

non accipiunt pro re, vt in causa, sed pro re, quæ non dũ est, & erit in seipsa; atque ita, quæ Angelicus relatè ad Deum vocat præsentia, ipsi dicunt futura Deo, antequã essent. Non ergo benè arguunt Thomistæ ex verbis Angelici, quæ habet de futuris, ad impugnandam doctrinam Propugnantium scientiam mediam, & vocantium futura, quæ Angelicus vocat præsentia, & existentia: est enim arguere de subiecto nõ supponente: sed tunc benè arguerent, quãdo, si ex his, quæ docet Angelicus de præsentibus Deo, aliquid contra Assertores scientiæ mediæ afferrent, qui ea vocant futura.

481 In forma ad argumẽtum distinguo maiorem: quodcumque futurum siue absolutè, siue conditionatè non habet ex Angelico aliam veritatem certò cognoscibilem, nisi in solo decreto Dei determinato de illo, sumpto futuro, prout sumitur ab Angelico pro effectu nimirum, vt in causa, cõcedo: quandoquidem, cùm solum decretum Dei sit inimpedibile, non nisi in solo decreto Dei, si supponitur, potest futurum, sic acceptum, certò cognosci: sumpto futuro pro re existente in seipsa suo tempore; & non dum in seipsa existente, prout solet accipi ferè communiter ab Assertoribus scientiæ mediæ, dum dicunt futura esse cognoscibilia in seipsis, & nullatenus in causa libera; nego maiorem: & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Omnes, qui propugnamus scientiam mediam, asserimus futura libera voluntatis creatæ non esse cognoscibilia in sua causa, nisi ad summum in Dei decreto de illis, quo ea prædefinit post scientiam mediam; si ergo hoc solùm modo vult Angelicus dici aliquid futurum, iam in hoc conuenimus cũ illo: nihilominus, quia Assertores scientiæ mediæ, siue non admittunt rem creatã coexistere Deo, dum non est: siue res extituras considerant in ordine ad nos, respectu quorum sunt verè in seipsis futura nunc, & non existentia: cùm quærunt, quomodò Deus cognoscat futura libera, non solum difficultant, an ea cognoscat in suis causis, sicut accipit Angelicus Doctor futura: verùm etiam, an quæ nobis sunt futura, siue, an quæ ab æterno in seipsis non fuerunt, fuerunt verò, vel erunt in tempore, Deus cognouerit, vt suo tempore in seipsis extitura; idipsum ergo, quod Angelicus vocat Deo præsens, Assertores scientiæ mediæ vocant futurum: hoc autem cognosci à Deo, vt in seipso determinatè existens, semper docet Angelicus, quandocumque agit de scientia Dei erga contingentia, vt lib. 1. contra Gentiles cap. 67. vbi concludit, *Ex his autem iam aliqualiter patere potest, quòd contingentium singularium ab æterno Deus infallibilem scientiã habuit, nec tamen contingẽtia esse desistunt: contingens enim certitudini cognitionis non repugnat, nisi secundùm quòd futurum est; non autem secundùm quòd præsens est: diuini autem intellectus intuitus ab æterno fertur in vnumquodque eorum, quo temporis cursu peraguntur, prout præsens est*. Item quæst. 2. de Veritate artic. 12. in corpore, vbi habet, *Contingens, vt futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas, subesse non possit: vndè cùm diuinæ scientiæ non subsit falsitas, nec subesse possit, impossibile esset, quòd de contingẽtibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea, vt futura sunt*. & assignans deindè modum, quo ea cognoscat, post aliqua subdit, *Sicut ergo noster visus non fallitur vnquam, videns contingentia, vt sunt præsentia, & tamen ex hoc non remouet, quin illa contingẽter eueniant: ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia, siue quæ nobis sunt præsentia, siue quæ præterita, siue quæ futura, quia sibi non sunt futura, sed ea inspicit esse tūc, quando sunt, &c.* Vident ne Thomistæ, quòd adhuc Angelicus cũ Assertoribus scientiæ mediæ vocat nobis præterita, vel futura, quæ talia nõ sũt Deo, sed præsentia: & ea asserit cognosci à Deo, vt in seipsis præsentia? & prima parte quæst. 14. artic. 13. *Contingens aliquod*, inquit, *dupliciter potest considerari: vno modo in seipso, secundùm quòd iam in actu est, & sic non consideratur, vt futurum; sed vt præsens: neque ad vtrumlibet contingens, sed vt determinatum ad vnum: & propter hoc sic infallibiliter subdi potest certæ cognitioni*. & deindè, *Vndè manifestum est, quòd contingentia, & infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantùm subduntur diuino conspectui secundùm suam præsentialitatẽ, & tamen sunt futura contingentia suis causis proximis*.

482 Ex his autem euidenter colligitur, quòd numquam, cùm agit Angelicus de cognitione Dei erga futura contingentia, ea asserit, quòd cognoscantur, vt futura in suo decreto: sed simpliciter docet, quòd, vt futura, sunt contingentia, & non determinata ad vnum, atque ita non possunt subdi cognitioni, cui non potest subesse falsitas, qualis est cognitio diuina: possunt verò infallibili cognitione cognosci, vt iam in actu in seipsis, quia sic iam sunt determinata ad vnum, & infallibilia ex suppositione; non quia nihil futurum sit infallibile in sua causa, cùm futura vi decreti Dei sint infallibilia in illius decreto; sed quia de futuris liberis non supponit Angelicus decretum efficax in Deo; & propterea vniuersaliter

uersaliter loquendo, docet, quòd futura contingentia, vt futura, non possunt subdi cognitioni, cui non potest subesse falsitas, qualis est diuina; & quòd contingens certitudini cognitionis non repugnat, nisi secundùm quòd futurum est. Cùm autem Angelicus nunquam, loquens de cognitione ista Dei erga futura contingentia, distinctionem faciat de futuris absolutè à futuris conditionatè; sed semper vniuersaliter asserat, non esse cognoscibilia, vt futura, idest in causa, quia sic non habent determinatam veritatem, cùm causa sit ad vtrumlibet; esse verè cognoscibilia in seipsis secundùm eorum præsentialitatem, eo quòd ita non sunt ad vtrumlibet, sed iam determinata ad vnum ex suppositione, sicut est determinatum obiectum visus: sequitur, quòd pari proportione intelligat de futuris conditionatè, nimirum, quòd non sunt cognoscibilia, vt futura, & conditionatè contenta in sua conditione, quæ est ad vtrumlibet: sed solùm, vt conditionatè in seipsis præsentia, & in actu, quo pacto sunt conditionatè determinata ad vnum, in quantùm hoc præ illo esset in tali tempore in seipso, si esset causa indifferens, & libera. Aliter valde defectuosè locutus fuisset Angelicus, nunquam tradens modum, quo à Deo cognoscantur ea, quæ contingenter essent, si esset conditio.

484 Ad primum ergo locum, adductum ex Angelico, dico verissimum esse, quòd nō omne, quod est, potest determinatè dici, quòd fuit futurum, sumpto nomine futuri, prout in verbis subsequentibus sumit Angelicus dicens, *Cùm autem aliquid est in præsenti, habet esse in seipso, sed quamdiù aliquid est futurum, nondum est in seipso, sed aliqualiter in sua causa.* Imò ex hoc loco conuincuntur Thomistæ: nam per ipsos nihil est præsens in seipso, quod non fuerit efficaciter, & determinatè præuolitum, & prædecreratum à Deo; ergo de omni, quod est, verum erit dicere determinatè, quòd fuerit futurum: nec enim Angelicus solùm dicit, falsum est, quòd omne, quod est, verum fuerit determinatè dicere esse futurū in causa creata; sed simpliciter loquitur de futuro, prout in causa; Addo, quòd, cùm decretum Dei per Thomistas determinet etiam causam creatam ad vnum, etiam relatè ad eam, vt ita determinatam, erit de omni, quod est, verum, quòd fuerit determinatè futurum.

484 Ad secundum locum dico ex verbis Angelici in argumento sibi proposito constare, in id tendere idem argumentum, vt probetur aliquid extra Deum esse in seipso ab æterno, quod omnes Assertores scientię mediæ anathematizant, tantùm abest, vt sit eorum doctrina: aliud enim est aliquid ab æterno potuisse cognosci, vt verum pro suo tempore, aliud, quòd ab æterno fuerit in seipso verum: hoc secundum est hæresis, & est id, quod probari intenditur argumento: primum est doctrina omnium non blasphemantium de Deo; quis enim negabit Deum ab æterno cognouisse, quod nunc est in seipso verū, non quod ab æterno erat in seipso verum: cùm nihil creatū fuerit ab æterno? Quod ergo est futurum per Assertores scientiæ mediæ, erit, non est, à Deo autem omnia fuerunt cognita ab æterno, vt futura vera (loquendo de obiectis extra se existentibus) non vt actū in se vera: & ideò nulla veritas creata in seipsa fuit ab æterno, sed fuit cognita, vt in seipsa futura; quomodò autem id possit esse patebit in solutione afferendæ instantiæ: pro nunc redeo ad verba Angelici Doctoris, qui disertissimè, iuxtà solitum, argumento fallaci sibi proposito respondet, dicens, *Quòd illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset*, futuritione dicente aliquid actū, prout procedebat argumentum: *quia in causa sua erat, vt fieret: vndè sublata causa non erat futurum illud fieri: sola autem causa prima est æterna: vndè ex hoc non sequitur, quòd ea, quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura*, futuritione importante aliquid actū, *nisi quatenus in causa sempiterna fuit; vt ea essent futura, quæ quidem causa solus est Deus*: non quia omnia in causa sempiterna fuerint futura; cùm ex eodem Angelico, *falsum est dicere, quòd omne, quod est, verum fuerit determinatè dicere esse futurum*, vt patet ex primo loco: sed quia, quæ ab æterno futura erant futuritione dicente aliquid actū, quales sunt effectus pendentes à solo Deo, non nisi in sola causa sempiterna, quæ est solus Deus, potuerunt esse futura, licèt contingentia non fuerint hoc modo futura.

485 Instant, his non obstantibus, Aduersarij. Deus ab æterno cognouit, quidquid cognouit, etiam mutabilia, & contingentia, cùm nihil Deo adueniat in tempore; ergo eius obiectum debuit ab æterno esse cognoscibile, vt verū: sed nihil creatū habuit ab æterno veritatē qualēlibet in seipso ex parte obiecti, vt docet Angelicus quęstion. 1. de Veritate artic. 5. in corpore illis verbis, *Si autem accipiamus veritatem pro veritate creatorum verorum eis inhærente, quam inuenimus in rebus, sic veritas non est æterna*: sed solùm quatenus in causa sempiterna habuit, vt sit futurum; ergo nihil mutabile

le fuit ab æterno in seipso cognoscibile. Et ratio à priori est, quam tangit Angelicus eodem loco ad decimumoctauum, quia nimirum, *Ratio veri fundatur supra ens*: cùm ergo nullum fuerit ab æterno ens creatum in seipso, nihil consequenter potuit esse cognoscibile, vt in seipso verum.

486 Vrget autem idem argumentum, præcipuè in mea sententia, secundùm quam in materia de scientia libera Dei assero, quòd licèt decreta Dei libera constituantur per quid adæquatè intrinsecũ, eò quòd in ratione liberi constituuntur per agere, vel non agere, quod non distinguitur à causa: scientia tamen libera, quæ vt scientia, non agit ratione sui, sed solùm in genere formali repræsentat, non potest esse libera intrinsecè, secundùm quod non est variabilis, sed solùm ratione variabilitatis obiecti; & ideò in ratione scientiæ liberæ constitui assero per extrinsecam variationē obiecti: hoc autem stante concludit euidenter argumentum, quòd scientia Dei libera fuit in Deo ab æterno, etiam vt libera, aliàs nesciret obiecta libera, nisi in tempore, dum sunt, quod infinitis Scripturæ locis opponitur, dum in ea indè probatur nullum alium, quàm vnicum esse Deum, quia ipsi soli sunt cognita futura. Cùm ergo talis scientia libera constituatur per obiectũ, debuit hoc habere veritatem ab æterno: sed nihil liberum, & contingens habuit variationem, nisi in causa sempiterna, volente ab æterno liberè obiecta; ergo contingentia, & libera non potuerunt à Deo ab æterno cognosci, nisi præcisè in suo decreto determinato de illis.

487 Respondeo hoc argumentum non magis vrgere Assertores scientiæ mediæ, quàm omnes, quandoquidem, quod nobis obijcitur de cognitione futuri, alijs obijci potest de cognitione cõditionis; nam in hoc decreto, quod propugnatur à Thomistis, volo, vt Petrus conteratur, si voluero dare gratiam efficacem, Deus cognoscit hoc, quod est, si voluero dare gratiam, quod ab æterno non fuit actù; quomodò ergo istæ conditiones fuerunt ab æterno cognitæ, si ab æterno non fuerunt? Non enim Deus voluisset, nisi priùs conditiones concepisset, & consequenter antequam Deus voluisset contritionem Petri dependenter à gratia efficaci sub conditione, necesse est eãdem gratiam, tamquam conditionem præconceperit ad ipsum decretum de contritione. Non ergo hæc difficultas radicem sumit à scientia media, sed ab inuariabilitate cognitionis diuinæ, eiusdemque æternitate relatè ad obiecta variabilia, & temporalia: pro quo in primis breuiter dico, quòd licèt nulla variatio obiecti creati fuerit ab æterno, sed in tempore, omnis tamen eo prorsus modo, quo est in tempore, fuit applicabilis variabiliter ab æterno intellectui diuino, & ratione variabilis applicationis quodlibet temporale fuit ab æterno variabiliter variatione extrinseca, ab eodem cognoscibile, constituendo cognitionem diuinam extrinsecè variabilem ab æterno, ratione extrinsecę applicationis variabilis ab æterno: quam doctrinam ex eodem Angelico, & loco ab Aduersarijs citato, clarifico, & stabilio.

488 Duplex communiter, & ex Angelico est veritas obiecti; alia intrinseca, & transcendentalis, alia extrinseca, & formalis: prima consistit in re cognoscibili in recto, connotando intellectum, cui, sicut est in se, repræsentari potest; secunda econtra consistit in cognitione repræsentante cognoscenti rem, sicuti in se est, à qua cognitione etiam obiectum denominatur verè cognoscibile; eo modo, quo supra dicebam de possibili, quod dicitur possibile, & intrinsecè ob non implicantiam terminorum, seu prædicatorum; & extrinsecè ob potentiam potentem illum producere: veritate quidem transcendentali nihil hic, & nunc est in se verum, nisi hic, & nunc in se sit ens; quod tamen hic, & nunc cognoscitur tamquam futurum crastina die, sicut erit futurum, hodie, & hic, & nunc dicitur verè cognosci, & quod verè erit in se, sicut nunc cognoscitur, quæ denominatio actualis non nascitur ex veritate actuali obiecti, sed ex actuali conformitate cognitionis ad obiectum, quod erit, prout erit. Ecce totum hoc ex doctrina Angelici in loco citato in argumento ab Aduersarijs, *Veritas*, inquit, *adæquationem, & commensurationem importat; vndè secundùm hoc denominatur aliquid verum, sicut denominatur aliquid mensuratum: mensuratur autem corpus mensura intrinseca, sicut linea, vel superficie, vel profunditate; & mensura extrinseca, sicut locatũ loco, & motus tempore, & pannus vlna: vndè, potest aliquid denominari verum dupliciter, vno modo à veritate inhærente, alio modo ab extrinseca veritate, & sic denominantur omnes res veræ à prima veritate; & quia veritas, quæ est in intellectu, mensuratur à rebus ipsis, sequitur, quòd non solùm veritas rei, sed etiam intellectus, vel enunciationis, quæ intellectum significat, à veritate prima denominetur; in hac autem adæquatione, vel commensuratione intellectus, ac rei non requiritur, quòd vtrumque extremorum sit in actu* (notent Thomistæ) *intellectus enim noster potest nunc adæquari his, quæ in futurum erunt,*

erunt, nunc autem non sunt, aliàs non esset hæc vera, Anticorrsius nascetur. Similiter etiam intellectus diuinus adæquari potuit ab æterno his, quæ non fuerunt, sed in tempore sunt facta; & sic ea, quæ sunt in tempore, denominari possunt vera ab æterno, à veritate æterna. Et post hæc subdit, quę in argumento à proprio sensu discerpta adducuntur, *Si autem accipiamus veritatem pro veritate creatorum verorũ inhærente eis, quã inuenimus in rebus, sic veritas non est æterna.*

489 Per hæc nihilominus scio non adhuc sufficienter explicatum esse per quid intellectus diuinus ab æterno in se inuariabilis potuerit adęquari potiùs huic futuro, quàm opposito, cùm potuerit esse vtrumque; necesse enim erit assignare aliquid ab æterno, ratione cuius intellectus diuinus, idem inuariabilis secundùm se, potiùs vni contingẽti futuro defacto adæquatus fuerit, quàm alteri. Pro huius ergo claritate.

490 Rem istam compono, ordinatim ad sua principia reducendo: sicut res creata in ratione entis tripliciter comparatur ad Deum, vt causam; vno modo, vt possibilis, alio modo, vt signatè existens, & tertiò, vt existens exercitè: primò enim ex eo præcisè, quòd Deus sit participabilis, & potens extra se agere, creatura denominatur possibilis, imò etiam redditur in se non repugnans. Secundò quia Deus potest velle, vel non velle producere, non verò potest velle, vel non velle, quòd res sit possibilis, possibilitas huius liberæ voluntatis respicit rem creatam, vt existentem, sed non exercitè, at tantùm purè signatè: non enim possibilitas voluntatis liberæ Dei respicit possibilitatem creaturæ, quæ nascitur ex præcedenti Dei omnipotentia; imò quia creatura supponitur possibilis, ideò Deus potest velle eam producere. Tertiò tandem decretum Dei actuale respicit existentiam creaturæ, vt actualiter suo tempore exercitam: iuxta autem hunc triplicem respectum, dum Deus cognoscit suam omnipotentiam, cognoscit creaturas, vt possibiles: dum verò cognoscit suum decretũ actuale, cognoscit creaturam volitam, vt existentem, vel futuram exercitè: cognoscendo verò suum decretum possibile, cognoscit obiectum decreti, vt signatè existens, & hoc est cognoscere aliquid conditionatè, cùm dicimus Deum cognoscere aliquid sub conditione; dum videlicet, cognoscendo suum decretum possibile de tali re, eamdem rem attingit, vt signatè existentem, quod modo nostro explicamus per particulam conditionatam, si existeret. Pari modo veritas creata, quæ indiuisibiliter comitatur ens, tripliciter respicitur à veritate diuina: & vt participabili ex se, quo pacto redditur possibilis veritas creata: & vt potente communicari per diuinam voluntatem, quo pacto respicitur, vt existens signatè veritas creata: & vt actù communicata per actuale velle, & respicitur eadem creata veritas, vt actù in se exercitè existens.

491 Per hoc ergo, quòd Deus cognoscit suã veritatem transcendentalem, vt participabilem, cognoscit, vt possibilia vera creata: & ex eo, quòd cognoscit se posse velle communicare suam veritatem, cognoscit in suo possibili decreto omnia vera creata signatè, quod est cognoscere sub conditione: ac tandem dum cognoscit se actu velle communicare suam veritatem, cognoscit verum creatum, quod communicare vult, tamquam quid exercitè suo tempore existens. Sed quoniam Deus, siue in communicando esse, siue in cõmunicando veritatem, dupliciter se gerere potest, aut nimirum se solo, aut communicando concursum causis secundis: in cognoscendo possibilitatem sui decreti, quo potest cum causis secundis communicare esse, & veritatem effectui, cognoscit consequenter causas creatas talis effectus sub conditione, seu signatè in ordine ad tales effectus; sicut autẽ suorum decretorum possibilitatem ab æterno, necessariò, & inuariabiliter cognoscit: ita in suorum decretorum possibilitate ab æterno, necessariò, & inuariabiliter cognoscit, vt signatè existentes, omnes combinationes causarũ, quas in agẽdo Deus secũ, tamquã causas secũdas admittere potest, quod est Deum, non liberè, non variabiliter, sed necessariò cognoscere omnes possibiles combinationes causarum secundarũ sub conditione, seu vt signatè existentes, & harum applicationem ad intellectum diuinum haberi per ipsam cognoscibilitatem possibilitatis suorum decretorum liberorum.

492 Hæc, quæ vsque modò dicta sunt, meo videri ita sunt clara, & euidentia, vt nemo mentis compos inficiari valeat; ex his autem deinde colligere est, quomodò per necessariam applicationem signatam intellectui diuino causæ liberæ, & cæterorum, quę requiruntur ad effectum liberum creatæ voluntatis, etiam applicetur variabiliter, & contingenter futuritio libera actus ab æterno eidem diuino intellectui, vt verè futura conditionatè, etiam si ex parte rei nullam ab æterno mutationem, aut veritatem exercitam in se dicat: ita enim res se habet ad cognosci, sicut ad esse, cùm cognoscibilitas

bilitas sequatur esse; ergo sicut causa secūda, licèt mutabilis, & potens operari, vel non operari ex se, in his circumstantijs absolutè ponit liberè effectum in seipso: ita dum cognoscitur, & applicatur intellectui diuino signatè cum iisdem circumstantijs, trahit etiam secum applicationem eiusdem effectus, simul & tamquam potentis non esse, & tamquam signatè, seu conditionatè futuri liberè vi talis causæ cum talibus circumstantijs: & sicut, quod potest absolutè non esse, ex suppositione tamen, quòd est, non potest non esse; ita applicatio signata causæ liberæ intellectui diuino, & si potuerit non esse applicatio effectus, ex suppositione tamen, quòd est applicatio illius, non potest effectus non esse applicatus intellectui diuino, vt conditionatè futurus. Eodem ergo modo prorsus, quo causa libera actu existens, quoad esse potest non ponere effectum, sed liberè ponit; atque ex suppositione, quòd ponit, non potest non ponere: ita quoad cognosci, potest ipsa applicata, & cognita ab intellectu diuino, non secum trahere effectum liberum: in his tamen circumstantijs trahit: & ex suppositione, quòd trahit, non potest non trahere applicationem, & cognitionem sui effectus liberi: vndè.

493 In forma ad argumentum concesso antecedente, distinguo primum consequens: ergo obiectum diuinæ cognitionis debuit esse cognoscibile ab æterno cognoscibilitate intrinseca ab æterno, & inhærente, nego: cognoscibilitate extrinseca ipsi communicata per extrinsecam applicationem sui, concedo consequentiam: & eodem modo distincta minori subsumpta, nego consequentiam. Tam locus autem Angelici, quàm ratio à priori adducta in argumento probant nihil creatum habuisse ab æterno cognoscibilitatem sibi inhærentem, sicut non habuit rationem entis: non verò, quòd non potuerit esse cognoscibile ratione extrinsecæ cognoscibilitatis suæ causæ, quæ etiam, secundùm quòd dicit de creato, fuit extrinsecè cognoscibilis ratione possibilitatis decreti liberi idētificati cum Deo. Ex quibus etiam solutum manet argumentum, prout vim sumit à mea sententia de constitutiuo scientiæ diuinæ liberę; concedo enim, quòd, vt scientia diuina libera fuerit ab æterno, potiùs de hoc futuro creato libero, quàm de opposito, debuit ab æterno esse aliqua variatio huius potiùs obiecti, quàm de alio: non intrinseca, & inhæsiua, sed extrinseca consistens in applicatione passiua extrinseca huius potiùs obiecti, quàm oppositi intellectui diuino: quod totum, licèt variabiliter, & contingenter, habetur vi necessariæ applicationis suæ causæ creatæ proximę, quæ sicut in esse ponit contingenter effectum in seipso; ita applicata quoad cognosci, trahit contingēter applicationem sui effectus in seipso.

§. QVINTVS.

Aliud ex doctrina Angelici malè confectum argumentum adducitur, & soluitur.

494 Obijciunt quintò Aduersarij ita: Angelicus Doctor admittit de facto in Deo decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte effectus in ordine ad futura conditionata: sed hoc est destruere scientiam mediam: ergo. Probant maiorem: nam in quæstione 2. de Veritate artic. 12. ad nonum sic habet, *Non est incōueniens, quòd ponatur, quòd Deus scit aliquid futurum esse, quod non erit, in quantùm scilicet scit aliquas causas esse ad aliquem effectum inclinatas, qui non producetur*: Vbi subsumunt Aduersarij, sed tales causas esse ita inclinatas, & ordinatas ad effectum, non est sine Dei decreto eas ordinante, cùm ordo causarum sit prouisus à Deo; ergo Deus ex Angelico habet de facto aliqua decreta prouisoria circa effectus, qui non erunt, sed essent, si esset aliud decretum de conditione. Item quæst. 12. pariter de Veritate artic. 10. ad octauum, *Si prophetia*, inquit, *comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directè respicit, sic est absque omni conditione: absolute enim est ita ordinatum esse in causis, vt hoc contingat*. Ecce, aiunt Aduersarij, decretum absolutum actuale Dei ordinans causas: *Si autem*, subiungit, *referatur ad euentum, quem respicit indirectè, sic intelligēda est sub conditione causæ*, & ecce, addunt Aduersarij, effectum sub conditione futurum. Rursus prima parte quæst. 19. artic. 7. ad secundum, *Vtrumque horum*, ait, *Deus vult, scilicet, quòd aliquid quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem, quòd tamen futurum non sit, secundùm causam superiorem; vel è conuerso*. Tandem in primo distin. 46. quæst. 1. artic. 1. ad secundum, sic scribit Angelicus, *Voluntas antecedens potest dici cōditionata. nec tamen est imperfectio ex parte volun-*

voluntatis diuinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantijs, quæ exigūtur ad rectum ordinem in salutem.

495 Non credidissem sanè, nisi in fonte legissem, potuisse ab aliquo similia Angelici loca cōtra scientiā mediā adduci, cùm sint omnimodè impertinētia, imò potiùs probēt oppositum fini intento ab Aduersarijs: si enim benè trutinentur loca prædicta, apparebit, quòd ex qua parte in Deo est decretū actuale de aliquo effectu futuro, hic sit absolutè futurus; ex ea autem remanet conditionatè futurus, ex qua defacto non est in Deo decretum de illo; quantùm namque est ex parte causæ actù ordinatæ, & prouisæ ad aliquem effectum, si ex alio capite nihil deficeret, effectus actù in statu absoluto poneretur: & quòd non ponatur absolutè, nascitur, quia aliæ concausæ, vel requisita non sunt posita, nec ordinata in statu absoluto: quis enim non videt, quòd ignis Babylonicus, quantùm fuit ex parte sua, defacto combussisset pueros, si Deus nō suspendisset suū concursū? non fuit ergo cōbustio actualis in statu absoluto, nō defectu ignis, sed quia nō fuit cōcursus Dei: ergo effectus nō remāsit futurus cōditionatè ex ea parte, ex qua causa erat actù absolutè disposita: sed ex ea, ex qua non fuit absolutè disposita: & ideò vera est conditionalis, si Deus concurrisset eū igne Babylonico iuxta eius naturalem actiuitatem, tres illi pueri fuissent consumpti. An non totum hoc continent loca Angelici, præcipuè secundus locus, *Si prophetia comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directè respicit, sic est absque omni conditione; absolutè enim est ita ordinatum esse in causis, vt hoc contingat; si autem referatur ad euentum, quem respicit indirectè, sic intelligenda est sub conditione causæ?* Si ergo futurum conditionatè non fit tale vi decreti absoluti, sed vi alterius causæ cōditionatè acceptæ, impertinens omninò est pro futuro conditionatè decretum absolutum: sed hoc potiùs datur relatè ad causas, vt indè appareat Dei potentia, & subiectio omnis creaturæ ad Deum, constituitque causam creatam actù ex se potentem, non effectum conditionatè futurum. Non est tamē hic transcuranda animaduersio, quòd effectus vi causæ inadæquatæ non potest dici nec simpliciter, nec adæquatè futurus, sed restrictè, & cum addito, quantùm scilicet est ex parte talis causæ: cū enim causa inadæquata sola nec contineat, nec possit producere effectū, neq; etiā vi illius solùm poterit idem effectus esse futurus; si ergo causa creata, Deo non concurrente, nihil sola potest, nihil dici poterit in illa siue absolutè, siue conditionatè futurum, sed dumtaxat quantùm est ex parte sua.

496 His addo loca adducta in argumento esse de effectibus omninò impertinentibus ad materiam, de qua agimus: primus nāque locus procedit de effectibus, ut necessariis, non vt liberis; nam procedit de effectibus prout in causa, secundùm quòd hæc est magis inclinata ad vnum, quàm ad alium; inclinatio autem ista, aut est à natura, aut à cognitione obiecti præcedente liberratem; ergo effectus, prout taliter in causa, non est liber, sed libertas exercetur, cùm voluntas illum ponit in se, non per id, quod continetur in causa. Secundus verò de prophetia comminationis procedit de conditione prohibita à Deo nobis, & de effectu comminato exhibendo à Deo, non liberè ponendo à nobis, de quibus vide, quæ dixi à numero 95. Tertius procedit de causis necessarijs simul, & liberis: nam verba illa adducit post quam affert exemplum de resuscitatione Lazari, quæ non erat futura vi causarum. Sed non vident Aduersarij, quòd hoc loco seipsos suffocant: si enim ait Angelicus, *Vtrumque horum Deus vult, scilicet quòd aliquid quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem, quod tamen futurum non sit secundùm causam superiorem, vel è conuerso;* Ergo aliquid est futurum, quantùm est ex parte Dei (de Deo nāque agitur, probante Angelico, quòd non sit mutabilis, quamuis aliqua non faciat, quæ comminatus est se facturum,) quod non erit futurum defectu voluntatis creatæ? Supponit ergo Angelicus in Deo determinationē ad aliquē effectū, qui tamē nō erit, liberè nolente creatura, non quia creatura vincat Deum; sed quia vtrumq; Deus vult, vt scilicet sit futurum, si creata voluntas ita voluerit; non sit futurum, si eadem volūtas creata noluerit; & ideò, quòd non sit effectus futurus, non est defectus voluntatis Dei, sed creatæ. Quartus tandem locus est sicut secundus de conditione pēdente à nobis, & effectu pendente à Deo, qualis est voluntas saluandi omnes, quæ non est omnimodò absoluta, volens scilicet efficaciter omnia media; sed solùm est voluntas de fine, & de medijs sufficientibus, exigito à voluntate creata opere bono, tamquam cōditione: talia autem sunt omnia decreta promissoria, & comminatoria, quæ sunt actù in Deo, non pro danda effectui futuritione conditionata, cùm potiùs ex parte sua dent futuritionem absolutam, sed pro actù mouenda, vel territāda voluntate creata in statu absoluto, prout dixi numero supracitato.

497 In forma autem ad argumentum respō-

deo, nego maiorem: nam decreta, quæ admittit defacto Angelicus in Deo, non sunt ad hoc, vt effectus reddatur conditionatè futurus; sed vt causæ fiant actû in statu absoluto per diuinam Prouidentiam disposiitæ, respectu quarum effectus fit in seipsis, prout in ipsis absolutè futurus; remanet autem cōditionatè futurus relatè ad eas causas, circa quas non est in Deo actû decretum, easdem disponens.

§. SEXTVS.

Vltimum proponitur ex doctrina Angelici æquiuocum argumentum, eiusdemque insubsistentia ostenditur.

498 OBijciunt vltimò ex Angelico Doctore Aduersarij ita. Sāctus Doctor quæst. 6. de Veritate artic. 3. sibi proponit scientiam mediam eo modo, quo defenditur ab eius Propugnatoribus, tamquam præcedens decretū Prædestinationis, & nihilominus eam refutat; ergo, signum est, quòd eam nunquam approbauit, tamquam antecedentem ad efficaciam suorum decretorum circa actus liberę creatæ voluntatis. Antecedens probant; nā agens in præcitato loco an Prædestinatio certitudinem habeat? hoc pro parte negante ponit 3. loco argumentum, *Si aliqua causa habet certitudinem ad aliquem effectum, effectus ille ex necessitate proueniet: nisi aliquod possit resistere virtuti agentis: sed Prædestinationi diuinæ, nihil potest resistere, voluntati enim eius quis resistet, vt dicitur Roman 9. Si igitur habet certum ordinem ad effectum suum, effectus eius necessariò producetur.* Huic autem argumento proponit deindè quasi respondeatur ab aliquo sic, *Sed dicetur. quòd Prædestinationis certitudo ad effectum est cum suppositione causæ secundæ.* Ecce, aiunt Thomistæ, responsionem Propugnātium scientiam mediam. Quasi autem hæc responsio refutetur ab obijcientibus argumentum, subiungit Angelicus, *Sed contra. Omnis certitudo quę est ex suppositione alicuius, nō est certitudo absoluta, sed conditionalis tantùm; sicut in me est certitudo, quòd Socrates mouetur, si currit; & quòd iste saluabitur, si præparabit se; & ita non est in diuina Prædestinatione alia certitudo de saluandis, quàm in me, quod est absurdum.* Tali autem proposito argumento respondens Angelicus sic habet, *Deus in voluntate agit non per modum necessitatis, quia voluntatem non cogit, sed mouet eam, non auferendo ei modum suum, qui in libertate ad vtrūlibet consistit; & ideò quamuis diuinæ voluntati nihil resistat, tamen voluntas, & quælibet alia res exequitur diuinam voluntatem secundùm modum suum, quia & ipsum modum diuina voluntas rebus dedit, vt sic eius voluntas impleretur.* In quibus verbis adhuc excludit omnem præsuppositionem liberi arbitrij, & scientiæ mediæ, quandoquidem non recurrit ad suppositionem scientiæ mediæ pro saluanda libertate, sed ad efficaciam volūtatis diuinæ, quæ simul causat actum, & modum libertatis actus; ergo libertas non saluatur ex Angelico, per scientiam antecedentem exercitij libertatis, sed per ipsā efficaciam diuinæ voluntatis. Clariùs autē, aiunt Thomistæ, antecedens argumenti solidatur, scientiaque media iugulatur ex Angelico, cùm deindè examinans responsionem præsuppositionis scientiæ mediæ, sic subdit, *Dicendum, quòd causa secunda, quam oportet supponere, ad inducendum Prædestinationis effectum, etiam ordini Prædestinationis subiacet; & ideò ordo Prædestinationis, quamuis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem, & si in exemplo inducto contrarium appareat.* His autem verbis, ait quidam Thomista, iugulat Angelicus scientiam mediam, non minùs, ac si ex fine eam iugulandi de ipsa ageret: etenim scientia media ponitur, tāquam præsupponens exercitium libertatis, vt certitudo deindè, & efficacia diuinæ voluntatis illud non offendat; Diuus autem Thomas docet, quòd etiam præsuppositio exercitij causæ secūdæ subiacet, & causatur ab efficacia diuinæ Prædestinationis; ergo in terminis ipsis Angelicus Doctor refutat talem præscientiam,

499 Respondeo hoc argumentum totum confusionibus, & falsa terminorum suppositione esse congestum; non mirum tamen, quòd odio habens lucem scientiæ, tenebras inquirat. In primis ergo nego, quòd in toto præfato Angelici Doctoris discursu vestigium vllum contineatur siue propositionis, siue refutationis scientiæ mediæ: Aduersarij enim pro eodem volunt accipi suppositionem causæ secundæ, & suppositionem conditionatè futuram exercitij causæ secundæ, quod est omninò falsum; quandoquidem omnis causa inadæquata, vt actû agat, debet supponere aliam concausam, non quasi conditionatè priùs agētem, sed in statu absoluto, vt in statu absoluto

luto actio fit ab vtraque concausa; qui ergo, dum agitur de concausis, vt actu in statu absoluto agant, requirit ad vnā causam, quòd debeat præsupponi alia, e.g. qui diceret, Sol, vt producat ranam, necesse est præsupponat alias dispositiones actiuas ranæ in terra, non ageret hic de præsuppositione talium dispositionum, tanquam in statu conditionato præuisarum, quòd agerent; sed de necessitate causæ actualis in statu absoluto, pro effectu habendo in statu absoluto; hoc modo agit Angelicus in casu argumenti, vt ostendam. Rursus Aduersarij, qui sæpè, etiam vbi non est verū, sciunt distinguere cognoscere in vi consequentiæ à cognoscere in vi consequentis; seu cognoscere puram cōnexionem terminorum, præscindendo à veritate terminorum in se, à cognoscere etiā veritatem terminorum in se, nunc ipsa eadem confundunt, accipiendo vnum pro alio; quis nāque non videt, quòd, qui propositiones conditionales facit de rebus actu existentibus, ad connexionem terminorum attendit, non ad conditionalem existentiam eorum? e.g. si quid creatum est, à Deo est, si quodlibet non est à se, ex his, quæ sunt, aliud est à se, aliud ab alio; & pari modo, si Sol supponit virtutem in planta benè dispositam, causat in ea fructum, si verò non ita supponit, non causat: nonne omnes istæ sunt propositiones conditionales, & nō de futuro conditionatè, sed de rebus in statu absoluto, in quibus solùm affirmatur, vel negatur connexio terminorum, non verò existentia, vel non existentia conditionatè futura eorum secundùm se? Hoc etiā modo loquitur Angelicus in casu, de quo agimus; ergo Aduersarij, non habentes, vbi pedem figant, pro scientia media impugnanda ex Angelico, ad confusiones recursum semper habent.

500 Vt ergo appareat veritas eorum, quæ modò dicebam, verba, & discursum Angelici, prout extat, referam, non omittēdo ea, quæ germanū sensum S. Doctoris indicant, sed tacentur ab Aduersarijs, ne fallacia argumēti ab ipsis facti, detegatur. Quærit ergo in loco citato ab Aduersarijs in argumento Angelicus, non de quacumque prædestinatione, sed de Prædestinatione Electorum ad gloriam de facto absoluté futuram, & quam in articulo antecedenti probat esse donum gratuitum, & non ex præuisione meritorum; de hac, inquam, Prædestinatione quæris, an certitudinem habeat? & probat in corpore non esse Dei Prædestinationem solummodò certam certitudine præscientiæ, in quantùm sciat Deus, quòd aliqui non deficient à salute: sed etiam certitudine ordinis causæ ad determinatum effectum, *Quia*, ait, *ille, qui est ordinatus per Prædestinationem ad salutem, numquam deficit à consecutione salutis*: huic autem infallibilitati consecutionis salutis vi, & efficacia Prædestinationis ordinantis Prædestinatum, videtur opponi libertas voluntatis creatæ in ea acquirenda; & ideò inter alia argumēta proponit 3. loco illud, quòd, *Si aliqua causa habet certitudinem ad aliquem effectum, effectus ille ex necessitate prouenit, &c.* Cui argumento respondet ex persona tertia, quod posset dici nō auferri per talē Prædestinationem libertatem, quia non causat suum effectum, nisi simul cum libertate; hoc enim significant illa verba, *Sed dicetur, quòd Prædestinationis certitudo ad effectum est cū præsuppositione causæ secundæ*, hoc est, non causat sine causa secunda, vt ostendam deindè ex eodem Angelico: tali autem responsioni subiungit Angelicus ex parte obiicientis, *Sed contra. Omnis certitudo, quæ est ex suppositione alicuius, non est certitudo absoluta*, hoc est habita vi illius, & independens ab alio, *sed conditionalis tantùm*, pendens nimirum ab alio, quod si non supponitur, deficit certitudo absoluta, eo modo, quo *in me est certitudo, quòd Socrates mouetur, si currit, & quòd iste saluabitur, si præparabit se, &c.* non verò absolutè.

501 Hunc autem esse germanum sensum doctrinæ Angelici euidenter apparebit, si verba, quæ relinquuntur ab Aduersarijs, suo loco adiungantur: in prædicto enim, *Sed contra*, ex parte obijcientis sic habet Angelicus, *Omnis certitudo, quæ est cum suppositione alicuius, non est certitudo absoluta, sed conditionalis; sicut non est certum, si Sol causat fructum in planta, nisi cum hac conditione, si virtus generatiua in planta fuerit benè disposita, propter hoc, quòd dispositio Solis ad effectum prædictum præsupponit virtutem plantæ, quasi causam secundam: Si igitur certitudo Prædestinationis sit cum præsuppositione secundæ causæ, non est certitudo absoluta, sed conditionalis tantùm sicut in me est certitudo, quòd Socrates mouetur, si currit, & quòd iste saluabitur, si præparabit se, &c.* Vides ne benigne Lector, vndè Thomistæ detruncata verba afferunt? vt nimirum nō appareat, quòd Angelicus loquatur de veritate purè conditionali, non verò de futuro conditionatè; quid enim significat, *Non est certum, si Sol causat fructum in planta, nisi cum hac conditione, si virtus generatiua in planta, fuerit benè disposita?* Numquid sine virtute dispositione in planta, Sol causat conditionatè? cùm dicat Angelicus, *Non est certum, nisi cum hac conditione?* Cum hac autem

autem conditione non causat conditionatè, sed in statu absoluto; docet ergo Angelicus, quòd non possumus affirmare de Sole dumtaxat, quòd causat fructum in planta, sed cum dependentia ab alio, scilicet, si simul supponatur dispositio virtutis generatiuæ in planta, *propter hoc*, ait Angelicus, *quòd dispositio Solis ad effectum prædictum præsupponit virtutem plantæ, quasi causam secundã*: vndè de Sole præcisè non possumus habere certitudinem, an causabit absolutè fructũ in planta, nisi etiam certi simus, quòd plãta sit benè disposita, & aliàs solùm poterimus habere certitudinem conditionalem, non conditionatè futuram; sermo enim est de connexione influxus Solis cum dispositione virtutis plantæ: non de veritate extremorum in se, si planta videlicet, vel Sol habeant virtutem causandi fructum cõditionatè futurum. Ex quo exemplo infert obijciens; ergo, si par est certitudo Prædestinationis, non ex se erit efficax, & certa, sed conditionaliter, si voluntas creata præparabit se. Cui obiectioni respondet Angelicus, quòd Prædestinatio diuina ad cõsecutionem effectus præsupponit etiam cõcursum causæ secundæ, seù voluntatis creatæ; sed non eo modo, quo Sol præsupponit dispositionem virtutis in planta: quandoquidem Sol ita præsupponit, vt non possit ipse Sol talem virtutem illi dare; sed supponit aliunde habendam: & ideò de ipso Sole dumtaxat, non possumus certè dicere, quòd causabit fructum in planta, sed conditionaliter, si fuerit scilicet dispositio virtutis in planta: at verò Prædestinatio virtute sua ponit dispositionem virtutis voluntatis, & cætera requisita; & ideò de se infert omnem certitudinem absolutam consecutionis effectus. Ecce verba Angelici omnia, & non detruncata, quæ præfatæ obijcientium instantiæ dat loco citato, *Dicendum, quòd causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum Prædestinationis effectum, etiam ordini Prædestinationis subiacet; non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicuius superioris virtutis agentis: & ideò ordo Prædestinationis, quamuis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutè habet certitudinem, & si in exemplo inducto*, nimirum Solis relatè ad plantam; *contrariũ appareat.*

502 Sicut ergo alibi dixi, nimirum numero secundo, quòd aliud est dicere futurũ conditionatum, aliud futurum conditionatè, & quòd primum solùm significat dependẽtiam vnius ab alio, seu connexionem, & verè dicitur de eo, quòd est, vel erit in statu absoluto, dicimus enim verè, si creatura est, Deus est; & si Sol nascetur, dies erit: secundum verò prætereà dicit modum futuritionis: vndè non potest verè affirmari de eo, quòd est, vel erit: non enim dici potest Deus est conditionatè futurus, si creatura erit, nec crastinus dies erit conditionatè futurus. Imò primus modus verificatur etiam de præterito, si ignis fuit, cõbussit; aliud ergo est conditionatum, quod transcendit omne tempus, aliud vero conditionatè futurum, quod significat modũ futuritionis: ita pari modo, aliud est dicere aliquid habere absolutam certitudinem, aliud habere certitudinem absolutè: primũ significat habere certitudinem ratione sui, & non dependenter ab alio, & hoc est verũ pro omni tempore, & statu: secundum verò prætereà modũ temporis significat, quod nimirum de facto habet, vel habuit, aut habebit, non verò quod haberet. Angelicus autem non dicit, quòd Prædestinatio habet certitudinem absolutè, prout distinguitur à conditionatè: sed absolutam, prout excludit dependentiam ab alio, cum ipsa virtute sua ponat reliqua.

503 Sed demus Thomistis Doctorem Angelicum in adducto argumento, & in illis verbis, *Sed dicetur, quòd Prædestinationis certitudo ad effectum est cum suppositione causæ secundæ*, voluerit intelligere scientiam mediam: nonne, si ita intellexisset, sententiæ Propugnantium scientiam mediam fautorem se exhibuisset in responsione? numquid enim respondendo, hanc suppositionem negauit? imò potiùs bis ratificat, & solùm addit; quòd id, quod conditionatè præsupponitur, ordinat deindè Deus in statu absoluto sua Prædestinatione absoluta, qua Electos ad gloriam destinauit. Ista namque sunt sua verba, *Dicendum, quòd causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum Prædestinationis effectum, &c.* Concedit ergo debere præsupponi; de quo asserit, quòd, *etiam ordinationi Prædestinationis subiacet*: id ergo, quod præsupponitur, subiacet deindè, quoad ordinationem, diuinæ Prædestinationi: hæc est doctrina Propugnantium scientiam mediam. Et rursus, *Ideò ordo diuinæ Prædestinationis, quamuis sit cum suppositione voluntatis humanæ, &c.* Ecce iterum ratificat suppositionem, *nihilominus tamen absolutam habet certitudinem*; absolutã, ait; in statu ergo absoluto, omnia sibi, suæ efficaciæ, & ordinationi, subijcit, non in statu conditionato, secundùm quem iam concesserat præsupponi. Si ergo in præfato loco scientiam mediam sibi proposuisset Angelicus, iam explicitè eam in terminis approbasset, non iugulasset, vt prætendũt

Tho-

Thomistæ. Fateor tamen non de scientia media, sed de cognitione attingente connexiones rerum, quæ est simplicis intelligentiæ, ibi sermonem esse apud Angelicum.

504 Hæc argumenta, quę componunt Thomistæ ex Angelico, & si quæ alia circumferuntur, non recedunt à substantia eorum, quæ iam examinata sunt: quam autem vim veritatis, an potiùs confusionum, ęquiuocationum, & falsarum suppositionum, impictarum Assectis scientiæ medię, pręferăt, relinquo iudicio, & prudentiæ Lectorum, librantium animo, à passionibus libero, & pondus rationum à me adductarum, & earum, quę à Thomistis iam adductę sunt. Et interim ego ad alia fundamenta pro vtraq; parte à ratione ortum ducentia, examinanda accedo.

CAPVT XI.

Rationibus improbantur decreta antecedentia, determinatiua volũtatis creatæ ad actus liberos.

505 ANtequam ad rationes deueniam pro improbanda Thomistica sententia, adstruente decreta diuina antecedẽtia, & efficaciter prędeterminantia voluntatem creatam ad actus liberos, vnum pręnotare necessarium duco, nimirum, quòd, quamuis iudicem, prout deindè rationibus probabo, efficacissimè conuinci similia decreta nullatenus posse componi cum libertate voluntatis creatę ad suos actus; nõ indè tamen infertur, sicut plurimi inconsideratè faciunt, quòd Thomistica sententia alicuius erroris censura taxari possit: in eo enim Lutherus, & Caluinus, sicut & Iansenius damnantur, quia talia decreta admittentes, contumaciter etiam docent per ea auferri libertatem indifferentiæ, & electionis: & ita negant homini post lapsum competere de facto talem libertatem, quod opponitur infinitis locis Scripturæ, & definitionibus Conciliorum. At verò Thomistæ ex opposito sentiunt, & totis viribus sustinent per talia decreta, non solùm nõ auferri, sed etiam causari libertatem indifferentiæ; ergo nihil docent, quod erroris nota censurari valeat: quòd enim dicatur hæc duo componi non posse: hoc ipsum est probandum, quandoquidem ipsi defẽdunt componi. Et addo nec sufficere, si talis incompossibilitas probetur rationibus, vt iure erroris taxari possit talis opinio: sed deberet probari Scriptura, vel Concilijs, aut Sũmi Pontificis definitione, quod certè à nullo præstari potest. Hoc ergo tamquam certo præsupposito.

506 Probo primò talia diuina decreta, prædeterminantia voluntatem creatam ad vnũ, nullatenus esse admittenda, ratione Theologica; quia nimirum ex fide habemus nos esse liberos in operando benè, vel malè, atque in nostra potestate esse eligere vitam, & mortem: sed libertas in operando non stat cum prædeterminatione ad vnum, habita vi decreti diuini; ergo talia decreta nullo modo sunt admittenda in ordine ad actus liberos creatæ voluntatis. Pro huius minoris, in qua tota huius controuersiæ consistit difficultas, probatione plura dixi à numero 53. Ex quibus nunc tria solùm specialiter motiua recolo.

507 Primum sit à prima radice libertatis: etenim libertas creata in eo differt ab increata, quòd ista sit à se, independens, & infinita, illa verò participata, dependens, & finita; cæterùm in ratione libertatis ita proportionaliter conueniunt, vt contradictionem inuoluat, quòd aliquod constituat libertatem creatam, & participatam, quod, si esset in Deo à se, & imparticipatè, constitueret necessitatem, non libertatem à se, & imparticipatam: sed in Deo, vbicumque opus prouenit ab aliquo principio ipsi necessario, & non libero, atque cum illo infallibiliter connexo, prouenit necessariò; & illud prouenit liberè, quod vel principium habet contingens, vel contingenter cum illo connectitur opus: si enim in Deo esset necessariò volitio creaturarum, & cum ea infallibiliter esset connexa existentia earumdem, non liberè, sed naturaliter eas produceret: sicut naturalis, non libera, libertate, de qua agimus, est productio Spiritus Sancti, proueniens ab amore, Deo necessario; ergo pariter, si opus creatæ voluntatis infallibile erit vi alicuius, creatæ voluntati necessariò, non liberè aduenientis, erit opus necessitatis, non libertatis participatæ: sed decretũ Dei præueniens, & efficax est Deo liberum, non liberum creatæ voluntati, & opus per illud volitum, est cum ipso infallibiliter connexum; ergo, si ponitur antecedens ad operari voluntatis, reddet illam necessariò, non liberè libertate participata operantem.

508 Re-

508 Respondet huic primæ probationi Aduersarij; negando pariratem à libertate diuina ad creatam, ex eo, quòd vbi in diuinis est necessitas, seu infallibilitas antecedens ad vnum, ibi non est potentia ad oppositũ, quæ requiritur ad libertatem: at verò in voluntate creata non solùm per decretum Dei antecedens, & infallibile non impeditur, verùm etiam causatur, siue complectur potentia proxima ad oppositum; & inde est, quòd operatio infallibilis in Deo, nõ potest esse libera libertate indifferentiæ, benè verò in creatura.

509 Sed istæ Aduersariorum phrases non sunt ad aliud inuentæ, quàm ad fugiendã vim difficultatis, non ad inueniendam rei veritatem: vndè responsionem ita primò oppugno. Vbi in Deo est formalis, & immediata libertas non potest inibi stare simul infallibilitas operandi antecedens suppositionem libertatis, nec potest componi potentia ad vtrumlibet cum infallibilitate antecedenti ad vnum: imò, si aliquod, Deo necessarium, esset ex se infallibiliter secũ trahens existentiam creaturarum, eo ipso tolleretur Dei dominium in creaturas, potentia ad vtrumlibet, & libertas: sed non aliundè similis infallibilitas antecedens operandi tot auferret à Deo perfectiones, nisi quia infallibilitas, antecedens vsum propriæ libertatis, opponitur ex se cum potentia, dominio, & libertate ad oppositum, aliàs non esset cur eum illis perfectionibus non esset in Deo componibilis libertas, sed formaliter eas auferret; ergo vbicumque similis reperitur infallibilitas, easdem etiã rationes dominij, potentiæ ad vtrumlibet, & libertatis aufert. Secundò, quia determinari intellectum ab euidentia cognitionis ad obiectum, qui ex se, adhuc stante cognitione, indifferens est, (si euidentia præscindatur) ad assensum, vel dissensum, nihil penitùs aufert de potentia proxima ad assensum, vel dissensum: statim enim, ac euidentiam tollas à cognitione, fit intellectus proximè potens assentiri, vel dissẽtiri: & tamen non est formaliter liber, eò, quòd indiget ab alio determinari; & idem dico de appetitu brutorum, qui à cognitione determinatur ad vnum; non ergo sola potentia ad vtrumlibet sufficit ad constituendam libertatem, sed præterea excludit determinationem, & infallibilitatem ad vnum, ortam aliundè, quàm à proprio exercitio potentiæ. Quòd enim dicunt Aduersarij voluntatem determinatam à Deo, adhuc remanere determinabilem secundò à seipsa, non sic intellectum, & appetitũ brutorum, verba dicunt, sed nihil in re; quandoquidem, si in sensu composito voluntas non potest aliud determinare; non ergo est indifferens in sensu composito; ergo neque in sensu cõposito determinanda, cùm determinatio debeat cadere supra indifferens, aliàs assignent cur non etiam intellectus, & appetitus sensitiuus non dicãtur determinari secundò, cùm concurrunt ad determinatum actum: determinabilitas verò in sensu diuiso nõ est aliud, quàm potentia ad vtrumlibet, quam habent etiã intellectus, & bruta.

510 Vrgeo adhuc in Deo: nam Deus volẽs producere v. g: hominem, est indifferens adhuc, vt ipsum producat album, vel nigrum, aut rubeum, hic, vel alibi, &c. & distincto actu libertatis determinatur ad ea, cùm quibus homo est fallibiliter, & contingenter annexus non sic autem potest animam, & corpus vnita producere absq; potentijs intellectus, voluntatis, &c. Eò, quòd istæ sunt cum anima infallibiliter, & inseparabiliter annexæ: vndè eadem volũtas, & libertas producendi animam, est voluntas, & libertas producendi potentias: & si Deus non liberè produceret animam, nec etiam liber posset esse, nec potentiam ad vtrumlibet habere relatè ad potentias: ergo etiam in ordine ad omnipotentiam Dei, summumque eius dominium implicat, vt comparatè ad duo inseparabiliter connexa, Deus habeat dominium, potentiam ad vtrumlibet, & libertatem cum vno, & non cùm alio; & econtra necessitas ad vnũ, si esset, esset etiam necessitas ad aliud: ergo pariter idipsum implicabit in creatura: atqui decretum Dei est infallibiliter, & inseparabiliter connexum cum obiecto suo, nõ minùs, imò magis, ac sit annexa anima cum suis potentijs; ergo, si hoc decretum non est creatæ voluntati liberum, nec liberum eidem poterit esse obiectum decreti, nimirum actus per illam volitus.

511 Secundum motiuum pro probatione antecedentis minoris desumo ex eo, quòd quousque voluntas creata intelligitur impossibilitata ad ponendum suum libertatis vsum, chimæricum est dicere, quòd sit libera proximè ad ponendum, vel non ponendum; vel liberè non ponat, quod impossibile est ponat: atqui voluntas semper esset huiusmodi, si ad operandum deberet prædeterminari à Deo, & numquam haberet possibilitatem proximam ad vtrumlibet; ergo numquam esset libera. Maior patet: quia libertas est potentia operandi vnum, vel alterum; ergo non stat libertas in actu, cùm voluntas ante exercitium suũ est iam impossibilitata ex se ad vnum. Hinc enim

enim sint illæ versatæ propositiones, quòd ad impossibile nemo tenetur, & quòd Deus non exigit à nobis impossibilia, contra hæretica dogmata Lutheri, & Caluini. Probo nunc autem minorem argumenti ex principijs ipsis Aduersariorum. Creata voluntas est causa secunda essentialiter pendens ita à prima, vt implicantiā dicat, quòd causa secunda hic, & nunc agat, non agēte prima: quod autem implicatorium est, impossibile est; ergo eo modo, quo hic, & nunc implicat actio creatæ voluntatis nō agente Deo, impossibile etiam erit, quòd agat voluntas creata, non agente Deo: sed per Aduersarios implicat voluntatem creatam determinare se ad aliquid, non determinato priùs Deo ad idem, siue non determinante etiam Deo priùs ad idem ipsam voluntatem; ergo quousque Deus non determinat se, simul & voluntatem creatam ad aliquid, implicat, & impossibile est, vt voluntas determinet se: sed numquam potest Deus determinare se, & voluntatem creatam simul ad opposita; ergo semper voluntas creata, ante omne suæ libertatis exercitium, esset solùm potens vnū, & impossibilitata ad aliud ex oppositis: numquam verò proximè potens vtrumlibet.

512 Vrgeo: potentiam amandi, vel odio habendi non habet voluntas ab intellectu, sed ex se: ab intellectu autem habet approximationem, seu præsentiam obiecti, quod intentionaliter applicatur voluntati; nullus tamen somniabit voluntatem esse liberam proximè ad amandum, vel non amandum obiectum omninò incognitum, & nullo modo præsentatum voluntati, eò, quòd impossibilis est amor, vel odium, non quidē secundùm se, sed hic, & nunc, in quo obiectum non supponitur repræsentatum, cū voluntas non agat, nec possit ferri in incognitum actù. Atqui eodem modo implicat determinatio voluntatis creatæ ad aliquid, ad quod non supponitur determinatus Deus, & determinans ipsam voluntatem, cùm voluntas creata, & secunda eius determinatio essentialiter per Aduersarios supponant determinationem primæ causæ; ergo, sicut voluntas non est libera hic, & nunc ad incognitum hic, & nunc ita nec hic, & nunc erit libera ad id, ad quod hic, & nunc non est Deus determinatus, nec determinans ipsam voluntatem.

513 Rursus insto: est chimerica positio entis creati independens à Deo; ergo est chimericum, & impossibile, quòd à creata voluntate sit positum aliquod, quod non sit positum à Deo: sed nihil potest à creata voluntate poni determinatum per Aduersarios, nisi Deus determinet priùs se, & voluntatem creatam; ergo impossibile, & chimericum est posse hic, & nunc proximè aliquid poni à voluntate creata, non determinato Deo ad illius positionem: sed Deus non determinat se ad vtrumque ex oppositis, imò nec potest; ergo numquam voluntas, nisi chimericè, est potens ponere vtrumlibet; dum ergo Deus determinās voluntatem creatam ad odium, & non ad amorem, exigit ab ea amorem, exigit ab ea chimeram, nimirum actum ab eo non determinatum, & consequenter exigit hic, & nunc, vt ponat actum independenter ab ipso: illum enim exigeret pro eo tempore, pro quo ipse non est ad illum determinatus.

514 Hinc autem clarè liquet, quàm ludrica sit illa Aduersariorum responsio, quòd, dū Deus vult determinare voluntatem creatā ad vnum, vult etiam in illa proximam potentiam ad oppositum; cùm enim impossibile sit voluntatem creatam determinare se ad aliquid, non determinata ad idem priùs à Deo, in hoc enim per Aduersarios consistit dependentia creaturæ à Deo, quam exuere non potest, contradictionem importat Deum velle, quòd potentia creata possit proximè id, ad quod non determinatur à Deo, esset enim proximè posse agere independenter à Deo.

515 Patet similiter insubsistentia alterius Aduersariorum responsionis, secundùm quam dicunt determinationem creatæ voluntatis habitam à Deo se tenere ex parte actus secundi, non ex parte actus primi; & ideò sine illa adhuc stare adæquatum proximum posse voluntatis creatæ: patet, inquam, Aduersarios in hoc confundere actum secundum vnius causæ cum actu secundo alterius causæ: quomodò namque erit actus secundus creatæ voluntatis id, quod non est ab ipsa, sed à Deo? etiam cognitio intellectus est actus secundus intellectus, sed non propterea se tenet ex parte actus secundi relatè ad voluntatem, ita vt voluntas dici possit proximè potens amare obiectum, antequam cognoscatur; & hoc non aliundè, quàm ex eo, quòd cognitio obiecti relatè ad actus voluntatis debet præcedere exercitium voluntatis: vndè, cùm non est, voluntas non est proxima potentia sui actus, deficiente aliquo medio prærequisito inter ipsam, & actum suum; cùm ergo determinatio voluntatis creatæ, habenda à Deo, debeat antecedere exercitiū proprium voluntatis, quousque non est ta-

lis determinatio, potentia in ratione potētiæ non erit proxima suo actui; ergo pertinet ad potentiam in ratione potentiæ proximæ: non ad suum actum secundum, licèt sit actus secundus Dei.

516 Tertium desumitur ex ratione impedimenti, insuperabiliter impedientis actū: etenim etiā actus secūdus impediēs insuperabiliter oppositum, siue sit à Deo, siue à quocumque alio, dummodò non sit ipsum liberum exercitium voluntatis, libertatem adimit, & proximum posse ad ipsam requisitum: atqui decretum Dei, quà decretum Dei, non est exercitium nostræ libertatis: & dum est efficax, & ad vnum determinatū insuperabiliter impedit voluntati creatæ, ratione sui, actum oppositum; ergo, & proximum posse ad libertatem requisitum, & libertatem ipsam adimit. Maiorem probo mille, & omnibus excogitabilibus exemplis: etenim quisque habens posse aperire ianuam, iam clausam à Deo, siue clauim ad reserandam vectem, quamdiù Deus efficaciter velit clausuram conseruare, & homini non tribuat vires superandi impedimentum, non erit iste liber ad ianuam aperiendam, vel vectem reserandam; nec potest Deus, volens insuperabiliter ianuam clausam, hominem obligare, vt aperiat, stante illa insuperabili clausura. Similiter, si ferrum, mobile à me, inueniatur insuperabiliter muro affixum, quamdiù ista insuperabilis affixio durat, nec hoc impedimentum motionis ferri est à me auferibile, non sum liber ad illud mouendum, nec potest Deus me obligare, vel dare posse ad mouendum ferrum, quousque non dat mihi vires ad auferendum impedimentum. Eodem modo vestes, quas possem in capsa occludere, non possum ipsas ita occludere liberè, si capsa sit plumbo, à me inauferibili, plena. Et ita discurrat quisque in omni actu secundo impediente oppositum, dūmodò aliunde, quàm à voluntate supponatur impedimentum inauferibile. Ostendo autem nunc minorem: distinguendo in nostro casu decretum efficax Dei de actu v. g: odij quoad materiale, & ipsum actum odij: quem, cùm prætendant iidem Aduersarij esse à nobis, non obstante decreto Dei, adhuc liberè, dicunt impedimentum ad oppositum amorem esse à nostra libertate, ex suppositione, quòd habet actum odij: sicut sessio impedit deambulationem: sed vides iam benigne Lector æquiuocum; quo se contegunt Aduersarij, transitum faciendo de decreto Dei ad actum: non tamen ego arguam ex actu, sed argumentum formo de diuino decreto causante actum odij quoad materiale, & antecedente, tamquā causa determinatiua voluntatis, ipsum exercitium voluntatis, & argumentor ita. Decretum Dei, quà Dei, vt terminatum ratione sui, & non ratione voluntatis creatæ, ad actum odij, ratione sui est infallibiliter connexum cum materiali odij, & impediens, prout ratione sui tendit ad odium, actum amoris; cùm ratione sui non possit reddere compossibilia amorem, & odium eiusdem obiecti in iisdem circumstantiis; ergo antecedēter, & in signo antecedēti causæ, atque independenter à volūtate nostra, & ni præcisa decreti diuini efficacia de odio, redditur incompossibilis amor cum tali Dei decreto; ergo impedimentum insuperabiliter impediens positionem actus amoris haberetur antecedenter ad actum voluntatis creatæ vi diuini decreti ratione sui: sed Deus non potest tribuere voluntati creatæ, vt suum antecedens decretum possit auferre, vel superare; ergo non potest tribuere posse proximum requisitum ad liberè non ponendum, vel ponendum amorem.

517 Nec locum hic habet distinctio sensus compositi, & diuisi; sicut enim exempla adducta illam non admittunt ex eo, quod impedimentum in illis non est ex suppositione liberi exercitij voluntatis, qualis est casus sessionis liberæ, sed aliunde; ita nec locum habet, cùm impedimentum nascitur ex decreto Dei, non ex nostro exercitio. Ruit etiam illud aliud aufugium, quòd Deus suo decreto vult simul materiale odij, & posse proximum in voluntate creata ad amorem: sicut enim hoc posse non potest Deus velle in exemplis relatis, nisi dei uires superandi impedimentum, multò magis non poterit velle, vbi non potest dare voluntati creatæ posse auferre, vel vincere suum decretum impediens.

518 Probo secundò insubsistentiam sententiæ de decretis prædeterminantibus, euertendo fundamentum, in quo omnis Contrariorum ratio radicem habet: quæcumque enim ratio siue naturalis, siue ab authoritate prò probandis similibus decretis, in id vltimò resoluitur, quòd causa quæcumque creata nihil potest agere, vtpotè essentialiter ordinata, & pendens à prima in esse, & operari, nisi præagente Deo, & communicante ipsi operari: sed hæc essentialis dependentia nihil probat contra scientiam mediam, vel in fauorem Thomisticæ sententiæ; ergo Thomistica isthæc sententia vndequaque ruit. Minorem euidenter probo: quia tota ratio pendentiæ creaturæ à Deo, & independentiæ huius ab illa sita est in ordine intentionis, non verò in ordine exe-

executionis, hoc est, quòd nihil possit creatura in operando exhibere, nisi idipsum præintenderit Deus; non verò, nisi executio operis præincipiat à Deo, vniuersaliter loquendo: benè namque potest Deus aliquid intendere, vt exequendum dependêter ab exercitio creaturæ, tamquam à primo incipiente ordine executionis; eo namque modo, quo Deus intendit ostensionem suæ Iustitiæ punitiuæ, & non incipit huius executio, nisi ex suppositione peccati, & demeriti, ad cuius executiuam positionem nullum penitus Deus influxum habet: in ordine etiam ad præmium, hoc, vt tale, non est à Deo executiuè ponendum in recompensationem operis boni, prout à Deo, sed præcisè, vt proueniens liberè à voluntate creata: non enim Deus præmiat se, sed voluntatem creatam, cùm non ipse apud seipsum mereatur, sed creata voluntas, vt liberè Deo respondens: ac consequenter executio præmij non incipit à Deo, sed à nobis, quamuis non ita intentio: vniuersaliter enim verum est, quòd, si creata voluntas sua libertate non responderet Deo, saltem finaliter, numquam præmianda foret, ac numquam damnanda, si finaliter responderet: ergo amborum horum decretorum Dei, & pœnę, & præmij executio essentialiter pendet à nobis: non quidê ex se, sed supposito decreto Dei volentis, & intendentis pœnam, vel præmium; ergo benè stat, quòd in iis, in quibus creatura potest aliquem influxum habere, licèt Deus, vt intendat, vel non intendat, hoc, aut illo modo, nec pendeat, nec expectet aliquid à creatura: potest tamen in obiecto ipso velle dependentiam executionis à creatura, vt videlicet executiuè non sit ponendum obiectum volitum, nisi posita à creatura aliqua conditione.

519 Pari ergo ratione, licèt Deus, vt velit cû creata voluntate concurrere, vel non concurrere: hoc, aut illo modo: adhuc, siue ad alium effectum, non pendeat, nec expectet aliquid à creata voluntate, sed seipsû determinet, prout sibi placuerit: potest tamen in his velle quoad executionem dependentiam à creata voluntate, nimirum velle poni hoc, si ad illius positionem accedat determinatio secunda, idest, propria creatæ voluntatis: & poni oppositum, si ad oppositum accedat determinatio creatæ voluntatis: eo modo, quo decretis promissorijs, & minatorijs vult præmium, si creata voluntas respondebit Deo: & vult pœnam, si Deo vocanti respondere restiterit: sicut ergo nec rationem causæ primæ offendit, quòd Deus non exequatur pœnam, & præmium, nisi dependenter ab aliquo voluntatis creatæ, neque idipsum causam creatã supra se ipsam extollit: ità, quòd Deus executiuè nô ponat concursum suum ad amorem, nisi accedat propria determinatio creatæ voluntatis, vel ad odium, nisi pariter ad illud se determinet voluntas creata, nec Dei Maiestatem offendit, nec creatam voluntatem extollit. Et, sicut decretum Dei de præmiando, vel puniendo benè, vel malè operantem, est formaliter, vel virtualiter duplex; pari modo duplici siue formaliter, siue virtualiter decreto complet Deus voluntatem creatam sub ratione liberi: atque vtroque conditionato ex parte volitū exhibendi scilicet hunc concursum, si ita se determinauerit creata voluntas, vel ad oppositum, si hæc se determinauerit ad oppositum.

520 Ratio hinc patet à priori totius doctrinę, quare nimirum Deum ita conditionatè velle, nec suam dedeceat Maiestatem, nec creaturam supra seipsam eleuet: non enim hoc modo velle importat Deû à nobis pendere in volendo, aut nos non pendere ab illo; sed potiùs eius dilatat supra creaturam Dominium, vt possit multipliciter obiecta creata velle, aut scilicet se solo, absque vlla dependentia vnius obiecti ab alio; vel cum dependentia ad inuicem: & ita potest Deus in nobis velle actum, necessitando nos suo concursu ad vnum; potest item velle concursum suum ex parte obiecti habere dependentiam à nostra libera determinatione; ac consequenter dependentiam inuoluit in obiectis secundùm placitum volûtatis diuinæ, non verò dependentiam eiusdem diuinæ voluntatis à nobis; id namque, quod executioni mandandû est, non est diuina voluntas, quæ iam supponitur esse, sed eius obiectum, secundùm quod fuit ab eadem intentum.

521 Hinc appareat volo, quàm ludicræ sint scrupulosæ propositiones illæ, quæ ab Aduersarijs obijciuntur contra Assertores scientiæ mediæ, quòd ex ea videlicet sequitur, Deum in suis decretis expectare debere opus creaturæ: Deum non determinare se ad suum operari, sed fore determinandû à creatura: sua item decreta non ex se habere efficaciam, sed illam à nobis emendicare, ac tandem non nos Deo subijci, sed ipsum suam omnipotentiam, & voluntatẽ subijcere nobis: ludicra certò conficta, orta aut ex mala intelligentia doctrinæ de scientia media, aut ex confusione eorum, quæ solertiùs deberent distingui: nunquid enim quia Deus non punit, nisi peccatorem, & peccatum non est nisi à nobis, sequitur Deû

in suo decreto comminatorio pœnæ expectare aliquid à nobis, vel determinari à nobis, & non à se; aut suum hoc decretũ efficaciam habere à nostra culpa; ac suam omnipotentiam, & velle subijcere nobis? Si ergo distinguerent, prout distinguere deberent Aduersarij, ordinem intentionis decreti ab eius passiua executione; seu ab executione obiecti voliti, non hæc contra Assertores scientiæ mediæ obijcerent commenta: hac enim supposita distinctione, discernerent, quòd non expectat Deus in eo, quod voluit fieri simpliciter, sed fieri, si sit conditio ab eo requisita: non fieri, si non sit conditio (loquendo de rigorosa expectatione; cæterùm Scriptura non Deum lædit, cùm dicit, *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas,*) potiùs autem, si fas esset, dici deberet, quòd executio obiecti voliti expectet ad suum esse determinationẽ creatæ voluntatis. Rursus, quòd nullatenus creata voluntas determinat Deum, sed ipse à seipso dumtaxat determinetur: determinatio enim voluntatis non est executio, sed intentio operis: voluntas namque determinat omnes alias potentias sibi subditas intendendo, non exequendo earum opus; ergo pariter seipsam determinat intendendo, non exequendo suum operari, cùm potiùs executio operis supponat iam voluntatem determinatam; cùm ergo Deus antecedenter ad nostram voluntatem intendat concurrere, & sola executio pendeat à nostri determinatione, tamquam à conditione præuolita, executionem operis, non Dei voluntatem vllo modo determinamus nos. Insuper cùm Dei decretum in casu nostro de actibus liberis pendentibus à nobis, non sit, nisi conditionatum ex parte obiecti, accedente scilicet nostra determinatione, non aliam efficaciam habere potest, nisi quale est, nimirum, vt, posita conditione, infallibiliter ponatur effectus: quis autem negat, quòd, accedente determinatione creatæ voluntatis, infallibiliter erit opus? Ac tandem, cùm non ideo Deus velit, & intendat concurrere, quia vult creata voluntas, non sequitur, quòd se, vel suam omnipotentiam subijciat Deus creatę voluntati, sed opus, & concursum actualem creatum.

522 Dupliciter autem huic argumento respondere poterunt Aduersarij. Primò dicendo, quòd, & si præmium debeatur operi bono, prout liberè prouenit à voluntate creata, nihilominus, vt ab hac proueniat, idipsum habetur, & causatur à Deo suo præcedenti decreto determinato ad vnum: in pœnæ autem executione, licèt decretum non causet peccatum, cui debetur, adhuc tamen potest seruare suam antecedentem efficaciam, & infallibilitatem ex eo, quòd, posito decreto permissiuo, infallibiliter voluntas creata ponet peccatũ, ob quod infallibilis etiam erit executio pœnæ: atque ideò semper saluatur efficacia antecedens, & determinatio ad vnum decreti diuini: at non talia ponuntur Dei decreta ab Assertoribus scientiæ mediæ, sed expectantia executionem suorum obiectorum à voluntate creata. Secundò, quòd adhuc admisso decretum pœnæ non posse esse ex se efficaciter executiuum, eò, quòd ex se non potest habere connexionem cum peccato, cui pœna debetur: non inde valeat inferri, quòd talia possint esse decreta Dei in ordine ad effectus physicos, ad quos repugnantiam non habet, imo de necessitate Deus debet prius, quàm creatura concurrere.

523 Vtraque tamen responsio sic reijcitur. Prima sanè, quæ videtur aliqualiter scrupulosa: quia secundùm id, quod spectat præmium, meminisse deberent Aduersarij, quòd ad saluandam libertatem, & rationem electionis in creatura, distinguunt duplicem determinationem in ea; primam, quæ sit à Deo, & secundam, qua creatura determinat se ipsam liberè; nunc autem dicunt illud idem ipsum, quo creatura liberè operatur, esse causatum illi à decreto Dei antecedente; vbi est ergo determinatio secunda sui ex se, si etiam hæc est à Deo, ac consequenter frustra excogitata, cùm iã per primam sit à Deo determinata? vel impertinens est prima, si etiam secunda est prius à Deo. Ni fallor, ita eliget, & se determinabit homo in sententia eorum, qui taliter responderent, ac eligunt, & se determinant bruta, in quantum nimirum actus determinatus potentiæ indifferentis ad plura est simul per prius à Deo, & secũdo à creatura: num quid enim actus appetitus brutorum non est etiam à potentia appetitiua ipsorum? Quidquid tamen sit de hoc; insto contra responsionem sic; præmium, quà præmium, non debetur operi bono, vt formaliter causato à Deo, sed vt causato à voluntate creata, cuius, & nõ Dei, est mereri; ergo executio præmij nõ habetur formaliter vi operis boni, prout à Deo, sed prout à voluntate; ergo diuinũ decretum pendet executiuè à voluntate creata, prout principium creatum est operis boni; & consequenter hæc dependentia executiua, quæ, vt dicebam, est dependentia operis, non voluntatis diuinæ, à nobis, non dedecet diuinam Maiestatem.

For-

Fortiùs autem responsionem obtundo ex parte pœnæ, & ita argumentor. Cùm dicitur, quòd, posito decreto permissiuo, voluntas creata infallibiliter ponit peccatum, vel supponitur hanc infallibilitatem induci in ipsam vi eiusdem decreti, vel ex se hanc infallibilitatem habere. Si primum; vide quid dicas; iam ergo Dei decretum effet causa inducens peccatum, & nos infallibilitans ratione sui ad illud. Deus ergo nos implanat in peccatis; & quid quæso aliud requiritur, vt dicatur Deus nos implanare in peccatis, vel esse causa inductiua peccati in nobis? Si secundum nos ergo ab intrinseco sumus determinati, & infallibilitati ad vnum, nempè ad malum; & vbi est indifferentia, vnde peccatum? Vbi est rectitudo, in qua creatus est Adam, si cum tota iustitia originali, stante solo decreto permissiuo infallibili impetu ab intrinseco erat connexus cum peccato, quod est malorum omnium summum? Addo, quòd dato hominem ex se esse infallibiliter connexum cum malo; nemo certè sanæ mentis negabit decretum Dei non trahere ex se & ratione sui intrinseca peccatum; atqui ad executionẽ pœnæ requiritur executio peccati; ergo decretũ Dei, non trahens ex se peccatum, non trahit ex se pœnæ executionem; & cùm neque supponat ratione sui peccatum, sed potiùs aliunde sit futurum, si ponatur decretum subsequens permissiuum, nullo consequenter modo habebit ex se infallibilitatem executionis, sed dependenter ab aliquo posteriori, ponendo à creatura, non ex se; ergo, si hoc posterius non ponetur, decretum antecedens, quod auferri non potest, non erit executiuè efficax: ergo ex se, & antecedenter non poterit esse, nisi conditionatum.

524 Secunda reijcitur etiam. Semel enim quòd conceditur, aliquod decretum Dei de aliquo effectu positiuo, qualis est executio pœnæ, posse esse conditionatum, & pendens quoad effectum ab aliquo extra Deum; non ergo est contra rationem primæ causæ, vt eius effectus possit pendere ab aliquo extra se quoad executionem voluntatis diuinæ; neque ergo erit contra rationem Maiestatis diuinæ, vt effectus ab eo volitus pendeat ab aliqua conditione creata bona; quis enim ita cæcutit, vt dicat decere Deum, vt eius effectus possit pẽdere quoad executionẽ ab aliquo malo, ab alio ponendo: sed non ita decere, vt possit pendere ab aliquo bono? quasi pendentia voluntatis diuinæ à malo non dedeceat Deum, pendentia verò à bono dedeceat: & ideò ne pendeat à bono, illud causat: à malo verò pendere potest, sed non illud causare. Sed vide vndè ista confingunt Aduersarij: quia nimirum confundunt rationem pendentiæ cum ratione mala, vel bona termini; aliud namque est, an decretũ Dei possit ab aliquo extra se pendere, aliud an illud, à quo pendere posset, sit malum, vel bonum: quis enim non videt, quòd, cæteris paribus, melius est pendere à bono, quàm à malo? sed quia omnis pendentia imperfectio est, nihil Dei potest, nec à malo, nec à quocumque bono pendere: si ergo imperfectio est pendentia, chimera erit dicere, quòd Dei decretum possit in sua efficacia pendere à malo nostro, & eodem modo à nostro bono: sed quia in casu, de quo agimus, non importatur pendentia decreti, sed obiecti eiusdem decreti, quod est quid creatum, hæc, siue sit pendentia à malo, siue à bono, non Deo, sed obiectis creatis imperfectionem redolet: & ideò pari passu siue à malo, siue à bono esse potest.

525 Probo tertiò idem assertum ex ineuitabili absurdo, quod sequitur, nimirum, quòd Dei voluntas esset in nobis causa peccati, vi sua ineuitabili illud in nobis inducens, ac consequenter à Deo nos implanari in peccata, quod non solùm aures cuiuscumque conditionis hominum offendit; sed explicitè sacræ opponitur Scripturæ; id autem ineuitabiliter sequi ex sententia Aduersariorum, euidenter probo, adhuc in eorum principijs, duplici medio. Primò, quia cùm Deo volenti nulla creatura resistere valeat, adhuc in Aduersariorum sententia, creata voluntas, vt formaliter affecta decreto Dei antecedenti de materiali furti vel mendacij, seu, vt vtar eorum principijs, in sensu cõposito, non potest nõ ponere materiale furti, & mendacij; atqui voluntas creata non potest separare formale culpæ ab eo materiali, cui est annexa carentia rectitudinis debitæ: ergo per id, per quod redditur impotens in sensu composito non ponere materiale, per idem redditur impotens in eodem sensu composito, & prout affecta decreto, non ponere formale; ergo vi decreti ineuitabiliter, seu in sensu composito decreti, ac ratione illius efficaciæ voluntas creata esset infallibilitata etiam ad formale culpę, & solùm in sensu diuiso, & præciso decreto, non esset infallibilitata ad culpam. Maior argumenti est radix doctrinæ Aduersariorũ, qui ideò requirunt similia decreta, vt in ijs, tamquã infallibiliter connexis cum obiecto decretato, possint futura cognosci; ac consequẽter; si vi decreti antecedentis Dei res sit futura,

tura, non potest voluntas creata deinde facere, vt non sit futurum, quod iam est futurum vi decreti diuini. Minor etiam præ omnium est oculis; si enim possemus separare malum culpæ à materiali furti, mendacij, &c. nemo prorsus esset, qui appetens materiale, non odio haberet malum culpæ; nemo enim appetit malum culpæ, nisi quia non potest illud separare à physico delectationis actus. Consequentia autem est euidens: nam creata voluntas ex se, & præciso decreto, sicut est indifferens ad furtū, & carentiam furti: ita pariter est ex se indifferens ad illius malitiam, vel non malitiā; quòd ergo deindè determinata à Deo ad materiale, nō possit in sensu cōposito nō incurrere actū determinatè formale culpæ, ab eo habet, ratione cuius hic, & nunc in sensu composito non potest non ponere materiale. Secundò idem probatur etiam ex principiis Aduersariorum, quia in causa ex se indifferenti ad multa, qualis est volūtas, non potest (vt patet ex dictis, ex Angelico, & Thomistis ipsis, eiusdem Sancti Thomæ loca nobis obiicientibus) cognosci à Deo, vt futurus, determinatus effectus, eo, quòd, vt indifferens, se habet ad multa, & non determinatè ad vnum: atqui per Aduersarios Deus in suo decreto antecedēti permissiuo cognoscit determinatam futuritionem culpæ, v. g. furti potiùs, quàm aliud futurum; ergo hanc determinatam futuritionem infallibiliter futuram trahit secum infallibiliter in voluntate tale decretum permissiuum, quà tale, per hoc, quòd est volitio determinata de tali materiali, cui infallibiliter annectitur tale formale culpæ.

526 Vrget autem magis hoc argumentum in Adam, & Angelis ante primum peccatum, & secundùm quòd fuerunt recti à Deo creati: horum namque voluntas, vt sic à Deo creata, certè, vt talis, non erat magis, vel minùs annexa cum permanentia in bono, aut cum casu; & quantùm erat vi voluntatis, vt ita creatæ, non poterat Deus cognoscere vt infallibiliter futurum ipsorum casum; accedente autem decreto Dei permissiuo voluntati ita rectæ creatæ, cognouit Deus, vt infallibiliter futurum, illorum peccatum. Tunc sic: non cognouit Deus, vt infallibiliter futurum, tale peccatū, infallibilitate orta à voluntate, vt ita creata recta, quia vt talis erat omninò indifferens; ergo hanc infallibilitatem futuræ culpæ inducit illi decretum Dei permissiuum, quà tale, quatenus scilicet determinans, & infallibilitans illam ad materiale; eadem infallibilitate reddit illam annexam futuro formali; ab aliquo namque ortum habet noua hæc infallibilitas futuræ culpæ: sed non à voluntate, vt creata à Deo, quo pacto est omnimodè indifferens; ergo à decreto permissiuo, quod ei adiungitur.

527 Probo quartò ex alio absurdo, quod pariter sequeretur, nēpe quòd ex opposita sententia infallibiliter exulat ratio meriti, vel demeriti ab operibus creatæ volūtatis; quod, ita ex communi omnium sensu ostendo: nā, tamquam lumine naturali notum, indubitatum est apud Summulistas, & pariter apud omnes Prudentes, eò, cæteris paribus, decrescere, ac diminui rationem culpæ, (& idem proportionaliter intelligendum de ratione meriti) in opere inordinato hominum, quò efficacior est tentatio, cui succumbit, & econtra eò maior, cæteris paribus, & in eodem genere est culpa, quò minor est tentatio, à qua homo vincitur; & non aliundè, nisi quia, quò maior est tentatio, eò magis trahitur ad obiectum concupiscibile, & recedit ab indifferentia ad vtrumlibet, ac à ratione liberi, licèt tentatio, non reluctantem trahat voluntatem, sed dulciter, & suauiter; ergo ex omnium sensu, quò voluntas ab alio, quam à se, trahitur ad vnum, & recedit ab indifferētia, eò minùs meretur, vel demeretur, receditque à modo operandi liberè; quæ ergo omnimodè trahitur ad vnum, & recedit ab indifferentia ab opposito, nihil meretur, vel demeretur, deperditque omninò rationem operantis liberè; atqui decretum Dei eam omninò infallibilitat, & trahit ad vnum, & recedere facit sua efficacia ab indifferentia; ergo similia decreta, & rationem libertatis, & rationem meriti, vel demeriti omninò euacuant à voluntate creata.

528 Probo tandem idem assumptum ex innato veluti sensu quorumcumque hominū. Quisque enim talem de scientia diuina sibi veluti innatum conceptum habet, vt interrogatus quid iudicet de rebus, quæ conditionatè essent, non solùm iuxta actualē Prouidentiam Dei, sed circa eam, quæ posset Deus habere; e. g. an iudicet, si Deus crearet alium mundum, crearet in eo Angelos, & homines: & si crearet, an quales sunt de facto, vtrum potentes operari benè, & saluari, & quomodò operaturi essent; & vt summatim loquar, de omnibus combinationibus, quæ possent in tali suppositione esse; statim responderet: imò blasphemiam existimaret, Deum etiam nescire, quæ voliturus esset in tali casu, licèt de facto noluerit; ergo omnes iudicium firmum habent

habent de eo, quòd ipse certò cognoscat non solùm, quæ vult defacto, verum etiam quæ sub tali, vel tali conditione vellet: & quid vellent etiam creaturæ: hæc autem est in terminis scientia media; ergo scientia media in Deo habetur apud homines, tamquam quid lumine naturæ notum, tantum abest, vt sit inuentum Semipelagianorum, vt vociferant extra propositum eius Oppugnatores.

CAPVT XII.

Obiectiones adducuntur à ratione desumptæ, & enodantur.

529 OBijciunt etiam Aduersarij ratione primò contra scientiam mediam argumentum, totum fundatum in falsa suppositione, & æquiuocatione terminorum: supponunt namque, vt videre est apud Ioannem à Sancto Thoma prima parte quæst. 14. disput. 20. artic. 14. numero 4. Assertores scientiæ mediæ ponere pari necessitate Deum cognoscere per illam futura conditionatè, nulla expectata voluntatis diuinæ determinatione, ac per scientiã simplicis intelligentiæ cognoscit possibilia, ante omne suum decretum, eò, quòd vtrobiq; ponitur obiectum in se ipso verum, & cognoscibile ante decretum Dei. Hac autem facta suppositione, sic arguit prælibatus Doctor: Veritas futuri conditionati est defacto veritas determinata, & vt talis à Deo determinatè cognoscibilis, licèt obiectum eius non nisi sub conditione sit existens; e. g. defacto determinatè verum est, quòd, si mansisset Dauid Ceilæ, tradidissent Ceilitæ ipsum Sauli, taliter, quòd hæc veritas nõ est sub conditione pendens, & suspensa, sicut est pendẽs, & suspensa existentia traditionis; ergo talis determinata veritas, prout extracta a puro statu possibilitatis, & indifferentiæ, ex aliquo principio, & causa esse debet. Sed non ex se ipsa, cùm ex se sit contingens, vt manente Dauide Ceilæ, sit futura traditio, vel non traditio: non à voluntate creata: quandoquidem hæc non potest in aliquem influxum sibi facere locum, in quem locum non etiam habeat diuina voluntas; ergo vbi defacto non influit hæc, neq; locum influendi habere potest illa; ergo ante decretum Dei illa actualis veritas ortum habere non potest à voluntate creata: neque ex præcisa omnipotentia ante decretum, quia ex hoc ortum ducit rerum possibilitas, non futuritio, nisi accedat Dei decretum liberum; ergo non remanet à quo alio possit præfata actualis veritas oriri, vt determinatè talis, nisi à Dei actuali decreto, illam determinante, & extrahente à puro statu possibilitatis.

530 Respondeo ex sæpè dictis falsam in primis esse suppositionem, quòd Assertores scientiæ mediæ ponunt Deum pari necessitate cognoscere futura conditionatè ante decretum Dei, ac per scientiam simplicis intelligẽtiæ possibilia; & satis mirũ est, quòd semper Aduersarij volunt confundere tò ante decretum existens, cum tò ante decretum conditionatè præconceptum, seu signatè attactum, & sub hoc æquiuoco scientiam mediam impetere, quod non nisi in præsenti magis elucet; per scientiã nãque simplicis intelligentiæ Deus attingit possibilia omninò antecedenter, adhuc ad possibilitatem suæ voluntatis liberæ: cùm possibilitas rerum oriatur ex præcisa omnipotentia, vt communicabili, & prius sit rem esse possibilem, quàm Deum posse illam liberè velle producere; si ergo pari necessitate ponerent Assertores sciẽtiæ mediæ cognoscere Deum futura conditionatè ante suum decretum, ponerent aliquid cõditionatè futurum independẽter omnimodè à Dei voluntate tum existente, tum conditionatè præconcepta, tum etiam possibili, quod nec somniarunt Assertores scientiæ mediæ; cùm ad futurum conditionatum prærequirant, non solùm possibilitatẽ decreti diuini, sed etiam conditionatam eius existentiam, seu existentiã illius, vt signatè præconceptam, hoc nimirum modo; si esset decretum, & cætera se tenẽtia ex parte causæ, esset effectus. Rursus, quid vult Ioannes a Sancto Thoma per illa verba, *pari necessitate*, nonne nouum inducit æquiuocum? Scientia namque simplicis intelligẽtiæ, non solùm est necessaria secundum intrinseca scientię, quo pacto omnis sciẽtia est Deo necessaria, sed etiam ratione obiecti, cùm possibile necessariò sit possibile: at verò scientia media ratione obiecti non minùs est libera, quàm sit scientia visionis, cùm futurũ conditionatè nõ minùs pẽdeat à voluntate sub conditione attacta, quàm futurũ absolutè à voluntate absolutè existente, vel futura. Quæ ergo, tamquam in doctrina de scientia media contenta, supponit iste Author?

531 Sed venio iam ad argumentum, in quo sub æquiuocis laboratur. Quid namque est, veritas futuri conditionati est defacto veritas determinata, licèt obiectum eius non nisi sub conditione sit existens? Illa namque particula, *licèt*, diuersitatem significat in existentia obiecti ab ipsa veritate, quasi existat veritas; & non existat obiectum, quòd dicitur verum, quando verum, & ens conuertuntur. Quis metaphysicus id vnquam somniauit? nego ergo reperiri vllam diuersitatem in existentia obiecti ab eius veritate; sed dico tam obiectum esse conditionatè obiectiuè existens in mente diuina, & non in se ipso, quàm eiusdem veritatem, prout explicaui à num. 489. vsque ad 494. inclusiuè. Quid item est, quòd veritas traditionis Dauid Sauli, si permãsisset idem Dauid Ceilæ, non est pendens, & suspensa, sicut existentia eiusdem traditionis, nonne confusio, & transitus fit de statu conditionato veritatis, ad statum absolutum existentiæ traditionis veræ? nũquid enim non attingit diuinus intellectus futuram conditionatè existentiam traditionis, si Dauid permansisset Ceilæ, sed solam veritatem præcisam ab existentia traditionis? quæ quæso sunt ista? suspensa est ergo traditio, vt sit, vel non sit in statu absoluto, & in se ipsa: at non erat suspensa cõditionatè, & in statu conditionato, sed determinatè fuisset existentia traditionis sub determinata conditione permansionis Dauid Ceilæ: & pari modo suspensa fuit veritas traditionis in statu absoluto, & determinata in statu conditionato; non enim verum est, quòd fuit ista traditio, sed dũtaxat, quòd fuisset, si Dauid mansisset Ceilæ. Quando autem dicimus, defacto verum est, quòd Ceilitæ tradidissent Dauidẽ Sauli, tò defacto, non cadit supra veritatem obiecti, quasi hæc sit actualis in se: sed est denominatio extrinseca habita ab eo, quo mediante actù applicatur diuino intellectui veritas, quæ esset, non veritas, quæ non defacto in se est; prout à præcitato numero 489. cũ Angelico Doctore, & ex illius doctrina, explicaui.

532 In forma ergo ad argumentum, nego maiorem quoad primã partem, quòd nimirũ veritas futuri conditionati sit defacto veritas determinata: esset namque veritas determinata, si esset determinatè sua causa: sed non est, quamuis defacto veritas, quæ esset, fiat in se ipsa cognoscibilis, seu terminet defacto cognitionem diuinam mediante aliquo extrinseco, eam applicante, vt explicaui numero iam dicto. Quòd, si idipsum intelligat obijciens, concedo maiorem, & nego secundam partem minoris, nimirum, quòd hunc statum conditionatum veritatis non possit tradere voluntas creata sub conditione attacta: ad cuius probationem nego suppositionem argumenti, natam ex terminorum confusa acceptione: numquam enim Assertores scientiæ mediæ dicunt dari voluntati creatæ aliquem locum influendi sine voluntate diuina, sed hanc semper requirunt præsuppositam: eo tamen modo, quo ponitur influxus causæ creatæ, videlicet conditionatè præconceptam, cùm sermo est de influxu conditionato: & existentem, cùm sermo est de influxu in statu absoluto, vt sæpè dictum est: at Aduersarij nolunt distinguere, sed volunt confundere causam, & influxum actualẽ in ordine ad effectum, qui non est, sed esset, quasi eodem modo debeat esse causa, & influxus ad effectum, qui esset, & non erit, ac ad effectum, qui est: nos autem pari passu procedimus de causa, & effectu, quæ sunt relatiua: vt ad effectum, qui est, requiramus causam, quæ sit: ad effectum verò, qui esset, requiramus causam, quæ esset, non quæ sit.

533 Instat Ioannes à Sancto Thoma numero 7. qui responsionem iam datam sibi aliquatenus proponit, sed deindè volens ipsam impugnare, quasi de ea oblitus, iterum ad confusiones redit: ita ergo arguit: à decreto Dei conditionato non potest certò, & infallibiliter deriuari veritas futuri conditionati, nisi infallibiliter, & certò constet, quòd tale decretum erit, posita illa conditione, quòd Dauid maneret Ceilæ: sed non potest hoc Deo constare, nisi saltem defacto habeat complacentiam efficacem de tali decreto habendo, verificata conditione, quæ quidem actualis efficax complacentia, proindè se habet, ac reflexa voluntas de decreto habendo; ergo semper pro veritate futuri conditionati requiritur aliqua Dei voluntas actualis efficax.

534 Vrget autem insuper sic: decretum Dei conditionatè habẽdum esset decretum supponens veritatem conditionatam futuri: ergo recursus ad decretum Dei conditionatũ est vanus. Probat antecedens: quia veritas futuri conditionati, consistit in eo, quòd voluntas se determinabit, si ponetur conditio, & Deus concurrat suo concursu generali: decretum verò conditionatum est decretum de concurrendo cum voluntate creata concursu indifferenti, ab eadem voluntate creata determinando: sed hoc decretum aduenit postquam voluntas est præuisa operatura, si esset conditio, & concursus

ius Dei generalis, negiū veritas conditionata futuri antecedit decretum Dei conditionatum.

535 Quis profectò crederet ab homine tam eximio, qualis reuera est Ioannes à Sancto Thoma, talia obijci? Ad primum ergo argumentum nego in primis suppositionem, quòd veritas futuri conditionati liberi, de quo loquimur, debeat quodcumque supponere decretum Dei, à quo certò, & infallibiliter deriuetur: liberum namque essentialiter excludit quamlibet infallibilitatem vi causæ; hoc enim modo non esset opus contingens, sed necessarium; vt autem à Deo certò, & infallibiliter cognoscatur, id habet ex suppositione sui conditionatè, nō verò ex infallibilitate causæ: sicut, vt exēplo vtar Angelici, visus attingit obiectum infallibiliter existens, sed quia non attingit, nisi ex suppositione, quòd est, & supposito, quòd est, non potest non esse: ita Deus infallibiliter cognoscit futurum, quod esset, ex suppositione, quòd esset, non verò infallibilitate orta ex parte causæ. Sed examinemus reliquā argumēti. Quid est, quod dicit Ioannes à Sancto Thoma, à decreto conditionato Dei non potest certò, & infallibiliter deriuari veritas futuri conditionati, nisi infallibiliter, & certò constet, quòd tale decretum erit, posita illa conditione, quòd Dauid maneret Ceilæ? quid, inquam, dicit? oblitus est, quòd loquitur de futuro conditionato? si enim supponatur conditio, & decretum Dei erit, traditio Dauidis iam erit absolutè futura, non sistēs in statu conditionato. Quòd si nomine positionis conditionis intelligit acceptionem mentalem conditionis, non in re, hoc est, quod à principio semper negauimus, scilicet ad futurum conditionatum, siue ad mētalem acceptionem conditionis requiri decretum, quod sit, aut erit. Tale enim decretum esset absolutè existens, aut futurum, non conditionatè acceptum, prout requirunt Assertores scientiæ mediæ: vndè Ioannes à Sancto Thoma impugnat conficta, supposita, non doctrinam de scientia media.

536 Ad secundum nego antecedens. Et ad probationem nego suppositionem secundę partis maioris, decretum namque, quod in ea ponit Ioannes à Sancto Thoma, est decretum non conditionatum ex parte sui, sed ex parte obiecti: ex parte autem sui est actuale, & absolutè existens, vel præcisiuè futurum, quo posito, & verificata conditione effectus euadit absolutè futurus, non verò remanet futurus conditionatè: quandoquidē hoc supponit Ioannes à Sancto Thomæ decretū in Deo, futurū post scientiā mediam, quo nimirū Deus actu velit concurrere ad amorem, si voluntas se determinabit ad amorem; vel ad odium, si se determinabit illa ad odium: similia autem decreta nos in Deo ponimus pro futuris absolutè, non pro futuris conditionatè, cùm actu sint in Deo ad complendam actualem indigentiam, quam habet creata voluntas à Deo: stante autem causa actu, effectus aut absolutè erit, aut absolutè non erit: atque consequenter recessit à statu conditionato; decretum ergo conditionatum, quod nos requirimus ad futurum conditionatè, includitur in prima parte maioris, quam cōficit Ioannes à Sancto Thoma, dum dicit, veritas futuri conditionati consistit in eo, quòd voluntas se determinabit, si ponatur conditio, & Deus cōcurreret suo concursu generali: in illis namque verbis conditionatis, *Et Deus concurreret suo concursu generali,* ponitur iam Dei voluntas conditionatè, nō enim potest Deus concurrere, nisi volens; idem ergo est dicere, *& Deus concurreret,* ac, & vellet concurrere: & hoc est decretum, quod ex parte Dei nos requirimus pro futuro conditionatè, & non aliud diuersum, vt supponit Ioannes à Sancto Thoma: hoc autem sic conditionatè acceptum supponitur, tamquam causa sub conditione accepta, ad futurum conditionatè; ergo decretum, quod nos requirimus, antecedit futurum conditionatè, tamquā illius causa, nō illud supponit.

537 Obijciunt secundò ita: ex positione scientiæ mediæ diminuitur Dei potētia, libertas, & dominium erga effectus liberos creaturæ rationalis, redditurque Prouidentia diuina dependens à libertate creata; ergo positio talis scientiæ est omninò eliminanda. Antecedens sic probant: nam posita tali scientia, qua Deus e. g. præuidit, quòd Apostolus Petrus sub talibus circumstātijs, incutientibus eidem timorem: & sub tali auxilio, & concursu indifferenti pauore correptus, negaret Christum, vel adhuc potest Deus stantibus ijsdem circumstantijs velle, quòd Petrus non timeat, nec Christum neget: vel non potest: si potest; ergo nō adhuc est determinata veritas futuri, sed permanet indifferens: & exulat scientia media, fundata in determinatione futuri conditionati in seipso: si non potest; ergo sequuntur omnia præfata absurda. Probant consequentiam: positis præfatis circumstātijs, liberum est creatæ voluntati sub statu illo conditionato, vt ponat, vel non ponat determinatum effectum, cùm à circumstātijs illis non determinetur potiùs ad vnum,

quàm ad oppositum; si non esset autem liberum Deo, iisdem positis circumstantiis velle vnum, vel alterum ex oppositis ergo per talem præscientiam ponitur libertatem, potentiam, & dominium creatæ voluntatis in suos actus præcellere libertatem, potentiam, & dominium Dei in eosdem; nec potest aliter Deus prouidere, quàm præuiderit creatam voluntatem operaturam: ergo talis scientia exaltat perfectiones creatæ voluntatis, Deique libertatem, potentiam, & dominium deiicit, atque diuinam Prouidentiam dependentem constituit à nostra libertate: vt, nisi præscientia diuina explorauerit, Prædestinatio nihil decernat, quod est assertum Fausti Semipelagiani, damnatũ ab Ecclesia Catholica.

538 Respondeo non considerasse Aduersarios idem argumentum fieri posse, si vim haberet, contra ipsosmet in effectu absolutè futuro; nam Deus non potest nunc velle me non sessurum, & tamẽ ego liber sum nunc, vt velim, vel nolim sedere; ergo magis possum ego nunc in meam sessionẽ, quàm Deus: nonne dicent Aduersarij Deum nõ esse mutabilẽ, & quidquid voluit, ab æterno voluit, nec potest aliter in tempore velle, vel nolle; imò supposito, quòd semel voluit, nec ab æterno potuit, idem secundùm idem, & easdem circumstantias, nolle; ego verò quousque non suppono velle sedere, semper ero liber ad velle, vel nolle sedere: sed, si suppono velle, non ero ampliùs potens, impotentia orta ex suppositione? an non hæc etiam pueris nota sunt? Considerent nunc Aduersarij eorum argumentum, & videbunt non aliam habere vim, quàm habeat argumentum à me iam factum de Dei, & mea libertate in actualem sessionem temporaneam; cùm enim dicunt posita scientia, qua Deus vidit Petrum Apostolum sub talibus circumstantiis, &c. negaturum Christum, debẽt ex parte circumstantiarum, & causarum supponere decretum conditionatum Dei de ita concurrendo, & non aliàs: nisi enim fiat suppositio de conditione causæ completæ, & carentia impedimenti, impedientis in eodem statu conditionato effectum, numquam poterit effectus præuideri, vt cõditionatè futurus: eodem prorsus modo, quo nec in statu absoluto esset futurus, nisi præfata omnia ponantur in statu absoluto; Præscientia ergo media supponit ex parte conditionis, & causæ, non modum, quem restrictè ponunt Aduersarij, vt ex æquiuocis vim sibi relinquant doctrinam de scientia media confundendi: sed ita, Deus præcognouit, quòd, si Petrus Apostolus esset in talibus circunstantiis incutientibus timorem, & Deus vellet concurrere iuxtà exigentiam circumstantiarum, & nollet alio speciali decreto impedire causas secundas, Petrus negaret Christum; his autem conditionibus, & suppositionibus ex parte Dei positis, quis non conspicit, Deum non posse pro eodem statu aliter velle: si enim aliter vellet, iam non maneret eadem suppositio. Quia tamen suppositio hæc est in statu conditionato, non in statu absoluto, nõ potest Deus poni aliter velle in statu conditionato; sed in statu absoluto, potest Deus velle, vt ei placuerit: at ita variaretur iam suppositio causarum, vel circumstantiarum in eodem statu absoluto, quo pacto non erant in statu conditionato; & variatis causis, variaretur effectus in statu absoluto, firma manente veritate futuri conditionati, prout defacto verissimũ permãsit, quòd si Dauid mansisset Ceile, descendisset Saul, & Ceilitæ tradidissent eũ: ed quia cõditio mãsionis nõ fuit in statu absoluto, nec Saul descẽdit, nec Ceilitæ tradiderunt eum Sauli. Non potest ergo Deus, supposita scientia media de aliquo futuro cõditionatè, aliter velle pro eodem statu impotentia ex suppositione, quòd ita vellet, & non aliàs, quæ nec libertatem, nec potentiam, aut dominium minuit; imò includit conditionatè exercitium ipsum libertatis, potentiæ, & dominij: creata autem voluntas, aut accipitur ab Aduersariis ex suppositione iam scientiæ mediæ Dei, qua præuidit Petrum negaturum, & si ita accipiunt, nego, quòd in eodem statu possit vlterius velle, vel nolle: quia iam supponitur cognita, vt determinata ad negationem; vel accipitur, vt in priori signo ad scientiam, & tunc ideò potest, quia non supponitur determinata, vt supponitur determinatus Deus in conditione causæ, & circumstantiis determinatis; vel tandem accipitur pro statu absoluto, & pro hoc nec creata voluntas, nec Deus supponuntur determinati, sed ambo in suo genere liberi, potentes vtrumlibet, & dominium in opus habentes. Cernit, credo, quisque, in quo omnia Aduersariorum argumenta versentur. Quoad autem spectat diuinam Prouidentiam nihil dico; quia millies dictum est diuinam Prouidentiam habere finem vniuersalem, qui non pendet à nostra libertate, sed hæc est effectus illius: non verò respicere effectus determinatos, nisi relatè ad causas necessarias. Circa verò specialem Prouidentiam Prædestinatorum nec sunt repetenda, quæ non semel iam dicta sunt.

539 Ob-

539 Obiiciunt tertiò argumento, quod iactant valde mordere Defensores scietiæ mediæ, eius tamen, quæ ab ipsis confingitur, non quæ defenditur à Catholicis. Ita ergo argumenrantur. Obiectum scientiæ mediæ, quod ei attribuitur à suis Defensoribus, est necessarium, & per necessariam sequelam ex sui conditione inductum; ergo non ad aliam, quàm ad scientiam simplicis intelligentiæ spectat; ac consequenter media, quæ nominatur scientia, omninò vacat. Antecedens sic probare conantur: Deus non potest cognoscere futurum conditionatè, nisi suppositis ijs, quæ requiruntur ex parte conditionis, à qua pendet: arqui ex parte conditionis, quæ ponitur à Propugnatoribus scientiæ mediæ, includitur aliquod necessariò, & essentialiter connexum cum futuritione conditionata, seu potiùs conditionali; ergo. Minorem probant, nā, iuxtà eosdem Propugnatores, inter requisita ex parte conditionis vnū est concursus Dei: sic enim e. g: formatur conditio, si Petrus fuerit in talibus circumstantijs, & Deus concurrerit cū eo, iuxta indigentiam, vel exigentiam causarū, nec eas impedierit, negabit Christum: sed in hoc complexo conditionis includitur necessaria connexio cum negatione iam dicta; ergo. Probant minorem: in hoc complexo conditionis includitur concursus Dei, sine quo in nullo statu causa creata potest vel cœpisse agere: sed concursus iste est essentialiter, & non tam necessariò connexus cum futuritione conditionata effectus; ergo. Minorem hanc etiam probant: etenim concursus iste non potest esse indifferens, sed debet esse determinatus: arqui concursus determinatus de tali futuro habet necessariā, & essentialem connexionem cum illius futuritione; ergo. Probant autem maiorem pluribus: tum quia omnis indeterminatio nascitur à potentialitate, & imperfectione; concursus autem Dei est actualior, & perfectior, imò perficiens concursum ipsum creatæ voluntatis, qui tamen est determinatus ad vnum; ergo multò magis erit determinatus concursus Dei. Tum quia, talis effectus non potest euadere futurus vi concursus indifferentis, cùm hic sit ad vtrumlibet; ergo non potest scientia media attingere tale futurum, si ex parte conditionis ponitur Dei concursus indifferens. Tum quia ille idem concursus conditionatus reddit effectum conditionatè futurum; qui ipsum reddit futurum absolutè, dum concursus est absolutè futurus: in statu autem absoluto non actuatur effectus per cōcursum indifferentem, qui est actuatio ad vtrumlibet: atque in hoc, ait Ioannes à Sancto Thoma numero 34, hallucinantur Propugnatores scientiæ mediæ, quòd attēdentes ad id solùm, quod requiritur ad rationem liberi in effectu, non animaduertunt, quid requiratur ex parte concursus ad determinationem eiusdem effectus, quando primum est quid se tenens ex parte potentiæ causæ, secundum ex parte actualitatis effectus. Tum randem, quia concursus creatæ voluntatis non est alius à concursu Dei, cùm nihil exhibere valeat creatura, quod non sit etiam à Deo; sed creata voluntas ad hunc determinatum effectum prę illo non præbet indifferentem, sed determinatum concursum, aliàs non poneretur potiùs hic effectus, quàm ille; ergo eodē modo est determinatus concursus Dei. Firma ergo manet maior propositio, quæ probanda suscepta fuit. Minor autem eiusdem Syllogismi, quòd nimirum concursus determinatus est necessariò, & essentialiter connexus cum futuritione effectus, euidens est: quandoquidem concursus est vltima actualitas, & essentialiter consistit in actuali positione effectus, quæ, si posset separari ab effectu, nec positio, nec vltima actualitas illius esset, sed indigeret alio determinante ad positionem effectus: & ita nō illa, sed ista haberet rationem actualis concursus.

540 Vrget idem Ioannes à Sancto Thoma, ad magis stabiliendum præfatum argumentum numero 36, sic arguens. Adhuc, iuxtà Propugnatores scientiæ mediæ, si ex parte conditionis ponatur in ordine ad actum bonum vocatio Dei, & non illius concursus, hoc v. g. modo, si vocauero Petrum, consentiet, non poterit Deus cognoscere effectum, vt determinatè futurum, eò quod sola vocatione, non tollitur à Deo indifferentia, vt concurrat suo concursu, vel nō; ergo pro certa cognitione futuri requiritur etiam ex parte conditionis, vt includatur concursus Dei simultaneus. Hic autem ab intrinseco est essentialiter connexus cum effectu; ergo cognoscere effectum ex vi talis conditionis pertinet ad scientiam necessariam simplicis intelligentiæ, non ad mediam, quæ obiectum deberet habere, vt liberè futurum. Videte hinc, clamat præfatus Doctor, quàm aspero, & quanto telorum imbre circumfunditur hoc scientiæ mediæ figmentum.

541 Non nego scientiam, quam iste Author vocat mediam, & credit, vel ostentat defendi à negantibus decreta Dei, præuenientia efficaciter actus liberos creatæ volūtatis, eamque sibi proponit impugnandam, nulla-

nullatenus esse scientiam mediam: sed hinc non nota hallucinationis alios, sed seipsum debet afficere, qui medullã scietię medię aut non percallet, aut fingit non percallere, vt suæ doctrinæ Lectores hallucinationibus suffundat. Legit namque iste Author, vt credo, Angelicum Doctorem in quæst. 3. de potentia artic. 3. tum in corpore, tum ad tertium distinguentem creationẽ, sicut quamlibet actionem, in actiuam, quo pacto non distinguitur à Deo, sed est ipsemet Deus per se ipsum transiens ex indifferenti ad statum determinationis absque aliquo, ipsum intrinsecè determinante: & passiuã, quæ consistit in relatione pendentiæ effectus à Deo, estque quid in suo genere creatum, & habens esse suo etiam modo à Deo; & hic est concursus actualis, simultaneus, atque communicatus creaturæ à Deo, non primus: non enim Deus communicat se ipsum causæ creatæ, dum cum illa concurrit ad effectum eodem concursu: cùm Deus non fiat idem cum causa creata, quãdo cum ea concurrit; legit inquam, quãdoquidem id ipsum adstruit ipse Author 8. Physicorum quæst. 21. artic. 1. dicens cõcursum simultaneum, quo simul cum causa creata temporaneè agit, esse effectũ causalitatis æternæ, qua Deus ab æterno se determinauit ad agendum cum causa creata. Rursus meminisse deberet iste Author, quæ docet in prima parte quæst. 19. artic. 4. loquens de constitutiuo volitionis Dei liberæ, & præcipuè numero 9: asserit namque non constitui per variationem extrinsecam obiecti voliti, sed per habitudinem quamdam actiuam non necessariam voluntati Dei, quæ sit causa mutationis obiecti; & secundùm quam Deus immutatus mutat non necessariò obiectum; vndè hæc mutatio est Deo intrinseca, non necessariò tendens ad obiectum; actus ergo Dei, quo liberè vult, & se determinat ad concurrendum cum creatura, non est ipse extrinsecus concursus communicatus creaturæ, qui est simultaneus, hoc est simul à Deo, & à creatura: sed habitudo actiua, intrinseca Deo, & non necessaria, ac consequenter æterna, quæque non communicatur creaturæ. Hæc ergo, quæ ita loco citato benè distinguit cum Angelico hic Author, si etiam in præsenti distingueret, non tot figmentis afficeret scientiam mediam, vt deindè impugnet sua commenta, non scientiam, quam tuentur illi, qui negant decreta præuenientia, & efficacia ad actus liberos.

542 Respondeo ergo in forma ad argumentum iuxtà prælibatam doctrinam tum Angelici, tum ipsiusmet Ioannis à Sãcto Thoma obijcientis, negando antecedens, nimirum, quòd obiectum scientiæ mediæ sit quid necessarium, vel necessariò inductum ex sua conditione. Ad probationem nego minorem, quæ eamdem necessitatem refert. Ad huius probationem distinguo maiorem: inter alia requisita ex parte conditionis per Propugnatores scientiæ mediæ, vnum est concursus Dei, temporaneus, simultaneus, & communicatus causæ creatæ, nego; hic enim etiam est effectus, vt quo ipsius voluntatis, cognoscendus, vt futurus, aut non futurus vi conditionis: est cõcursus Dei purè actiuus, & æternus, cũ Deo indentificatus, ipsum actiuè determinans, atque constituens in ratione liberè volentis, concedo maiorem. Distinguo pariter exemplum, quod adducitur, quando enim à Propugnatoribus scientiæ mediæ dicitur, si Petrus fuerit in talibus circumstantijs, & Deus concurrerit, nec impedierit, &c. non intelligunt de concursu temporaneo, & simultaneo: sed de determinatione Dei æterna, & actiua, seu de voluntate, qua se determinauerit concurrere, & non impedire, &c. Quapropter distinguo etiam minorem: in complexo conditionis, prout dicentem concursum Dei simultaneum, & temporaneum, includitur necessaria, & essentialis connexio cũ futuritione effectus; concedo; in complexo conditionis, prout dicente concursum Dei purè actiuum, iam explicatum, seu voluntatem Dei de concurrendo, includitur necessaria, & essentialis cõnexio cum futuritione effectus, subdistinguo: quando Dei volitio est de concurrendo ad vnum determinatè, concedo: quando est de concurrendo ad vtrumlibet, prout vult concurrere cum causis liberis, nego minorem, & consequentiam. Pari etiam modo distinguenda est maior subsequentis Syllogismi, nimirum, quòd in complexo conditionis exempli adducti, si nomine concursus Dei intelligatur temporaneus, & simultaneus, sit falsa: si verò intelligatur æternus, & purè actiuus, Deo identificatus, & per quem fit formaliter volens, sit vera. Atque eodem modo distincta minori, neganda est consequentia.

543 Verissimum ergo est, quòd concursus Dei simultaneus, qui est ille idem, qua causa secunda concurrit ad effectum hic, & nunc, non potest esse indifferens, sed est determinatus ad hunc effectum præ illo, & cum eo est necessariò, atque essentialiter connexus: ideoque, si ipse in conditione poneretur, esset cognoscere effectum vi con-

conditionalis, non vi conditionis, & per scientiam simplicis intelligentiæ, non mediam: sed non talis est concursus purè actiuus Dei, determinans intrinsecè, purè tamen actiuè, eumdem Deum, ac constituens formaliter volentem; cùm enim volũtas sequatur directionem intellectus, & iste possit pluribus modis tendere ad obiecta, siue scilicet ad vnum, siue ad multa copulatiuè, & simul: siue etiam determinatè, siue indeterminatè, siue absolutè, siue cõditionatè, &c. iisdem modis potest Dei voluntas, vt libera, tendere actiuè ad sua obiecta; si namque potentia actiua potest esse ad vnum, vel ad multa, determinata in necessariis, indifferens in contingentibus, multò magis id ipsum habere poterit voluntas, vt formaliter voluntas. Nec id negare possunt Aduersarij, qui nec negant decreta promissoria, nec communatoria, & in vniuersum decreta conditionata ex parte obiecti, cuius executio suspenditur, eò quòd est volita conditio: talis est per Propugnatores scientiæ mediæ concursus Dei, requisitus ex parte conditionis, nempè determinatio actiua voluntatis diuinæ, respiciens suum obiectum conditionatè, qua Deus vult concurrere ad hunc effectũ, si accedat determinatio voluntatis creatæ ad illum: & ad oppositum, si ad illum se determinabit voluntas creata: hoc, inquã modo se determinat Deus in ordine ad effectus liberos creatę voluntatis pro statu absoluto: In statu verò conditionato, non supponitur à parte rei talis determinatio, sed concipitur ex parte conditionis, hoc modo, si Petrus esset in talibus circumstãtiis, & Deus vellet cõcurrere ad hũc effectũ, si ita se determinet volũtas creata: & ad illũ si hęc ad illũ se determinaret, Petrus negaret Christũ. Vniuersali autẽ regula est hic notandum nihil videlicet posse esse indeterminatum quoad esse: quandoquidem vnitas est passio entis, & omne ens est vnum, rem autem esse vnam dicit indiuisionem in se, & exclusionem aliorum: potest autẽ esse indeterminatio in ordine ad tẽdẽdũ extra se: eò quòd potest aliquid successiuè respicere multa, sed nõ simul: & inde nascitur indifferẽtia tẽdẽdi hic, & nunc siue ad vnũ, siue ad aliud, quãdo tamẽ ista tẽdẽtia est per modum determinabilis; siue intrinsecè per aliquid recipiendum, siue extrinsecè per modum conditionis requisitæ ex parte obiecti, quo pacto remanet determinabilis actus voluntatis conditionatus ex parte obiecti, qui suum obiectum non ponit quoadusque accedat conditio: sed tendentia per modum vltimæ actualitatis nullomodo potest esse indifferens, & determinabilis, aliàs non esset vltima actualitas, sed esset actuanda.

544 Patet autem ex his quatuor argumenta adducta ab Aduersariis ad probandam vltimam maiorem, vim habere in ordine ad concursum simultaneum, & temporaneum Dei, non verò in ordine ad concursum purè actiuum, Deo identificatum, per quem constituitur Deus formaliter liberè volens: vndè ad primum nego omnem indeterminationem, & potentialitatem importare imperfectionem; verum est enim hoc de indeterminatione passiua ad aliquid habendum, quæ supponeret in potentia carentiam perfectionis, non adhuc habitę: non verò de indeterminatione, & potentialitate actiua, quæ est ad dandum; si enim non dat, non dicit imperfectionem, sed perfectionem dominij in non dante, dicit autem imperfectionem in eo, cui non datur. Hoc tamen non obstante concedo, quòd concursus Dei temporaneus, & simultaneus, qui etiam est concursus creaturæ, sit actualior, prout est à Deo, à quo intimiùs, priùs, & essentialiùs res educuntur ex sui nihilo, quàm prout est à creatura: sed nego id de omni concursu Dei æterno, & purè actiuo, qui non est semper vltima actualitas rei, sed aliquando est conditionatus ex parte obiecti, & extrinsecè actuandus, seu potius relinquens locum alteri actualitati obiecti. Ad secundum concedo, de concursu simultaneo, nego de purè actiuo, identificato Deo, vt patet ex dictis; nihil namque aliud requiritur, quàm vt accedat determinatio actiua creatæ voluntatis, qua posita statim Deus, & creata voluntas exeunt ad effectum. Ad tertium cõcedo benè procedere argumẽtũ de cõcursu simultaneo Dei, sed nego, si extendatur ad concursum, seu determinationem purè actiuam Dei: quandoquidem Deus defacto habet determinationem concurrendi cum libertate creata ad vtrumlibet, & non propterea vterque effectus erit: & per Aduersarios ipsos Deus defacto voluit pœnitentiam Sidoniorum, & Tyriorum actu absoluto ex parte sua, & non propterea pœnitentia ista fuit absolutè futura; loquendo ergo de voluntate determinante Deum, nõ est verum, quòd, si concursus est absolutè futurus, effectus eius est absolutè futurus: est autem verum, si sermo sit de concursu simultaneo, qui est vltima actualitas: ac ita, cùm est, non potest non ponere actũ effectum, aliàs adhuc esset actuandus. Ad quartum concedo de concursu simultaneo; nego de purè actiuo: concursus namque simul-

simultaneus est effectus etiam, vtquo, tum Dei, tum creaturæ, indiuisibiliter ab vtroque proueniens, per quem vltimò, & vt quod actuatur effectus: sed concursus Dei purè actiuus, consentientibus Thomistis, identificatur Deo; & per me pari modo concursus purè actiuus creaturæ identificatur ipsi causæ creatæ, quæ, cùm sit à Deo distincta, etiam concursus erunt distincti.

545 Ad id tandem, quod, ad confirmandũ suum argumentum, addit Ioannes à Sancto Thoma, dico transeat non sufficere ex parte conditionis solam vocationem, vt Deus possit cognoscere futuritionem conditionatam actus boni: & quod ea posita adhuc Deus possit nolle concurrere: sed non deberet deindè idem Doctor confundere velle Dei cum concursu simultaneo, cùm illud sit ab æterno, Deo idẽtificatum; iste verò sit temporaneus, & effectus Dei volentis, licet vtquo: ex dictis autem patet, quòd, si sit Dei vocatio, & simul eiusdẽ voluntas de concurrẽdo, accedente determinatione volũtatis creatæ, hoc sufficit, vt possit Deus cognoscere, an effectus sit futurus, nec ne. Non ergo Telorum, sed confictionũ, æquiuocorum, & confusionum imbrem scientiam mediam circumfundunt Thomistæ.

546 Obijciunt quartò. si aliquis actus volũtatis creatæ posset acquirere aliquam rationem futuri absque præuio decreto Dei determinante illum, hanc eamdem rationem futuri haberet præter intentionem Dei; hoc autem est contra Scripturam, adstruentem, quòd Deus omnia, quæcumque vult, facit in Cœlo, & in Terra: imò etiam contra essentialem dependentiam causæ creatæ à Deo; ergo, &c. sequelam maioris probãt. Quandoquidem si decretum Dei non est determinatum ad vnum, sed indifferens, vi illius non magis est futuritio huius, quàm illius actus; ergo, quòd sit futuritio huius præ illo, est præter intentionem Dei.

547 Respondeo hoc argumentum, sicut & reliqua, ex plurium etiam confusione procedere; in primis namque intentio propriè non dicitur de medijs, sed de fine, media autem dicuntur volita propter finem, non intenta; atque adeò media dici præter, vel intra intẽtionem, est propositio de subiecto non supponente. Loquendo autem magis latè, secundùm quòd dicere solemus vnũ intendere propter aliud; debent etiam Aduersarij distinguere, prout alibi distingunt, intentionem efficacem ab inefficaci: quis enim negare potest Deum velle voluntate inefficaci omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, iuxta Apostolum? debent prætereà distinguere voluntatem Dei de complenda voluntate creata in ratione proximè potentis vtrumlibet, à voluntate de tali determinato effectu, & non de alio: quantùm namque pertinet ad velle complere potentiam voluntatis creatæ ad vtrumlibet, semper Dei voluntas est efficax, non ita in ordine ad determinatum effectum. Iuxtà ergo hæc dico, quòd, si sermo sit de voluntate, & intentione Dei cõplẽdi potentiã liberam, prorsus nullus actus creatæ voluntatis est præter Dei intentionem: quia quilibet actus, siue sit hic, siue sit ille, est exercitium potentiæ completæ iuxtà intentionem Dei: imò, si aliquis non esset iuxtà intentionem Dei, potentia non esset completa ad vtrumlibet, nec libera; secundùm quòd verò spectat ad volũtatem, & intentionem Dei de actu determinato, dico nullum prorsus actum bonum esse præter voluntatem, & intentionem Dei: quandoquidem semper circa actum bonum Deus habet voluntatem, saltem inefficacem, vt fiat præ malo: & hac ratione, cùm benè operamur, dicimur cõformari Dei voluntati: cæterùm actum malum, & si non sit præter, fieri tamen ex parte contra Dei voluntatem, quatenus Dei voluntas est de actu bono, aut de pœna incurrenda à malè operante: Deus enim ab omnibus vult bona opera, & non mala, ita vt benè operantibus velit præmium, malè operantibus pœnam: atque ita, qui disconformantur voluntati Dei volentis actũ bonum, non effugient voluntatem eamdẽ disiunctiuam, prout Dei volentis pœnam; quod totum explicaui ex August. nõ num. 170; & denuò 257. Quibus nunc addo Angelicum Doctorem tum prima parte quæstion; 19. articul. 6. in corpore, vbi ait, *Cùm igitur voluntas Dei sit vniuersalis causa omnium rerum, impossibile est, quod diuina voluntas suum effectum non consequatur: vnde, quòd recedere videtur à diuina voluntate secundùm vnum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium: sicut peccator, qui quantùm est in se, recedit à diuina voluntate, peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iustitiam punitur.* Tum quæst. 4 de Veritate articul. 7. in corpore, vbi, *Ex hoc*, ait, *patet, quòd alio modo diuina Prouidentia gubernat bonos, quàm malos: mali enim, dum ab vno ordine Prouidentiæ exeunt, vt scilicet Dei volũtatem non faciant, in alium ordinem dilabuntur, vt scilicet de eis diuina voluntas fiat.* Constat ergo in malè operando, contra Dei volũtatem se gerere peccantes, sed non præter; quandoquidem nihil operari possunt, ad quod se extendere valet diuina voluntas, nisi

nisi Deo priùs volente, saltem disiunctiuè: & ita quodcumque fit, intra Dei voluntatem fit.

548. In forma autem ad argumentum respondens; nego maiorem. Ad cuius probationem concesso antecedente; nego consequentiam: ex antecedenti namque infertur, quòd non fit ex voluntate Dei hic actus pro illo, sed non præter, qui enim vult alterū ex duobus à seruo, non offenditur, quasi non sit facta eius voluntas, exequente seruo alterum ex his: hoc namque etiam fuit volitum, & consequenter in eius executione factum iam est, quod voluit Dominus: & nihil factum est, quod ab eo non fuit volitum. In opere tamen bono magis fit voluntas Dei, eò quòd præter hanc volūtatem disiunctiuam, habet Deus aliam voluntatem saltem inefficacem de illo, quam non habet de opere malo: imò hoc vellet non fieri: atque ita in opere bono non solùm agit voluntas creata intra voluntatem Dei vniuersalem, verùm etiam conformiter ad voluntatem particularem: in opere verò malo agit contra Dei specialem volūtatem, sed non præter voluntatem vniuersalem. Quod ergo agit voluntas creata, ex parte obiecti est volitum à Deo, siue directè, etiam voluntate speciali, sicut est opus bonum: siue indirectè in voluntate vniuersali complendi potentiam liberam ad posse agere vtrumlibet: sed ex modo tendendi voluntatis diuinæ est volitum disiunctiuè solùm, quando opus est malum; & deinde à voluntate creata est volitum determinatè: ideóque dumtaxat sequitur, quòd idem ab vtraque est volitum, sed diuerso modo tendendi: & quòd voluntas creata agit intra, non præter voluntatem Dei, sed diuerso modo: non quidèm ex parte obiecti; sed ex parte modi tendendi; & hic etiam modus tendendi est volitus à voluntate diuina voluntate vniuersali, non speciali: quandoquidem etiam vult Deus relinquere in potestate voluntatis creatæ, vt se ipsam determinet ad vnum, quod maluerit. Quod autem adducitur ex Scriptura, per Augustinum loco iam citato patet, quomodò intelligendum sit, nimirum, quòd omnia, quæcumque vult Deus, facit in Cœlo, & in Terra, aut determinatè, volendo; & faciendo: aut indeterminatè, & disiunctiuè, *Vt miro, & ineffabili modo non fiat præter Dei voluntatem, quod etiam contra Dei fit voluntatem*, vt loquitur Augustinus.

549 Instat Ioannes à Sancto Thoma quæst. 23. de Prædestinatione disput. 7. articul. 3. numero 11. Adhuc positiuum actus mali Deus efficaciter vult, & non solùm inefficaciter in voluntate complendi causam, & disiunctiuè; ergo ruit tota responsio. Probatur antecedens, quando voluntas operatur malè, supponitur Deus non nisi inefficaciter voluisse bonum oppositum; atqui Deum voluisse inefficaciter bonum oppositum, dicit voluisse efficaciter positiuum actus mali; ergo. Probatur minor: voluntas Dei non potest reddi inefficax à voluntate creata, inducente oppositum; ergo antecedenter ad voluntatem creatam est ex se inefficax ad bonum; ergo ex se affert positiuum mali. Probatur consequentia: quia non poni e. g. actum præceptum habetur vi volūtatis Dei inefficacis: sed non poni actum præceptū, est materiale peccati; ergo materiale peccati, est vi voluntatis Dei in priuatiuis; ergo multò magis in positiuis.

550. Respōdeo nego antecedēs. Ad probationem nego minorem. Ad huius probationem concedo antecedens, ac primam consequentiam, & nego secundam. Ad cuius probationem distinguo antecedens: non poni actum præceptum habetur præcisiuè vi voluntatis Dei inefficacis, hoc est vi talis volūtatis nec ponitur actus præceptus, nec excluditur, vt ponatur à voluntate creata, concedo: habetur positiuè vi voluntatis Dei inefficacis, taliter quòd nō solùm ipsa non faciat poni, sed inducat oppositum, impedientem voluntatem creatā ad ponendum actum præceptum, nego cōstantissimè maiorem. Et eodem modo distinguo minorem. Non poni positiuè actū præceptum est materiale peccati in priuatiuis, concedo: non poni priuatiuè, nego minorem: quia adhuc potest aliunde, scilicet à voluntate creata, iam completa in suo posse, vt supponimus, haberi actus præceptus: atque ita nego vtramque consequētiam.

551. Vrgeri contra hanc responsionem posset ita: in Deo ex communi Theologorum doctrina non datur suspensio realis, & æterna actus; ergo adhuc in ordine ad positiuum actus mali, vel voluit, vt fit, & ideò erit, quia voluit; vel noluit, vt fit, & non erit; ergo ideò voluntas de actu bono aliquando est inefficax, quia alia voluntate voluit positiuum actus oppositi.

552. Respondeo argumentum hoc se ipsum implicare: nam si omnis Dei voluntas adimpletur, & in Deo non datur suspensio, necesse esset, vel semper poni simul actus oppositos, vel nullo modo Deum velle actum bonum, nec inefficaciter in iis, in quibus vult materiale mali: nam in his fit idem argumentum; vel Deus etiam vult bonum, & erit: vel si non erit, ideò non erit,

esse, quia non vult: quod si admittis iam voluntatem inefficacem ad bonum, non erit bona consequentia, quòd materiale mali ideò erit, quoniam Deus voluit; potuit namque illud Deus inefficaciter velle in complendo causam creatam liberam, & deindè esse vi voluntatis creatæ, non vi voluntatis Dei inefficacis. Dico ergo, quòd voluntates Dei non solùm sunt circa actus, verùm etiam circa modos illorum, & diuersimodè, iuxta diuersitatem actuum in ordine autem ad effectus, à causa necessariò producendos, vel à se ipso, Deus vult effectus, & modum producendi necessariò; quia istæ duæ voluntates non repugnant; in ordine verò ad actus nostros liberos, quia eos velle determinatè repugnat indeterminationi, quam debet habere causa creata, vt sit libera, Deus determinatè vult modum actuum, sed non actum: neque tamē hinc sequitur Deum remanere suspensum; quandoquidem determinatè non vult actū produci vi suo voluntatis antecedentis scientiam mediam; vult autem determinatè modum producendi liberè; ex quo pariter determinatè vult causā creatam producere, quod maluerit; vndè in nihilo remanet suspensus.

553 Obijcit quintò Aluarez: Deus ante actuale decretum suæ voluntatis, & vi solius voluntatis conditionalis, si vellet creare alium mundum, non potest cognoscere quot genera, & species, & quot indiuidua in eo crearet; ergo, si voluntate conditionata non potest cognoscere entia ab ipso solo dependentia, multò minùs vi similis voluntatis potest cognoscere quid factura sit creata voluntas, determinanda à se.

554 Respondeo me velle scire, quomodò in antecedenti sumatur ab Aluarez voluntas Dei conditionalis de alio mundo, an scilicet confusè, vt intelligatur Deus sub conditione, seu conditionatè determinatus de producendo alio mundo, præscindendo à determinata productione generū, & specierum, & indiuiduorum: an verò distincta, & determinata etiam de his: vt non solùm in conditione Dei voluntas ponatur ita, si vellem creare alium mundum: verùm etiam, & in eo creare hæc genera, & species entium, atque hæc determinata indiuidua? Si sumatur primo modo, concedo gratis Aluarez antecedens, & nego cōsequentiam: quid enim mirum, si Deus non potest determinatè cognoscere, vbi nulla supponitur causa determinatè volēs? sed falsa est consequentia, quia in futuro conditionatè libero creatæ voluntatis reperitur causā determinans cōditionatè sui actum, nempe ipsamet voluntas creata, à qua dicimus haberi determinationem. Si verò sumat secundo modo, nego antecedens: nam etiam nos in vi consequentiæ saltem, cognoscimus, quòd, si Deus vellet creare alium mundum, & vt in eo talia genera, tales species, & talia indiuidua essent; hæc certò essent, & non alia; quomodò ergo id ipsum non cognosceret Deus? vltro tamen concedo hanc non futurā scientiam mediam, quia fundatur in necessaria connexione voluti cum diuina voluntate, & obiecta necessaria attinguntur à scientia simplicis intelligentiæ, non mediæ. Dixi paulò ante gratis do Aluarez antecedens: nam implicat in Deo decretum præcisiuum; quo pacto nihil mutaret, cùm nihil, nisi in indiuiduo, sit mutabile: ideo que esset chimærizare in Deo; si quis in eo conciperet decreta confusa, & præcisiua: ...

555 Obijcit sextò Machinus argumentum purè verbale, quod est illud: possibile est auxilium congruum connexum cum effectu: sed possibilitas rerum antecedit omnem existentiam earum quocunq; modo: ergo tale auxilium erit connexum cum effectu antecedenter ad scientiam mediam; ergo hæc omninò vacat.

556 Respondeo me nolle tangere, quod nō debeo, qua ratione nimirum auxilia gratiæ sint congrua; sed libenter concedo, quòd eo modo, quo sunt ex se congrua, sint talia ante scientiam mediam, imò assero sciētiam mediā fundari in congruitate gratiæ potiùs, quàm in libero arbitrio, vt patet ex nō semel dictis. Addo, quòd argumentum facit transitum; nam benè stat, quòd possibilitas effectus antecedat existentiam causæ, sed subsequatur causæ possibilitatem; & ita adhuc, quantùm est ex hoc capite, benè posset stare, quòd possibilitas auxilij cōgrui antecederet actualitatem sciētiæ mediæ, sed quòd sequatur possibilitatem scientiæ: & eodem modo actualitas congruitatis auxilij actualitatem scientiæ.

557 Obijciunt septimò ita: à causa determinata non potest exire effectus indifferēs; ergo nec à causa indifferenti effectus determinatus: ita namque proportionaliter se habet effectus determinatus relatè ad causā indifferentem, sicut effectus indifferens ad causam determinatam.

558 Respondeo hoc argumentum, & euidentibus obtundi instantiis, & falsum supponere, & in æquiuocis fundari. Insto ergo primò: quandoquidem Deus, vt determinatè agens, non potest producere effectū indifferentem; ergo neque Deus posset ci-

ſe indifferens ad effectum determinatum, ſed deberet priùs ab alio determinari; vel ſi poteſt determinari à ſe, ita poterit determinari cauſa participatiua Dei, quà libera, & ruit argumentum. Inſto ſecundò: tale peccatum eſt determinatum; ergo non poteſt eſſe à cauſa indifferenti, niſi etiam ad illud determinetur ab alio: & cùm voluntas non ſit determinabilis ab alia creatura, deberet determinari à Deo. Inſto tertiò ad hominem contra Thomiſtas: à cauſa determinata non exit effectus, adhuc ſecundò determinandus; ergo effectus determinatus non poteſt exire à cauſa, ſecundò determinanda; negent ergo Thomiſtæ voluntatem, determinatam à Deo, eſſe adhuc ex ſe determinandam ſecundò. Falſum item ſupponunt Aduerſarij: numquam enim aſſerunt Propugnatores ſcientiæ mediæ effectum determinatum exire à cauſa indifferenti; ſed dicunt cauſam indifferentem eſſe priùs determinandam: at, ſi eſt libera, determinat ſeipſam ex ſe ipſa, ſicut ſe determinat Deus, quà liber, cuius creata libertas eſt participatio, determinatione tamen purè actiua: ad differentiam cauſæ neceſſariæ, cuius indifferentia auferri debet ab alio, ſicut ſe habent intellectus, & appetitus ſenſitiuus. Æquiuocis tandem inniti argumentum euidenter patet: nam aliter ſumunt Aduerſarij indifferentiam, & determinationem ex parte cauſæ, aliter ex parte effectus: indifferentia etenim, quam ponunt ex parte cauſæ, non eſt, quòd cauſa poſſit in ſuo eſſe indifferentiam habere, vt ſit hoc eſſe, vel illud: ſed eſt talis determinata voluntas, quæ dicitur indifferens, quatenus, potens eſt producere hunc, vel illum actum, ac conſequenter eſt indifferentia reſpectiua ad effectum: non ita verò deinde ſumunt indifferentiam ex parte effectus; ſi enim ita ſumerent, falſum eſſet antecedens: quandoquidem à cauſa determinata exit effectus, qui indifferens eſt ex ſe, vt ſit ab hac, vel illa cauſa, vt probaui in Phyſicis: vel vt ſit, aut non ſit, quo pacto etiam eſt cauſa: non verò vt hic effectus ſit hic, aut alius; cùm ergo dicunt à cauſa determinata non exit effectus indifferens, ſumunt indifferentiam in ordine ad eſſe, hoc eſt non exit hic, vel ille effectus, & fit tranſitus de indifferentia, & determinatione reſpectiua cauſæ ad indifferentiam, & determinationem abſolutam effectus.

559 In forma ergo ad argumentum diſtinguo antecedens: à cauſa determinata non exit effectus indifferens, ſumpta indifferētia relatiuè; nego antecedens: ſumpta indifferentia abſolutè, & quoad eſſe, nego ſuppoſitionem antecedentis, quandoquidem neque ex parte cauſæ, neque ex parte effectus dabilis eſt alia indifferentia, niſi purè relatiua: neque enim hæc cauſa eſt indifferens, vt ſit hæc, vel illa cauſa, neque hic effectus eſt indifferens, vt ſit hic, vel ille effectus: ſed ſolùm hæc cauſa eſt indifferens ad hunc, vel illum effectum; & hic effectus, eſt indifferēs ad hāc, vel illam, cauſā vel vt ſit, aut non ſit à cauſa, ſicut hæc, vt illum producat, aut non producat. Quid ergo mirum, ſi à cauſa determinata non poteſt exire effectus indifferens indifferentia, quam neque habere poteſt à cauſa indifferenti; vndè implicantia non oritur ex eo, quòd cauſa ſit determinata, ſed ex eo, quòd effectus non poteſt eſſe ita indifferens. Ad probationem ergo conſequentiæ diſtinguo antecedens: ita proportionaliter ſe habet, &c. ſumptis indifferentia, & determinatione relatiuè, vel ſimul abſolutè cōcedo; ſumptis vna relatiuè, & altera abſolutè nego: quia in propoſitionibus de ſubiecto non ſupponente, negatiua ſemper eſt vera, quæ negat etiam ſubiectum: affirmatiua ſemper eſt falſa, eò quòd falsò ſupponit, quando ſuppoſitio manet de eodem; ſed, ſi varietur ſuppoſitio, non manet proportio in propoſitionibus, atque adeò fallax eſt argumentum. Ecce exemplum in materia, de qua loquimur: vera eſt propoſitio negatiua, à cauſa determinata non exit effectus indifferens, quia effectus indifferens eſt ſubiectum non ſupponens; in conſequentia autem, ergo à cauſa indifferenti non exit effectus determinatus, iam in hac ſubiectū, *effectus determinatus*, verè ſupponit, & ideò negatiua, falſa eſt: & benè ſtat, quòd à causa ex ſe indifferenti relatiuè, exeat effectus in ſe, & abſolutè determinatus.

560 Obijci poteſt octauò ita; ſcientia media trahit ſecum circulum vitioſum; ergo non eſt admittenda. Probatur antecedens: quia ſcientia libera, quà libera in Deo, & quæ, vt talis, potuit non eſſe, nihil addit eidem Deo intrinſecè, ſed ſolùm extrinſecam variationem obiecti, prout & ego ſubſtineo in materia de ſcientia Dei; ergo valet hæc cauſalis, ideò Deus cognoſcit aliquod obiectum liberū, quia obiectum dicit in ratione cognoſcibilis aliquā variationem in ſe, & extrinſecam ſcientiæ mediæ, atqui ſecūdū Propugnatores ſciētię medię, negantes actualitatem decreti diuini in ordine ad futurum conditionatè, hoc nullā variationem dicit extra ſcientiam, ſed purè obiectiuam, & vi cognitionis; ergo in horum ſententia futurum conditionatè, ideò dicitur tale, quia ita cognoſcitur: ideò

autem cognoſcitur ſcientia media libera, quia ſupponitur tale; ergo euidenter ponitur circulus vitioſus.

561 Reſpondeo ex dictis à numero 489. negando antecedens: ad cuius probationem concesso antecedenti, & conſequentia, nego minorem ſubſumptam: dicit enim variationem extrinſecæ applicabilitatis,& cognoſcibilitatis liberæ, ob neceſſariã applicabilitatem ſuæ cauſæ liberæ: quæ, vt loco dicto dicebam, neceſſariò ſignatè attingitur, dum à Deo cognoſcitur poſſibilitas ſui decreti de tali cauſa, & circumſtantijs: ſicut autem cauſa libera, dum eſt, ex ſe ponit, licèt liberè, & contingenter, in eſſe reali ſuum effectum; ita, cùm cognoſcibilitas ſequatur ad eſſe, dum eadem cauſa applicatur intellectui diuino, applicat etiam eodem modo liberè, & contingenter ſuum effectum; vnde falſum eſt, quòd futurum conditionatè idcò præcisè dicitur tale, quia ita cognoſcitur vi diuinæ cognitionis: ſed præterea radicaliter, quia vi applicationis ſuæ cauſæ redditur taliter applicabile, & cognoſcibile; ac ita euanuit confictus circulus vitioſus.

562 Obijciunt vltimò communiter Aduerſarij plurima abſurda, quæ contra ſcientiã mediam congerunt ex particulariũ Doctorum parùm penſatis verbis, quaſi hæc neceſſariò connectantur cum ſcientia media. Sic ergo arguunt: ſcientia media ponit futuritionem obiecti, non vi voluntatis diuinæ, ſed voluntatis creatæ, determinantis ſe ipſam ad opus; ergo ſcientia futuri liberi conditionatè, ac etiam abſolutè, non eſt in Deo, vt talis, vi ſuæ voluntatis, ſed creatæ; ergo aliquam fœlicitatem cognitionis expectat Deus ab opere creaturæ, quã non habet à ſe ipſo; cùm omnis cognitio in ſuo ordine aliquam afferat Deo fœlicitatem ratione ſui. Item, talis cognitio nõ eſt in Deo vi ſuæ voluntatis, ſed creatæ accidit ergo Deo fortuitò, ſic volente creatura. Rurſus, prædeſtinatis ergo cecidit ſors ex propria Induſtria, & voluntate; non ex Dei beneficentia, & miſericordia. Inſuper, inuenta ergo eſt gratia Prædeſtinationis à quærentibus: non, ſicut dicit Scriptura, *Inuentus ſum à non quærentibus me, & palam apparui eis, qui me non interrogabant.* Præterea, non ergo Deus adduxit ad nos Theſauros ſuæ miſericordiæ, & bonitatis: ſed nos ipſi, vaſa fictilia; ad nos adducimus. Tandem, non ergo Deus, *Portat omnia verbo virtutis ſuæ*, ſed potiùs nos Deum portamus ad actus noſtros liberos.

563 Reſpondeo non omnia, quæ in argumento adducuntur, vt abſurda, eſſe reuera abſurda: quis enim vnquam ſomniare poterit cognitionem Dei liberam, vt liberam, quæ, vt talis, nihil addit intrinſecè ſupra cognitionem neceſſariam, ſed ſolùm variationem extrinſecam obiecti, nouam dicere in Deo rationem fœlicitatis, cùm fœlicitas dicat formaliter actum vitalem? Si ergo Deus noluiſſet mundum producere, fuiſſet minùs fœlix, quia mundum non cognouiſſet, vt futurum, ſicut de facto cognoſcit? non ergo verum eſt, quòd Deus à creatura haberet aliquam fœlicitatem, ſi per eam futura libera redderentur cognoſcibilia. Ad ſecundum vellem ſcire ab Aduerſarijs, quid dicant de cognitione, qua Deus cognoſcit peccatum? accidit ne iſta Deo fortuitò? Si dicant, quòd ita, quid timent id ipſum affirmare de cognitione actus liberi, cum hæc non ſuperaddat, niſi extrinſecam variationem termini? Nihil tamẽ poteſt dici accidere Deo fortuitò, nec quidem extrinſecècò quòd nihil eſt, quod, non Deo volente, vel permittente, fit. Ad tertium dicant mihi Aduerſarij, quid ſit illud Scripturæ, *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*? numquid Deus ſolus ſibimet ipſi violentiam facit, vt rapiat ex ſe ipſo Regnum Cœlorum? Dico ergo Deum principaliter eſſe cauſam ſortis Sanctorum, quia ab eo eſt gratia, quæ facit, vt liberum arbitrium benè operetur, non è contra, vt ſæpè probaui; non per hoc tamen ſequitur, quod liberum arbitrium nõ etiam ſuæ ſorti cooperetur. Ad quartum in primis, ſi Deus à non quærentibus inuenitur, quomodò Scriptura dicit, *Quærite, & inuenietis*, &, *quærite Dominum, dum inueniri poteſt*? Aliud ergo eſt loqui de inquiſitione ſuperba, qua Hæbrei ſibi perſuadebant deberi ipſis gratiam, & gloriam ex lege timoris, quæ data erat eis, quæque non tollebat peccata, ſed oſtendebat; aliud de inquiſitione humili, habita ex præcedẽti Dei gratia, qua Sancti Deum quærunt. Contra primos dictum eſt, non contra ſecundos, *inuentus ſum à non quærentibus me, &c.* Quibus addo ſermonem in præfato loco Scripturæ eſſe de prima gratia, qua Deus præuenit omnem, etiam noſtram inquiſitionem, ſed ipſa facit inquirire: non de alia, quæ datur quærentibus Deum. Ad quintum dico etiam ex Scriptura haberi, *Theſaurizate vobis theſauros in Cœlo.* Nos ergo theſauros pro nobis condimus in Cœlo. Sed ita theſaurizamus, vt principaliùs Deus theſaurizet nobis. Ad ſextum tandẽ dico adhuc Scripturam docere, *Qui ſtat, videat, ne cadat.* Non ergo negandum etiam nos portare nos ipſos; ſed relatè ad Deum, ipſe

ipse portat omnia, sine quo nihil sumus, nec quidquam possumus: & in ordine ob bona supernaturalia ipse facit nos operari bene, non nos ipsum; prout sæpè dictum est.

564 Relinquo hic plurima argumenta, quæ vt libros repleant, sæpè inculcant Aduersarij; quale est illud, quòd scientia media vlà sternit erroribus Semipelagianorũ. Et, quòd, iuxtà doctrinam scientiæ mediç, Prædestinatio Sanctorum non est specialis electio, & præelectio contra illud, quod canit Ecclesia, elegit eam Deus, & præelegit eam. Item; quòd ex eadem doctrina sequitur Deum neque futura absolutè, neque futura conditionatè cognoscere in sua Prædestinatione: ac tandem inconueniens illud, quòd iuxta eamdem doctrinam, Dei decreta non essent ex se efficacia, sed pendentia in sua efficacitate ab arbitrio creaturæ. Relinquo, inquam, quia iam alibi ea adamussim examinaui, & confusiones arguentium; in quibus fucatis apparentijs argumenta vestiunt, detexi; ac proindè ea iterum adducere, esset sine fructu tempus, & labores terere.

565 Hæc sunt, quæ contra scientiam mediã malè, & non in germano sensu præconceptam, tanta animi auersione congerunt Thomistæ, vt talia decreta in Deo in ordine ad actus nostros liberos propugnent, quę volũtatem ineuitabili infallibilitate ad obiecta adducendo, inintelligibile prorsus reddant quomodò cum ipsis seruari possit libertas: ex quo tot errores ortum duxerũt. Cùm ergo satis faciliùs propugnabilis sit, vt euidenter ex dictis liquet, scientia media, quæ omnes prætactos errores, absque vllo prorsus, aut Maiestatis diuinæ dispendio, aut creaturæ eleuatione, ex radice præcidit: quàm sit doctrina de decretis Dei prædeterminatiuis, quæ viam eisdem strauit: nonne hoc sufficere deberet, vt ab omnibus Theologis vnanimi voce conclametur, & foueatur. Ego certè, quando aliud non haberẽ motiuum, vt occasionem hæreticis præripẽrem, ne eorum Asseclas ex Catholicorũ principijs, falsis ipsorum maiori cum facilitate imbuerent dogmatibus, scientiam mediam toto fouerem, & propugnarem corde: sed quia quisque abundat in suo sensu, relinquo solùm Lectoribus, passionibus proprijs haud implicatis, quatenus de his duabus oppositis sententijs iudicium ferant. Et interim ad mediam, vt dici potest, Scotistarum sententiam gradum facio.

CAPVT XIII.

Concomitantia, iuxtà Scotistarum sensum, Dei decreta examinantur, & deportantur.

566 MOderniores Scotistæ, Duce Iosepho Neapolis à Drepano, Siculo, nolentes, cum eorum Scholæ Antiquioribus, viam in materia, de qua agimus, Thomistarum calcare, putando nullatenus cum decretis Dei prædeterminatiuis posse componi arbitrij creati libertatem; nec etiam in semitam scientiæ mediæ dilabi; quamdam aliam tertiam aggressi sunt, adinuenientes, vel potiùs perscrutãtes in Deo quoddam genus decretorum efficacium ergà actus nostros liberos, in quibus possint libera futura siuè absolutè, siuè conditionatè cognosci; nec tamen antecedentium, nec subsequentium, sed comitantium liberum arbitrium creatum: quod decretorum genus, si subsistentiam vllam habere posset, absque dubio præferendum esset omnibus alijs sensibus de diuinis decretis in ordine ad actus liberos creatæ voluntatis, saltem quoad substantiam doctrinæ. Sed reuera decreta Dei, quæ ab istis Scotistis vocantur comitantia, aut nullatenus sunt talia, sed illa eadem, quæ propugnantur à Thomistis: aut in terminis concomitantiæ potiùs sunt chimęræ, & conficta, quàm decreta, Maiestati diuinæ conuenientia, vt mox patebit.

567 Duo ergo decretorũ genera distinguũt in Deo illi Doctores in ordine ad actus liberos creatæ voluntatis, vnum respiciens potentiam ipsam, se habentem ad vtrumlibet, & per hoc, dicunt, complendam fore voluntatem, vt possit proximè vtrumlibet: ac consequenter non posse esse determinatam ad vnum, sed indifferens relatè ad effectus, ad quos debet fieri potens voluntas. Sic vt tamen ad determinatum effectum non sufficit tale posse voluntatis, quod non magis est ad vnum, quàm ad aliud: sed præterea requiritur ex parte voluntatis creatæ, vt se determinet potiùs ad vnum, quàm ad aliũ: pari modo, vt Deus hic, & nunc concurrat ad vnũ, potiùs quàm ad aliũ effectum liberum, non sufficit præfatum decretum indifferens, sed est præterea à se, & non à determinatione creatæ volũtatis determinandus:

nandus: & hoc est aliud genus decretorum Dei, quibus se determinat ad determinatè concurrendum; eis nihilominus dicunt solùm Deum determinari, non verò etiã voluntatem creatam, prout asserebãt Thomistæ, sed hanc omninò relinqui determinandam à se ipsa; atque adeò similia decreta, cùm non sint causa determinationis voluntatis creatæ, iam non antecedunt illam in ratione causæ, licèt antecedant tempore. Rursus, nec ideò se determinat ad hunc effectum Deus, quia præuidit ita se determinandam voluntatem creatam, modo, quo admittunt in ordine ad actus bonos Assertores scientiæ mediæ decreta prædefinitiẽtia in Deo: sed præcisè ex propria libertate, nullo habito respectu ad priorem, siue præuisam liberã determinationem creaturæ: ac consequenter talia decreta non sunt quoquomodò cõsequentia libertatem creatæ voluntatis. Sunt ergo comitantia, quatenus simul Deus determinat se ad eũdem effectum, ad quem se determinat creata voluntas: & neutra ex his determinatio quoquomodò antecedit aliam. Hæc est summa doctrinæ horum Doctorum.

568 At quoniam vident præfatam doctrinã, sic nudè acceptam, euidenter obtundi hoc argumento; si Dei decretum tale est, vt voluntatem creatam non tangat, sed in sua indifferentia relinquat; ergo sicut voluntas ex se est determinabilis ad vtrumlibet, & non magis ad vnum, quàm ad aliud: ita nihil impediet, quominùs, determinato Deo ad vnum, voluntas creata prorumpat in determinationem ad oppositum: sicut enim, si Deus determinaret se ad oppositũ, voluntas etiam ad illud se determinaret, ita nihil protsus impediet, quin eodem modo se determinet, non se determinante Deo ad idem, cùm hoc decretum nullo modo tangens voluntatem, eam à tali determinatione non auertat. Quid ergo tunc erit, aut adimplebitur determinatio voluntatis creatæ, & iam Dei decretum erit frustrãdum, nec erit ex se efficax: aut adimplebitur Dei decretum, & ita voluntas creata non erat potens sine decreto, cùm iam exercens se quantùm poterat, non ideò ponat effectum: imò daretur vltima actualis determinatio causæ creatæ ad agendum, & nõ ageret: atq; ita esset, & nõ esset vltima determinatio sui ad agendum. Rursus, & si cõcipiamus voluntatem creatam semper determinare se ad illud idem, ad quod se determinat Deus, non tamen hoc habebit vi decreti Dei; sed aliunde: atqui sine determinatione voluntatis creatæ non esset effectus liber; ergo diuinum decretum non est ratione sui efficax: quia ratione sui non ponit totum id, quod requiritur, vt sit effectus liber.

569 Huic argumento, probanti, vt cuicumque patet, similia decreta efficacia esse chimærica, & conficta in Deo, non realia, occurrere volentes Moderni Scotistæ, recedunt omninò in re à comitantia decretorum: & non nisi verbis se ostendunt alienari à Thomistis: dicunt namque, quòd Dei volitiò, qua determinat seipsum ad vnum, ratione infinitæ perfectionis, quam habet à potentia voluntatis, eminenter, & virtualiter continet omnem modum volẽdi creaturæ; & ratione huius continentiæ, dum Deus determinat se, inuoluit infallibili connexione concomitantiam determinationis creatæ voluntatis: quod exemplo confirmare conantur: quando namque, aiunt, experimur duos sæpè sæpius in idem coincidere volitum, absque eo, quòd vnus trahat alium, vel præuideat illum tale obiectum voliturum, eos symbolos genio, & voluntate dicimus, & quasi eadem prædictos voluntatis potentia: pari ergo proportionali, sed superexcedenti modo, quia voluntas Dei ratione suæ infinitæ perfectionis continet incommutabiliter, quidquid ratione symboleitatis, & genij præstant cõcomitanter, & sine alterius ad alteram causalitate, duæ voluntates creatæ, benè poterit incommutabiliter concomitantiam istam creatæ voluntatis ad suam exhibere, absque vlla causalitate in illam.

Hæc tamen doctrina, quomodò quietet mentem tot Illustrium Doctorum, mihi sanè mirum videtur, cùm in terminis ipsis implicantiam explicitam, seu duo præferat contradictoria, negando esse causam, dum ponitur decretum Dei causa determinationis creatæ: nec etiam euitando illud idem, quod in doctrina Thomistica eos offendit. Ita ergo contra præfatam explicationem

570 Arguo primò. Continentia virtualis, qua Deus ratione suæ infinitæ perfectionis continet, quidquid continent creaturæ, vel est in genere causæ formalis, lato modo acceptæ, seu terminatiuæ, sicut subsistentia diuina continet in genere termini, quidquid continet subsistentia creata: vel est in genere effectiuo, quia Deus causat, ac efficit, quidquid est in creatura: & in vtroque genere Deus præcedit naturã quidquid præstat, tamquam effectum in suo genere: cæterùm, quòd Deus contineat virtualiter, & in sua eminentia aliquid, tamquam quid distinctum ab illo, & non contineat, vt causa, à qua sit illud esse, quod continetur, sed vt quid essentialiter, seu necessariò cõnexum

nexum pura concomitantia, hoc est facere creaturam sub aliqua formalitate Deũ: & ex æquo connexam cum Deo, ac Deum cum ipsa, quomodò sunt connexa attributa diuina: nec esset continere illam in virtute, & eminentia, sed præcisè illam necessaria connexione comitari, & hanc ex æquo Deum. Si ergo Scotistæ isti indè volũt determinationem creatæ voluntatis comitari diuinum decretum, quia continetur omnis illius ratio in eodem decreto, comitabitur illud, tamquam effectus causam, quę concomitantia nõ aufert prioritatem causę: & hæc est sentẽtia Thomistica in terminis.

571 Vrgeo: quia concomitantia tripliciter excogitari potest: vno modo, quando duo nullo modo ex se sunt connexa, & per accidens reperiuntur simul: alio modo, quãdo duo ex æquo cõnectuntur, non verò quia vnũ trahat secũ aliud, & nõ ecõtra; tertio tãdẽ modo quãdo vnũ trahit secũ aliud, hoc verò supponit, non trahit illud. Hoc certè vltimo modo causam necessariã comitatur suus effectus, vt lux Solem, quæ semper sunt simul, sed vnum est causa alterius. Nunc sic argumentor, vel determinatio creaturæ primo modo, & per accidens comitatur determinationẽ Dei, & ita redit argumentum in suo robore, cui Scotistæ isti respondere volebant, Vel comitantia mutuæ ex æquo connexionis; & hoc est plusquam chimericum: tum quia, quæ sunt ita connexa non sunt separabilia, vt existat vnum, non existente alio, cùm tamen existentia in tẽpore determinationis creatæ nõ impediat; quin decretum diuinum fuerit ab æterno; tum quia, si ita essent istæ duæ determinationes connexæ, non minùs vna traheret aliam, quàm econtra; nec minùs vna causa non determinans se esset etiam ratio, vt non determinetur alia: ergo creata voluntas, non minùs, quàm Deus cum ipsa, esset indifferens determinandi se, & Deum; cùm enim sua determinatio ex æquo sit connexa cum determinatione Dei, sicut potens est se determinare, & in suo dominio id habet, ita in suo dominio haberet determinandi Deum ratione connexionis, quam haberet Dei determinatio cum sua propria. Tum tandem quia isti Doctores fundant illam variabilem comitantiam in infinitate perfectionis Dei, ratione cuius continet omnem modum creatæ voluntatis; cùm ergo Deus contineat perfectionem omnem creatæ voluntatis, & non ista omnem modum voluntatis diuinæ: connexio non ex æquo ortum duceret, sed solùm Dei voluntas traheret secum determinationem creatæ voluntatis, & non econtra: hoc autem dicere rationem prioritatis, ac consequenter causæ, siue principij prædeterminantis in decreto diuino respectu determinationis volũtatis creatæ, cęci ipsi vident; quandoquidem prioritas naturæ, & causæ in eo sita est, quòd causa non pendet in suo esse ab effectu, & effectus pendet in suo esse à causa; ergo quod ita se habet, vt secum trahat existentiam alterius, & non econtra, prioritatem eamdem seruat cũ illo.

572 Insto: quia quidquid in se est determinatio ista creaturæ, profectò eo modo, quo potest esse, causanda est à Deo, quandoquidem Deus potest eam permittere, vel impedire; vel ergo causatur per decretũ determinatũ ad illam, & ecce Thomisticam sententiam; vel decreto indifferenti, & ita voluntas creata potest determinationem hanc habere, supposito decreto indifferenti ad hanc, vel ad illam determinationem; vndè ergo non poterit eo modo supponi ad effectum ipsum determinatè producendum?

573 Arguo secundò contra eamdem sententiam; quia decretum efficax in hoc distinguitur ab inefficaci, quòd illud vel est adequata causa, se solo ponens effectum: vel vi sua, & sua efficacia ponit reliquas cõcausas, & requisita ad illum, & non ita inefficax: vel ergo decretum Dei de opere libero, se solo ponit illud, nullo admisso concursu voluntatis creatæ, & ita non esset opus voluntati creatæ liberum; vel vi sua ponit concausas, & requisita, & cùm inter reliqua requisita vnum sit determinatio creatæ volũtatis, aut illam vi sua trahit, & jam erit causa trahens sua efficacia præfatam determinationẽ creatæ voluntatis, ac ita erit priùs illa, tamquã principium efficax trahens eamdem, nõ tãquam ratio concomitans; nullum exercens influxum in ipsam: aut non illam trahit ratione suæ efficaciæ, & ita non erit ex se efficax: adhuc namque dato, quòd istæ determinationes sint cõnexæ, non per hoc ab efficacia decreti diuini haberetur opus, sed indiuisibiliter ab vtraque; non ergo decretũ Dei esset ex se efficax: nisi inadæquatè, quomodò etiam est decretum Dei inefficax: hoc enim, si reliqua requisita ponerentur, adhuc inadæquatè vi sua poneret effectum.

574 Hanc autem sententiam non effugere scopulos sententiæ Thomisticæ, quã Scotistæ isti oppugnant, tamquam læsiuam libertatis, etiam si gratis admittatur decretũ Dei esse purè concomitans, ex dictis patet: quãdoquidem hoc Dei decretũ ratione sui trahit infallibiliter determinationem volũtatis creatæ: sed voluntas creata non potest Deum impedire, ne se determinet ex se, pro-

prout vult; ergo nec potest facere, vt non sit sua determinatio:& hoc aliũde, quàm ab exercitio proprio libero:ergo redditur infallibilitata ad vnum aliunde, quàm ex suppositione sui exercitij; ergo in proprium exercitium non prorumpit ex indifferenti ad vtrumlibet, cùm iã aliunde impediatur ad vnum; ergo non ex libertate.

575 Ex his pateat, quòd non benè se gerit Mastrius in primo Sent. disp. 3. quæst. 2. art. 9. numero 134. ad sextum, cùm vult saluare decretum Dei non lædere libertatem creatam, quia non est priùs determinatione illius prioritate in quo, sed solùm à quo: quasi Thomistæ aliam prioritatē, quàm à quo, admittant inter decretum Dei prædeterminans, & determinationem voluntatis: non enim volitio potest in aliquo signo intelligi sine proprio obiecto; cùm ergo Dei decretum sit causa determinationis causæ creatæ, tamquam sui obiecti, non potest respectu illius prioritatem habere, nisi solam signi à quo. Sed age quæso, num forsã prioritas præcisa decreti est illa, quæ libertatem creatam eneruat, cùm per omnes debeat decretum Dei, saltem indifferens præcedere determinationem creatam; non ergo prioritas causæ, extrinsecæ voluntati creatæ, eius lædit libertatem: sed infallibilitas exercitij voluntatis orta aliunde, quàm ex eius suppositione: hoc namque modo non procedit iam à voluntate creata, vt indifferenter se habente: sed vt infallibilitata aliundè, quàm ex proprij exercitij suppositione. Si ergo decretum Dei ex se habet infallibilem connexionem cũ determinatione voluntatis creatæ, sicut voluntas non est potens impedire decretum Dei, ita neque potest non ponere suam determinationem, infallibiliter connexam cum Dei decreto.

576 Vrgeo: quia in priori signo causæ non est potens voluntas creata impedire Deum, operaturum independenter omnimodè à libertate creata; ergo non est potens facere, vt signo posteriori effectus, non sit hic, vel ille, quem volet Deus; ergo nec in signo causæ seruat potentiam ad vtrumlibet, nisi ad summum modo Thomistico; si ergo horum modus impugnatur ab his Scotistis, iisdem impugnationibus impugnatur etiã ipsorum sententia.

577 Exemplum tandem, quo Scotistæ isti volunt propriam confirmare sententiam, est omninò abs re: in illo enim haberũr accidentaria concomitantia voluntatum in idem volitum, non quia vna contineat effectum alterius, vel sit connexa cum illa: sed quia sunt similibus dispositionibus dispositæ ambæ, atque similiter ad idem obiectum inclinatæ: Deus autem nec trahitur ab obiecto, sicut trahitur voluntas creata, nec diuersitate dispositionum fertur magis in vnum, quàm in aliud, sicut fertur illa: vndè non solùm nulla inter Deum, & creatam voluntatē est symboleitas in volendo, sed maxima diuersitas: solùmq. vt causa potest, cõtinere immutabiliter diuina volũtas, quidquid accidētaliter cõpetit symboleitatis duabus creatis volũtatibus: sed si, vt causa id præstat, iam non est ampliùs concomitantia volendi, sed prioritas in Deo, & posterioritas in voluntate creata; quæ est sententia Thomistica, quã verbis tenus volũt videri recedere Scotistæ isti; ergo, &c. Et hæc sufficiant in præsenti quoad spectat Dei præscientiam.

QVÆSTIO SECVNDA. DE PRÆDESTINATIONE ELECTORVM.

578 SICVT in præcedētibus non egi de omnibus, quæ spectant ad diuinam scientiam, sed solùm de scientia media, de qua maxima est cōtrouersia inter Doctores: ita acturus de Prædestinatione, & deindè de Reprobatione, non eas exagitabo, nisi secundùm quòd difficultates cōtinent maximi pōderis: præcipuè verò totus meæ intentionis scopus in eo sistit, vt maiori, qua potero, claritate ostendam, qua ratione nullatenus Prædestinatus gloriari possit in se ipso, sed in solo Deo miserente: econtra verò Reprobus nullam aliam causam, & originem prorsus suæ Reprobationis agnoscere debeat, siue ordine intentionis, siue executionis: siue positiuè influentem, siue negatiuè, nisi præcisè malum vsum libertatis, remotè quidem in Protoparentibus, proximè in propria voluntate, loquendo de Reprobatione Adultorum, qua incurrunt tum dāni, tum sensus pœnam: licet respectu solius pœnæ damni, quam incurrunt infantes, decidentes solo originali, in re, ac iustè hoc solùm debeat cognosci, tamquam adequata causa moralis, & demeritoria. Electū porro (loquendo de hominibus,) nullo prorsus modo posse in se ipso, & de se ipso præ Reprobis gloriari, ac pariter Reprobū nullo etiam modo posse in Deum suę damnationis causam refundere, ex infra dicendis constabit tenendum esse de fide. Hæc autem non sufficienter saluari mihi videntur in sententia asserente decreta Dei efficacia de materiali operum malorum, siue vocentur antecedentia, siue concomitantia: quandoquidem etiam ex parte Dei assignabilis esset causa siue antecedens, siue concomitans, cur isti reprobentur, eò quòd nimirum Deus non se determinauit cum istis ad opera bona, sed ad ea, cum quibus esset infallibiliter annexa Reprobatio. Nec item apud omnes Propugnatores scientiæ mediæ saluatur, qua ratione Electus, & si gloriari debeat in Deo, non tamen etiam possit gloriari in se ipso per hoc, quòd præ alio suum arbitrium accommodet Deo miserenti. Hæc ego facilè ex antecedenter dictis saluare curabo: explicans etiam eadem via, qualiter numerus prædestinatorū sit certus Deo, non tantùm præscientia, sed etiam infallibilitate ordinis, & suæ voluntatis, quoad positiuum inclusorum: non verò quoad negatiuum exclusorum, si sermo sit de Prædestinatione gloriæ: non ita verò loquendo de Prædestinatione gratiæ saluantis. Vndè sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & quotuplex sit in præsenti Prædestinatio, & an detur defacto in Deo?

579 PRædestinatio quoad Ethymologiā nominis idem est, ac antecedens de-

destinatio: atque adeò quot modis res aliqua dici potest destinari, totidem dici valebit prædestinari: duobus autem modis sumi solet destinatio: aliquando namque idem significat, quòd firma voluntas, seu statutum aliquid agendi: quo modo sumitur secunda ad Corinthios 1. in illis verbis, *Vnusquisque prout destinauit in corde suo*, idest statuit. Aliquando verò est destinatio, ac ordinatio, & directio vnius rei in aliam, siue tamquam in finem, siue tamquam in terminum: & hæc aut est personalis, sicut dicuntur destinari Nuncij: quo pacto dicitur primo Machabæorum 1. *Destinauerunt aliqui de populo, & abierunt ad Regem*: aut est realis, sicut dicitur destinari sagitta in scopum, & media ad finem: & ita 2. Machab. 6. dicitur de Eleazaro, *Destinauit non admittere illicita propter vitę amorē*. Omnibus ergo his modis sumi etiam potest Prædestinatio: hic tamen non agimus de Prædestinatione in ampla sua latitudine omniū rerum, quæ dici possunt prædestinari: sed restrictè de speciali Prædestinatione, secūdùm quam creatura rationalis dicitur fuisse à Deo prædestinata ad gloriam, eidemque præordinata, ac prædestinata media pro ea assequenda. Secundùm autem hanc restrictam significationem, & si omnibus etiam iam explicatis modis sumi soleat à Theologis, siue scilicet pro decreto stabili, ac efficaci Dei, cùm gloriam ipsam vocant prædestinatam, nempè stabiliter volitam: siue pro directione creaturæ rationis ad gloriam, prout dicitur ad Ephesios 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum*: siue pro prçordinatione mediorum ad gloriam consequendam, secundùm quòd accipitur, cùm dicitur etiam ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sācti, & immaculati*: ordinariè nihilominùs sumitur pro directione creaturæ rationalis ad gloriā, & pro præordinatione gratiæ, ac cæterorum mediorum ad benè operandū, & promerendam ipsam gloriam: imò sæpè sæpius sumitur vltimo modo, & quidem pro directione actiua, scilicet decreto, & voluntate Dei, ea ipsa, quæ dicta sunt, ordināte.

580 Definitur autem communiter Prædestinatio personalis cum Angelico prima parte quæst. 23. artic. 1. in corpore, *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*. Prædestinatio autem realis cùm Augustino lib. de bono perseuerantię cap. 14. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*. Hæc tamen definitio, vt patet, non est vniuersalis, sed solùm respectu Prædestinatorum post præuisum originale: nam Angeli Sancti, fuerunt quidem à Deo prędestinati, sed non liberati, cùm numquā ceciderint in peccatum. Vnde communiter pręfata definitio, quæ respiciebat solùm Electos ex hominibus, de quibus cōtra Hæreticos agebat Augustinus, accommodatur Prædestinationi vniuersali sub his verbis, Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè gloriam cōsequuntur, quicumq; consequuntur. Qualis autem debeat esse ista præscientia, an scilicet radicata in gratia, an in opere liberi arbitrij, prędita gratia, an in decreto de gloria, & meritis, an in solo decreto prçcedente de gratia, patet ex iam dictis. Qualis item debeat esse certitudo liberandorū, vel eorum, qui consecuturi sunt gloriam, an scilicet sola certitudo præscientiæ, an verò etiam ex infallibilitate pręcedētis voluntatis Dei, adhuc ex dictis patet, qui enim prædestinati sunt ante præuisa eorum merita, certitudinem suæ Prædestinationis supponunt etiam vi decreti: sed non ita, qui non sunt prędestinati, nisi post prçuisa merita, quo pacto probaui ex Augustino fuisse prędestinatos Angelos Sanctos, & infra etiam circa hæc diffusiùs erit agendum.

581 Dari autem de facto in Deo Prædestinationem, vtroq; modo explicatam, de fide est: prima namque ostenditur ex Apostolo loco citato ad Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum*. & ad Romanos 8. *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. Secunda verò tum ex eodem Apostolo ad Ephes. 1. *Signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*. Tū Actorum 13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Nec inueniri possunt, qui his contradicant, nisi vel Atheistę, qui & Deum negant, & animam rationalē esse immortalem, de quibus dicitur Sapientiæ 2. *Nescierunt Sacramenta Dei, nec sperauerunt mercedem iustitiæ, nec iudicauerunt honorē animarum Sanctarum*. Vel qui ex Gentilibus diuinam Prouidentiam, & scientiam, præsertim relatè ad hæc sublunaria, negauerunt, de quibus dicitur Psalm. 93. *Et dixerunt non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*. Item Iob. 22. *Nubes latibulum eius, circa cardines Cæli perambulat, nec nostra considerat*. Contra quorum amentiam sufficiunt relata ex Scriptura, & plurima dicentur infra, cùm agemus contra Hæreticos.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

An possibilis sit Prædestinatio gloriæ, vt præmij, & mercedis absoluta, & efficax ante preuisionem meritorum, saltem post scientiam mediam.

582 NOn est hic iterū ineundū certamē aut cum Thomistis, aut cū Scotistis in disputando, an possibilis sit, independenter, & præcisa scientia media, Prædestinatio gloriæ, vt prę mij, & coronæ, (ac consequenter, quæ sit etiam efficax volitio meritorum, sine quibus non stat ratio, præmij, & coronæ,) causans, & non supponens vllo modo, tamquā futura, eadē merita? iā enim tota antecedenti quæstione similia Dei decreta ātecedētia in ordine ad actus liberos nostros refutauimus. Remanet nūc discutiendum, an saltem possit Deus, indepēdēter à sciētia media, velle in aliquo signo gloriā Electis, prę scindendo à ratione præmij, & coronæ, & deindè in signo posteriori præuisis meritis eam velle, vt prę mium, & coronam, sicut docet Suarius lib. 1. de Prędest. cap. 8. Prętereà post scientiam mediam an, & quomodò possit velle efficaciter, seu prędestinare gloriam, vt prę miū, & coronam ante merita præuisa, vt absolute futura? pro quibus difficultatibus.

583 Prę noto primò cum Angelico prima parte quæst. 19. art. 1. in corpore, & Theologis communiter, quòd, cùm quæritur, an in Deo scientia antecedat decretum, vel an decretum de gloria sit prius, aut posterius, quàm voluntas de meritis, & de gratia: & vniuersaliter, cùm agitur, an vnum decretum liberum sit prius alio, &c. dupliciter potest intelligi, vel scilicet prioritate virtuali, & ę quiualentiæ: quatenus nimirum, si essent quę dam duo distincta, & causabilia, vnum causaret aliud: vel potiùs denominatione desumpta ab obiectis, eò quòd scilicet vnum obiectum est causa alterius, vt tunc scientia dicatur prior decreto, quando ex directione scientię Deus vult obiectum; si verò Deus non vult, vt directus tali scientia, sed econtra ideò Deus cognoscit, quia vult, tunc decretum antecedere dicitur scientiam: si item, quia mutare vult finem, ideò mutat media, aliàs hęc non mutaret, volitio finis antecedit volitionem mediorum: si verò ideò vult finē, quia prę uidet futura media, & aliàs nollet finem; tunc volitio talium mediorum esset aliunde, quàm ex voluntate talis finis, eamque antecederet. Exemplum pono in casu, de quo agimus, vt difficultas ipsa magis clarescat. Si Deus v. g. ex sola voluntate constituendi causam liberam potentē benè operari, etiā opera supernaturalia, vellet illi gratiam benè operandi, vel ex complacētia, & voluntate laudis, & obsequiorum prę standorum ipsi à creatura rationali, & vidēs obsequia ista esse in se digna prę mio, propterea vellet gloriam iis, quos præuidet sibi obsequuturos; tunc voluntas Dei de meritis prę cederet voluntatem de gloria: quia merita, vt prę uisa, mouerent Deum ad decernendam gloriam. Si verò non ita procedat Deus, sed ad ostendendā suam bonitatem in beneficando creaturæ rationali, vellet aliquibus se prę bere tamquam obiectum beatificans, & volens etiam seruare titulum iustitię, vellet iisdem se communicare, tamquam prę mium, & coronam aliquo modo debitam, & propterea vellet in illis merita, & vt habeant merita, vellet eisdem gratiam, qua benè operentur: in isto casu volitio de gloria, vt prę mio, & corona, antecederet voluntatem de meritis, & volitio de meritis voluntatem de gratia; eò quia, quod mouet agens, vt velit, vel producat aliquod, est causa intentionalis, seu finalis illius, ad quod mouet: & denominatione desumpta ab obiectis vna volitio dicitur prior alia: cęterùm, cùm nec volitio Dei causetur à scientia; nec vna volitio causet aliam, quandoquidem sunt ipsemet Deus, eidemque identificatę, & improductę, non datur in ipsis ratio prioris, vel posterioris quoad intrinseca; nisi ad summū virtualiter, quatenus si essent actus Deo superadditi, & producibiles, hic, & nūc vnus esset causa alterius.

584 Prę noto secundò, quòd apud Thomistas pro eodem sumuntur hęc duo nomina prę determinatio, & prę definitio, eò quòd negantes scientiam mediam, putant non posse à Deo prę definiri actum nostrū liberum, nisi causando determinationē nostrę voluntatis: at Scotistę cōcedūt decreta prædefinitiua cōcomitātia, nō causātia determinationē nostræ voluntatis, & ideò negant pro codē accipi: & multò magis Assertores scientię mediæ, qui, & si concedant ferè omnes, quòd actus nostri liberi possint à Deo post scientiam mediam definiri, hoc est esse à Deo efficaciter voliti, semper tamē negant posse à Deo voluntatem nostram

prędeterminari, & permanere liberam. Cum istis ego nomen prędeterminationis sumam pro decreto, non solùm determinante actum, sed etiam prędeterminante voluntatem creatam, nomen verò prędefinitionis pro pręcisa voluntate Dei efficaci de actu libero: & ita hęc duo nomina pro diuersa significantibus habebo. His ergo præhabitis.

585 Circa primum punctum difficultatis nō est nobis immorandum: pręter enim Suarium supra citatum, non inuenio aliū, qui ita circa eandem gloriam duo distinguat in Deo decreta efficacia, vnum de ipsa quoad substantiam, aliud de eadem sub titulo pręmij, & coronę: & primum sit omninò independens à scientia media, secundum verò supponat etiam scientiam visionis de meritis, vt absolutè futuris.

586 Circa secundum verò difficultas non est ordinaria, sed suas pro vtraque opposita sententia patitur argumentorum angustias. Plurimi ergo, quos citat Suarius opusculo 1. lib. 1. cap. 16. num. 3. sentiunt nullo prorsus modo posse Deum velle efficaciter gloriam, vt pręmium, & coronam, antequam pręuideat merita, vt absolutè futura: eò quòd, si ista non pręuideat, vt futura, necesse erit, vt volens gloriam, tamquam coronam, & pręmium, velit etiam merita, quibus detur, vt corona, & pręmium ipsa gloria: omnis autem Dei efficax volitio vi sua intrinseca ponit effectum; ergo etiam post scientiam mediam; si Deus vellet merita efficaciter, ista poneret non vi voluntatis diuinæ, non vi voluntatis creatæ potentis vtrumlibet: non enim hæc posset non ponere, quod Deus efficaciter vellet fore ab ea ponendum. Huic sententiæ, videtur se subscribere Vasquez in prima parte disput. 89. cap. 9. num. 75. Communiter nihilominus Patres Societatis, & qui ex neutralibus propugnant scientiam mediam, defendunt non implicare, nec vllo modo offendi libertatem creatæ volūtatis, si Deus post scientiam mediam primò decernat efficaciter ex sua largitate, & beneficentia dare gloriam, vt pręmium, & coronam, deindè decernat efficaciter futuritionem meritorum: & propter hæc habenda, gratiam facientem operari, vel sub qua fuerat præuisum liberè benè respōsurū arbitrium creatum. Vt autem circa hæc puncta distinctiùs procedam.

587 Assero primò subsistentiam non habere sentētiam Suarij de duobus decretis circa gloriam secundùm substantiam, & sub titulo pręmij, & coronæ.

588 Probo assertum hoc ratione euidenti: decreta namque, & voluntates Dei liberæ, cùm, vt tales, potuerint in Deo non esse, nō possunt superaddere, sub ratione liberi, nouam rationem intrinsecam vitalis, & affectuosæ propensionis ad obiectum, prout addunt in creatā voluntate; ita quippe Deus esset intrinsecè mutabilis, & perfectibilis; sed solùm superaddunt quamdam tendentiam, siue habitudinem actiuam mutandi, & variandi obiectum, quod poterat Deus nōn mutare; ergo implicat concipi rationem aliquā decreti liberi in Deo, quod non sit eo modo, quo concipitur esse decretum, mutatiuum sui obiecti; aut scilicet conditionatè, & inadęquatè ex parte sui, si ad mutare requirit conditionem ab alio ponendam, quo pacto sunt decreta conditionata, & inefficacia: aut absolutè, & adęquatè, si nimirum sit decretum efficax, & absolutum, vi sua ponens omnia, quæ requiruntur ad mutandum obiectum. Si ergo Deus primo suo decreto efficaciter concipiatur velle gloriam quoad substantiam, pręscindendo à ratione præmij, & coronæ; gloria ipsa erit infallibiliter vi huius decreti quoad substantiam ponenda, & executioni mandanda; ergo vi secundi decreti nihil noui erit ponendum, nisi dūtaxat titulus pręmij, & coronæ, quatenus scilicet gloria, iam aliunde ponenda, acquireret nouum titulum pręmij, & coronæ debitæ, hoc autem non solùm aduersatur Scripturæ, sed etiam rationi. Scripturæ quidem, eò quòd Matth. 25. dicitur, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi mādūcare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* non verò dicitur possidete pręmium, vel coronam; ergo non solus titulus pręmij, & coronæ, sed etiā substantia ipsa beatitudinis datur Electis ex meritis; ergo non supponitur aliud decretum efficax, vi cuius, independenter à meritis, detur gloria quoad substantiam. Rationi item, quia merita facta ex gratia, præcipuè habituali; digna sunt & substantiæ gloriæ, & tituli pędicti; ergo, si Deus solum titulum meritis his rependeret, diminutè, & citra meritū præmiaret, non minùs, quàm si Dominus vineæ operarios compensare vellet titulo præmij addito alicui rei, quam adhuc haberet operarius, si in vinea non laboraret, vbi nullum crederem amplexurum labores, si solo titulo nouo, sed nullo nouo fructu, crederet fore compensandum.

589 Assero secundò eadem ratione, quæ decreta Dei, siue antecedentia, siue concomitantia vocentur, si in ordine ad actus nostros antecedenter, vel concomitanter de-

determinant voluntatem ad vnum ante scientiam mediam, & eius libertatem eradicant, id ipsum præstabunt, eamdem voluntatem determinando, data scientia media.

590 Probo facillimè assertum; quia scientia non est de effectu, vt futuro in statu absoluto, sed dumtaxat in statu conditionato: nec effectus per hoc, quòd sit conditionatè cognitus, vt futurus, transit ad statū absolutum: imò benè stat, quòd plura cognoscuntur, quòd essent, si essent suæ causæ liberæ, taliter dispositæ; at quia tales causæ numquam erunt in statu absoluto, neque vnquam effectus erunt; ergo transit ad statum absolutæ futuritionis vi transitus suæ causæ ad statum eiusdem futuritionis; ergo talis transit ad statum absolutum, qualis trāsit sua causa, sed voluntas creata prædeterminata ad vnum post scientiam mediam, iam in statu absoluto non retineret indifferentiam in actu primo, per quam constituitur libertas: sed vt ab alio determinata, quod est constitutiuum necessitatis; ergo cognita, vt liberè operatura in statu conditionato absque decreto prædeterminante, transiret deindè per decretum, eam determinans, ad statum absolutum, vt necessitata: & ita effectus in statu absoluto prodiret ab ea necessariò, non liberè.

591 Vrgeo: quandocumque constitutiua rei non permanent eadem, sed variantur, nec permanere potest idem constitutum, sed variatur: atqui constitutiuum libertatis est indifferentia in actu primo: & determinatio ad vnum ab exteriori agente est constitutiuum necessitatis; ergo quandocumque ista variantur, variatur libertas, aut necessitas; ergo id, quod in statu conditionato, vt sit liberum, debet excludere determinationem ad vnum ab exteriori agente: ad hoc, vt permaneat idem in statu absoluto, debet pro eodem statu retinere eamdē exclusionem determinationis ad vnum: & si hanc non retinet, sed induit determinationem istam, nec retinebit libertatem, sed induet necessitatem.

592 Insto: quia per te, præcisa scientia media (prout præscindunt pro statu absoluto decretorum Dei Thomistæ, & Scotistæ, eam negantes) similia decreta prædeterminantia voluntatem creatam ad vnum ponunt in voluntate eadem cōstitutiuum necessitatis, nō libertatis: atqui sciētiæ mediæ suppositio nihil præstat ad libertatē actus pro statu absoluto, quādo hic non dirigitur ab illa: & eodem modo se habet, siue talis scientia præcesserit, siue non; ergo siue præcesserit, siue non, eodem modo semper destruet libertatem determinatio ad vnum ab exteriori principio in statu absoluto. Minor probatur, quia suppositio conditionatæ futuritionis, & scientia media in pluribus de facto stant absque prorsus futuritione absoluta, prout stat pœnitentia Tyriorum, & Sidoniorum; ergo status futuritionis absolutæ, nisi procedat, vt à tali scientia directus, ex se omninò præscindit à statu conditionato, quem nec includit, vt causam directiuam: & solùm pro suo absoluto statu importat causas absolutas sui status: sed per se præcisa scientia media, determinatio actus ab exteriori principio illum constituit necessarium, non liberum; ergo etiam præsupposita scientia media, quæ nihil præstat statui absoluto, idem præstabit similis prædeterminatio.

593 Assero tertiò. Quamuis, si nulla præsupponatur in Deo scientia de futuritione meritorum, implicet, quòd decretum de gloria, vt præmio, & corona, non sit etiā eodem modo efficax volitio de meritis: qualibet tamen præsupposita scientia de futuritione eorumdem meritorum, potest Deus efficaciter velle gloriā absque eo, quòd vi eiusdē decreti efficaciter velit merita. Duas habet partes conclusio.

594 Prima pars probatur ratione satis conuincente: sic ergo discurro: licèt, quando medium prænoscitur, vt existens, siue vt absolutè futurum, pro consecutione finis non necessitetur volens efficaciter finem, nec quidem complacere de medio, eò quòd tota connexio volitionis medij cum volūtate finis indè nascitur, quòd sine medio, necessario ad positionem finis, nullam efficaciam haberet voluntas erga finem, quia hic sine medio haberi non potest, ac consequenter voluntas, quæ non ponit illa, quæ necessaria sunt, vt ponantur pro executione finis, non ponet vi sua finem: cùm autē medium iam supponitur existens, vel ita futurum aliunde, vt ex se iam sit aptum, & conducens ad finem, benè, qui vult finem, etiam si de medio nec complaceat, habebit consecutionem finis vi medij aliūde suppositi, vel ponēdi: atq; adeò pro efficaci volitione cōsecutionis finis, nec complaceat indiget de medio, & si possit, quando est amabile, complacere liberè de illo; si nihilominùs nulla ad volitionem efficacem finis præsupponitur in agente præscientia de existentia, vel futuritione mediorum apta ad finem, contradictionem dicit, quòd volitio agentis sit efficax erga finem, & nō sit eodem modo efficax volitio medij necessarij ad finem: atqui, vt gloria in ratione finis habeat rationem præmij, & coronæ,

necessaria sunt merita, vt media; ergo qui vult efficaciter gloriam, vt præmium, & coronam, & nullam præhabet scientiam de futuritione meritorum, implicat, vt non eadem efficacitate velit merita. Secundam partem maioris probo ratione supra tacta, quia illa est efficax intentio finis, vi cuius finis ponetur in executione: sed finis non ponetur in executione vi intentionis agentis, si vi illius non ponentur media necessaria ad consecutionem finis, quando notitiam non habet de existentia, vel futuritione eorumdem mediorum, ergo. Probatur minor clarissimè, quoniam, si vi intentionis finis non determinatur agens ad media; ergo remanet eodem modo indifferens, ac erat ante intentionem finis ad velle, vel nolle media necessaria, & non præsupposita; ergo posset nolle media: sed si nollet media, iam finis non poneretur in executione; ergo decretum intentionis finis non esset efficax; ordine ergo inuerso, si intentio finis est efficax, finis determinatè est ponendus; ergo ponendum est vi eiusdem decreti medium necessarium, & non determinatè positum, vel ponendum aliũde antecedenter ad decretum; ergo decretum intentionis finis est determinatio voluntatis volentis finem ad volẽdum eadem efficacitate medium necessarium, & non præsuppositum.

595 Ratio à priori huius differentię est, quia medium, vt medium non amatur ratione sui, sed ratione finis, in quantùm haberi non potest bonitas finis, quę ratione sui amatur, nisi sit medium requisitum ad finem: vndè intendens efficaciter positionẽ finis, tantùm amat medium, quantùm necesse est amari, vt ponatur finis: atqui, quãdo medium iam cognoscitur aliunde positum, vel infallibiliter ponendum, ponetur per intentionem agentis finis, etiam si agẽs non ponat medium; ergo in tali casu efficacia intentionis finis nullo modo est necesse, vt sit volitio, vel complacentia medii; econtra verò quando medium non cognoscitur, vt iam existens, vel futurum, non cognoscitur, vt determinatum, sed vt determinabile, secundùm quòd potest ad finem conducere; ergo si intentio finis non determinat positionem medii necessarij, vi huius intẽtionis nõ ponetur finis, eò quòd, non determinata positione medij, numquã erit positus finis.

596 Secunda verò pars assertionis, quòd nimirum, etiam si sola pręscientia media pręsupponatur de futuritione meritorum, non sit necesse voluntatem finis glorię esse etiã voluntatem meritorum, remanebit probata in assertione subsequenti: sicut enim meritum est medium ad consecutionẽ gloriæ, vt præmij, & coronæ, ita determinatio actiua voluntatis creatæ est medium ad positionem actus liberi eiusdem voluntatis: sed in subsequenti assertione probabo posse Deum velle post scientiam mediã actum liberum voluntatis creatæ, absque eo, quòd velit determinationem ipsam actiuam voluntatis creatæ: sed sufficit, si velit ipsam voluntatem, & circumstantias, sub quibus fuit præuisa se determinaturam se ipsam; ergo pari modo efficax intentio gloriæ, vt præmij, & coronæ non est necesse post scientiã mediam, vt sit volitio meritorum: sed sufficiet, si sit volitio ipsius voluntatis creatæ, & earum circumstantiarum, sub quibus eadem volũtas fuit præuisa benè operatura; quapropter.

597 Assero quarto non implicare actum nostrum liberum, quà liberum, cui nulla annexa est ab intrinseco malitia, efficaciter prædefiniri, & intendi à Deo in nobis post scientiam mediam, qua cognouerit Deus, quòd sub tali circumstantia liberè à nobis poneretur: ac proindè nec implicare gloriam, vt præmium, & coronam esse à Deo efficaciter nobis volitam, & propter ipsam esse volita merita, quantùm est ex hoc capite, ne lędatur nostra libertas in merendo.

598 Dixi, quantùm est ex hoc capite, ne offendatur nostra libertas: nam an aliunde implicet dicam postea. Secunda ergò pars tota pendet à probatione primæ: si enim post scientiam mediam non implicat, vt Deus prædefiniat actum nostrum liberum, quà liberum; ergo quòd post scientiam mediam velit gloriam, vt præmium, & coronam, & propter ipsam velit in nobis merita, quæ non supponit, vt futura, nec libertatem vllo modo lædet, ac consequenter ex hoc capite nulla est implicantia, vt ita velit Deus.

599 Probatur autem prima pars assertionis, in qua maxima est difficultas, primò à priori, & ratione euidente, trutinando nimirum in quo consistat efficacia voluntatis cuiuscumque volentis: eamque, secundùm quòd maior, vel minor esse potest, saltem quoad explicitum, & formale, distinguendo ex sua radice: ita ergo discurro: volũtas, & si libera sit in suo operari, vel non operari, secundùm quòd opus specificatur à potentia: non tamen est libera, imò simpliciter est impotens operari extra directionem intellectus: non enim potest amare, quod cognoscitur, vt solùm malum: nec odio habere, quod cognoscitur, vt dumtaxat

taxat bonum: & pari modo nec potest liberè ferri circa id, quod repræsentatur, vt necessarium ad sui ipsius finem, nec necessariò tendere ad id, quod iudicatur non necessarium ad eumdem finem: talis ergo, & tanta est efficacia voluntatis in ordine ad sua obiecta, qualis, & quanta est directio intellectus, ita vt; quando intellectus ei repræsentat aliquem finem, & tantam in ordine ad illum talem, & tantam necessitatē mediorum; & non maiorem, de necessitate quidem voluntas tendet efficaciter ad talia, & tanta media, supposito, quòd vult finem: sed non de necessitate tendit ad alia, & multò minùs, si medium conducens ad vnum finem esset impedimentum ad alium finem, qui hic, & nunc intenditur; ergo efficacia voluntatis, qua tendit ad finem, non est mensuranda indiuisibili modo in ordine ad media, vt, qualia, & quanta velle potest, & debet in ordine ad vnum finem, tanta, & talia velit, & debeat velle in ordine ad alium: sed solùm indiuisibiliter est mensuranda sub ratione necessitatis mediorum pro consecutione finium; vt scilicet, sicut efficacia voluntatis huius finis nō stat, nisi vi eiusdem voluntatis sint volita omnia media ad illius positionem necessaria: ita nec subsistat efficacia volitionis cuiuscumque alterius finis, nisi vi illius tendat efficaciter ad media necessaria pro illius executione, maiora, vel minora, hoc, aut illo modo, secundùm quòd sunt necessaria, & non aliter. Hæc sunt cuicumque euidentia: non enim eadem, vel tanta medicamina necesse est velit parùm infirmus, volens restitui illi sanitatem, ac necesse est velit mortaliter ęgrotans.

600 Ex his autem principijs, in sua radice patentibus, ita assertionem conuinco. Actus ille voluntatis de fine, qui ita tendit ad finem, vt vi illius ponantur media requisita ad consecutionem infallibilem finis, secundùm quòd sufficit ad talem infallibilē cōsecutionem, est actus ex suo genere, & proportionaliter ad proprium finem, efficax, cùm vi illius sit infallibiliter ponendus finis: atqui decretum istud Dei, subsequens ad scientiā mediam, qua Deus præcognouerit Petrum Apostolum fore sub talibus circumstantijs conterendum liberè, nimirum volo Petrum liberè conterendum, & ideò volo illi exhibere in statu absoluto easdem circumstantias, ex se ponit omnia, quæ sunt necessaria ad infallibilem futuritionem contritionis, absque eo, quòd vllo modo determinet voluntatem Petri ad vnum, sed potiùs causando in voluntate illius indifferentiam proximam ad vtrumlibet, tum ex parte actus primi, tum actus secundi, in signo causæ; ergo erit efficax, & nullo modo ignauum, sed causatiuum potiùs tum actus primi, tum actus secundi liberi. Duas habet partes minor argumenti: singulas probo: & quidem primam ita demonstro: scientia Dei est infallibilis; ergo supposita scientia media, quòd in talibus circumstantijs Petrus contereretur liberè, licèt ex parte causę statet indifferentia, ex parte tamen effectus esset suppositio, ratione cuius, sicut res ex suppositione, quòd est, non potest non esse, eo modo, quo est: ita per scientiam Dei cognoscitur infallibilitas effectus ex suppositione, si essent circumstantiæ, licèt causa cognoscatur, vt indifferens; ergo per hanc scientiā repræsentatur voluntati diuinæ, quòd, si Petrus esset in talibus circumstantijs, etiamsi causa sit indifferens, infallibiliter erit effectus infallibilitate orta ex suppositione: non erit autem, si tales circumstantiæ non erūt; ergo qui ponit Petrum, & tales circumstantias, causabit illam infallibilitatem actus ex suppositione: & si, infallibiliter ponit Petrum, & circumstantias, infallibiliter causabit illam infallibilitatem actus, infallibiliter trahendo à statu conditionato ad statum absolutum eamdem suppositionem; ergo per hoc, quòd post scientiam præcecenssitā mediā Deus velit efficaciter Petrum, & tales circumstantias, vi sua, & infallibiliter ponet omnia ea, per quæ infallibiliter transferetur actus liber ille contritionis de statu conditionato ad statum absolutum; quæ erat prior pars minoris probanda. Ostendo autem nunc secundam partem eiusdem minoris ex eo, quòd prælibatum decretum subsequens modo dicto ad scientiam mediam, non indè est efficax, quia se solo in genere causæ efficientis ponit actum volitum: sed efficaciam suam se solo habet ordine intentionis, immutando se solo causas eius à statu conditionato ad statum absolutū, vt vi illarū simul immutetur suppositio conditionata effectus ad statum absolutum: est enim volitio, vt contritio Petri cognita, quòd liberè esset, si essent tales circūstātiæ, de facto fiat, & extrahatur eodē modo ad statū absolutū, sicut fuit cognita: & vi taliter extrahatur, transfertur etiā Petrus, & circūstantiæ ad statum absolutum: hoc autem modo stat efficacia decreti ordine intentionis relatè ad actum nostrum liberum: quandoquidem ex intentione Dei de actu immutantur omnes causæ de statu conditionato ad absolutum, cū quibus, ex suppositione præuisa conditionatè eiusdem actus, implicat non etiam in statu absoluto immutari actum, licèt physicè

ficè actus, & in genere causæ efficientis nō immutetur à solo tali decreto Dei, sed simul cum voluntate libera; & contingenter, spectato actu primo, & præcisa suppositione præuisa actus; ergo translatio actus ad statum absolutum tota, & totaliter est à Deo hoc modo; nimirum actus ordine intentionis vi antecedentis decreti redditur absolutè futurus, licèt non vi eiusdem dumtaxat reddatur futurus effectiuè: Petrus autem, & circumstantiæ etiam in genere effectiuo transferuntur ad statum absolutum vi decreti Dei; ergo hoc Dei decretum seruat ratione sui efficaciam, vt vi sua, accepta copulatè ordine intentionis, & ordine executionis, fiat tota translatio actus de statu futuritionis ad statum absolutum per hoc solùm, quòd ordine intentionis Intendens actum, transfert ad statum absolutum Petrum, & circumstantias, sub quibus fuit præuisus conterendus, eo prorsus modo, quo fuit præuisus: sed non fuit præuisus, vt conterendus, tamquam determinatus ab extrinseco: sed liberè à se ipso; ergo vi præfati decreti, vt efficacis, trāsfertur ad statum absolutum, non vt determinatus à decreto, sed vt determinandus à se ipso, & liberè; & consequenter tale decretum causat tum efficienter actum primum libertatis, tum ordine intentionis actum secundum; tantùm abest, vt libertatem lædat.

601 Et hoc est, quod docet Augustinus sæpè, præcipuè verò lib. de Correctione, & Gratia cap. 14. *Quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit, habens sine dubio humanorum cordium, quò placuerit inclinandorum, omnipotentissimam potestatem*; facit enim quod vult, cùm vult, etiam de ipsis hominum voluntatibus, vt liberis, tribuendo ipsis eas inclinationes, quas præuidit facturas, vt liberum arbitriū cooperetur, *Cuius enim miseretur, sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem non respuat*, ex eodē Augustino. Hoc itē est, quod docet Angelicus in omnibus locis, quæ adduximus tum num. 370; tum num. 453. nempè, *Non propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes: sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes causas ad eas præparauit. Sed hunc quidem modum rebus diuina voluntas præfigit ex ordine suæ Sapientiæ*: vt loquitur quæst. 24. de Verit. artic. 5. in corpore.

602 Ex his autem clarescit, quàm contra propositum clamitent Oppugnatores scientiæ mediæ, volentes ostendere eam eneruare efficaciam decreti diuini, si, vt Prædestinatio actuum nostrorum liberorum non offenderet nostram libertatem, prærequireret scientiam mediam, quasi non ex se sit efficax, sed efficaciam emendicet à præsuppositione vsus nostræ libertatis, conditionatè præcogniti. Clarescit, inquam, quia, si isti volunt omnem efficaciam decreti diuinæ voluntatis, vt sit talis, debere indiuisibiliter, & efficienter causare vi sua omnia media requisita ad finem, & ipsum finem, euidenter sequeretur nullum concursum debere præstare causam liberam in suos actus, ne decreta diuina, quæ se solis ponunt finem, & media, quando hæc producenda sunt à solo Deo, efficaciora videantur decreto Prædestinationis, quod nō se solo ponit media: similiter, si ad efficaciam diuini decreti requiritur, vt vi illius ponantur etiam omnia media, non posset dici Deus velle efficaciter ostendere suam iustitiam vindicatiuam, quia non posset ponere peccatum, quod necessariò ad illius ostensionem præsupponitur: nec certè homo posset dici efficaciter velle comedere, nisi qui cibos se solo facere posset: nec velle transfretare, nisi omnia præstet, quæ ad transfretandum requiruntur; quis autem hæc non irrideat? verùm quippe est, quòd, qui media non supponit, nec potest velle efficaciter finem, nisi ipsemet causet media; at si omnia supponat, sufficit, si ea applicet: vel si aliqua dumtaxat præsupponit, sufficit, si applicet hæc, & alia, quæ non supponuntur, causet. Et ratio à priori est, quia efficacia voluntatis in eo sita est, vt ex se præstet totum, quem potest, conatum pro executione finis; inefficacia verò quando voluntas non conatur, quantùm potest; tunc namque ex se deficit in positione finis; cùm autem conatum suum præstet voluntas, directa ab intellectu, non potest conari respectu illius, quod repræsentatur, vt iam positum: sed respectu illius, quod repræsentatur, vt ab ipsa voluntate ponendum; ergo semper, quòd voluntas ita vult finē, vt vi illius ponat, quæ iudicantur esse ponenda, efficax erit, licèt non omnia alia ponat requisita, eò quòd semper in his casibus ponit totum, quem ponere potest, conatum. Hæc, ni fallor, cuique euidentia sunt.

603 Inanis est ergo horum Doctorū clamor: non enim scientia media est de futuro absoluto, neque per hoc, quòd Deus cognouerit Petrum fore conterendum, si essent istæ circumstantiæ, ideò defacto conteretur; sed conteretur, cùm in his circumstantijs ponetur; ponetur autem in his circumstantijs vi decreti Dei volentis ipsum conteri; ergo translatio contritionis Petri

de

de statu conditionato ad statum absolutum, nō est, vi scientiæ mediæ, nec vi visus creatæ libertatis conditionatè præcogniti: sed intētiuè vi solius antecedentis diuinæ voluntatis, executiuè verò mediatè à solo etiam Deo producente voluntatem in statu absoluto, & dante illi virtutem, & circumstantias: immediatè verò tum à Deo, tum à voluntate creata, tum à circumstantijs, ac consequenter, cùm hæc omnia vi voluntatis diuinæ, & eius efficaciæ transferantur ad statum absolutum, & cum ipsis contritio Petri, quæ ante talem diuinam voluntatē non erat, nisi conditionatè futura: non vi scientiæ mediæ, nec vi visus creatæ voluntatis, præuisæ in statu conditionato: sed vi diuini decreti redduntur absolutè futura, sed intentiuè: executiuè verò mediatè, non verò immediatè, cùm nemo negare valeat actus nostros etiā pēdere immediatè à nobis.

604 Quòd verò hoc decretum debeat supponere scientiam mediam, indè nascitur, quòd actus debet esse nobis liber: &, vt à nobis liberè eliciendus, est volitus à Deo: ideòque infallibilitas decreti non debet esse talis, vt infallibilitet voluntatem creatā, quo pacto eneruaret in ea contingentiam ad vtrumlibet: sed talis, quòd causet in ea contingentiam, transferendo de statu cōditionato ad statum absolutum infallibiliter; & simul in illa eodem modo actum eiusdem liberum: non ita autem posset velle transferre, nisi per scientiam mediam cognosceret, quòd transferendo causam, transferret cū illa effectum; quòd ergo erat in puro statu conditionato futurum, totum vi decreti, & non vi scientiæ, transfertur ad statum absolutum, & ita tota efficacia est intrinseca decreto, sed immediatè relatè ad causas, mediatè relatè ad effectum, ordine executionis: ordine verò intētionis immediatè relatè ad omnia. Vbi ergo inueniunt Thomistæ, & Scotistæ, quòd diuinum decretum efficacitatem suam emendicat à libero arbitrio, cùm liberum arbitriū supponatur tantùm præuisum in statu conditionato, à quo statu deindè omnia vi solius decreti, siue immediatè, siue mediatè trāsferūtur ad statū absolutū, aut intētiuè, aut executiuè, quod etiā cōcedere debent Aduersarij ipsi, qui nō possunt excludere concursum proprium liberi arbitrij?

605 Probo secundò eamdem conclusionem ita: nam si per impossibile Deus necessitatus esset ad mihi tribuenda illa eadem, quæ nunc ex sua præcisa libertate tribuit ad posse operari liberè, nimirum posse indifferēs, & præparationem indifferentem sui cōcursus: non propterea necessitas Dei ad hæc mihi tribuenda, quibus nunc ego fio potens operari liberè, non relinqueret in casu posito me eodem modo liberum: iisdem namque positis in me constitutiuis, non potest variari constitutum. Atqui efficax decretum Dei de mea contritione præuisa conditionatè, vt libera, quo decernat, vt à me ponatur in statu absoluto iisdem principijs, & circumstantijs actiuis, sub quibus fuerat conditionatè præuisa, nihil meæ liberæ potentiæ superaddit, quod non diceret in prædicto casu impossibili; ergo sicut in casu meam libertatem Dei necessitas nō offenderet, ita nec, post scientiam mediam de actu, efficax prædefinitio eiusdem actus. Minorem probo: & quidem relatè ad Deū euidens est, quòd eius efficax prædefinitio se haberet, sicut Dei necessitas in casu supposito namque, quòd Deus vellet efficaciter actum, non posset non ponere, sed esset vi huius decreti necessitatus ad ponēda ea, quæ necessaria sunt ad executionem actus. Tota ergo difficultas superanda in minori argumenti remanet, relatè ad voluntatē creatā. Pro qua sic arguo: Si quid ex parte volūtatis creatæ superaddere deberet efficax prædefinitio Dei de meo actu cōtritionis, quod non superadderetur in casu dicto, maximè indè, quòd efficacia decreti trahens secum infallibiliter actum meæ voluntatis, non posset stare cum indifferētia meæ voluntatis in priori signo causæ in statu absoluto, ne ita possit frustrare decretum: sed hoc totum falsum est; ergo prædefinitio actus mei liberi post scientiam mediam, relatè ad meam voluntatem eodem modo se habet, ac Dei necessitas in casu. Probo minorem attentè pensando duo genera decretorum, quæ possumus concipere in Deo de actu v. g. meæ contritionis, etiā post scientiā mediā: aut namque cogitamus Deum post talem scientiam mediam ita decernere efficaciter, volo Petrum cōteri, nullo habito respectu ad prædictam scientiam, vt videlicet, siue fuerit, siue non fuerit talis scientia, adhuc posset permanere idem decretum: & hoc modo cōcedo non posse definiri actum liberum creatæ voluntatis, adhuc post scientiam mediam: eò quòd tale decretum, non directum à scientia media, totam executionem infallibilem effectus voliti trahit ratione sui, & nullo modo supponit; atque ita debet etiam ratione sui infallibilitare voluntatem creatam, & non relinquere eam determinandam à se. Alio autem modo possumus in Deo post scientiam mediam, quòd ego sub talibus circumstantijs liberè conterer, in Deo ipso cogitare decretum, nimirum,

quo efficaciter velit me fore conterendum eodē modo, quo prænidit, quòd contereret, & propterea velit me sub iisdem circumstantijs; & huius decreti efficaciam bene componi cum omnimoda indifferentia voluntatis: neque ex hac sequi posse frustrari decretum, quod totum cōtinet minor probanda, ita ex iam dictis euinco: nam non omnis efficacia voluntatis de fine est per se ipsam executiua finis, sed benè stat voluntatis efficacia, etiam cum sola intentione finis, & pura applicatione mediorum: qui enim intendit syluam incendere, vt efficaciter id præstet, non est opus, vt ipse producat accēsionem, vel vt producat ignem, sed sufficit, si accēsionem intendat, & propter eam ignem, aliunde existentem, applicet: licèt, si media aliunde nō supponeret, necesse esset, vt ea poneret; ergo quamuis, si in Deo non supponeretur scientia media de mea contritione, non posset Deus illam efficaciter velle, nisi ratione sui traheret voluntatem meam infallibiliter ad illam; nihilominus, quia supposita scientia media, stat infallibilitas futuræ meæ cōtritionis per solam intentionem de illa, & positionem meæ voluntatis in statu absoluto cum eadem indifferentia, & circumstātijs, sub quibus fuit præuisa conterenda: (hac enim scientia præsupposita, nō possū deindè translatus ad statū absolutūcum iisdem, sub quibus fui præuisus, circumstantijs non conteri impotentia subsequenti, licèt possim oppositum potentia antecedenti:) euidens remanet, quòd, vt saluetur infallibilitas decreti Dei non requiritur, vt vi illius infallibilitetur mea voluntas: sed sufficit, si ponantur vi illius in statu absoluto illa, sub quibus fuit conditionatè præuisa conterenda: quo pacto etiam euadit in statu absoluto necessariò conterenda necessitate ex suppositione, licèt potentia antecedenti remaneat indifferens.

606 Vrgeo, & magis explico eamdem argumenti vim: nam in decreto efficaci Dei, quo, post scientiam mediam, decernat me conterendum eodem modo, quo fui præuisus, quòd liberè contererer, cogita præcisum respectum intentiuum Dei de mea contritione, & quòd ex hac intentione Deus moueatur ad ponendum me in statu absoluto sub iisdem circumstantijs, sub quibus fui præuisus, quòd contererer: & præscinde à diuino decreto omnem aliam efficacitatem, quam tu prætēdis relatè ad meā voluntatem: nonne per sola duo prædicta infallibiliter erit opus, & vi decreti diuini in statu absoluto, nō excluso libero côcursu voluntatis? Infallibiliter, inquam, quia supposito, quòd Deus cognouit, quòd esset, si essent tales circumstantiæ, implicat, quòd istæ sint, & non sit opus, aliàs scientia falsa fuisset, & falsum eius obiectum. Rursus vi decreti diuini, intendentis actū, hæc omnia transferuntur ad statum absolutum, siuè mediatè, siue immediatè efficienter: ideò namque, quia Deus intendit meam contritionem, transfert hic, & nunc me, & circumstantias dictas ad statum absolutum: & quia ego, & circumstantiæ ita transferimur ad statum absolutum, mea etiam contritio, quæ fuerat præuisa conditionatè futura, euadit absolutè futura: ergo ex efficacia decreti diuini euadunt omnia prædicta absolutè futura, siue immediatè, sicut euado ego, & circumstantiæ productæ à Deo: siue mediatè, sicut euadit mea contritio, per hoc, quòd ego præuisus conditionatè liberè operaturus cum his circumstantijs, transferor eodem modo liber, & nihil superaddito, ad statū absolutum. Atque consequēter remanet probatum, quòd casus decreti prædefinitiui eodem modo se habet relatè ad voluntatem creatam, ac casus impossibilis positus in argumento.

607 Assero vltimò nec implicare gloriam sub ratione præmij, & coronæ esse præuolitam, tamquam finem, ante præuisa merita, vt absolutè futura: & ista esse à Deo volita, tamquam media ad gloriam, sub ratione coronæ, & præmij, ex conceptu causæ moralis mouentis agens ad præmiandum. Hęc conclusio est contra Vasquez, Pennottum, & alios, qui ex ratione causæ moturæ agens ad præmiandum, inferunt merita debere præuideri ad hoc, vt agens intendat præmium; atque consequenter, aiunt, etiam ordine intentionis, vt agens intendat, debet moueri à meritis præuisis.

608 Probo tamen conclusionem hanc communissimam ita: etenim causa moralis mouens agens ad aliquid, non semper mouet ad intendendum: sed benè stat motus causæ moralis in ordine ad executionem rei, iam præintentæ: de facto namque decreta promissoria sunt conditionatè intentiua ante futuritionem conditionis: cùm autem deindè ponitur conditio, non indiget Deus nouo decreto, vt iterum intendat promissa dare, sed vi prioris decreti, & cognitionis, quòd sit posita conditio requisita, necessitatur ad executionem promissiorum: nō tamen necessitaretur, nisi accederet cognitio positionis conditionis requisitæ; ergo cognitio futuræ conditionis iam mouet agens, non ad intendendum, sed ad exequendum;

dium, quod ante futuritionem conditionis promiserat: & consequenter positio talis conditionis mouet quidem agens, tamquã causa moralis, sed ad executionem, non ad intentionem promissorum. Ratio autẽ huius à priori est: quia causa moralis meritoria debet mouere agens liberum, præmians per voluntatem: voluntas autem non solùm indiget cognitione, vt intendat aliquid: sed etiam, cùm exequitur, per cognitionem directa exequitur; ergo adhuc in executione indiget moueri à cognitione; atque ita benè stat, quòd medium nõ mouens voluntatem ad intendendum finẽ, moueat illam sui cognitione, vt executioni ponat finem præintentum. Hoc ergo modo benè potest Deus velle alicui ex præcipuo amore gloriam, sed vt præmium, & coronam, ac propterea velle illi merita; non hinc tamen voluntas diuina vnquam id executioni mandabit, nisi per intellectũ dirigatur esse iam in tali Electo merita prærequisita, vi cuius cognitionis executiuè moueatur voluntas diuina, vt, quod præintenderat, opere compleat.

609 An non hoc etiam suo proportionali modo euenit in hominibus? Quis namque non experitur, quòd parentes præcipuè Ecclesiastici, habentes prælaturas, aut prouentus dispensandos, & eos ex speciali affectu in consanguineos, his potius, quàm alijs, dispensare curantes, & intendentes; hinc mouentur, vt suis consanguineis merita procurent, numquam id executuri, nisi post præuisa merita? nõne isti priùs intẽdũt præmia, & ex hac intentione procurant merita, quę deinde executionẽ causãt, nõ intẽtionẽ, quã iã præsupponũt? Dixi, tamẽ suo proportionali modo: nã in hominibus voluntas vnius non est ita subdita alteri, vt Pater v. g. possit infallibilitare voluntatem filij ad acquirenda media: sed hic benè potest omninò discordare à voluntate Patris, intendentis illi præmia; at non ita creatura rationalis à voluntate Dei, in cuius potestate est vertere cor hominis, quòcumque ipse voluerit: ideòque in hominibus non potest ita efficaciter quis velle priùs pręmium, quàm meritum, sicut potest Deus: potest tamẽ suo proportionali modo.

610 Obijcies nunc primò contra quartam assertionem ita: illud idem, quod præstat decretum Dei prædeterminatiuum post scientiam mediam voluntati creatæ, præbet etiam decretum prędefinitiuum: sed illud implicat in ordine ad nostros actus, vt liberos; ergo etiã hoc. Probatur maior: nã non minus prædefinitiuum, quàm prædeterminatiuum traheret secum, & ratione sui determinationem voluntatis creatæ ad vnum; ergo. Antecedens ostenditur: ideò prędeterminatiuum trahit determinationem voluntatis creatæ, quia ex se est volũtas Dei efficax de actu nostro: sed etiã prædefinitiuũ, de quo loquimur, esset voluntas Dei efficax de actu nostro; ergo &c. Maior difficultate caret: nam efficacia decreti diuini, quà tale decretum est, non potest non trahere ratione sui determinationem volũtatis creatæ; si enim non traheret; ergo voluntas remaneret indifferens ad ponendum oppositum; ergo remaneret potens frustrare diuinam voluntatem efficacem, quod est ridiculum.

611 Respondeo ex iam dictis in forma, nego maiorem. Ad probationem nego antecedens; ad huius probationẽ distinguo causalem maioris: ideò prædeterminatiuum trahit determinationem voluntatis creatæ, quia ex se est voluntas Dei efficax de actu nostro, non directa à scientia media, concedo: præcisè quia decretum Dei est efficax de actu nostro, nego causalem maioris: & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Voluntas tantùm conatur, cùm efficaciter aliquid vult, quantùm, iuxtà directionem intellectus, opus est, ac potest conari: vndè quando aliquod medium præuidetur iam aliunde futurum pro executione finis, ex huius voluntate non conatur ad volendum illud, conaretur autem, si illud non esset præuisum aliunde futurum; decretum ergo efficax Dei non directum à scientia media est ex se conatus ad volendam determinationem creatæ voluntatis, quæ est necessaria ad futuritionem actus nostri, & non supponit aliunde futuram; quantùm est ex se, cùm non dirigatur à scientia media, licèt hæc comitetur ipsum decretum: at verò prædefinitiuũ dirigitur à scientia media, vi cuius cognoscit Deus determinationem voluntatis creatæ euasuram absolutè futuram per hoc præcisè, quòd creata voluntas, cũ cæteris circũstantijs præuisis, transferatur ad statum absolutum, absque eo, quòd Deus velit ipsam determinationem voluntatis creatæ: & ideò voluntas efficax de actu nostro præuiso, vt conditionatè futuro, non est voluntas de determinatione nostræ voluntatis: sed solùm de translatione nostræ voluntatis, & circumstantiarum ad statum absolutum, eo modo, quo fuerant præuisæ. Ad probationem ergo maioris distinguo assumptum: efficacia diuini decreti de actu nostro non potest non trahere determinationem voluntatis creatæ, si non supponit præuisam, vt conditionatè futuram, concedo: si supponit

ponit ita præuisam, nego: nam ita superuacaneus esset conatus voluntatis diuinæ:& ad probationem in contrarium distinguo conditionalem: si non traheret, voluntas remaneret indifferens, & potens oppositum potentia antecedenti, concedo: potentia subsequenti, nego: supposito namque, quòd fuit præuisa operatura in talibus circumstantijs, implicat, vt non sit operatura, posita in talibus circumstantijs: quòd verò absoluiè possit oppositum, & nulla facta suppositione, solùm dicit, quòd Deus antecedenter potuisset nolle nostrum actum liberum, non verò, quòd possit frustrari Dei voluntas, quæ, directa à scientia media, supponit futuritionem actus conditionatè, qui non potest nō transire in statum absolutum, translatis voluntate, & circumstantijs eodem modo, quo fuerunt præuisæ.

612 Instabis: decretum prædefinitiuum hoc vel præsupponit aliud decretum indifferens, vel non: si hoc secundum; ergo libertatem aufert non minùs, ac prædeterminatiuum; quandoquidem, cùm sit decretū efficax de vno, & non de vtrolibet, non daret voluntati creatæ, nisi posse vnum, & non vtrumlibet. Si primum; ergo omninò superuacaneè ponitur decretum prædefinitiuum: nam vi decreti indifferentis voluntas creata supponitur habere auxilia, quibus habeat posse operari, & in quo statu iam videbit Deus, quid esset operatura.

613 Respondeo in primis dicendo relatè ad homines post originale non habere Deum æquale decretum indifferens cum Electis, ac Reprobis, sed discretiuū illorum ab istis: respectu namque Reproborum, etiam post scientiam mediam, habet decretum indifferens, non solùm ad media, scilicet ad auxilia sufficientia, verùm etiam ad finem, quatenus vult eos saluos fieri, sed inefficaciter, relinquendo in libero eorū arbitrio ipsorum salutem: respectū verò Electorum non ita, sed habet decretum efficax intentiuè circa eorum salutem, & indifferens circa media, ea indifferentia, quæ necessaria est ad libertatem: vndè comparatè ad hos non admitto post originale, nisi decretum prædefinitiuum, quod tribuit totum illud, quod tribueret decretum indifferens, vt patet ex dictis; est enim efficax, & determinatum ad vnum solùm intentiuè, non efficiēter; cū nāq; sit voluntas efficax de operibus bonis, vt liberè a nobis eliciendis, debet effectiuè nobis præstare posse ad vtrumlibet, vt stet nostra libertas, atque ita non sequitur, quòd, si non sit, nisi decretum prædefinitiuum, solùm det voluntati posse vnum, & non vtrumlibet. Admisso tamen, quòd, præter decretum prædefinitiuū, præsupponatur aliud decretum indifferens, nego indè sequi prædefinitiuū superfluere: quia decretum indifferens non determinat Deum ad hæc potiùs auxilia, quæ faciunt operari, quàm ad alia, quæ solùm dant posse: vt autem Deus eligat potiùs dare illa, quæ faciunt operari, præ alijs, ex alio speciali fine id præstat, scilicet ex fine eos discernendi à Reprobis: & hoc erit decretum prædefinitiuum, quod præstat aliquid aliud ab eo, quod præbetur à decreto indifferenti.

614 Obijcies secundò. Si decretum prædefinitiuum esset necessarium ad hoc, vt voluntas creata possit operari in statu absoluto, tale decretum auferret libertatem; ergo pari modo aufert, quomodocumque ponatur. Antecedens patet: quia, si esset necessarium in statu absoluto, esset etiam necessarium in statu cōditionato: nisi enim conditio secum ducat quęcumque sunt necessaria ad absolutam existentiam effectus, nec poterit secum ducere existentiam effectus; ergo nec in statu conditionato voluntas posset præuideri operatura sine efficacia decreti, quod esset eradicare scientiam mediam. Probatur ergo consequentia principalis argumenti ex eo, quòd libertatem nihil lędit per hoc, quòd necessariò, vel non necessariò requiratur, cùm etiam decretū indifferens sit necessariò requisitum, & non libertatem lædat, sed causet; ergo ideò lædit in casu dicto decretum prædefinitiuū, quia efficax ex se est; cùm ergo semper sit efficax, quomodocumque ponatur, semper libertatem lędet.

615 Respondeo concessa conditionali antecedentis, nego consequentiam. Ad probationē distinguo antecedens: necessariò, vel nō necessariò requiri aliquid ad actus creatę voluntatis solitariè sumptum non lædit eius libertatem, concedo, vt patet ex exemplo adducto de decreto indifferenti: necessariò requiri coniunctim cum efficacia huius requisiti, independentis à voluntate creata, non lædit eius libertatem, nego antecedens: distinguo pariter consequens; ergo ideò lædit, quia est efficax efficacitate omnimodè antecedenti ad exercitium libertatis, cōcedo cōsequētiā: quia efficax est quomodocūq; nego consequētiam. Distinguo eodem modo causalem vltimæ consequentiæ, nimirum; cùm ergo decretum definitiuum semper sit efficax, &c. efficacia semper antecedenti omnem vsum libertatis, nego: efficacia inadæquata, & in suo genere, concedo causalem, & nego consequentiam,

616 Distinctio tota hæc patet ex iam dictis: si enim decretum efficax Dei de actu volūtatis creatæ esset necessarium in statu absoluto pro positione actus, esset etiam necessarium in statu conditionato, vt benè probatur in argumēto; ergo etiā in statu conditionato tale decretum deberet præcedere futuritionem conditionatam actus; cùm autem decretum efficax illud sit, quod vi sua ponit ea, quæ non supponit aliunde ad executionem sui obiecti, tale decretum deberet vi sua ponere determinationem volūtatis, quam non supponeret, nec in statu conditionato, & ideò nō relinqueret volūtatem creatam determinandam à se: at verò supposito, quòd decretum prædefinitiuum non sit pro nullo statu necessariò requisitum, sed sufficiat indifferens; iam sic potest præsupponere præuisum, vt futurum, effectum, si ponantur causæ, & circumstātiæ cum concursu indifferenti in statu conditionato, & hac cognitione dirigi Dei voluntas, vt propter effectum transferantur in statu absoluto ea omnia, quæ fuerunt præuisa liberè operatura, & eodem modo: quo pacto decretum hoc non causaret omnia immediatè, sed actum liberum intentiuè, causas, & circumstantias effectiuè, ac voluntatem creatam relinqueret determinandam à se, sicut fuerat præuisa in statu conditionato: & ideò libertatem non offenderet.

617 Instabis: vel hæc prædefinitio taliter ex se est efficax, quòd adhuc considerata ratione sui, & præciso opere voluntaris, sit cōnexa cum effectu, vel non: si primum; ergo in se, & ratione sui est trahens determinationem voluntatis creatæ, non minùs, quàm prædeterminatio: si secundum; ergo ex se non est connexa, sed per aliud, cū effectu, nempe per determinationem voluntatis creatæ; non ergo erit ex se efficax, sed efficacitatem habebit à voluntate creata, ex se autem erit indifferens.

618 Respondeo nego suppositionem dilemmatis, nimirum, quòd talis prędefinitio possit considerari ex se, præcisa determinatione voluntatis; cùm enim eius obiectum sit opus voluntatis, vt liberè ab ea determinandum, non potest considerari præcisa determinatione voluntatis. Sed quia adhuc sine hac præcisione posset vrgeri alio modo argumento, quòd videlicet determinatio voluntatis creatæ sit necessaria ad efficientiam operis, & hæc non est infallibiliter vi decreti; ergo decretum non est ex se efficax.

619 Aliàs ex dictis huic argumento respondeo: distinguendo scilicet secundam partē antecedentis: & hæc non est infallibiliter vi decreti immediatè concedo: mediatè nego: cum enim decretum sit directum à scientia media, qua cognoscitur, quòd, si essent tales circumstantiæ, esset opus, per hoc, quòd immediatè vi decreti transferuntur ad statum absolutum eædem circumstantię; redditur etiam infallibiliter absolutè futura determinatio voluntatis creatæ, quæ, si decretum non esset, nullo pacto esset absolutè futura: vndè ad consequentiam distinguo efficacitatem decreti; ergo decretum non est ex se efficax quantùm sufficit ad efficaciter vi sua transferendum effectum in statu absoluto siue mediatè, siue immediatè, nego: non est efficax omni antecedenti efficacitate incompossibili cum actu libero creatę voluntatis, concedo consequētiam: habet namque efficacitatem proportionatam ad suum obiectum: & cùm talis definitio non sit volitio de determinatione voluntatis ad vnum, sed de actu, vt eliciēdo à voluntate indifferenti, & à se determinanda, eo modo, quo fuit præuisa: non debet esse efficax in ordine ad determinationem voluntatis: sed in ordine ad ea, quibus præuisa est voluntas se fore determinādam; per hoc namq; infallibiliter erit opus liberum intentum à Deo.

620 Obiicies nunc tertiò cum Vasquez cōtra vltimam assertionem. Ratio præmij, & coronæ in obiecto essentialiter præsupponit præscientiam meriti; ergo implicat prędefiniri gloriam, vt præmium, & coronam, antecedenter ad præuisa merita. Probatur antecedens, quia merita in ordine ad præmium non se habent, vt aliqua media physica, causatura physicè executionem finis præintenti, sed vt media moralia motura agens ad ipsū finem: atqui media ita agens mouentia, non mouent ad solam executionem, verùm præcipuè ad intentionem finis; ergo ratio præmij, & coronæ in obiecto volito non stat absque meritis prēuisis, mouentibus agens ad illud intendendum. Minor patet: nam causa moralis, meritoriè mouens, illa est, cuius intuitu mouetur agens, vt velit finem, tamquam præmium; ergo non solùm mouet ad executionem, verùm etiam ad intentionem finis. Probatur antecedens: nam causa ista moralis meritoria se habet per modum impetrationis, quatenus merens à præmiante sit impetraturus finē; ergo implicat, vt sub prælibata ratione prēmii sit volitus aliquis finis, & non præsupponatur ratio meriti præuisa. Probatur consequentia: quia quādo ab alio essentialiter est ponendum medium, quàm à solo volente finem, implicat, vt sit efficax volitio finis, nisi præsup-

ponatur infallibiliter iam futurum mediū; ergo &c. Antecedens probatur; etenim, nisi medium præsupponatur futurum aliũde, iam fieret infallibiliter futurum vi volentis finem, & non vi voluntatis creatæ, & ita potiùs deperderetur ratio liberi, & meriti.

621 Respondeo nego antecedens; ad probationem nego minorem vniuersaliter esse veram, quamuis possit aliquando talis esse, quando nimirum Deus ex alio fine, quàm ad dandam gloriam, prout infra dicemus posse, tribueret gratiam finalem efficacem. Ad probationem distinguo antecedēs: causa moralis est illa, cuius intuitu mouetur agens, vt velit finem, siue solùm executiuè, siue adhuc intentiuè, concedo, semper intentiuè, nego antecedens, & cōsequentiam: distinguo pari modo eiusdem antecedentis probationem, quòd nimirum causa moralis sit impetratoria, siue solius executionis finis, siue etiam intentionis, sed non semper est impetratoria intentionis. Ad huius autem antecedentis probationem concedo ex dictis, quòd quando à libertate alterius est ponendum medium, quàm à ponente finem, non possit hic efficaciter velle finem, nisi præsupponatur aliqua scientia, siue absoluta, siue media de futuritione finis: sed nego requiri absolutam, & non sufficere mediam. Ad cuius tandem probationem nego, quòd adæquatè finis euadat infallibiliter futurus vi volentis ipsum, sed tantùm, quantùm requiritur, vt media ex statu conditionató transeant ad statum absolutum, prout videre est ex dictis à numero 607.

622 Instabis cum ijsdem. Non potest e. gr. Rex in humanis velle efficaciter dare alicui præmium legitimi certaminis ante præuisum in facto esse legitimum certamen, sed ad summum conditionatè, & promissoriè; ergo neque pari modo Deus. Probatur cōsequentia: quia nos in Deo non alio modo concipimus decreta secundùm rationes prioris, & posterioris, nisi per analogiam, & similitudinem ad decreta creatæ voluntatis.

623 Respondeo concesso antecedente, nego consequentiam; ad cuius probationem distinguo antecedens: nos non alio modo distinguimus decreta in Deo, nisi per analogiam, & aliqualem similitudinem ad decreta creatæ voluntatis, transeat: per similitudinem in omnibus, nego antecedens, & consequentiam. Sicut in creata voluntate illud decretum, quod est causa alterius, dicimus prius illo: ita in Deo dicimus decretum prius, cuius obiectum est causa alterius obiecti voliti; & in hoc est aliqua analogia, & similitudo inter decreta Dei, & decreta creatæ voluntatis secundùm rationes prioris, & posterioris. Cæterùm non non sunt comparanda decreta voluntatis creatæ ad diuina quoad efficaciam eorum intrinsecam: non enim omnia, quæ potest Dei voluntas, potest & humana: atque ita in casu, imò vniuersaliter in humanis numquam potest vnus velle efficaciter finem, quando medium pendet à voluntate futura alterius; non quia, vt sibi suadet Vasquez, medium morale debet præexistere, vel præcognosci futurum; cùm id vniuersaliter verificetur, adhuc quando medium est physicum; nemo namque potest omninò velle efficaciter transfretare, si ab alterius voluntate pendet commoditas vel vsus nauis: sed quia nullus hominum habet in potestate sua volūtatē alterius, nec infallibilem scientiam de eo, quod alter esset facturus: sed ad summum maiorem, vel minorem certitudinem moralem, secūdum quam experientiam cōspicimus, quòd eò quisque sibi fortiùs sperat mediū, pendēs à voluntate aliena, quo sibi persuadet alterū fore illi responsurum. Cùm autem Deus in ordine ad actus liberos creatæ voluntatis summam habeat potestatem, summamque præscientiam, atque potentiam eos transferendi ad statum absolutum ex statu conditionato, indè est, quòd solus ipse potens est velle efficacissimè finem, cuius medium pendet à voluntate creata.

624 Vrgebis. Ratio præmii, quà talis, non potest ante præuisionem absolutam meriti, aliud in præmiante supponere decretum, nisi conditionatum, & nullatenus absolutum de ipso; ergo purè promissorium: ergo disparitas assignata inter Regem humanum, & Deum præmiantem impertinens est, & tota ratio in casu argumenti fundatur in ratione causę moralis, & meritoriæ. Antecedens, in quo tota sistit difficultas; sic probatur: etenim ratio præmij non subsistit in actu, nisi subsistat ratio meriti: ergo de ratione præmij semper erunt veræ istæ conditionales, si hic, vel ille homo operabitur, saltem finaliter, benè, præmiabitur: si malè, non præmiabitur, imò potiùs punietur; ergo ratio pręmij non supponit aliud decretum in pręmiante, nisi pręmiandi merentem: non pręmiandi, sed puniendi demerētem, quod est decretum esse conditionatum, & promissorium.

625 Respondeo ex alibi dictis distinguendo primam partem antecedentis: Ratio præmij, &c. nullum aliud potest supponere decretum in præmiante, nisi conditionatum,

tum, siue materialiter, siue formaliter, concedo: semper formaliter, nego primam partem antecedentis, ac simul secundam, & pariter consequentiam. Dupliciter aliquod dicitur absolutum, vno modo, quatenus nõ pendet ab alio in suo esse: alio modo, quatenus est in statu actualis existentiæ, & si actũ pendeat ab alio etiam existente. Pari modo dupliciter Dei decretum potest dici conditionatum ex parte obiecti: vno modo, quatenus respicit obiectum vnum cum dependentia ab alio, & si vtrumque vi sua trahat ad statum existentiæ actualis; & hoc modo voco conditionatum materialiter, & absolutum formaliter: alio modo, quatenus vi sua nullum trahit obiectum ad statũ absolutum, sed expectat conditionem ab alio ponendam; & ita voco decretum conditionatum formaliter. Verum ergo est omne decretum de præmio debere esse cum dependentia huius à merito, sed potest idẽ decretum vtrumque trahere ad statum absolutum ex se, ac consequenter antecedere, tamquam causa, futuritionem meriti absolutam. Ad probationem in contrariũ, concedo antecedens, & primam consequẽtiam, & nego secundam. Sicut enim etiã de Petro existente, verum est dicere, si Petrus viuit, existit, & si non viuit, non existit: ita, & de præmio absolutè futuro vi decreti veræ sunt illæ conditionales, si meritum erit, erit præmium, si meritum non erit, nec erit præmium. Ratio est quia similes conditionales fundantur in cõnexione vnius cum alio, non verò in futuritione conditionata rei.

626 Insistes: de pœna, vt pœna, nullum in Deo potest dari decretum absolutum ante præuisionem absolutam culpæ, sed dumtaxat conditionatum, & comminatorium; ergo similiter de præmio, vt præmio, non poterit ad meritum aliud præcedere decretum, nisi conditionatum, & promissoriũ. Probatur consequentia, tum ex paritate: tũ quia, sicut Deus voluntatem de præmio habet ad ostensionem suæ bonitatis, vel misericordiæ: ita voluntatem de pœna habet ad ostensionem suæ iustitiæ punitiuæ: sed voluntatem ostendendi iustitiam punitiuã ante præuisam culpam, non potest habere, nisi comminatoriam, & non absolutam; ergo neque voluntatem ostendendi suam bonitatem poterit ante meritum præuisum habere, nisi promissoriam, & conditionatam.

627 Respondeo concesso antecedente, nego consequentiam, & paritatem. Ad huius probationem distinguo maiorem: sicut Deus voluntatem prẽmij habet ad ostensionẽ suæ bonitatis, ita voluntatem pœnæ ad ostẽsionem suæ iustitiæ punitiuæ, & istę ostensiones sunt ambæ pari modo vndequaque bonæ, & amabiles, nego: & sunt diuerso modo amabiles, concedo antecedens, & nego consequentiam. Aduerterent, vellẽ, Aduersarij, quale absurdum inferret argumentum, si vim haberet; concluderet nãque, quòd, sicut Deus nullum malum potest velle, ante culpam, in ostensionem suæ iustitiæ punitiuæ: etiam nullum bonũ posset velle, ante meritum, in ostensionem suæ bonitatis, & ita nec primam gratiam posset dare gratis. Ostensio ergo bonitatis, & misericordiæ Dei vndequaque est bona, & amabilis ex se, quandoquidem Deo est bona extrinsecè, & creaturæ rationali, quę est Dei opus, eiusdemque imago, est bona intrinsecè: & propterea est à Deo absolutè ratione sui volibilis: at ostensio iustitiæ punitiuæ, licèt sit Deo extrinsecè bona, est tamen suæ creatę imagini intrinsecè mala, & vt talis ratione sui non est à Deo volibilis: redoleret namque aliquid crudelitatis in Deo, si propter præcisum extrinsecum bonum sui, complaceret de intrinseco malo sui operis, & imaginis: nisi ergo sit tale malum creaturæ rationali ratione culpæ debitum, & ob tale debitum reddatur volibile, numquam Deus poterit illud absolutè velle creaturæ rationali.

628 Obijcies quartò contra eamdem conclusionem: implicat gloriam habere rationem præmij, & coronæ in executione, & nõ dari executiuè post merita; ergo implicat intendi, vt prẽmium, & coronam, & non intendi post præuisa merita. Patet consequentia, tum ex paritate: tum ex eo, quia Deus ita exequitur res in tempore, sicut eas ab æterno decreuit, aliàs Deus aliter res in tempore poneret, ac voluit ab æterno; ergo, si gloriam exequitur in tempore post merita, ipsam etiam ab æterno voluit post merita.

629 Huic argumento respondent aliqui, inter quos Mastrius in 1. lib. Senten. disp. 5. quæst. 2. articul. 6. num. 152. concedendo totum argumentum: docent enim isti gloriam Electorum in primo signo, quo intelligimus esse illis volitam à Deo ordine intentionis, non intelligi volitam explicitè sub ratione prẽmij, & coronę: nec item sub ratione doni ex parte obiecti, sed præcisè sub ratione finis, ad ostensionem diuinæ bonitatis, & misericordiæ, præscindendo ab omni medio: quia tamen voluntas finis est implicita volitio alicuius medij indeterminatè, vi huius implicitæ volitionis medij determinatur Deus, vt eligat in secundo

eo signo merita, tamquam media, & ad executionem gloriæ ex meritis, atque eodem modo dari deindè gloriam in tempore ex meritis.

630 Verùm hæc doctrina, qua etiam vtuntur isti Doctores in materia de Incarnatione, vt defendant Verbum adhuc fuisse incarnandum, si homo non peccasset, licèt in illa materia possit aliquo modo subsistere, in præsenti tamen est purum commentum. Potest quidem in materia de Incarnatione subsistere respectu duorum obiectorum, quę in ea possunt esse, non respectu eiusdem: in carne namque humana Christi duæ sunt distinguendæ passibilitates; quarū remota, cōsistens in ipsa substantia carnis ex se passibili, diuinitus potest impediri per donum impassibilitatis, sicut defacto erunt impassibiles Beati post resurrectionem, & caro Christi ex quo resurrexit; vt ergo caro humana sit proximè passibilis, debet etiam habere carentiam dotis impassibilitatis, prout habuit Christus ex voluntate Patris ad hoc, vt pro nobis potuerit pati, licèt ipsi erat debitum tale donum ab instanti conceptionis, ratione vnionis hypostaticæ. Hac ratione potuit in primo signo esse volita incarnatio Verbi in carne passibili remotè, præscindendo ab eo, an ipsi sit danda, vel suspendenda vsque ad aliquod tempus dos impassibilitatis: cùm enim ista sint duæ res realiter distinctæ, potest in aliquo signo esse volita efficaciter vna, præscindēdo ab alia, & deindè post præuisum peccatum, siue in remedium peccati potuit esse volita passibilitas proxima, & suspensio ad tempus dotis impassibilitatis. Cæterùm respectu eiusdem obiecti chimæricum est decretum efficax, non exequens suum obiectum.

631 Ratio à priori est, quia cùm decreta libera Dei nihil intrinsecè addant, quod potuerit non esse in Deo, sed solùm respectum actiuum mutantis, implicat esse explicitum decretum, quod non explicitè mutet suum obiectum ex parte sua: atqui finis est mutandus per media singularia, & non per medium in genere, vel implicitū; ergo in Deo est purum figmentum decretū efficax de fine, præscindendo ab omni medio, mutante executiuè. Sed vide vnde hæc insubsistēs doctrina ortum ducit, quòd volunt isti Doctores pari modo discurrere de Deo intendente, & exequente, ac de creata voluntate: non attendentes, quòd intentio in voluntate creata non est actiua, sed affectiua, inclinans formaliter subiectum efficaciter, vt ponat media actiua: in Deo autem, in quo non datur inclinatio defectibilis, etiam intentio ipsa est formaliter purè actiua, sub ratione liberi, & ita ratione sui, non, inclinando subiectum, causat electionem mediorum: sed formaliter mutando media, quia mutandus est finis, ac consequenter figmentum est admittere in Deo intentionem finis, præscindēdo ab omni medio executiuo: sed vel mutat executiuè se solo, vel mutat media, quibus mutandus est finis.

632 Respondeo ergo ad argumentum: concesso antecedenti, negando consequentiā, ac paritatem; ad cuius probationem distinguo paritatem antecedentis: ita Deus exequitur res in tempore, sicut voluit ab ęterno, quoad entitates causarum, & effectū, concedo: quoad ordinem prioritatis, & posterioritatis inter ea, nego antecedens, & consequentiam. Cùm voluntas Dei à nullo impediri possit, quidquid ab æterno voluit, & secundùm omnes circumstantias, quas voluit, erit in tempore: sed in executione implicat, quòd sit idem ordo prioritatis, & posterioritatis in obiectis volitis, eò quia, quod est causa in intentione ex obiectis, necesse est, vt in executione sit effectus, sed in alio genere causæ: quis enim non videt, quòd intendens nauim, & ambulationem ad visendos parentes, totum id ipsum in executione ponit: sed electio nauis oritur affectiuè ex voluntate videndi parentes, at deindè in executione vsus nauis præcedit, tamquam causa, vel conditio causę efficientis, visionem parentum? sic ergo ex intentione gloriæ, vt præmij, & coronę, Deus vult nostra merita, sed deindè in executione merita, tamquam causa moralis, præcedunt executionem gloriæ sub ratione præmij, & coronæ.

633 Instabis: gloria, vt præmium, & corona, non est finis vltimatus intentionis Dei, sed solùm intermedius; omnia enim propter se ipsum, & sui gloriam operatus est Deus, ac consequenter finis vltimatus intētionis Dei, est sui ipsius gloria: atqui ad hunc finem vltimatum priùs debuerunt esse volita merita, quàm horum præmium, & corona; ergo. Probatur minor: in ordine ad finē vltimatum illud priùs debet esse volitum, quod immediatiùs, & magis directè ad illū iuuat: sed merita nostra immediatiùs, & magis directè iuuāt ad Dei gloriam, quàm præmium, & corona nobis tribuenda; ergo. Minor probatur, eò quòd merita nostra sunt actiones liberę, elicitæ à nobis in obsequium, & honorem Dei: Beatitudo verò nostra, vt præmium, & corona, potiùs redundat in nostram vtilitatem, quàm in obsequium, & honorem Dei.

634 Re-

634 Respondeo nego minorem; ad cuius probationem nego etiam minorem, & adhuius probationem nego secundam partem antecedentis; adhuc enim Beatitudo nostra consistens in visione, & amore, redundat in Dei gloriam, & honorem, supra quàm redundent merita, & actiones liberę, quas elicimus in via. Ratio est euidens, quia honor iste, & extrinseca gloria Dei consistit in eo, quòd eius perfectiones cognoscantur, extimentur, & amentur propter seipsas: eò autem res magis extimatur, & amatur, quò magis cognoscitur, vt extimabilis, & amabilis; cùm ergo Beati per visionem beatificantem, & glorificantem sine comparatione magis cognoscant Dei perfectiones, quàm homines in via, absq; dubio magis, & sine comparatione ad istos, extimabunt, & amabunt, ac consequenter etiam sine comparatione gloria nobis à Deo volita resultat in maiorem sui honorē, quàm merita nostra.

635 Plures aliæ adduci possent obiectiones ad probandum gloriam, vt præmiū, & coronam, fuisse volitam à Deo post præuisa merita: at, quia istæ non procedunt de possibili, sed defacto, infra examinabuntur, cùm discutietur, qualiter defacto fuerit à Deo intenta gloria Electis, ante, an post meritorum præuisionem: ideòque aliam nunc de possibili examinandam propono difficultatem, sit ergo

ARTICVLVS TERTIVS.

An possibilis fuerit in Deo Prædestinatio gloriæ post præuisionem meritorum.

636 IN præsenti difficultate, de quâ agimus, nemo, quem legerim, possibilitatem Prædestinationis post pręuisa merita explicitè inficiatur, sed dumtaxat plures negant talem esse defacto, de possibili autem mentionem non faciunt, quamuis, si Scotistarum ratio benè pensetur, videatur probare, nec similem Prædestinationem esse possibilem, vt patebit, cùm argumenta contra meam assertionem soluam. Et certè difficultas hæc connexionem non habet cum assetto, vel negatione scientiæ mediæ; siue namque ad opera libera præerequitatur decretum prædefiniens, siue comitans, siue indifferens, adhuc locum habet difficultas, an nimirum Deus potuerit primò velle opera in obsequium sui, vel ad alium finem, quàm propter finem ea præmiandi, & deindè ne præmio vacua relinqueret, velle iisdem tribuere mercedem gloriç? pro solutione ergo difficultatis, breuiter me expediam: vndè.

637 Dico potuisset Deus ex sua libera volūtate prędestinare Electis gloriam in præmium, & coronam post pręuisam absolutam futuritionem meritorum, præciso, & excluso omni decreto antecedenti de ea. Est communis sententia eorum, qui de hac difficultate explicitè agunt.

638 Probatur conclusio, ratione à priori, & euidēte; quia licèt mediū, quà mediū, nō sit volibile, nisi ex præsupposita voluntate finis, eò quòd medium, vt tale, dicitur ratione bonitatis respectiuæ, nimirum vtilitatis, & conducentiæ ad finem; nihilominus plurima sunt, quæ vel simul habent bonitatem per se appetibilem, & præterea vtilitatis, & conducentiæ ad aliud: sicut cibi suaues gustui per se sunt amabiles, & simul propter conseruationem vitę, vel bonitatem vtilitatis habent relatè ad plures fines, per se expetibiles: sicut deambulatio, tum ad digerendos humores propter conseruationem sanitatis, tū ad peragenda negotia, & ad alios fines. In his autem neminem latet, posse quempiam appetere cibos suaues propter illorum amabilitatem, & deindè cogitando de salute, etiam ad huius ordinare cōseruationem; & pari modo velle deambulationem ad aliquod peragendum negotiū, & deindè eamdem iam peractam ordinare ad videndum Amicum. Cùm autem gratia, & opera bona supernaturalia sint simul in se expetibilia, atque ad plurimos conducere possint fines: gratia namque iuuat ad constituendam creaturam rationalem potentem supernaturaliter, & liberè operari: irē ad ostendendam potentiam, & bonitatem Dei: ac etiam ad habenda opera bona, & meritoria. Hæc insuper possint iuuare ad obsequendum Deo, vel ad ipsi rependendum pro beneficiis acceptis, sicut etiam ad reddendam creaturam rationalem iustam, ac tandem ad merendum proportionatum præmium: euidenter sequitur, quòd poterunt in primo signo esse volita à Deo, vel propter se ipsa, vel ad alium finem, præter finem retribuendi gloriam: & deindè, ne ratio meriti remaneret vacua, præmio, fuisse illis definitam mercedem.

639 Confirmatur: quia opera bona, & supernaturalia defacto reperiuntur pluries in Reprobis, & consequenter gratia efficax,

quæ

quæ tamen non fuerunt illis volita ex actuali efficaci Prædestinatione ad gloriam; sed ex alio fine: atqui in Reprobis non deficit possibilitas perseuerandi in iustitia iam acquisita, aliter non peccarent, eam deperdendo, & deperderent non peccando; ergo possent acquirere gloriam illis efficaciter volitam post, non ante præuisa merita: atque adeò possibilis est similis Prędestinatio.

640 Vrgetur fortiùs, quia id, quod Deus semel vult, potest suo arbitrio conseruare, si res ipsa conseruabilis est: atqui defacto vult Deus sæpè Reprobis gratiam efficacē, & opera bona ex alio fine, quàm ex actuali Prædestinatione efficaci glorię, & nō propterea talia opera carent ratione meriti; ergo potuit Deus velle conseruationem gratiæ, & perseuerantiam bonorum operum, & meritorum ex alio fine, quàm ex præcedenti Prędestinatione gloriæ: sed in tali casu Deus non relinqueret impræmiata talia bona opera perseuerantia, etiam finaliter, aut saltem non deficeret Deo posse illa pręmiare; ergo posset talibus sic benè perseuerantibus velle pręmium glorię post pręuisa merita, ac consequenter possibilis est similis Prędestinatio.

641 Obijcies argumentum quoddam Scotistarum, quo vtuntur ad probandum defacto gloriam Electis fuisse prædestinatam ante preuisionem meritorum ita: quicumque ordinatè volens priùs vult finem, quàm media conducentia ad talem finem: sed quandocumque gloria datur, vt præmium, & corona meritorum, illa habet rationem finis, & hęc rationem mediorum; ergo, cùm Deus non possit inordinatè velle, nec poterit velle gloriam, vt præmium, & coronam, nisi voluntate antecedenti ad voluntatem mediorum.

642 Respondeo hoc argumentum esse insufficiens tum ad probandam impossibilitatem Prędestinationis gloriæ post merita, tum ad probandum defacto Prędestinationem eiusdem gloriæ præcessisse scientiam meritorum. Tunc namque (vt ostendam primum meum assertum) maior argumēti est vera, quando medium non est expetibile, nisi propter aliud, nec nisi propter vnicum finem; in hoc enim casu medium appeti non potest, nisi ex talis specialis finis amore: cæterùm quando medium ratione sui est bonum, potest ratione sui terminare amorem, absque vllo ordine ad alium finem, quamuis alio actu possit ordinari ad illud. Et similiter, cùm idem medium potest conducere ad plures fines, potest prima intentione esse volitum propter vnum, & deinde ordinari ad alium finem, supposito, quòd iam est: sæpè enim volumus ex. gr. currum, vel nauim ad peragenda negotia; sed oblata occasione deindè volumus videndi Amicū, vel satisfaciendi curiositati, vtimur ex consequenti voluntate medio, iam oblato, & existente. Et hinc apparet, quàm friuolum etiam sit antecedens argumentum ad probandum ratione defacto Prædestinationem pręcessisse præuisionem meritorum; cùm enim gratia, & merita potuerint esse volita ex alio fine à Deo, vndè probabunt ratione Scotistę, quem defacto voluerit Deus ex duobus modis, quibus pro sua summa libertate poterat velle Electos prædestinare?

643 In forma ergo ad argumentum respondeo distingendo maiorē: qui ordinatè vult, priùs vult aliquem finem, siue hunc, siue illum, quàm media, concedo maiorem: priùs vult hunc determinatum finem, subdistinguo, si medium non est per se expetibile, nec conducit, nisi ad vnicum finem, concedo: si est per se expetibile, vel potest conducere ad plures fines, nego maiorem: & eodem modo distincta minori, nego cōsequentiā. Distinctio patet ex dictis.

644 Obijcies secundò: saltem post peccatum originale Prædestinatio ad gloriam non potest non precedere preuisionem meritorum: sed hanc distinctionem nos non facimus in assertione; ergo assertio est manca. Maior probatur: quia post originale saltem non potest vnus homo benè operari præ alio, nisi sit maioribus, & vberioribus pręuentus auxilijs: sed hæc auxiliorum discretio non alium potest habere finem, nisi quia vni præ alio sit volita gloria; ergo.

645 Respondeo requirendo ab arguente, vndè sit, quòd aliquando Reprobi præueniuntur maioribus auxilijs, & benè operantur, cùm id non habeant ex Prædestinatione gloriæ? eūdem ergo finem posset habere Deus pro primo signo cum Electis: cum hac differentia, quòd cum Reprobis similem finem nollet pro semper, quo pacto vellet cum Electis. Ad omnes ergo fines, de quibus supra mentionem feci, non minùs potest ordinari gratia ante peccatum Adæ, quàm gratia vberior, quæ datur posteris, post idem peccatum. Vndè in forma, nego maiorem argumenti: ad cuius probationem nego minorem ex dictis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Qualis fuerit de facto Prædestinatio gloriæ, antecedens, an subsequens præscientiam meritorum?

646 Præsens controuersia plurimas in se admiscet difficultates, quę non paucorum animos, res parùm considerantium, valdè conturbant. Principalior itē articuli pūctus ita, ob præsuppositas ex parte Dei omninò antecedētes infallibiles quasdā discretiones, redditur imperceptibilis, vt plurimæ indè pestilentissimę ortę sint Hæreses. Vt ergo in re tanti momenti confusionem omnem excludam, & difficultates omnes suo ordine dissoluam, distinctos cōstituam Paragraphos, enodando in primo leuioris momenti difficultates. sit ergo.

§. PRIMVS.

Aliquibus leuioribus difficultatibus satisfit.

647 Solent aliqui, cùm sermo ipsis ingeritur de Prædestinatione, & Reprobatione, hac angi difficultate, quare Deus, sciens iam hominem, & aliquos Angelos fore peccaturos, si ita crearentur, non potiùs se abstinuit ab eorum creatione, vel nō ita adiuuerit, quòd nullus peccauerit, sed omnes saluarentur?

648 Huic autem difficultati pluribus in locis occurrit Augustinus, sicut lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 27. his verbis. *Quis enim audeat credere, aut dicere, vt neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre, atque ita quantùm mali eorum superbia, & quantùm boni sua gratia valeret, ostendere.* Præcedenti item lib. 11. cap. 18. sic loquitur, *Neque enim Deus vllum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi prior nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret: atque ita ordinem sæculorum, tamquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam antithetis honestaret. His antithesis etiam Paulus Apostolus in secunda ad Corinthios Epistola illum locum suauiter explicat, vbi dicit, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, vt seductores, & veraces, vt qui ignoramur, & cognoscimur, &c: sicut ergo ista cōtraria contrarijs opposita sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam, non verborū, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione, sæculi pulchritudo componitur.* Rursus lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 22. loquens de Adamo ait, *Præsciens eum propria voluntate malum futurum, fecit tamen, non abstinens bonitatem suam in præbenda vita, atque substantia, futura etiam noxiæ voluntatis, simul prævidens quanta de illo bona esset sua mirabili bonitate, & potestate facturus.*

649 Plures ergo conuenientias, & motiua assignat Augustinus, quare Deus præuidēs hominem, & plures Angelos peccaturos, non debuit se abstinere ab illorum creatione, nec aliter eos creare, vt peccare non potuerint. Et quidem finis vltimatus, atque super omnes alios conuenientissimus fuit, quia non debuit Deus priuare se à propria gloria, & honore in ostendendo bonitatem suam, dando creaturæ rationali substantiam, & vitam, eò quòd præuiderit, quòd ipsa, sua sola, & præcisa volūtate, foret peccatura; præcipuè cùm etiam præscierit Deus adhuc peccata ipsa ordinare ad plurima alia bona: & indè magis ostendere suam bonitatem, scientiam, & potentiam, atque pietatem: bonitatem, inquam, in cōstantia Martyrum superantium furorem Tyrannorum, & patientia humilium aduersus persecutiones Superborum, &c. pietatem verò in miserendo eorū, quorum sua gratia voluit misereri: vndè Prouerbiorū 16. dicitur, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem malum.* Secundum motiuum est, ne vniuersum priuaret suo complemento, & pulchritudine: non quidem, quia peccata spectent ad pulchritudinem vniuersi: sed quia oppositione peccatorum magis relucet bonitas, quam indidit rebus Deus: atque ex contrapositione peccantium, & superborum, magis redduntur mirabiles iusti, & humiles corde. Tertium tandē, propter bona specialia creaturæ rationalis; libertas enim in operando est distinctiuum principale creaturæ rationalis à reliquis creaturis: vndè benè operantes plurima possent mereri bona, ideòque non decebat Deum priuare libertate eos, quos præuidit benè operaturos, ne permitteret aliquos casuros, sua malè vsuros voluntate.

650 Solet itē quæri secundò, quare Deus nō dedit Angelis, qui peccarunt, sicut dedit hominibus post lapsum, remedia, vt potuerint resurgere, & saluari? In qua difficultate aliqui recurrunt ad naturæ Angelorum inflexibilitatem, & contrariā volubilitatem hominum. Sed hæc ratio non sufficit; quis enim audeat asserere defuisse Deo modum, vt inflexibilitati, quæcumque cogitetur in Angelis, non potuerit vbertate suæ gratiæ occurrere? Meliùs respondeo cum alijs, vt nimirum magis claresceret gratia Dei miserentis: ne scilicet, si ōnibus, & hominib⁹, & Angelis peccātibus prouidisset, daretur intelligi fuisse aliqua ratione debitā, & nō omninò gratiosam talem prouisionem: atque indè infimis creaturis rationalibus potiùs prouidit, quàm superioribus, vt euidentiùs agnoscatur quantùm debeant Dei gratiæ miserenti.

651 Solent hic tamdem aliqui stultè, quasi de Deo conquerentes, scrutari, cur Deus ex æqualibus vel ante peccatum, vel post originale, omnibus commune, alios elegit ad gloriam, seu misereri voluit: alios verò non elegit, siue noluit misereri? quam querelam, stultumque quæsitum millies exprobat Augustinus. Circa ergo hoc punctum breuiter dico cum Apostolo, supposito, quòd Prædestinatio, & Reprobatio sint post peccati originalis præuisionem, de quo suo loco infra: numquid non est in potestate, figuli ex eadem massa luti, apta iam tota in perditionem, alios, quorum misereri gratiosè voluerit, cōdere in vasa honoris: & alios, quorum noluerit misereri, debitum exigere, vt simul cùm illis se ostendat misericordem, & benignum Dominum: cum istis verò iustum, & potentem: quando etiam apud homines, si quispiam, ex duobus debitoribus, alteri gratiosè debitum remittat, & ab alio exigat, à nullo reprehendi rationabiliter valeat, imò potiùs laudabilis reddatur, eò quòd, & iustitiā ab vno exigat, & misericordem cum alio simul se ostendat? Et si quis replicet, & cur potiùs à me, quàm ab alio iustitiam exigit? Respondeo in primis, & si exigeret ab illo, & non à te, nonne idem diceret ille, cur scilicet ab illo, & non à te exigeret Deus? Secundò, respondeo cum Augustino de bono perseuerantiæ cap. 8. *Quia in hac re, sicut iusta est ira eius, sic & magna est misericordia eius: ita inscrutabilia iudicia eius*. Et cap. 12. respondente eidem quæsito, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*. His addo conuenientissimum fuisse Deum aliquorum hominum gratiosè misereri, vt ostenderet diuitias misericordiæ suæ; ab alijs verò debitum exigere, vt simul ostenderet iustitiam, & potentiam Maiestatis suæ, quòd videlicet non ex aliquo debito, vel necessitate misertus est, quorum misertus est: sed ex sua gratiosa, & summè libera voluntate, potens eorum non misereri, sicut non est aliorum misertus: *Vniuersa*, namque, *propter semetipsū operatus est Dominus, impium quoque in diem malum*. Numquid enim debebat Deus priuare se honore, & gloria ostendēdi suas perfectiones, vt omnium hominum nequitiæ benè consuleret? quis id somniet? hoc enim esset relaxare habenas vitijs, non ab eis homines compescere. Si autem supponamus Prædestinationem aliquorum fuisse ante omnem præuisionem peccati, sicut & non inclusionem aliorum, non tamen exclusionem; dicam breuiter, quòd gratia ideò est gratia, quia non est ex debito, & ideò benè, æquè, & iustissimè ex æqualibus ante peccatum poterat Deus vni, & non alteri gratiam præbere, imò eò magis rationem gratiæ ostendisset, quia non omnibus, sed quibus voluisset, tribuisset.

§. SECVNDVS.

Quæ circa præcipuum punctum difficultatis exortæ fuerint, hæreses recensentur.

652 CArdo præcipuus præsentis difficultatis in eo consistit, an videlicet Prędestinatio, seu efficax Dei voluntas dādi his prę alijs gloriam, & vitam beatam, fuerit antecedens præuisionem operum bonorum futurorum in his præ alijs, imò quia voluit illis gloriam prę alijs, voluerit in illis opera bona, & non ita in alijs? an potiùs econtra, quia prępuiderit in illis opera bona futura, & non in istis, sed mala, illos voluerit saluare, istos damnare: vbi an eodem modo discurrendum sit de hominibus electis, ac de Angelis.

653 Hæc autem difficultas tot pluribus, proprijs indulgentibus sensibus, & de Scripturarum, ac Patrum testimonijs non curantibus, perniciosos intulit scrupulos, vt in varios, & pestilentissimos defluxerint errores: satiùs alij iudicantes Deum facere, etiā donorum supernaturaliū, debitorem: quàm liberū, cui placuerit, donatorē: alij verò supponētes Deū ōnia sua insuperabili volūtate, nec nō infallibili prędeterminasse, eodē modo

do

do fecerunt malorum Authorem, sicut & bonorum: ac liberum arbitrium creaturæ rationalis purum figmentum existimarunt.

654 Primus ergo error in hac materia fuit, non quidem inuentus, sed acerrimè propugnatus à Pelagio, & sequacibus: qui in primis negarunt Deum potuisse constituere Adam caput morale posterorum, vt eius sine opus bonum, siue peccatum transfunderetur in posteros: & indè negabant homines nasci cum peccato originali; sed quemlibet asserebant in eodem statu innocentiæ nasci, in quo fuit creatus Adam. Ex quo secundò asserebant, quòd, sicut Adam proprijs naturæ viribus poterat omnia præcepta, etiam amandi Deum super omnia, seruare: ita & omnes eius posteri absque vlla indigentia gratiæ Christi Redemptoris: quamuis ad facilius posse admittebant adiutorium extrinsecum legis, & doctrinæ, vt satis insinuaui à numero 293. vsque ad 316. Tertiò, putantes iniuriosum Deo, si ex se aliquos præ alijs voluisset saluare, quasi hinc Deus fieret acceptor personarum, & duarum naturarum in eadem natura humana conditorem: imò hinc aliquod genus crudelitatis in ipsum Deum refundi, quasi ex sola sua voluntate creasset aliquos, (vt non semel inculcabant contra Augustinum,) ad finem eos damnandi: dixerunt neminem Deum saluare, nisi quem præuiderit benè viribus naturalibus arbitrij vsuros: atque eos damnare, quos iisdem viribus præuidit malè vsuros.

655 Dixi hunc errorem non fuisse inuentũ à Pelagio: euidens enim est ex Apostolo Hæbreos sui temporis gloriatos fuisse de operibus legis, tamquam ex proprio arbitrio elicitis, vt millies inculcat Augustinus, & præcipuè serm. 13. de verbis eiusdem Apostoli, vbi, *Commendat ita Apostolus*, inquit, *propter Iudeos, qui de lege gloriabantur, & libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur.* Origines etiam eundẽ errorem longè ante Pelagium propugnauit, vt notat Angelicus lib. 3 contra Gentiles cap. 9. Idque expressè insinuauit Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, in qua, Pelagium exprobans, scribit, *Doctrina tua*, inquit, *Origenis ramusculus est.* Quòd ergo iste error simpliciter tribuatur Pelagio, & sequacibus, dicaturque hæresis Pelagiana, hoc indè est, quia nemo ante ipsum tam impudenter, & seriò pertractauit, tenaciterque propugnauit.

656 Secundus error, qui fuit propugnatus à quibusdam Massiliensibus, reliquia extitit à principio erroris, secundo loco adnotati, Pelagianorum: sed deinde alius diuersus ei adiunctus fuit. Isti ergo pari modo serupulosi, ne, Deo attribuendo discretionem Electorum à Reprobis, ipsum facerent acceptorem personarum, & veluti duarum naturarum conditorem, licèt concedebant homines nasci in peccato originali, ac cõsequenter cum libero arbitrio sauciato, & inepto ad facienda opera bona sine præueniente auxilio gratiæ Redemptoris, crassa nihilominus paritate discurrentes, asserebãt, quòd, sicut ægrotus, non valens opera sanitatis efficere, adhuc potest credere in medicũ, & velle ab ipso sanari: ita hominum arbitrium sauciatum in pœnam peccati originalis, non valens opera bona, & meritoria efficere, adhuc potest, aiebant, absque vllo auxilio medicinalis gratiæ Christi in eumdem credere, & velle ab eodem sanari, quærendo, pulsando, petendo.

657 Atque hinc dicebant Deum ex parte sua esse cum omnibus æquè paratum, vt cuicumque quærenti, petenti, & pulsanti auxilium suum præberet: at, quia alij suo proprio, & solo libero arbitrio credẽdo, & inuocando, recurrunt, non omnes: ideò illis, & non omnibus subuenit. Ex quo, vt patet, initium salutis æternæ viribus naturalibus liberi arbitrij, & non gratiæ Christi tribuebant, in quo conueniebant ex parte cum Pelagianis: vndè dicti sunt Semipelagiani. Quoniam verò vrgebantur a Diuo Augustino exemplo paruulorum, decidentium ex hac vita ante vsum rationis, quo potuerint credere, & auxilium gratiæ inuocare: & nihilominus alij decidunt post susceptum Baptismum, & saluantur: alij verò ante susceptum Baptismum, & damnantur: præfato errori adiũxerunt alium, rationẽ meriti, vel demeriti attribuentes operibus cõditionatè solùm præuisis, & quæ numquam erunt, dicendo hos ex paruulis prædictis saluari, qui fuerũt præuisi, quòd, si ad vsum rationis peruenissent, credidissent: damnari verò eos, qui non ita præuisi sunt credituri, si ad vsũ rationis peruenissent. Et eodem modo procedebant de Euangelij prædicatione, asserentes his gentibus, locis, & temporibus fuisse Euangelium prędicatum, vbi, & quando præuisi fuerãt, qui in illud crederẽt: vbi verò, & quãdo præuiderat Deus non futuros, qui crederent, non fuisse prædicatum. Atque ita dicebant Prędestinationem efficacem gloriæ in Deo respectu Electorum fuisse post prçuisam fidem, & voluntatem quærendi, petendi, & pulsandi, siue vt absolutè futuram in eis, qui ad vsum rationis perueniunt: siue vt conditionatè futuram in illis, qui ante eumdem rationis vsũ ex hac vita discedunt: ante istas autem prę-

ſcientias ab ipſis chimęrizatas, vt loquens de ſcientia media dixi, nullum aliud admittebant in Deo decretum, niſi vniuerſale pro omnibus, conditionatum, & promiſſorium.

658 Tertius autem error, ferè ex diametro oppoſitus prænarratis, fuit Lutheri, cui, vt potè in ſuis dogmatibus ex toto habenas ſenſuum illecebris relaxanti, libenter adhæſit verſutiſſimus Caluinus. Iſti ergo ita antecedentem in Deo Prædeſtinationem, ſicut, & Reprobationem admiſerunt, vt eidem Deo non tam ęque tribuerint Electorum pręciſam cauſam ſalutis, & Reproborum vnicam damnationis originem: verū etiam eumdem Deum fecerint non minùs malorum moralium, quàm bonorum Authorem: negantes radicitus in creatura rationali arbitrium, atque aſſerendo eſſe purum figmentum, & titulum ſine re: in qua materia tanta horribilia monſtra truculenta parturijt hominum iſtorum nequitia, vt mirum ſit, quòd vel vnum ſequacem adinuenire potuerint; ſed, quoniam in eorum doctrina, vt dicebam, lata ſenſibus tribuitur via, *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, quoniam erant eorum mala opera.*

659 Initium autem iſta peſtilentialis doctrina deſumpſit ex ingenti odio, quod in totius Eccleſiæ tunc temporis Pontificem turbulentus Lutheri animus cōcepit, eò quòd, cùm priùs indulgentiarum Prædicatoris, vel Promulgatoris munus exerceret, ab eo, propterea quòd abutebatur, abdicatum fuerit: hinc enim ſimili odio ductus incepit priùs neceſſitatem, atque indulgentiarum vtilitatem oppugnare: & quia hunc errorem defendere non poterat, niſi lata aliorū catena adijceretur, eò peruenit, vt omni conſcientiæ depoſita ſyndereſi, innumerabilibus ſeſe implicauerit erroribus: ex quibus aliquos tū Lutheri, tum Caluini, ad pręſentem materiam pertinentes, dumtaxat adducam, vt deindè pro viribus oppugnem.

660 Primò ergo Hæretici iſti in eo diſtingūt ſtatum naturæ integrę hominis à ſtatu naturę lapſę: quia in primo ſtatu agnoſcunt fuiſſe in homine quamdam indifferentiam eligendi vtrumlibet ex ſe, & quoad præciſè intrinſeca: non verò quia ad actum ſecundū electionis potuerit deuenire ex ſe, impeditus quoad hoc ab efficacia diuini decreti extrinſeci: à ſtatu verò naturę lapſæ hominis etiam deijciunt quamcumque indifferentiam eligendi ex ſe, ſed neceſſitatum omnimodè volunt ad vnum. Expreſſius id apparet in verbis Caluini: hic enim lib. 1. cap. 15. numero 8. ſic loquitur, *In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, quo ſi vellet, adipiſci poſſet æternam vitam: hic enim intempeſtiuè quæſtio ingeritur de occulta Prædeſtinatione Dei: quia non agitur quid accidere potuerit nec ne: ſed qualis fuerit hominis natura; potuit igitur ſtare, ſi vellet, quando non niſi propria voluntate cecidit; ſed quia in vtramque partem flexibilis erat eius voluntas, nec data erat ad perſeuerandum conſtantia, ideò tam facilè prolapſus eſt: libera tamen fuit electio boni, & mali.* In his verbis clarè patet admiſiſſe Caluinum in homine integro libertatem electionis, & flexibilitatem ad vtrumlibet, ſi conſideretur natura hominis integri ſecundum ſe: non verò, ſi conſideretur ſecundùm id, quod ei extrinſecùs accidit ex occulta Dei Prędeſtinatione, quod euidentiùs conſtat ex his, quæ tradit lib. 3. cap. 23. num. 7. vbi ita loquitur, *Liberi arbitrij Adamum fuiſſe dicunt, vt fortunam ipſe ſibi fingeret: Deum verò nihil deſtinaſſe niſi, vt pro merito eum tractaret. Tam frigidum commentū, ſi accipitur, vbi erit illa omnipotentia, qua ſecundùm arcanum conſilium, quod aliunde non pendet, omnia moderatur.*

661 In Adamo ergo libertatem indifferentiæ admittit, quatenus conſideratur ſecūdùm ſe; intempeſtiuam verò putans quęſtionem, quid ei ex occulta Prędeſtinatione accidere poſſit, ita hanc aditruit, vt non fuerit tale liberum arbitrium eius relictum, quòd fortunam, aut infortunium: ſiue vitam, aut mortem ſibi fingere potuerit. In homine autem lapſo etiam flexibilitatē ſecundùm ſe adimit, vt patet ex illis verbis lib. 1. cap. 5. num. 18. *Eſto, ait, acceperit homo à ſua creatione facultatem adipiſcendæ vitæ, aut mortis, quid, ſi ex aduerſo reſpondeamus perdidiſſe?* Non ergo ſolam facultatem adipiſcendę vitę docet deperdidiſſe hominem per originale, ſed etiam facultatem ad mortem. Et vide vndè hoc commenium ſibi confinxit, quia nimirum hanc ad vtrālibet partem facultatem in quadam connaturali organica diſpoſitione partium conſtituit, quam docet hominem per peccatū deperdidiſſe: ita namque loquitur lib. 1. cap. 15. num. 8. ſupracitato de Adamo ante peccatum, *Libera tamen fuit electio boni, & mali: neque id modò, ſed in mente, & voluntate ſumma rectitudo, & omnes organicæ partes ritè in obſequium compoſitæ, donec ſe ipſum perdendo, bona ſua corrupit.* Iſtam ſanè mentis, ac voluntatis rectitudinem, ac partiū organicarum in obſequium compoſitionē, non dona Dei, ſed bona propria vocat, tāquam naturę debita, cui debita eſt libertas, in his conſiſtens. Clarius id ipſum expreſſit Lutherus in Comment. ad tertium caput Geneſis illis verbis, *Porrò hæc probant iuſtitiā*

esse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, vt Scholastici delirant, nimirum asserendo naturalia non fuisse per originale amissa.

662 Idem paucis docuisse Lutherum patet ex artic. 36 ad Leonē, in quo sic scribit, *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo. Imò simpliciter debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re.* Cùm ergo libertatem ita negauerit post peccatū, non negauit ante, aliàs frustra addidisset, *post peccatum*. Cùm item, indè Lutherani libertatem, quàm admittunt Catholici, oppugnent, quia si in nostra potestate esset bonum, & malum, motio Dei non esset efficax, nec Deus esset omnipotens, & faciēs quæcumque vult: & hæc ratio eodem modo valeat ante peccatum: si bona esset, sequitur etiam, quòd Lutherani, sicut Caluinistæ, nec in homine integro admittunt aliam libertatem, nisi spectata natura hominis integri secundùm se; non verò prout hæc subiacet diuinæ Prædestinationi, ipsi extrinsecæ.

663 Vnum tamen pro vtrisque hic, contra Iansenium infra, est notandum: quòd neuter ex illis libertatem à coactione negauit, etiam post peccatum. En verba Caluini lib. 2. cap. 2. num. 5. *Obtinuit autem in Scholis distinctio, quæ triplicem libertatem numerat, à necessitate primam, secundam à peccato, tertiā à miseria: quarum prima sic homini naturaliter inhæreat, vt nequeat vllo modo eripi: duæ alteræ per peccatum sint amissæ. Hanc distinctionē ego libenter recipio, nisi quòd illic necessitas cum coactione perperàm confunditur*. Admittit ergo in homine libertatem primam ex dictis, quæ ita cōnaturaliter inhæreat, vt nequeat vllo modo eripi, nec sit amissa per peccatū, dummodò hæc sit à coactione, & non à necessitate, prout vocatur in Scholis. Et clariùs eodem libro cap. 3. num 5. *Porrò*, ait, *quòd libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi, vel duci, mirum est, si cui videatur aspera locutio, quæ nec absonum habet quidpiam, nec à Sanctorum vsu aliena est: offendit autem eos, qui inter necessitatem, & coactionem distinguere nesciunt*. Asserit ergo se in voluntate abdicata libertate non affirmare coactionem, sed puram necessitatem ad vnum: & ideò solùm offendi eos, qui inter hæc duo distinguere nesciunt, sed accipiunt pro eodem. Et tandem cap. 2. num. 7. dum ita concludit de homine post lapsum, *Liberi ergo arbitrij dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè, ac mali electionem: sed quia malè voluntate agit non coactione.* Id ipsum admisisse Lutherum patet ex libello Imper. in illis verbis, *In natura lapsa retinemus libertatem à coactione*.

664 Secundò asserunt hominis naturam taliter fuisse per originale peccatum inquinatam, vt non solùm omnis eius naturalis operatio, etiam concupiscentia, cui fortiter resistitur, vinciturque, sit actuale peccatū mortale, verùm etiam & natura ipsa, quæ principium est concupiscentiarum, quatenus infecta per peccatum, sit peccatum. Ita expresè docet Caluinus lib. 1. cap. 1. num. 8. *Quidquid*, inquit, *in homine est ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem vsque, hac concupiscentia coinquinatum, refertumque est: aut, vt breuiùs absoluatur, totum hominem non aliud ex se ipso esse*, quàm concupiscentiam: de hac autem concupiscentia deinde loquens cap. 8. num. 28. ait, *Pupugit nos animi aliquod desiderium, iam concupiscentia rei tenemur, ac simul constituimur legis transgressores. Non est igitur, quòd vel leuissimas cupiditates iudicio mortis eximamus*. & lib. 3. cap. 3. numero 10. *Nos autem*, inquit, *illud ipsum pro peccato habemus, quo aliqua omninò cupiditate cōtra legem Dei homo titillatur: imò ipsam prauitatem, quæ eiusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse peccatum*. Lutherus autem, & si non ita expresè scripserit, eius tamen mentem indicant ipsius discipuli, vt Melanthon in locis communibus, vbi sic loquitur, *Scriptura non facit differentiam inter actuale, & originale peccatum: nam & originale actualis est quædam praua concupiscentia*. Et in reformationis dogmate, quod Lutherani appellant Didagma, sic asserunt, *Licèt homo nihil iniqui animo deliberato concupiscat, illa nihilominus volatilis concupiscentia, à qua se in omni mansuetudine, & pietate continet, coram Deo peccatum est*.

665 Tertiò etiam opera bona elicita ex gratia, propterea, quòd semper fiunt cum aliquo concupiscentiali naturæ luctamine, & in eadem natura coinquinata, asserunt esse peccata, Deo odiosa, ac digna opprobrijs, vtpotè immunditijs plena. Poterat ne Diabolus ipse horribiliora eructare? & tamen Lutherani, & Caluinistæ id ipsum nō erubescunt pleno ore proferre. Illi enim ex Luthero artic. 31. ad Leonem hæc didicerunt verba, *Omne opus bonum, optimè factum, peccatum mortale est in iudicio Dei*. Isti verò ex Caluino lib. 3. cap. 14. num. 9. libenti animo receperunt subsequentia. *Habemus nec vnum à Sanctis exire opus, quod, si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Et hæc alia numero 11. *Duobus his fortiter insistendum, nullum vnquam extitisse pij hominis opus, quod, si seuero iudicio examinaretur, non esset damnabile*, ac illa cap. 5. num. 3. *Quid procreantur opera nostra, Scriptura ostendit cùm*

Dei

Dei conspectum ferre posse negat, quia immunditiæ sint plena.

666 Quartò, dicũt nullũ opus etiam Sãctorũ posse habere rationem meriti apud Deum, etiam si sit opus gratiæ. Ideòque Caluinus lib. 1. cap. 17. num. 3. ait, *Ipsa seruorum suorum opera cũ venia suscipit, non imputata imperfectione, qua omnia inquinata peccatis magis, quàm virtutibus, accẽsenda alioqui forent.* Et Melanthon Lutheri discipulus in sua apologia, *Iustificatio iusti*, inquit, *nihil aliud est, quàm reputari iustum, non propter iustitiam operis, sed per misericordiam Dei fide apprehensam.*

667 Quintò, asseuerant obseruantiam legis esse hominibus impossibilem, quodcumq; auxilium gratiæ superadueniat. Circa quod Caluinus lib. 2. cap. 7. ita scribit, *Quòd autem impossibilem legis obseruantiam dicimus, id est paucis verbis explicandum, simul, & confirmandum; solet enim vulgò absurdissima sententia videri, vt Hieronymus non dubitauerit anathema illi denunciare.* Et Lutherus in libello de libertate Christiana, *Præcepta legis*, inquit, *impossibilia esse omnia, quæ à nobis implentur.*

668 Sextò, volunt, quòd Sanctis, & iustificatis in Christo nullum imputatur peccatũ, licèt in omni opere peccent, eò quòd ratione fidei omnia nostra opera in Christo intuetur Deus. Muscipulas vsque modò hominum cordibus parauerunt Hæretici isti: sed iam nunc incipiunt ad libertatem sensuum eadem paulatim mulcere, docendo, quòd, qui Dei voluntate Sancti sunt, nullum eis nocet peccatum, propterea, quòd non intuetur Deus eorum opera, nisi in Christo, ratione fidei in eumdem. En quæ pestilenti calamo scribit Caluinus tum loco supra citato lib. 1. cap. 17. num. 3. *Ipsa seruorum suorum opera cum venia suscipit, non imputata eorum imperfectione, qua omnia inquinata peccatis magis, quàm virtutibus, accensenda alioqui forent*: tũ lib. 3. cap. 17. numero 9. *Quòd si constat*, ait, *à iustificatione fidei proficisci, vt opera impura alioqui, immunda, dimidiata, indigna Dei conspectu, ne dum amore, iustitiæ imputentur*, &c. & veluti huius assignans rationem num. 3. habet, *Porrò vndè venia, nisi quia Deus nos, & nostra omnia in Christo intuetur?* media nimirum fide, de qua docet per ipsam, *Non tantùm nos, sed opera etiam nostra iustificari.* Et Lutherus artic. 14. *Nemo, ait, debet respondere Sacerdoti se esse contritum, Nec Sacerdos requirere, quoniã Paulus aiebat, nihil sibi conscium esse, neque in hoc iustificatum esse: & David, delicta quis intelligit; ergo etiam, si opera nostra peccata sint, nihil in hoc debemus perscrutari, quia per fidem illa non imputantur peccata.*

669 Septimò, Conscientiæ timorem extirpare volentes, docent Sanctis, & Electis, nec bona opera iuuare, nec mala obesse: sed sola in Christum fide iustificari, ad quam deindè sequi asserunt opera; imò addunt tristari, & dolere de antecedentibus peccatis, non solùm nõ prodesse, sed nouũ superaddere peccatum hypocrisis. Vndè Caluinus lib. 3. cap. 16. num. 1. *Non enim*, inquit, *aut fidem somniamus bonis operibus vacuam: aut iustificationem, quæ sine ijs constet: hoc tantùm interest, quòd, cùm fidem, & bona opera inter se cohærere fateamur, in fide tamen, non in operibus iustificationem ponimus.* Impudentiùs loquitur Lutherus lib. de libertate Christiana, cùm ait, *Solam fidem sufficere ad salutem, opera nullo modo iustificare.* Et in expositione Epistolæ ad Galatas, vbi scribit, *Sola fides necessaria est, cætera omnia opera liberrima, neq; præcepta, neque prohibita.* Quidquid ergo aliud fiat, neque peccatum est, neque bonum. Quid profectò pestilentius? Et de contritione, ac detestatione malæ vitæ anterioris loquens artic. 6. ita scribit, *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat ad annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderãdo peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ Beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis: hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.* Ex quo etiam negant necessitatem, vel vtilitatẽ cæterorum Sacramentorum, dempto Baptismo, in quo fit professio fidei.

670 Octauò, vt omnem conscientiæ scrupulum à suorum sequacium animis abigãt, & tutos faciant, vbi omninò exulat æternæ salutis, vel vmbra aliqua spei, fidem, quam docent sola Electos iustificari, nec volunt esse, qua rebus omnibus per Scripturam, vel Ecclesiam, vt credendis, propositis, assensũ damus: nec etiam alicui speciali obiecto vniuersaliter proposito: sed quemdam specialem assensum simul, & fiduciam, quibus quisque singillatim indubitàter credit, & abiq; hæsitatione confidit sibi hìc, & nũc remitti, seu non imputari à Deo per solum Christum peccata: atq; per eumdem vitam æternam sibi polliceri, quæcumque sint eius bona, vel mala præcedẽtia opera. Ita loquitur Lutherus in libro de libertate Christiana, & articu. 1. ad Leonem, *Cùm docemus*, inquit, *sola nos fide iustificari, non intelligimus de fide historiæ, qua credimus veram esse Scripturam: sed de fide, hoc est fiducia, quã quisque fidere debet promissionibus Dei de remissione peccatorum per Christum facienda.* Et expressiùs infra, *Fides*, subiungit, *qua iustificamur, non est fiducia sola in genere, qua confi-*

dimus

animus Deum paratum esse reconciliare vniuersos per Christum, si sua duritie, & culpa non obstiterint; sed est fides, & fiducia, qua quisque in particulari, & absque vlla conditione firmiter credit, certòque confidit, nunc in facto sibi remitti peccata à Deo gratis per Christum. Caluinus pariter eamdem fidem definiens lib. 3. cap. 2. numer. 7. ita scribit. *Nunc ista fidei definitio constabit, si dicamus esse diuinæ erga nos beneuolentiæ firmam, certamque cognitionem, quæ gratuitò in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum, & reuelatur mentibus nostris; & cordibus obsignatur.* Et deindè num. 16. *In summa verè fidelis non est, nisi, qui solida persuasione Deum sibi propitium, beneuolumque Patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia pollicetur: nisi qui diuinæ erga nos beneuolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit.*

671 Vltimò tandem adstruunt neque hanc fidem, seu fiduciam iustificare, quia ratione sui meritoria sit, cùm etiam hanc, vtpotè, quia cum reluctatione concupiscentiarum elicitur, dicant esse inquinamentũ subiecti, & immunditiam, non minùs, ac cætera opera: sed iustificare dicunt, tamquam instrumentum, quo apprehenditur ipsa iustificatio, & sicut ditare aliquem dicitur olla, pecuniis referta. Ita loquitur Caluinus lib. 3. cap. 11. num. 7. *Vim iustificandi*, ait, *non inesse fidei ex se ipsa, sed quatenus Christum recipit, libenter admitto: neque enim diuersa ratio est, quin fides, etiam si nullius dignitatis sit, vel pretij, nos iustificet, Christũ afferendo, sicut olla pecuniis referta hominem locupletat.* Lutherus verò in libro de libertate Christiana, *Cùm autem*, inquit, *verbum, & promissio sola fide per intellectum apprehendatur, ille solus assensus apprehendit misericordiam.* Et discipulus eius Melanthon in apologia, *Sola fide*, inquit, *apprehendimus misericordiam, quia illa accipit promissionem, quæ Deus pollicitus est, quòd propter Christum velit propitius esse credentibus in eum.*

672 Has inter innumeras alias construxerunt perfidi isti hæretici chimæras, vt necessitatẽ, vel vtilitatem Indulgentiarum pro animabus in Purgatorio purgantibus, vel etiam in hac vita debita relaxantium, à fidelium cordibus euellerent: eò laruas suas tendẽtes, vt adstruerent, quòd, cùm nos pro debitis nostris satisfacere nullo modo possimus: sed solùm per merita Christi, fallaci ab ijsdem conficta fiducia apprehendenda, sit nostris debitis satisfacendum, quæ non tàm adęquant, verùm etiam superexcedũt, quæcumque illa esse possint: nihil hinc prætendunt remansurum fore in Electis quod siue hic, siue in alia vita sit per nos ipsos purgandum, quodque per Indulgẽtias relaxetur.

673 Vltimus error est Iansenij, qui & si non contineat tot fœditates, quot continet ille Lutheri, & Caluini, plures tamen illarum amplectitur, & aliquid aliud adiungit. Prędestinationem itaque Electorum, sicut & damnandorum reprobationem post peccatum originale ita docet antecedentem ad merita, vel demerita futura actualia, vt auferre dicat omnem libertatem indifferẽtiæ, & solùm relinquat libertatem à coactione, siue ad benè, siue ad malè operandum: ex quo plura colligit cum erroribus prærecensitis Caluini, & Lutheri communicantia, & aliquid addit de suo, quæ omnia, ne repetere cogar, infra, cùm ea impugnabo, recensere duxi.

§. TERTIVS.

Aliqua à ratione naturali contra Pelagianorum, & Semipelagianorum errorẽ ad hominem adducuntur.

674 NOn opus hic duxi immorari in impugnandis erroribus, quos ita impugnauit Diuus Augustinus, vt etiam funditus expugnauerit: sed dumtaxat aliqua à ratione librare decreui ad nonnullas doctrinas, quas adhuc his temporibus apud Catholicos lego, vel non benè explicatas, vel non benè sonantes, extirpandas: cùm, nisi clariùs explicentur, non mediocrem viam aperiant, saltem errori Semipelagianorum. Lego enim apud aliquos, posse hominem, etiã post originale, vel in puris naturæ constitutum, Deum amore quodam imperfecto amare super omnia, absque vllo auxilio gratiæ. Apud alios verò, eumdem hominem per easdem naturæ vires, & si nõ possit omnia, posse tamen aliqua implere præcepta, & efficere consequenter aliquas operationes moraliter bonas. Et tandem nonnullos scrupulosos esse, & quod peius, eumdem scrupulum velle apud alios inserere, ne dicatur Deus post originale ex æquè infectis, alios propria, & discretiua per seipsum voluntate voluisse liberare, & alios in eadem relinquere, illis contribuendo specialẽ gratiã liberãtem, non istis: asserentes

-tes id aliquid sapere acceptionis personarum.

675 Quantùm autem ista erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum faueant, nõ crediderim latere posse, nisi eos, qui de horum errore non plenam notitiam habẽt. Primum namque errori Pelagianorum latam viam aperit: quandoquidem, si potest homo absque vlla gratia, siue in pura natura, siue post originale, quoquo modo Deũ super omnia, etiam ad breue tempus, amare, cùm Dei amor super omnia sit voluntas subiectiua omnium Deo, erit saltem votum efficiendi omnia, quæ Deo placent, & implicita detestatio eorum, quæ eidem Deo displicent; qui ergo in fine vitæ ita Deum diligeret, moreretur cum adæquata obseruantia legis Dei in voto, & nescio quomodò Deum ita actù amans, & offensas in ipsum detestans, posset damnari. Secundũ verò inimpugnabilem reddit Semipelagianorum doctrinam, cùm tamen Augustinus ipsam euidentissimis Scripturæ locis expugnauerit: supposito namque, quòd homo per vires naturales superstites post originale potest aliquod bonum morale efficere, quod quæso faciliùs bonum opus excogitabile erit, quàm credere Deum nos posse sanare, & ipsum inuocare, vt sanet, cùm ad sanitatem natura ipsa inclinet, & nemo velle possit per se malum suum? semel ergo, quòd admittatur hominẽ per vires naturales prædictas posse aliquod bonũ opus morale efficere, inimpugnabilis euadet Semipelagianorum doctrina: ac consequenter, illis rationibus, quibus Augustinus illorũ errorem expunxit, expũxit etiam, & horum Catholicorum somnium. Tertium tandem vtrisque fauet: nam, si Deus acceptor personarum esset existimabilis per hoc, quòd sua dona indebita, vni præ alio tribueret; non erat ergo damnandus scrupulus prædictorum hæreticorum negantium Deum alios præ alijs velle liberare: cũ tamẽ eos in hoc ipso damnauerit Augustinus ex illo Pauli ad Romanos 9. *An non est in potestate figuli ex eadem massa luti alios condere in vasa honoris, alios in vasa contumeliæ?* Explicãs illud Scripturæ, quòd Deus non sit acceptor personarum ex parte ipsarum personarum, non ex parte Dei, hoc est, non vereatur Deus personam hominum, vt alibi loquitur Scriptura, quasi plus extimet Nobiles, quàm Ignobiles, plus diuites, quàm pauperes, qui mortuus est pro hominibus, & pro humilibus, non pro Angelis peccatoribus, thypho propriæ perfectionis superbientibus: quique infirma, & contemptibilia mundi elegit, vt confundat fortia; hoc ergo modo non est Deus, vt homines, acceptor personarum, non quia, secundùm inscrutabilia sua iudicia, non plus diligat aliquos, quos præ alijs placuerit liberare.

676 Nullum ergo posse creaturam in puris naturæ, vel post originale, absque gratiæ auxilio bonum morale efficere, iuxtà illud Pauli ad Romanos 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, & illud Ecclesiæ in festo Pentecostes, *Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium*, etiam naturali ratione ostenditur ex eo, quòd quælibet substantia, præcipuè rationalis, habet ab intrinseco naturæ concupiscentiales inclinationes, quibus per priùs, & fortiùs trahitur ad propria, quàm ad alia extra se: sicut nãq; res priùs est in se, quàm ad alia: ita per priùs, & fortiùs est ad sui cõplementũ, cõmodũ, & vtilitatẽ, quàm ad alia extra se; ergo substãtia rationalis, licèt possit ferri ex se in bona extra se, non tamen in bona opposita concupiscentialibus eius inclinationibus: atqui bonum virtutis moralis non est bonum cõcupiscentiale naturale, sed bonum in se, oppositum singulorum concupiscentiæ, vnde dicitur opus virtutis arduum; ergo nulla creatura rationalis ex proprijs præcisè viribus poterit vllum opus bonum morale efficere.

677 Ex quo etiam concluditur nullum prorsus posse creaturam rationalem per proprias vires, & absque Dei auxilio adimplere Dei præceptum, eò quòd, cùm creatura rationalis non agat sine fine, eius actiones bonitatem, vel malitiam non desumunt ex præciso obiecto, quod materialiter amplectitur, vel fugit, sed præcipuè ex fine, propter quem id facit: semper autem creatura rationalis secundùm se concupiscẽtijs mouetur; atque ideò, & si aliqua aliquando videatur facere in se bona, ea tamen facit propter finem sibi bonum, non verò cum ordine ad superiora bona extra se, & ideò eius actio ab inordinato fine malitiã suscipit: atqui Deus id, quod suis præceptis præcipit, non absque directo ordine præcipit; ergo quamuis aliquando creatura rationalis, v. g. infidelis videatur, absque auxilio gratiæ, rem præceptam adimplere, non tamen præcepto satisfacit, quo non res præcepta præcisè iubetur, sed præcipuè rectus ordo eiusdem in Deum. Quo discursu vsus est Augustinus lib. 4. contra Iulianum Pelagianum à cap. 3. vbi sic refert ex prædicto Iuliano, *Sed acerbissimi gratiæ huius inimici exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adiu-*

adiutorio gratiæ, solùm est naturæ bonum, &c. Post longam autem huius Iuliani dicti impugnationem, circa medium eiusdem capitis concludit, *Absit autem, vt veræ virtutes cuiquam seruiant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus, Deus virtutum conuerte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscumque commodis, & emolumentis temporalibus seruiunt, veræ prorsus esse non possunt: veræ quippe virtutes Deo seruiunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo seruiunt in Angelis, à quo donantur & Angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, & si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

678 Absit ergo omninò à Catholicorũ cordibus, vt quis asserat posse ab homine in puris naturæ, vel post originale aliquod verè adimpleri diuinum præceptũ absque auxilio gratiæ: & multò minùs amari Deum super omnia: quamuis possit dici ad hæc non deficere potentiam remotã, sed solùm proximam, in quantum illa impeditur à reluctantibus concupiscentiis: quandoquidẽ (quidquid sit pro modò an iustitia originalis, quã dedit Deus Adæ, cùm illũ creauit, sit donũ supernaturale, vel intra limites naturæ illum perficiens, licèt sit indebitum) certum est, quòd in tali statu, sopitis per tale donum propriis hominis concupiscentiis, poterat homo adhuc amare naturali amore Deum super omnia, & totam legem seruare obseruantia naturali, sicut communis est sententia Theologorum, duce Angelico: licèt etiam potuerit id facere Adam, obseruantia supernaturali, eò quòd, vt ex Augustino supra numero 202. probaui, Adam, vltra iustitiam originalem, magnam habuit gratiam, sed disparem ab ea, quam habent Electi post originale peccatum.

679 Credo sanè de præfato posse remoto loqui Catholicos Doctores, cùm dicunt hominem in puris naturæ, vel iustitia originali iam destitutum, posse aliquo modo Deũ super omnia diligere: ac similiter de pura materiali obseruantia præcepti loqui illos, qui asserunt ab eodem homine aliqua posse absque auxilio gratiæ seruari præcepta. Sed deberẽt clariùs se explicare, ne indè aliquid periculosum in fide sugant, qui ea ipsa nõ satis explicata legunt. Atq; ex his patet, quantùm diuinæ Maiestati, eiusque dominio, & libertati contrarius sit scrupulus ille plurimorum, quòd acceptor sit personarum Deus, si ab ipso fiat discretio Electorum ab impiis, & vasorum misericordiæ à vasis contumeliæ: quasi quòd non liceat Deo sua dona, cui ei placuerit, erogare, & quando & hoc ipsum licitum est hominibus, Cur isti, ita inconsideratè scrupulosi, non etiam dubitant acceptorem esse Deum personarum in eo, quòd ex hominibus, vel aliis creaturis, quas poterat creare, non omnes, sed quas placuit, creauit? Cùm ergo in hoc sita sit ratio libertatis, & dominij, vt ex iis, quæ agens liberum potest, eligat, prout ei placuerit: & Deus sit summè liber: quomodò scrupulus inducitur, si sua dona, cui placuerit, donauerit? Bonus sanè, & misericors est Deus, sed etiam iustus, & in his quoad exteriores effectus liber, potens vel debita exigere, vel remittere, ideòque remittit, cui placet: & à quo vult, debitum exigit, vt in vtrisque suam libertatem, & dominium ostendat.

§. QVARTVS.

Lutheri, & Caluini error quoad actualem necessitatem operum, ortam ex efficaci Dei Prædestinatione, etiam respectu Angelorũ, & Adami ante peccatum, expungitur.

680 IN impugnando Lutheri, & Caluini commenta Conciliorum non vtar authoritate, ne sine fructu tempus teram, cùm ipsi impudenti fronte eorum infallibilem veritatem inficiari non erubescant. Nec item aliorum, Augustino excepto, Sanctorum Patrum sensu, eò quòd non minori audacia, & temeritate ipsum flocci pẽdũt. Satagam autẽ ea expugnare euidentissimis Scripturæ locis; ac etiam Augustini, quem vterque ad suos stabiliendos errores magna versutia adducere conantur, vt patebit: & de quo Caluinus lib. 2. cap. 8. num. 10. sic loquitur; *Ad hanc intelligentiam nobi primùm viam aperuit Augustinus, ne graui suffragio destitui eam putes*: Et lib. 3. cap. 2. nume. 39. *Cuius rei, inquit, ante citauimus testimonia,* ex Scriptura ad proprium sensum nimirũ intellecta, *quorum fiducia* subiungit, *Interpres Augustinus exclamat, &c.* lib. etiam 4. cap. 14. num. 26. *Atque id est, ait, quod voluit idem Augustinus, quem, vt optimum ex tota antiquitate, & fidelissimũ testẽ, sæpiùs citauimus,*

His tādē aliqua adiūgā, desūpta ex ratione.

681 Id autem, quod primò mihi impugnādum propono, est diminuta illa libertas, imò potiùs simpliciter necessitas, quàm hæretici somniarunt tum in Adamo ante peccatū, tum in Angelis, secundùm quam fuerint solummodò quoad intrinseca potentes vtrumlibet: ratione verò extrinseci decreti Dei non eis relictum fuerit, vt fortunam, sibi sponte à Deo oblatam, acceptarent: imò potiùs, vt asserit Caluinus lib. 3. cap. 23. num. 7. contra Catholicos, Dei efficaci voluntate fuisse prædestinatum, & non dumtaxat permissum, vt periret Adam, & secum suos in interitum traheret posteros: ita enim loco citato habet, *Disertis verbis hoc extare negant decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam, quasi verò idem ille Deus, quem Scriptura prædicat facere quæcumque vult, ambiguo fine condiderit nobilissimam ex suis creaturis. Decretum quidem horribile fateor: inficiari tamen nemo poterit.* Rursus præcedenti num. 6. *Consilio*, inquit, *motuque suo ita indicat, vt inter homines nascātur ab vtero certæ morti deuoti, qui solo exitio nomen eius glorificent*. Et lib. 10. cap. 23. num. 4. *Cùm ergo*, ait, *in sua corruptione pereunt, nihil aliud, quàm pœnas luunt eius calamitatis, in quam ipsius Prædestinatione lapsus est Adam, ac posteros suos præcipites secum traxit. An non itaque iniustus, qui creaturis suis tam crudeliter illudit? Fateor sanè in hanc, quā nunc illigati sūt conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse vniuersos filios Adam.*

682 Porrò antequam commentum hoc, & blasphemiam oppugnem, semper supponēdum est non posse creaturam rationalem fortunam æternæ vitæ sibi fingere absque vllo Dei antecedenti decreto promissorio, & gratuito, quo eam voluerit eleuare ad tale posse: ac cōsequenter absq; etiā decreto efficaci dādi ei gratiā, qua detur, siue posse, siue etiam operari vt §. antecedenti probatum est contra Pelagianos, & Semipelagianos. Quod ergo impugnandum remanet, est, tale fuisse in Deo decretum, vt non relictum fuerit Adami, & Angelorum libertati, siue fortunam, sibi gratis oblatam, dono gratiæ fretus, acceptare: siue mortem comminatam sua libertate amplecti: & sola Dei efficaci, ac præcedenti voluntate euenisse, vt alii ad vitam, alii ad mortem infallibili extrinseca necessitate tenderent. His præhabitis.

683 Refellitur primò hæreticorum istorum figmentum ex illo Ecclesiast. 15. *Deus ab initio cōstituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: Adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te: apposuit tibi ignem, & aquā, ad quod volueris porrige manū tuā: ante hominē vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei dabitur illi.* Ex quo triplici iaculo cōfoditur horū hæreticorū error. Primò quidē illis verbis, *Deus ab initio constituit hominē*, per quæ non poterunt negare hæretici significari creationem hominis secundùm intrinseca, & cōsequēter secundùm sibi intrinsecā libertatem, *& reliquit*, subiungitur, *eum in manu consilij sui.* Dicant nunc isti Scripturarum extorrores, quid est illud, *reliquit eum*, &c. numquid relictum fuisse in, & cum sola libertate intrinseca, & indifferentia actus primi ex se? & quis cæcutit ita, vt nō videat neminē cōsulere posse de suo actu primo, quē nec auferre, nec diminuere in potestate habet: sed de hoc, vel illo actu secundo? an nō viderūt infinities in Scriptura per nomē manus significari opera? nūquid nāq; (vt à præsenti loco nō recedā,) manu apprehēdimus vitā, vel mortem æternā, an potius merito operū? cùm ergo dicitur, *ad quod volueris porrige manum tuam*, nomine manus opus significatur. Illud ergo, *reliquit eū in manu consilij sui*, non significat, quòd reliquerit illū cum sola indifferentia actus primi, sed reliquit sibi consulendum per se ipsum in opere: atqui consiliari homo non potest, vbi ineuitabiliter necessitatur ad opus: siue enim cōsilietur, siue non, tale erit opus ex necessitate: ac consequenter vanum, superfluum, & deridendum esset consilium; vel ergo dicere coguntur isti hæretici, quòd Deus deridendum consilium reliquit in homine, atque quòd reuera non reliquit in manu consilij sui, sed in præcisa manu necessitate ipsius Dei, & ita Deum facient falsò loquentem: vel volentes, nolentes concedere tenentur Deum sua Prædestinatione nō necessitasse Adamum, & Angelos in actu secundo: sed eos reliquisse liberè operaturos ex proprio ipsorum consilio. Secundò consideranda appono subsequentia verba, *Apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam*. Et; *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi*. Vbi sermonem esse de operibus, non de solo actu primo, nemo nō videt: in actu enim primo vtrumq; potest, actus autem secundi non possunt esse simul, sed vnus, vel alter; cùm ergo dicitur, *ad quod volueris, porrige manū tuā*: &, *quod placuerit ei, dabitur illi*, de opere hoc, vel illo est sermo: sed necessitatus ad vnum, & non habens proximum posse ad aliud, non habet ante se, seu in suo posse, vnum vel alterum; ergo non esset verùm, quòd Deus, postquam creauit hominem, posuit ante

illum

illis vitam, & mortem, bonum, & malum; sed solummodò mortem, & malum, quoniam suo decreto necessitante, vnum solum opus, ante hominem posuisset. Tertiò tandem in vltimis verbis non dicitur, quod dabitur ei, placebit illi: sed econtra, *quod placuerit ei, dabitur illi*, vt significetur homini dari vitam, vel mortem, bonum, aut malum; quia ita placuit ei; atqui per hæreticos istos priùs est, quòd Deus suo decreto necessitante voluerit dare mortem homini, & deinde, quòd ei operanti placuerit; ergo isti hæretici oppositum, ex diametro docent, quàm doceat nos Scriptura, & Deus.

684 Similia antecedenti sunt plurima alia Scripturæ loca, quæ, & si dicantur de homine lapso, multò magis erunt vera de homine integro; in quo solo vmbram aliquã remotam libertatis admittunt isti hæretici. Talis est locus ille Genesis 4. *Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Agitur ne hic de posse duntaxat vtrumlibet in actu primo, & ex se, an de actualitate operis? Nemo sanè recipiet, quia potest benè agere, sed quia actu benè agit: sicut nec peccatum adest, quia & mala agere potest, sed cùm ita agit: nec sub homine, & illius dominio est habere, vel non habere posse, sed frænare actus secundos appetitus, aut non frænare.

685 Vt autem ab vltimis verbis incipiam, istos hæreticos percontor, quid importet per eos aliquid esse sub potestate, & dominio alicuius? Numquid Dominum dicent, vt ambulet, vel currat, vni deuinctum strictis ligaminibus loco, licèt extrinsecis, eò quòd ex se, ab illis expeditus, posset? Dominum actù vocabunt extrinseca necessitate seruum, quia ab intrinseco tali seruitutis necessitate caret? quis nisi insensatus hæc diceret? quomodò ergo dicendus est liber homo in opere, dum non exit ad opus, nisi, extrinseco quidem Dei decreto, sed necessitante, ad illud deuinctus trahatur? ad summum dici posset liber in actu primo, sed non liberè operari actum secundum. Rursus (vt ad priora verba reditum faciã) si in opera homo non prorumpit, nisi antecedenti decreto necessitatus à Deo ad vnum, deceptoria essent illa verba, *Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* hæc enim verba, vel dicuntur de vno, vel, si de omnibus, ideò sub nomine vnius, vt comprehendant singulos homines singillatim acceptos; ac consequenter supponunt in vnoquoque seorsim sumpto expeditum posse, vt ab eo sit, aut opus bonum, aut malum: non est autem Deus, sicut homo mendax; non sunt ergo illa verba deceptoria, sed Lutherus, & Caluinus, in quorum falso dogmate nemo dicitur habere expeditum posse ad vnum, vel alterum, sed necessitatem ad vnum.

686 In hoc ipso clariùs falsitatis conuincũtur iidem hæretici ex illo Deuteronomij 36. *Testes inuoco hodie Cælum, & Terram, quòd proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem: elige ergo vitam.* Vbi eadem phrasi post propositionem omnibus factam, quasi vni sic loquutum, dicitur: *Elige ergo vitam*, vt significetur, cuicumque singillatim fieri adhortationem electionis vitæ; ac pari modo ex illo Matthæi 12. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* Si enim homo in opere nõ potest, nisi vnum, ad quod prænecessitatur extrinsecè à Deo, quænam, nisi illusoria poterit esse adhortatio positiua ad bonum, præcipuè illius, qui fuit prænecessitatus ad malum? non minùs, quàm si Princeps tenens aliquem in vinculis hortetur, vt ei inseruiat in bello, in iisdem vinculis sistens? & ego certè vellem experiri, verùm, si ita cum aliquo ex istis hæreticis se gereret Princeps, cum laudaret potentiæ, an potiùs, saltem tacitè, accusaret crudelitatis, & iniustitiæ, si præcipuè pœnam mortis tali hæretico non aliunde reo, nisi quia vinculatus non posset obedire, comminaretur?

687 Insuper an laude dignum existiment isti hæretici eum, qui potẽs in actu primo, ex se furari, non furatur, quia aliunde impeditur, & necessitatur? mirum sanè, si tanta stoliditate teneantur. Non ergo de solo actu primo remoto sunt illa verba Ecclesiastici laudantis iustum cap. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Propter quod sunt stabilita bona illius in Domino; sed de tali potentia ad trãsgredi, & facere mala, quæ non aliunde, sed propria iusti voluntate, & libertate fuit coarctata à malo, & ideò talis laudatur voluntas.

688 Occludit tandem pestilens horum hæreticorum os Apostolus prima ad Corinth. 7. in illis verbis: *Non habens necessitatem, potestatem habens suæ voluntatis, quod vult faciat.* Non enim dicit Apostolus, quod vult, vel quod vellet, potest facere, vt explicari valeat sit de posse remoto, sed, *quod vult*, ait, *faciat*, vndè sermonem habet de actu ipso secundo, significans nullam esse necessitatẽ, sed meram voluntatis potestatem, vt nubat,

vel non nubat: atque adeò quidquid horũ pro suo arbitrio faciat, prout potest, non peccet homo: Quid ergo dicitis vos perfidi hæretici, etiam Adamum ante peccatũ necessitāte extrinseco decreto vnum solùm in opere potuisse? nonne conuincimini Antipaulistæ?

689 Refellitur secundò idem hæreticorum commentum, præcipuè, prout spectat lapsum Adæ, & spiritualem creaturæ rationalis interitum, quã etiam volunt, vt impudentiùs loquitur Caluinus ex horribili quidem, sed non negando Dei efficaci, & antecedenti decreto: tum illo Ecclesiast. 15. *Non dixeris, per Deum abest: quæ enim odit ne feceris, non dicas, ille me implanauit*: vbi sermonem esse de absentia boni operis, & implanatione in peccata neminem credo latere: hæc enim Deũ odio habere clamat Psalmista Psalmo 5. versiculo 5: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*: & Psalmo 44. versic. 8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*: Prouerbiorum etiam 15. id ipsũ docetur, dum dicitur, *Abominatio est Domino via impij*. Quænam autem est cogitabilis maior implanatio, quàm necessitare hominem ad peccata, & ad carentiam boni operis? si ergo non per Deum abest bonum opus, nec ipse hominem implanat in vitia, ad neutrum ex his necessitat. Tum 2. ex illo Oseę 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum*: si autem non minùs Deus suo efficaci, & prænecessitante decreto præuellet perditionem, quàm liberationem, siue auxiliari homini, quomodò perditio ex Israel dumtaxat diceretur, & auxilium à Domino Deo: nonne particula illa, *tantummodò in me auxilium tuum*, excludit Dei influxum in perditionem Israelis? Tum 3. ex Ezechiele 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & nõ vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Et deindè *Quare moriemini domus Israel, quia nolò mortẽ peccatoris, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite*. Cap. itẽ 33. *Viuo ego, dicit Dñs, nolo mortẽ impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat*. Clamat Dominus Deus iure iurando, *Nolo mortẽ impij*. Clamãt Lutherus, & Caluinus, *Fateor sanè in hãc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriã, Dei volũtate decidisse vniuersos filios Adã*. Sũt ne isti Sacrę Scripturæ Asseclę, an Adulteri, & Mendaces, filij Diaboli?

690 Video iam his Scripturæ locis posse veritatis Oppugnatores occurrere dicentes, quòd, cùm Dominus clamat: *Nolo mortem peccatoris*; & *quare moriemini filij Israel, &c.* sermonem non dirigit ad eos, qui moriuntur, sed ad Israel Euangelicum, & Electos, quos de facto efficaciter vult non fore morituros, & nõ morientur. Sed in primis hæc responsio nullatenus locum habet ad vim argumenti diminuendam, prout refert verba Ecclesiastici, & Oseæ, vt cuicumque patet. Secundò dico, quòd & si loca Ezechielis allegoricè dicta sint de Israel in nouo Testamento, non per hoc tamen aufertur veritas historiæ, & fidelitas diuinæ promissionis respectu Israel, etiam veteris Testamenti; in capite namque 18. contra eos loquitur Dominus, qui dicebant ex Filijs Israel, *Non est æqua via Domini*, id in eo fũdantes, quòd, *Patres nostri*, vt in Prouerbio tunc erat, *Comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*: quos reprehendens Dominus, inter alia per os Ezechielis sic loquitur, *Et dicunt filij Israel non est æqua via Domini, numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, & nõ magis viæ vestræ prauæ? Id circò vnumquemque iuxtà vias suas iudicabo, domus Israel, ait Dominus Deus, conuertimini, & agite pœnitentiam, &c.* & *quare moriemini domus Israel, &c.* Eos ergo, qui ita tunc temporis impiè conquerebantur, monebat Dominus simul, & hortabatur, vt conuerterẽtur, & non morerentur, aliàs subdolè, & falsò illis per os Ezechielis fiebat ista adhortatio, & promissio, quod est impium. Pari modo in cap. 33. mittitur à Domino Propheta contra eosdem, qui dicebant, *Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis, nos tabescimus, quomodò ergo viuere poterimus?* Dominus autem sic iubet Prophetæ, *Dic ad eos, viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, &c.* Ne ergo dicatur, falsò hæc fuisse ad illum populum à Propheta dicta, debent talia Scripturæ loca quoad historicam promissionem etiã intelligi de illo populo, qui in iniquitate sua moriebatur: quamuis quoad sensum allegoricum dirigebantur eadem verba ad Israel noui Testamenti, vt contra Iulianum Pelagianum, ex his Ezechielis capitibus, improbantem originale peccatũ, benè probat Augustinus.

691 Nec tamen hic, vt Caluinistas rubore suffundam, tacere debeo eorum Magistri confusionem, atque inconstantiam: Idem namque Caluinus, qui numquam sibimetipsi constans fuit, oppositum antecedenti doctrinæ nón semel volens, nolens compulsus est edicere: nam lib. 2. cap. 1. num. 6. ita scribit, *Naturam verò illic notari; non vt à Deo condita est, sed vt in Adam vitiata fuit, facilè colligitur: quia minimè consentaneum esset Deum fieri mortis Authorem.* Et numer. 11. *Quomodò*, inquit, *creaturæ omnium nobilissimæ infensus esset Deus, cui placent infima quæque opera sua? sed operis sui corruptioni magis infensus est, quàm operi suo.* Et iterum capit. 16. num.

16. num. 3. *Vtcumque enim*, ait, *peccatores vitio nostro simus, manemus tamen eius creaturæ: vtcumque mortem nobis adsciuerimus, ipse tamẽ nos ad vitam condiderat*. Quomodò autem ista concordent cum iis, quæ ex eodem Caluino attuli num. 682. *Decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam: decretum quidẽ horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit*. Et, *Cùm in sua corruptione pereunt, nihil aliud, quàm pœnas luunt eius calamitatis, in quam ipsius Prædestinatione lapsus est Adam, ac posteros suos præcipites secum traxit. Fateor in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse vniuersos filios Adam*. Atque *consilio, nutuq; suo ita iudicat, vt inter homines nascãtur ab vtero certa morti deuoti, &c.* videant, qui talem versipellem habere Magistrum non erubescunt. Ego interim ad authoritates Diui Augustini gradum facio.

692 Refellitur ergo idẽ error tertiò ex Augustino, quem solùm inter omnes Sanctos Patres isti hæretici, tamquam fidum Scripturarum Inteprętem, profitentur; & quidem plurimis euidentissimis testimoniis. Primò ergo, quòd Augustinus libertatem, quàm habuit Adam ante lapsum, non posuerit, vt Lutherus fingunt, & Caluinus, in præcisa intrinseca indifferentia voluntatis ad vtrumlibet: sed præterea requisierit posse proximum, etiam spectatis iis, quæ ab extrinseco requiruntur: ac carentiam necessitatis ad vnum, satis liquere cuilibet potest ex iis, quæ docet lib. de Correctione, & Gratia a cap. 10. vsque ad 14. præcipue verò cùm loquens de auxilio diuino dato eidem à Deo, cùm primò creatus fuit, sic habet cap. 11. *Tale quippe erat adiutoriũ, quod desereret, cùm vellet; in quo permaneret, si vellet. Posset ergo permanere, si vellet, quia deerat adiutorium, per quod posset, sed quia noluit permanere; profectò eius culpa est, &c.* Qui ergo permanere noluit, poterat permanere, si voluisset, non solum ratione intrinsecæ indifferentiæ naturæ, vt chimęrizant isti hęretici, sed etiam post Dei decretum; aliter gratia, & auxilium illi superadditum non dedisset vi sua potuisse permanere, si voluisset: imò frustra post decretũ data fuisset ei, qui iam supponebatur ita necessitatus, vt nullo auxilio permanere potuisset. Quod clariùs euincitur ex iis, quæ post pauca subdit. *Si autem hoc adiutorium*, ait, *vel Angelo, vel homini, quamprimùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent*. Vident ne hæretici isti, quòd non sufficit ex Augustino sola intrinseca indifferentia naturæ ad liberè operari, sed requiritur præterea, vt hic, & nunc proximè possit voluntas vtrũlibet, taliter, quòd, si naturæ ex se indifferenti ad vtrumlibet, deficiat adiutorium Dei, quia sine eo non posset proximè operari bonum, sed esset necessitata ad malum, non vtique sua culpa cecidissent Adam, & Angeli, qui ceciderunt. Si ergo per Dei decretum fuisset voluntas Adami necessitata ad casum, nõ minùs, quàm per carentiam auxilii, imò fortiùs, & potentius, non vtique ex Augustino sua culpa cecidisset: decretum quippe Dei id effecisset, cum quo non poterat non deficere, & bonum operari non poterat, si voluisset.

693 Rursus ex Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. habetur, *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei resisti potest, sine peccato ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur, an forte fallit incautum? ergo caueat, ne fallatur; an tanta fallacia est, vt caueri omninò non possit? si ita est, nulla peccata sunt, quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest?* Atqui nemo resistere, aut vllo modo cauere potest necessitatem prouenientem ab efficaci Dei voluntate; ergo si talis præcederet necessitas in operibus voluntatis, nec peccata, nec vlla libertas, etiam in Adamo ante lapsum fuisset.

694 Possent hìc, tergiuersando respondere hæretici, quòd Augustinus loquitur de causa necessitante per coactionem, & violentiam: non verò de quacumque causa necessitante: antecedenter namque ad relata verba dixerat, *An fortè violenta est illa causa peccati; & cogit inuitum?* & deindè subdit; *quæcumque ista est causa voluntatis, &c.*

695 Sed similem voluntariam respõsionem exhibitam iisdem Augustini verbis retuli num. 192. vbi in subsequentibus crederem, quòd non tam eam ad sufficientiam refutauerim, verùm etiam, quòd radicitus expugnauerim. Videat Lector quæ ibidem dico, non enim sunt denuo eadem hic replicanda.

696 Insuper eodem præcitato libro cap. 25. *Quia voluntatem*, inquit, *non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquid visum: quid autem quisque sumat, vel respuat, est in potestate: sed quo visu tangatur, nulla potestas est*. Quomodò etiam loquitur lib. de Spiritu, & littera cap. 34. *Visorum*, ait, *suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, vbi nemo habet in potestate sua quid ei veniat in mentem: sed dissentire, vel assentiri propriæ voluntatis est*. Indifferentiam porrò habere ex se hominẽ, vt cogitet, vel non cogitet, siue vt cogitet hoc, aut illud obiectum, non minùs, quàm

quàm, vt amplectatur, vel non amplectatur, siue vt amplectatur hoc, aut illud obiectū, nemo est, qui compertum non habeat. Quid ergo est, quod Augustinus negat esse in potestate hominis, cuius obiecti visu, siue cogitatione tangatur? esse vero in eiusdem potestate, vt sumat, vel respuat, siue vt assentiatur, aut dissentiat: nisi quòd præter indifferentiam intrinsecam ex se, aliam in opere agnosci voluntatis, quam negat in antecedenti cogitatione intellectus: quāque etiam requirit, vt dicatur homo sua potestate, & liberè operari?

697 Tandem, ne supra quàm par est, prolixus sim, lib. de Natura, & Gratia cap. 65. referens quoddam sibi a Pelagianis ex doctrina Hieronymi obiectum, nimirum, *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioqui, vbi necessitas, nec corona est*. Et quidem Pelagiani ab Augustino non expostebant libertatē à coactione, sed prætendebant naturam hominis non indigere gratia, vt possit per seipsam prorumpere, siue ad bonum, siue ad malum, quæ est libertas à necessitate; subsequentibus respondit verbis, *Quis non agnoscat, quis non toto corde suscipiat, quis aliter conditam humanam neget esse naturam? sed in rectè faciendo, ideò nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis*. Cernunt, credo, Lutherani, & Caluinistæ, quantùm distent eorum errores a Catholico sensu Augustini, quem, vt fidum Scripturarum Interpretem proclamant eorum fabulatores Magistri. Ille toto corde suscipiendum docet, *Nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur*, & ita, *conditam humanam esse naturam*: isti ex opposito dicunt trahi necessitate prouenienti ne ab extrinseco Ille admittit, *In rectè faciendo ideò nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis*: isti vndè Augustinus excludit vinculum necessitatis, indè omninò afferunt necessitatem, nimirum a Deo nos necessitari siue ad virtutes, siue ad vitia.

698 His tamen omnibus, tam euidentibus, Augustini locis, illudendo potius, quàm respondendo, quasi puerulos alloquens, Caluinus ita occurrit insulsè, quòd Augustinus in illis, & similibus locis vsus fuerit terminis ab aduersantibus sibi concessis, non vt proprijs; vel quod deinde se retractauerit, contrarium docendo, vt infra probare prætendit.

699 Sed loqui Augustinum ex proprio sensu, & non vtendo ab alijs concessis, euidēter cuicumque loca consideranti patere potest, præcipuè vltimum, dum dicit, *Quis non agnoscat, quis non toto corde suscipiat, quis aliter conditam humanam neget esse naturā?* Quibus addo hoc ipsum, tamquam articulum fidei definisse Augustinum lib. 3. Hypognosti. on circa principium; audiant nūc isti versipelles Augustini verba, *Ipsum igitur*, ait, *liberum arbitrium hominibus esse certa fide credimus, & prædicamus indubitanter*: est ne hoc vti terminis ab Aduersarijs concessis, an alacritate fidei proprio fateri sensu? Ne tamen aufugium quærant isti hæretici, sub remota libertate intrinsecæ indifferētiæ: audiant quid subiungat, *Sed cur dicatur*, subdit, *liberum arbitrium, est paululum differendū; arbitrium ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat, quidue recuset, puto quòd nomen accepit: vel ideò liberum arbitrium dictum, quòd in sua positum sit potestate, habens agendi, quod velit, possibilitatem*. Non ergo possibilitatem admittit pure remotam, & quoad sola intrinseca ex se, vt confingunt hæretici isti, sed quoad actus secundos, & motus actuales; *Quod est*, inquit Sanctus Doctor, *vitalis, & rationalis animæ motus*. Quòd verò, nescientes vndè vertantur, addunt Augustinum præcedentem doctrinam retractasse, deberent, afferendo locum retractationis, probare, non pro libitu dicere. Et ego num. 192. ostendi in hac doctrina non solùm semper fuisse constantem, tamquam fidissimum Catholicum in doctrina Catholica, verùm etiam in libris ipsis retractationū non semel ratificasse. Cæterùm loca, quibus hæretici vtuntur pro eorum falso dogmate authoritate tanti Doctoris substinendo, quam distortè, & ad propriū sensum, à regione oppositum sensui Augustini, accipiantur, atque accommodentur, infra ostendam. Hæc sufficiant pro nunc ex Augustino, latius de eodem locuturus §. subsequenti, cum agam de libertate hominis post lapsum.

700 Refellitur tandem idem figmentum horum hæreticorum ratione, & discursu, quo vtitur Angelicus Doctor quæst. 6. de Veritate articulo vnico, vt probet in homine libertatē electionis. Ita ergo discurro. Sicut in homine datur potentia cognoscitiua, tum sensuum, tum intellectus, secūdùm quas potens est ex se nunc vnum, nunc aliud sentire, aut cognoscere, ac consequēter cum intrinseca indifferentia sentiendi, & cognoscendi, siue hoc, siue illud: & ad has cognoscitiuas potentias sequuntur suæ proportionatæ potentiæ appetitiuæ, nempè ad cognoscitiuam sensitiuam appetitus sensitiuus, ad cognoscitiuam rationalem appetitus rationalis, qui dicitur voluntas: ita in brutis datur ex parte potentia cognoscitiua sensitiua cum suo proportionato appetitu,

ritu, quæ nec semper feruntur ad omnia sensibilia, nec semper ad idem: sed nunc ad vnum, nunc ad aliud: ac consequenter indifferentiam etiam intrinsecam habēt bruta tendendi siue ad hoc, siue ad illud sensibile suis potentijs sensitiuis: & ab aliquo determinanda erunt, vt hic, & nunc potiùs ad vnum, quàm ad aliud sensibile tendant. Non differunt autem inter se bruta, & homo ex hoc præcisè, quia bruta per sensus non se extendunt, nisi ad sensibiles qualitates: homo verò per intellectum, & volūtatem plus se extendit, nempe ad omne aliud obiectum: sic enim homo non differret, nisi quasi purè extensiuè à brutis: cæterùm in modo operandi traherētur homines, more brutorum, necessitati ad vnum aliunde, & non se ipsos ex se ipsis determinantes: atque adeò, sicut bruta, licèt non careant indifferentia intrinseca ad plura, non tamen ideò in ordine ad illa dicuntur libera, & liberè operari, propterea, quòd, proposito illis per sensum vno obiecto, naturali pondere ita trahuntur, vt potestatem non habeant ab illo abstinere: ita homines nec vllo modo, nisi ad summum magis extensiuè præ brutis, dici possent liberi, & liberè operari, si non se ipsos ex se ipsis determinarent: sed pondere quodam extrinseco ita ad vnum traherentur, vt ab illo abstinere non possent. Imò, ni fallor, perfectiora quoad modum operādi essent bruta, quàm homo: nam illa vi cognitionis sensitiuæ intrinsecæ exirent ad opus: homo verò nulla vi intrinseca esset actuabilis ad opus, sed à decreto Dei omninò extrinseco foret actuandus: & ita ex se esset magis in potentia, quàm bruta.

701 Differunt ergo præterea, & non in vno, sed in pluribus. Primò quidem, quòd, cùm sensus sint solùm circa singularia, & præsentia, vt talia: non enim auditur, non videtur, non tangitur, non odoratur, non gustatur, nisi tale singulare, & existens: nūquam verò vniuersale, nec præteritum, aut futurum: & iuxta hāc cognitionē sequatur appetitus, bruta nō percipiunt, nec appetūt, nisi singularia, & præsentia. Cùm verò intellectus sit etiam de rationibus vniuersalibus, & de obiectis etiam præteritis, & futuris: & talis sequatur appetitus rationalis, homo præ brutis intelligit, & vult non tam singularia, sed etiam vniuersalia, & non tam præsentia, sed etiam præterita, & futura. Secundò, quia sensus, & appetitus, ad illum sequens, non attingunt in rebus, nisi esse absolutum, ad quod naturali quodā pondere inclinationis, vel fugæ feruntur: cæterùm omnē prorsus sensuum operationem subterfugiunt respectus, & relationes, siue vtilitatis, & conuenientiæ, siue inutilitatis, & disconuenientiæ ad subiectum, quas includunt eædem res. Non ita intellectus, & voluntas, quibus etiam subduntur proportionaliter tales respectus physici rerum. Tertiò, in quo præcipuè differunt sensus, & appetitus sensitiuus ab intellectu, & voluntate, illud est, quòd, cùm sphæra obiecti sensuum non progrediatur terminum aliquarum qualitatum secundùm purum esse physicum, nullatenùs verò percipiant rerum moralitates, nimirum conformitatem, siue disconformitatem ad debitas operandi regulas, aut ad causas superiores, illas præcipientes, vel prohibentes: & esse physicum similium qualitatum non possit esse simul bonum, & malum physicè in se absolutè, vel eidem sensui: hinc est, quòd sensus, posita sensatione obiecti, non remanet indifferens, sed determinatus, vel ad amplectendum, si per sensationem trahitur: vel ad fugiendum, si sensatio reddit illud ingratum. Intellectus econtra, ad quē sequitur potentia volitiua, potest simul in eadem re cognoscere, & bonitatem physicā v.g. delectabilitatis: & similem physicam malitiam, quòd obsit sanitati: & non solùm hoc, sed, quòd aliquādo physicè delectabile, sit moraliter malū, nimirum prohibitum à causa superiori sub pœna indignationis, aliarumque commninatarum mulctationum: vndè voluntas illine ad rem amplectendam allicitur: hinc ad fugam propellitur: ex quo necesse est voluntatem, quæ sequitur ad potentiam intellectiuam, ex se indifferentem esse in ordine ad sua obiecta, vt velit hoc, vel illud, quando æquè sunt volibilia, & vnum velle sufficit: aut, vt idem velit, vel nolit. Hæc tam clara sunt, vt non credam, vel vnum reperiri posse hominem, rationis cōpotem, qui perspecta nō habeat. Quartò tādem, in quo cum hæreticis istis, & ex parte cum Catholicis disputamus, aliam inter appetitum sensitiuum, & appetitum rationalem cognoscunt Catholici omnes differentiam, quā negant isti hæretici: illi enim agnoscunt, & fide profitentur voluntatē in suos actus non fore ita ab alio determinandam, vt sicut bruta, necessitentur ad vnum ab alia causa exteriori, nec etiam interiori: sed à se ipsa, & proprio marte esse determinādā: quāuis inter Catholicos sint, qui sentiant voluntatem determinari à se, non excludere hoc, quod est determinari à Deo: alij verò hoc assertum etiam negent, cum quibus & ego, vt in superioribus, dum decreta prædeterminatiua voluntatis creatæ

ad

ad actus liberos oppugnabam, satis dictum est. Hæretici autem isti totũ constitutiuum libertatis creatæ in eo constituunt, quòd voluntas ex se sit indifferens ad bonum, vel ad malum; cæterùm non obesse dicunt libertati Adami ante peccatum, & Angelorum, si, vt exeat in opus non sit nullatenus à se ad vnum determinanda, sed à Deo suo decreto necessitanda, etiam ad malum.

702 Contra hos autem præcipuè, & ex parte contra prædictos Catholicos, tũ ex modò dictis, tum aliis motiuis, à ratione ductis, sic arguo. Primò, quia, si voluntas creata non posset exire in opus actu, nisi vel necessitata, vel determinata priùs à diuino decreto, esset in modo operandi imperfectior sensu, & pluribus, imò omnibus causis necessariis: quia fœcunditas in opere est perfectio: ista autem fœcunditas non stat sine determinatione agentis: atqui sensus, & causæ necessariæ habent ab intrinseco determinationem operis, & eam non haberet voluntas, nisi ab extrinseco; ergo illa perfectiora essent quoad hoc, volũtate. Quòd autem dicatur voluntas etiam à se ipsa determinari secundò, sæpè ostendi id esse chimæricum: nam vel Dei decretum trahit per se hanc secundam determinationẽ, & ita etiam ista à Deo est in voluntate, & superfluit: vel non trahit, & determinatio Dei ex se non esset efficax: quia sine determinatione voluntatis creatæ non efficitur opus liberũ; ergo, si hæc non est ex efficacia decreti, neque opus erit ex eiusdẽ efficacia. Secundò, quia creatura rationalis prædita est consilio in operari, quo, antequam in opus exeat, res ad inuicem comparat, vt quid amplectendum sit, seligat, id ipsum omnes experientia docente: istud autem consilium essentialiter superfluum, & superuacaneum esset, si voluntas esset à Deo, vel necessitanda, vel determinanda ad opus: quandoquidem stante hac determinatione, non aliter posset esse opus, ac fuit prædeterminatum: &, si consilium esset in oppositum, opus secundùm decretum Dei, non secundùm voluntatis consilium exiret; ergo omninò superuacat hæc perfectio cõsilii, si ab alio, voluntatẽ ipsam necessitante, vel infallibilitante, esset determinandum opus. Tertiò etiam ab experientia, nemo oculum mouet, aut manũ, siue quodlibet aliud membrum, nisi volens; ergo voluntas est ita suo motu regens alias potentias, vt istæ non exeant in actum ex præcisa extrinseca determinatione Dei, sed vt determinanda ab ipsa voluntate: atqui hæc subiectio potentiarum voluntati impertinens esset, si ipsa, vt determinet easdem potentias, ab illo esset determinanda: superflua enim poneretur intermedia volitio ad determinandas cæteras potẽtias, si à Deo hæc est expectanda siue in vno, siue in alio; ergo non Deo, sed à voluntate determinandæ sunt potentiæ reliquæ, & ipsa per se ipsam. Quartò tandem à priori, quia Deus potest communicare creaturæ per participationem omnes perfectiones, quæ creaturam non abstrahunt ab essentiali pendentia ab ipso, nec eleuant ad infinitatem: cùm quælibet perfectio creaturæ aliud non sit, quàm effectiua participatio perfectionum Dei: voluntatem autẽ creatam determinare se ad opus suum liberum finitum, non inuoluere formaliter infinitatem, nemo non videt: nec item inuoluere causaliter ex eo, quòd veluti à se determinans se ipsam, excludat subiectionẽ, & dependentiam à Deo, clarissimè probatur: quia voluntatem creatam determinare se non dicit agere, Deo non agente, vel determinationem suam antecedere velle Dei: sed solùm dicit, quòd Deus non præuoluerit vnum, sed vel hoc, vel aliud; ergo quodcumque agat voluntas creata, agit, Deo præuolente, & non aliter agere posset; ergo includit essentialiter, tantùm abest, vt excludat dependentiam à Deo, vt prima causa præuolente.

703 Dices hoc ipsum importare imperfectionẽ in Deo, quòd Deus velit indeterminatè hoc, vel illud, nesciens ex se, quid vi suæ voluntatis erit determinatè facturus, sed determinationem expectet à creata voluntate. Sed pro hac refutanda responsione nõ sunt mihi hic repetenda, quæ alibi contra eamdem attuli, videat ea Lector à numero 518. vsque 525. exclusiuè: ex ibi enim dictis patebit non solùm nõ importare imperfectionem in Deo, verùm etiam addere ex suo conceptu perfectionem extensionis dominij in creaturam hoc, quod est Deum non determinare volũtatem creatam. Nec item propterea dici posse indeterminatum, sed determinatum ex se, indeterminata existentia conditionis ad effectum, sicut se gerit in omnibus promissionibus, & comminationibus. Rursus nec propterea nescire quid facturus sit vi sui decreti, sed solùm, quòd in causa creata, vt libera, nullã videt cõnexionẽ specialem cum hoc effectu potiùs, vel alio: ac tandem nec inde Deum fore determinandum, vel expectaturũ suã determinationem à voluntate creata: sed largo modo expectare, quid velit creatura, eo modo, quo in Scriptura dicitur, *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas*.

704 Ex

704 Ex his nunc patet vanitas eorum, quæ sua solita procacitate inculcat suis asseclis Caluinus, illotum garriens auribus. Quid namque est, quod somnians asserit, nimirũ, quòd dũ agitur de libertate Adami, *Intempestiuè quæstio ingeritur de occulta Prædestinatione Dei, quia non agitur, quid accidere potuerit, nec ne: sed qualis fuerit hominis natura?* Intempestiua est ne quæstio illius, quod, si ponitur tale, quale ponitur à Caluino, Adami libertas alia non fuisset, nisi more brutorum, quæ etiam sunt ex se indifferẽtia ad plura? intempestiua est ne illa quæstio, qua non resoluta, nulla prorsus stare posset ratio meriti, vel demeriti, vt dici possit, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Sicut docemur ab Apostolo ad Romanos 5? vbi namq; homo hic, & nunc nõ operatur liberè, nec peccare, nec mereri potest; non enim ratione solius intrinsecæ indifferentiæ, quam habent etiam bruta, potest homo mereri, vel demereri; aliàs possent etiam mereri, vel demereri bruta. Intempestiua est ne illa quæstio, quæ resoluta, sicut eam resoluit Caluinus, destruit radicitus sui ipsius suppositum? Ea namq; potentia, quæ qualis est, numquam potest reduci ad actum, impotentia, non potentia dici potest, imò chimæra, & figmentũ est in natura: quomodò ergo componi poterunt, quod Adam fuit ita ex se liber, vt ex se potuerit eligere siue bonum, siue malum, si numquam ex se alterum eligere potuisset: sed Prædestinatione, necessitante ad vnum, esset essentialiter prędeterminãdus, tamquam creatura pendens essentialiter à Deo in operari?

705 Ridiculosiùs est autem illud aliud argumentũ, quod paucis illis insinuare vult verbis lib. 3. cap. 23. num. 7. *Liberi arbitrij Adamum fuisse dicunt, vt fortunam ipse sibi fingeret: Deum verò nihil destinasse, nisi vt pro merito eum tractaret.* Quid enim vult in illis verbis contra Catholicos innuere? quod isti forsan asseuerent Adamum sine gratia indebita, & eleuante vires naturales arbitrij, potuerit per solas naturales vires fortunam æternæ vitæ sibi mereri? Catholicorum nõ est assertum hoc, sed Pelagianorum, quos, sicut & Caluinum, tamquam hæreticos dãnamus: an verò, quòd Adamo, per gratiam iam eleuato, relictum fuerit, vt ad quod voluerit siue ad vitam, siue ad mortem porrigat manum suam: & quod id reliquerit Deus in manu consilij sui? si hoc displicet Caluino fateri, & indè Catholicos, id ipsum credẽtes, exprobrat, iam conuincitur Scripturam respuere; quale ergo est, quod sibi tamquam à Catholicis assertum, commẽtum fingit Caluinus, dum subiungit, *Tam frigidum commentum, si accipitur, vbi erit illa omnipotentia, qua secundùm arcanum consilium, quod aliunde non pendet, omnia moderatur?* Numquid non ex Dei voluntate, & arcano consilio diuinæ bonitatis fuit, vt hominem crearet, & finem supernæ, & interminabilis beatitudinis illi præscriberet, si ad eam manus voluerit porrigere: & ad hoc ipsum vires præberet, suis mandatis, & præceptis dirigeret, eumdem relinquendo in manu consilij sui? an tale vult moderamẽ omnipotentiæ diuinæ iste blasphemus, vt moderantem vocare ei libeat diuinam omnipotentiam, cùm immoderatè ageret, sicut ipse confingit? non enim moderatè ageret cum creaturis Deus, si non iuxta modum operandi, quem illis tribuisset: sed sua præcisa voluntate eum illis deindè vellet semper agere: omnia ergo moderatur Deus, quia omnibus sinit suos agere motus eo modo, quo illis virtutem operandi communicauit; & quia creaturam rationalem liberam, & consilio proprio operantem cõdidit, non aliàs dici potest cum ea moderatoris munus exercere, nisi sinendo, vt suo consilio opus suum determinet, non necessitata ab eodem Deo. Nec enim per hoc Dei omnipotentia à creatura quoquo modo pendet, sed hæc vndequaque à Deo pendere conuincitur, in quantùm quidquid agit, & quomodocumque agit, non aliàs agere potest, nisi in quantùm Deus vult, & eo modo, quo vult, vt agat, de quo satis dictum est, cùm contra Thomistarum prædeterminantia decreta agebam.

706 Ex quibus adhuc satis liquet, quàm impudenter, & temerè indè vult Deo attribuere, & non soli Adamo, tamquam in origine, suum, & posterorum interitum vi originalis, ne dicatur Deus, quẽ Scriptura prædicat facere quæcumque vult, ambiguo fine condidisse nobilissimam creaturam. Quis non stupescat de huius hominis sacrilegis cogitationibus, vt indignius iudicet Deo indifferenter se habere ad interitum sempiternum nobilissimæ, quam cõdidit, creaturæ, quàm eam creasse ineuitabiliter addictam cruciatibus sempiternis? Si ergo loquamur de fine proprio, & vltimato Dei, ob quem agit, dico hunc numquã esse ambiguũ, sed semper determinatũ, nẽpè gloriã suã, siue deindè mediũ sit ostẽsio suę bonitatis, siue ostẽsio suę iustitię, *Vniuersa nãq;* ex Prouerb. 16. *propter semetipsum operatus est Dominus, impiũ quoque in die malũ,*

Si verò loquamur de fine proximiori beatitudinis, vel damnationis hominis; assero damnationem nec hominis, nec Dei esse finem: nec enim homo operatur aliquid intendens sui damnationem, nec Deus: sed homini inuitus imponitur, Deus autem in pœnam ex debito peccatorum retribuit, nolens ex se quemlibet perire: at non ita beatitudinem, nam Deus illam siue efficaciter, siue inefficaciter intendit omnibus: vult enim omnes homines saluos fieri: & propterea media præstat: nec necesse est, vt eam determinatè, & efficaciter velit; siuè nolit: nam conuenientissimum est creaturæ rationali suos sinere, iuxtà innatam eius libertatem, agere motus: ac eiusdem bono, vel malo operi præmium, aut pœnam exiberi. Quomodò autem etiam Dei voluntas fiat, cùm creatura contra Dei voluntatem operatur, explicaui ex Augustino num 125. & 176. ne autem eadem hic repetam, videantur ijsdem in locis.

§. QVINTVS.

Figmentum Lutheri, & Caluini circa totalem libertatis humanę interitū ratione originalis peccati profligatur.

707 ILlecebrarum mundi dominatui ita vltro seipsos deuinxere Lutherus, & Caluinus, vt satius iudicauerint tum operibus, tum doctrina similes se fateri iumentis insipiētibus: & belluarum more necessitate operantes, quàm veritati, & disciplinæ Catholicę se submittere: in propriam namque, & totius humani generis conditionē taliter insanierunt, vt post Adæ peccatum specialem liberi arbitrij perfectionē, per quam præcipuè homo eleuatur super omnia iumētorum genera, redditurque naturæ Angelicæ similis, atq; imago Dei, titulum asseruerint esse sine re, imò purum figmentum in rebus: atque, quod scelestius est, nec formidarunt Deum facere, non minùs malorum, quàm bonorum operum Authorem, vt impiè habet Lutherus articulo 36. ad Leonem: & eius discipulus Philippus in Annotationibus super Epistolam ad Roman. *Certum est*, inquit ille, *omnia à Deo fieri: siue bona, siue mala; non solùm permittendo, sed principaliter, & effectiuè: Quemadmodum igitur confitemur vocationē Pauli fuisse propriam opus Dei, ita & adulterium Dauidis, & seuitiam Manlij, atque etiam proditionem Iudæ*.

703 Aduerto autem primò, antequam ad hoc expugnandum scelus accingar, triplicem communiter distingui in Scholis libertatē, sicut etiam ex parte consensit Caluinus, prout videre est supra numero 665. aliam nimirum à necessitate, aliam à peccato, aliam à miseria: his tamen tribus adiungi vult Caluinus, cui deindè se subscripsit Iansenius, libertatē à coactione, ac propterea non vult confundi necessitatem cum coactione, quod perperam fit, ait, à Scholasticis, Catholicos pungere intendēs. Libertas ergo à necessitate iaē est, ac carentia necessitatis in operando; quatenus operans ex se prorumpit in opus: & à nullo ita adstrictum ad vnum, vt in sui potestate non sit illud non operari, vel operari oppositum: & de hac libertate sunt omnia antecedētia loca Scripturæ, allata numero 704. & sequētibus. Secunda libertas à peccato est illa, de qua loquitur Apostolus ad Romanos 6. illis verbis, *Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ*, quia nimirum per Baptismum, de quo ibi sermonē habet Apostolus, *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra nō seruiamus peccato*. Idē ergo est libertas à peccato, ac non esse aliquē obnoxium reatui peccati, per quod incurritur inimicitia cū Deo: & peccans fit sub iure Diaboli, ab eodē mulctandus: hæc autē libertas duplici modo esse potest, aut quia aliquis numquam peccauit, sicut fuit libera Virgo Mater Dei: aut quia fuerit contractum peccatum, & deindè remissum, sicut liberi sunt Sancti, qui fuerunt priùs mortaliter peccantes: & proportionali modo etiam potest distingui libertas, in suo genere, à peccato veniali. Tertia libertas à miseria dicitur absolutio illa, quā homo aliquo modo liber redditur à seruitute, vel dominio propriæ cupiditatis, & concupiscētiarum; quamuis enim istæ ortum in nobis habuerint ex peccato originali, nihilominus, quia adhuc remanēt in hac vita in homine omninò libero à peccato, ideò liberari deindè ab his tertiam cōstituit speciē libertatis, quæ specialiter dicitur à miseria. Dupliciter autē quis liberari potest à dominatu concupiscētiarum, & propriæ cupiditatis: vno modo, vt non trahatur, & vincatur ab illis, etiam si eas exuere non valeat: quo pactò liberi sunt iusti ab

hac

hac miserabili seruitute in hac vita, quæ militia est cum similibus inimicis, nostræ æternæ fœlicitati continuò insidiantibus: in quantùm vincant, non vincuntur ab illis, de qua libertate loquitur Apostolus in eodē cap. 6. ad Romanos cùm dicit; *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Alio modo, vt etiam omninò careat noxijs concupiscentijs: & hoc modo solùm sunt liberi Beati in Patria, de quibus idem Apostolus ad Romanos 8. ait, *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei.*

709 De illo autem quarto genere libertatis à coactione nec Scripturæ, nec Scholastici curant: tum quia impertinens est ad statum creaturæ rationalis, quâ talis, si sermo sit de strictâ acceptione coactionis, prout scilicet importat motum subiecti, non conferentis, seu reluctantis ad ipsum: esse namq; liberum à tali coactione commune est brutis, quæ in operibus sensuum inclinatione, non coactione trahuntur: si verò sermo sit de coactione magis latè sumpta, prout scilicet importat motum fortiter mouentem, secundùm quem modum dicimus fortiter persuasum ad aliquid faciendū coactè, & inuitùs fecisse, iam hæc coactio idem est, ac necessitas, & non cum ea perperam confunditur, vt ineptè loquitur Caluinus: quantùm namque quis fortiùs trahitur ad vnum ex oppositis, eò recedit ab indifferentia ad vtrumlibet: & si ita trahitur, vt nullo modo homo superare possit tractionem, hæc est necessitas opposita libertati indifferentiæ, & potestati vtriuslibet: si verò tractio talis est, vt superari possit ab homine, sed cum difficultate, hæc erit coactio, & necessitas moralis, quæ libertatem indifferentiæ minuit quidē, sed non aufert, cùm retineat posse oppositum. Rursus non curant Scholastici de libertate à rigorosa coactione, quia hæc nec prodest, nec obest merito, vel demerito creaturæ rationalis, cū sit inseparabilis ab operibus voluntatis, quia nimirum omnis actus voluntatis, etiam odium alicuius obiecti, gratus est ipsi voluntati, & non ei reluctanti inest; ac consequenter omnis est essentialiter liber à coactione: ea autem, quæ voluntas habet à sui creatione, nec merito, nec demerito imputati possunt.

710 Benè ergo tres distinguntur, consideratione dignæ, à Scholasticis Catholicis libertates: sed ex illis tribus solùm prima, nimirum libertas indifferentiæ, & à necessitate, fundat rationem moralem meriti, vel demeriti in operante: indè namque operanti tribuitur bonitas, vel malitia operis, tamquam præmiando, vel puniendo, quia vi sui dominij, & potestatis poterat facere, vt sit, vel non sit opus; si ergo quod ponitur, dignum est mercede, hæc ponenti opus tribuenda est: si verò dignum pœna, eidem ponenti opus, reddi debet. Reliquæ autem duæ libertates à peccato, & à miseria, vel sunt dumtaxat dona Dei, quando antecedenter ad nostra opera à Deo tribuuntur: vel simul effectus nostræ libertatis, quando ea suppliciter à Deo impetramus. Vndè tota difficultas circa id, in quo in præsenti Lutherum, & Caluinum oppugnaturus sum, consistit in eo, vt conuincam adhuc in hominibus post lapsum reperiri in operando, siue benè, siue malè, libertatem dictam indifferentiæ, & à necessitate.

711 Aduerto secundò, quæ distingui debent in proxima ratione potentiæ, tali libertate indifferentiæ liberæ, vt illinc appareat, quid de libertate ista amissum fuerit per originale peccatum, etiam de naturalibus: & quid retentum, etiam in ordine ad operandum benè supernaturaliter. In ipsa ergo potentia libera voluntatis secundùm ea, quæ ad ipsam, vt voluntas est, spectant: & præter ea, quæ requiruntur ex parte intellectus, eam dirigentis, & illuminantis: duo præcipuè omni solertia distinguenda sunt: vnum nimirum ipsum posse plura cum indifferentia ad vnum, vel oppositū; & alterum determinatiuitas eiusdem voluntatis ad vnum ex se, & per se ipsam: ista enim duo diuersa sunt inter se, & ambo indiuisibiliter requiruntur ad cōceptum essentialem libertatis; si quidem bruta, & plures causæ necessariæ per se habent indifferentiam ad plura, sed non cum potestate se determinandi: & ideò neque libera sunt in agendo. Rursus vbi non est indifferentia, nec locum habet determinabilitas ad vnum, vel alterum: ergo ista duo sunt separabilia, & ambo essentialiter constant conceptum libertatis, de qua agimus.

712 Hinc fit, vt volūtas aliquādo nō sit libera defectu potentiæ, sicut sine iustitia originali non fuisset liber Adam ad opera bona moralia, quia defecisset illi posse superare concupiscentias, quibus in omnibus trahitur natura in sui commodum: & sine gratia supernaturali eleuante non fuisset liber ad operandum benè supernaturaliter: quia ad opera supernaturalia requiritur posse indebitum, & eleuatiuum naturæ; aliquādo verò voluntas non est libera, non defectu posse, sed defectu propriæ determi-

 nationis,

nationis: sicut non est libera ad actus primò primos, & omnimodè indeliberatos, siue sint actus naturales, sicut sunt inuoluntariæ tentationes: siue supernaturales, sicut est pius affectus voluntatis gratiæ præuenientis: in quibus non voluntas determinat, & deliberat opus, sed aliunde necessitata trahitur.

713 Sed vide nunc quanta differentia sit inter hæc duo: primum, nempè posse, non est adæquatè intrinsecum voluntati, vt patet in prædictis exemplis: imò aliquando completur per extrinseca: sicut ad liberè recitandum officium, vel ad subueniendũ egeno, requiritur Breuiarium, vel commoditas exterior. Secundum verò, nempè libera determinatio operis tota quanta est, à voluntate est: nisi enim voluntati stet determinare opus, vel oppositum, liberè non operabitur; ergo saltem vltima, & proxima determinatio voluntatis ad opus, licèt aliquando debeat supponere posse cõpletum per aliquid extrinsecum, vel etiam aliquid intrinsecè superadditum, ipsa tamẽ non est, nisi ab ipsa entitate voluntatis, determinãtis se ipsam per se ipsam: eo modo, quo omnes experientia compertum habemus, hominis siue interiores, siue exteriores potentias ita subdi voluntatis imperio, vt per hoc determinentur ad suos actus, dũ potentiæ sunt expeditæ, & habent completum posse: si verò his deficit aliquid ex parte virtutis, non possunt per idem voluntatis Imperium determinari; pari ergo modo aliud est voluntatem determinare se ipsam, aliud eamdem voluntatẽ posse operari: sed numquam voluntas potest determinare se in eo, in quo posse non habet completum; non quia deficiat aliquid ex parte determinatiuitatis, quæ cùm non sit ab alio, sed ab ipsamet voluntate per se ipsam, implicat deficere ratione sui, permanente eadem natura voluntatis: sed quia ista determinatiuitas supponit posse in voluntate, quòd completur per plura comprincipia superaddita, ex quibus aliquid potest deficere, permanente eadem voluntate.

714 In similibus ergo casibus, in quibus voluntati deficit aliquid pertinens ad posse, impotens est liberè operari, non defectu intrinsecæ, & sibi identificatæ determinatiuitatis: sed defectu complementi necessarij ad posse, quod, si recuperat, redditur denuò potens liberè operari: sicut ægrotus nõ potest se determinare ad opera, in ordine ad quæ sunt imbecilles potentiæ: sed, salute recuperata, iterum potest liberè easdẽ potentias ad talia determinare opera.

715 Et ecce id, vnde tota præsentis difficultatis clarescit notitia, quod, si vellent Lutherani, & Caluinistæ intelligere, præcipitia, in quibus versantur, euitarent; perciperent namque, quid libertatis perdiderit homo per originalem lapsum, quidue retinuerit: atque quomodò per Christi gratiam restituatur ei, non modo pristina, sed vberior libertas: & mirum sanè, quòd, qui semper Augustini magnificant, quando locum reperiunt distorquendi, doctrinam, nolint reflectere ad ea, quæ iste iisdem verbis doceat tum libro de Spiritu, & Anima cap. 48. tum libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. præfatam namque à me datam doctrinam his explicitè adstruit verbis, *Libertati arbitrij sui commissus est homo in prima conditione, &c. postquam verò seductione Serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem: non tamen electionem, ne non esset suum, quòd euitaret peccatum: nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset: manet vtique ad quærendam salutem arbitrij libertas, idest rationalis voluntas, sed admonente priùs Deo, & inuitante ad salutem: vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei, &c.* Perdidit sanè homo post lapsum originalem bonum naturæ, non naturam, eò quòd perdidit id, ratione cuius natura, implicata ex se proprijs concupiscentijs, & tota secundùm se conuersa ad se ipsam per naturales suas inclinationes, non fuerat ita creata à Deo, sed recta, cum scilicet debita, siue organica, vt vocat Caluinus, subiectione potentiarum inferiorum ad intellectum, & voluntatem, & subiectione harum ad Deum, quod ei fuit præstitum per donum iustitiæ originalis, soporantis omnes concupiscentiales inclinationes: vt indè, nihil rectæ rationi repugnante, posset hæc sensibus dominari, & se ipsam Deo perfectè subijcere; hoc ergo bonum naturæ perdidit homo per peccatum, eò quòd amisso tali dono soporante cõcupiscentias, istæ insurrexerunt, & rebellis facta est per istas natura quoad potentias inferiores superioribus, & quo ad has Deo: perdidit eadem ratione homo vigorẽ arbitrij, quia perdidit tum gratiam ad posse operari benè supernaturaliter, tum posse rectè cognoscere, ac iudicare, & operari in naturalibus, implicatus concupiscentijs, quibus etiam ipse intellectus, & voluntas propensa redduntur in proprium naturæ commodum, non verò in rectam subiectionẽ ad Deum: perdere, inquam, potuit hæc omnia natura rationalis, ipsa in ratione naturæ integra permanente, quia iustitia ori-

originalis, à quâ erat iste vigor arbitrij, donum fuerat gratuitum Dei, non aliquod complementum spectans ad exigentiam naturæ: at electionem, quæ consistit in determinare per voluntatem vnum ex pluribus, quæ potest, non perdidit adæquatè: sed in ordine ad opera bona, siue supernaturalia, siue moralia perdidit posse: in ordine verò ad opera commoda, & vtilia naturæ quoad esse delectabile, nihil perdidit: & propterea adhuc de facto destitutus homo omni auxilio Dei, liberè versatur in his, vel illis operibus siue malis, siue nec bonis, nec malis, si possibilis est actio in indiuiduo, præscindens à malitia, & à bonitate, qualis esset amor parentum ex inclinatione naturę: quapropter restituto posse in ordine ad opera bona per gratiam Christi admonentis, & inuitantis ad salutē, & potentiam ipsam eleuantis, redditur homini non solùm pristina libertas, ratione cuius liberè operanti meritò indulgetur, atque suum fit, quod euitet peccatum: sed libertas præterea eidem donatur, vt aduersantibus concupiscentijs non vincatur, imò illis dominetur: quæ, vt patet ex dictis numero 708. est libertas à miseria; prædictā, inquam, rationem electionis in ordine ad ea, ad quæ perdidit, duntaxat perdidit ratione defectus complementi ad posse, separabilis, prout patet ex dictis, à voluntate: sed non in ratione determinatiuitatis ex se, quæ, indistincta à voluntate, deperdi non potest, nisi deperdatur etiam ipsa entitas voluntatis, & animæ: & indè est, quòd restituto eidem posse per Christi gratiam, proprio arbitrio, non solo, sed vt iam gratuitò eleuato, iterum liberè benè potest operari homo opera supernaturalia.

716 Numquid hæc somnia sunt, aut inuenta Catholicorum, & non inconcussa Sacrę Scripturæ dogmata? Audiant Lutherani, & Caluinistæ, & confusione suffusi, latuas Diaboli respuant, & ad Catholicam reuertantur fidem. Donum ergo superadditum, & indebitum naturæ fuisse in Adamo iustitiam originalem, seu rectitudinem illam, in qua fuit à Deo creatus, pronat habetur Ecclesiast. 7. *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectū, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*: non verò bonum naturæ debitum, pertinens, vt confingunt Lutherus, & Caluinus, ad quamdam, à natura exigitam, organicam dispositionem subiectionis partium inferiorum ad superiores, & harum ad Deum: itaut hac per lapsum originalem amissa, deperditum fuerit id, in quo isti constituunt naturale hominis liberum arbitrium: euidēter conuincitur ex Ecclesiastici 17. vbi explicitis verbis totum hoc docetur: legimus namque ibi primò, *Deus creauit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum*. Quis autem nesciat hominem vocari atque dici Dei imaginem ratione triplicis potentiæ superioris, intellectus, memoriæ, & voluntatis in eadem, & vna entitate animæ? per hæc ergo verba, quibus significatur fuisse homo creatus ad imaginē Dei, explicatur, vt iam creatus, secundùm naturales potentias, etiam intellectus, & voluntatis; cùm ergo subiungitur, *Et iterum conuertit illum in ipsum, & secundùm se vestiuit ipsum virtute*, aliquid aliud de nouo, & gratuitò datum, supra id, quòd pertinet ad naturale esse creationis, clarè indicatur: nēpè, quòd cōuertit ipsū hominē nō ad se ipsum secūdùm se, quòd esset vestisse peccato, & nō virtute, prout exprimitur deindè in subsequētibus verbis: sed quòd cōuertit ipsum hominem secundùm interiores potentias ad se ipsum, prout est imago Dei ratione intellectus, memoriæ, & voluntatis, quod est subiecit per donum iustitiæ originalis inferiores vires superioribus: subiecit etiam rationem prædictam imaginis, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem sibimet Deus, hoc enim est, *secundùm se vestiuit ipsum virtute*, nimirum vestiuit illum virtute subiectionis ad se, seu secundum quòd respicit se. Rursus infra postquam dicitur, *Et cor dedit illi excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illos*, per quæ verba, & voluntas sub nomine cordis, & scientia intellectus, conueniens illi statui creationis in robore virili, significantur; subditur deindè nouum donum creationis his verbis, *Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum, & bona, & mala ostendit eis, posuit oculum suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudent; & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius*. Vident credo, nisi nolint intelligere, vt benè agant, hæretici isti, quod duplicis creationis cordis, & intellectus in relatis verbis fit sermo, taliter, vt non per hoc, quod *Cor dedit illum excogitandi*, neque per illud, quod *disciplina intellectus repleuit illos*: sed quia deindè, *Creauit illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorum*, atque, *posuit oculum suum super corda illorum*, fuit illis data virtus, *vt nomen sanctificationis collaudent, & vt magnalia enarrent operum eius*. Vndè ergo, nisi chimærizando ad libitum, nihil curantes de inconcussa veritate Sacræ Scripturæ, somniarunt Lutherus, & Caluinus, quòd rectitudo

tudo illa, seu organica dispositio subiectionis virium inferiorum hominis ad superiores, & harum ad Deum fuerit tale bonum naturale, quòd pertinuerit ad complementum puræ creationis naturalis hominis, & quòd in his consistat libertas voluntatis, quę quoad rationem liberæ determinatiuitatis necesse est, vt sit ab ipsa voluntate indistincta, ne per aliud à se, sicut bruta, sed per se ipsum determinet se ipsum homo?

717 Hoc vndèquaque euidenti discursu, atque in Sacra fundato Scriptura, sufficientissimè expunctum manet figmentum Lutheri, & Caluini circa libertatem hominis post lapsum, firmato videlicet, quòd non operentur siue bonum, siue malum homines ex necessitate: sed vtrumque liberè; malum quidem, quia ad hoc, & vires, & determinatiuitatem habet integras ex se voluntas: bonum verò nonnisi restitutis viribus gratuitò per gratiam Christi Redemptoris: sed non restituta determinatiuitate à se, quæ, vtpotè à voluntate indistincta, non potuit ab eadem voluntate, ipsa permanente, prout defacto permanet, auferri. Atque ita licèt liberum arbitrium hominis integri, & lapsi idem prorsus sit quoad determinatiuitatē sui ex se, quia hæc debet esse indistincta: & nec auferri, nec per aliquid aliud potest, secundum propriū conceptum, perfici: diuersa tamen fuit libertas Adæ in statu integro à libertate hominis lapsi ratione posse: nam Adam in primis triplex poterat operum genus, nimirum mala, bona moralia, & naturalia, eò quòd, concupiscentijs carens ob iustitiam originalem poterat natura ipsa bonum morale amplecti: & tertiò bona supernaturalia ratione alterius auxilij, naturam eleuā-tis ad talia opera. Homo verò post lapsum, vexatus concupiscentijs, non habet, vt natura ipsa possit se sola amplecti bonum, sed necesse est, vt ad bonum eleuetur supra se tum gratia præueniente, tum cooperante: & ita non potest operari, nisi ex se opera primi generis: & per gratiam solius tertij generis. Rursus Adam in operando siue bonum, siue malum erat summè liber libertate indifferentiæ, quia ad malum non trahebatur concupiscentijs: & indè nec ad bonum indigebat auxilio illo, quo indigēt Sancti post lapsum, vt motus concupiscentiarū motu vberiori gratiæ vincāt: atq; consequēter isti minùs liberi sūt libertate indifferentiæ, quia semper, vt operentur vnum, debent magis ad illud trahi, quàm ad oppositum: benè operantes tamen gratia Christi sūt magis liberi libertate à miseria, proptereа quòd cum delectatione miseriam cōcupiscentiarum vincunt, & illis dominantur: quam libertatem non habuit Adam. Nolo tamē hæc sola sufficiant pro tam perniciosо, & scelesti extirpando errore, sed millies vlteriùs volo, & Scripturæ, & Augustini, (quem solum fidum Scripturæ Interpretem isti hæretici profitentur) euidentissimis confodere authoritatibus. Vndè præter loca Scripturæ in antecedenti §. adducta ad probandam libertatem actualē in homine, quorum plurima, vt euidens est, non fuerunt dicta Adamo, & Euę, sed posteris post peccatum, ac consequenter in his libertatem actualem probant.

718 Confoditur insuper prærecensitum Lutheri, & Caluini commentum omnibus ijs Scripturæ locis, in quibus homines exhortantur, vt abstineant ab operibus illicitis, & sectentur opera bona: istæ namque non fuerunt factæ pro Adamo, & Eua, medijs Prophetis, ac Christo, & Apostolis in veteri, & nouo Testamento, sed hominibus post contractum originale: nec opus est aliqua ex illis hic recensere, cumcuique pateat totam Scripturam esse similibus exhortationibus, vel præceptis plenam. Ex illis ergo ita arguo. Exhortationes, vel minæ inutiliter, atque superuacaneè fierent homini, agenti ex necessitate: non enim vnquam exhortationes possent hominem necessitatū ad malū auertere, nec minæ; præcipuè si à Deo, cui nulla creatura præualere potest, esset similis necessitas; necessitato pariter ad bonum, nec minimò iuuant, cùm siue sint, siue nō sint, nō per illas debeat quoquo modo esse opus, sed præcisè iuxtà mēsuram necessitatis ex Deo habendæ; ergo supposita simili necessitate, tota Scriptura, exhortans ad bonum, vel compescere curans homines à malo, redderetur non minùs illusoria, ac essent exhortationes, & minę, quibus afficeretur homo, vt abstineat à motu pulsus, vt impediat malorum humorum commistionem, & similia: quis namque non illuderet illum, quem talia alteri adhortantem audiret?

719 Sed dicent simile argumentum fuisse factum Augustino ad impugnandam eius doctrinam de gratia faciente operari, quòd videlicet, si talis esset gratia Electorum, impertinēs esset corrigere peccantes, eò quòd, qui simili sunt prædestinati præueniri gratia, non possunt non benè operari: & ecōtra, qui non ita sunt prædestinati, impossibile est corrigi; & ita ad nihil iuuaret correctio. Contra quod argumentum librum integrum instituit Augustinus sub titulo de Correctione, & Gratia: cuius tota summa consistit in eo, quòd debeant homines corrigi,

rigi,

rigi, propterea quòd illis, quos conuertere vult Deus, media correctione instituit gratiam efficacem conuersionis præstare, licèt non reliquis innatura sit correctio; pari ergo modo dici potest de exhortationibus, & minis, quòd nimirum mediis illis voluerit Deus benè operaturos, quos ita instituit operaturos, licèt aliis non iuuent exhortationes, & minæ.

720 Contrà tamen est, nam maxima differentia est inter Augustini doctrinam, quæ libertatem supponit in his, qui corrigi debent: & scelestè dogma horum hæreticorū, qui libertatem inficiantur in illis, quibus exhortationes, & minæ fiunt: supposita namque libertate ex parte operantis, correctio exterior etiam cooperatur cum interiori gratia, vt ita moueatur liberum arbitriū, quòd suum consensum præstet: sicut namque in naturalibus suasio, vel correctio naturam mouet ad affectum, vel displicentiā naturalem: ita Deus media correctione, extrinsecùs sonante, motum gratiæ interiorē præstat, intrinsecùs mouentem, quem si gratuitò non daret, correctio, vel suasio, opposita propriis concupiscentiis, potiùs motum ingratum, quàm allicientem produceret. Iuuat ergo correctio, quia illa exteriùs sonante, & Deo intrinsecus excitante mouendum est liberum arbitrium, vt tali motui sua libertate acquiescat, quod aliàs non acquiesceret: sed stante necessitate liberi arbitrij, nec correctio, nec exhortationes, vel minæ mouere deberent liberum arbitrium, vel voluntatem: quia necessitata iam, summè esset mota, & omnis alius motus esset superuacaneus.

721 Replicare posset, quòd etiā solus motus efficax interior Dei sufficeret, sicut sępè euenit, vt homines benè operentur: & non indè superuacanea est extrinseca correctio, propterea, quòd solùm requiritur, vt modo connaturaliori, & magis naturæ humanæ proportionato, moueatur voluntas; pari ergo modo extrinsecæ exhortationes, & minæ non exhibentur, vt moueant voluntatē nostram ad opera: sed vt connaturaliori modo, & magis nobis congruò operemur.

722 Impertinens sanè responsio. Verissimū est, quòd motus gratiæ efficacis, qui à Deo præstatur, esset se solo sufficiens siue sit, siue non sit extrinseca correctio: & quòd, quando est, tamquam quid pertinens ad connaturaliorem, & magis proportionatū modum mouendi, ponitur; at non hinc non superfluit correctio exterior, sed indè, quòd gratia interior non destruit, imò viuificat liberum arbitrium, & voluntatē hominis. Audiant iterum isti perfidi differentiam Catholicæ doctrinæ Augustini ab ipsorum scelesti. Correctio exterior ad mouendū hominē dirigitur, quatenus ita alliciat, ita adducet, vt se illi accommodet, & consensum præstet: vndè si homo aliunde, & nullatenus à se moueri deberet, impertinens etiam, inutilis, & superuacanea esset correctio: sed quia Augustinus supponit cum doctrinā Catholica, & infinities ferè probat liberum arbitrium, se ipsum, etiā post lapsum, per se ipsum determinaturum; gratiam interiorem etiam docet, quæ mouet, & allicit ita liberum arbitrium, vt illi se accommodet: atque ita proportionata est pro connaturaliori modo mouēdi correctio exterior cum interiori gratia, directa ad ipsum liberum arbitrium, & ideò non superuacua: sed si liberum arbitrium non esset, vt blasphemant hæretici isti, iam nec voluntas esset se ipsam per se ipsam motura; sed dumtaxat à Deo; ergo dirigere correctionem ad ipsam voluntatem, esset extra rē, inutile omninò, & irrisoriū, vtpotè quia talis directio esset improportionata interiori motioni ex se necessitāti, & non relinquenti arbitrio, vt se per sē ipsū moueat.

723 Et vt euidentiùs, quæ modò de differētia doctrinæ Augustini circa vtilitatem correctionis, ab abominabili Lutheri, & Caluini sēsu circa exhortationes, & minas, quibus tota Scriptura est plena, dicta sunt, cōuincam, eumdem Sanctum Doctorem cōtra hos perfidos hæreticos aduoco; nonne enim idem Augustinus, qui librum instituit de Vtilitate Correctionis, refutans argumentum prærecensitum supra numero 719. idem ipse librum etiam instituit de Gratia, & libero arbitrio? legant ergo hæretici isti præfatum librum, & in eo conspicient, quòd illum ideò construxit, vt simul, & Pelagianos confoderet, qui ita liberum arbitrium docebant, vt necessitatē gratiæ Christi Domini negarent; & alios ex opposito ita gratiā necessitantem adstruentes, vt per eam liberum destrui dixerint arbitrium. Quomodò autem liberum probet arbitrium, videant hæretici isti in capit. secundo, sed præcipuè aduertant, si, à me iam allato, vtatur discursu, *Reuelauit*, inquit, *nobis per Scripturas suas Sanctas esse in homine voluntatis arbitrium, quomodò autem reuelauerit commemoro, non humano eloquio, sed diuino: primùm, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent*, (notent hæretici,) *nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perueniret*. Rursus, *Quid vult, ait, quòd in multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri iubet Deus? Quomodò iubet, si non est liberum*

rum

rum arbitrium? Et infra, *Tam multa*, inquit, *mandata, quæ ipsam quoque quodammodò nominatim connenium voluntatem, sicut sunt noli vinci à malo, & alia similia, &c. quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ*? Eadē ergo ratione vtitur Augustinus, ac vsus sū ego ad probandum in hominibus liberum arbitrium.

724 Quod, si adhuc dicant Augustinum loqui de arbitrio libero à coactione, non vero libero à necessitate. Si, inquam, id dicant, pertinaciæ statim conuincam: nam post prædicta, volens deindè in capite 4. ostendere non sufficere solùm liberum arbitrium, quòd probauerat ad benè operandum, nisi adiuuetur gratia, inter præcipua sui discursus, ita habet *Proindè carissimi, sicut superioribus testimonijs Scripturarum probauimus, Sanctarum ad benè viuendum, & rectè agendum esse in homine liberum arbitrium*: Videant iam hæretici, quòd de eo libero arbitrio loquitur, quòd antecedenter ex Scripturis probauerat, à me iam prælibatis: sed audiant modò quid gratiæ ad benè viuendum cum eodē libero arbitrio, quòd probauerat contra Pelagianos, requirat, *Sic etiam*, subiungit, *de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quæ sint diuina testimonia videamus*: & accedens ad exempla sic habet, *Numquid non liberum arbitrium Timothei est exhortatus Apostolus dicens, contine teipsum? & in hac re potestatem suæ voluntatis ostendit, vbi ait, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, vt seruet virginem suam: & tamen non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Itaque, vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum arbitrium*. Habent ne hæretici isti quid aliud ex perfidia eructent, videntes quale sit liberum arbitriū, quòd ex Scriptura probat Augustinus, & de quo probat non sufficere solum ad benè viuendum, sed requirere secum adiutorium gratiæ; nimirum illud, de quo ait Apostolus prima ad Corinthios 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*?

725 Confoditur secundò, idem error ijs alijs Scripturæ locis, in quibus significatur Deum conqueri de peccatoribus, quod ipsum pulsantem, vocantem, & adiuuantem respuant, vt cùm dicitur, *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti*: item, *An expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas*, & similia. Ex quibus locis ita arguo. Non potest Deus conqueri de eo, quod ideò est, quia ipse voluit, vt sit: ideò enim conqueritur, quia displicet, quòd sit, & nollet esse: sed quòd ipse facit, vt sit, ideò est, quia ipse vult, vt sit; ergo de eo non potest cōqueri. Rursus: opus non potest esse dignū laude, vel vituperio, nisi relatè ad causam illud liberè ponentem, non verò relatè ad causam necessitatam, & si non coactam: nō enim potest Deus brutis imperare opus virtutis, & de illis conqueri, si non faciunt. Vndè Hieronymus in Epistola ad Damasum. *Liberum arbitrium*, inquit, *dedit Deus homini, vt viueret vnusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo: idest non necessitate, sed ex voluntate, vt virtus haberet locum, & à cæteris animantibus distaremus, dum, ad exemplum Dei, permissum est nobis facere, quòd velimus*. Ergo, si homo à Deo necessitatus operaretur malè, de se ipso potiùs, quàm de homine posset conqueri Deus. Insuper si in hominibus eueniret casus, quòd vrgente ex. gr. præcepto charitatis liberandi innocentem à violenta morte, vel succurrendi in extrema necessitate constituto, ille, qui vel liberare, vel succurrere facultatem haberet, necessitate, & non coactione impediretur ab alio, puta aut soporem illi procurando, vel alijs actionibus applicando, incompossibilibus cum opere illo charitatis: nullus certè esset, qui taliter necessitatum exprobraret defectu charitatis: sed potiùs, qui illum ita impediuit; ergo, si Deus homines ad omnia opera necessitaret, nō esset vndè de homine posset conqueri.

726 Respondere possent primò, quòd hoc idem argumentum, si valeret, premeret etiam Catholicos illos, qui admittunt in Deo decreta efficacia antecedentia, & prædeterminantia, vndè sicut isti ab argumento se expediunt, ita se expedire possunt, & ipsi.

727 Sed concedo in primis hoc argumento etiam tales Catholicos premi, ac consequēter à nemine debere admitti similia decreta, ne creata voluntas viuat ex imperio Dei, sed suo obsequio, & libertate, vt loquitur Hieronymus. Secundò dico. Tales Catholicos quoquomodo se expedire à prædicto argumento, asserendo per similia decreta non solùm nos non necessitari à Deo, sed potiùs per illa liberos fieri, nam dicunt talibus decretis, & si determinetur vnum, nō auferri tamen, sed causari in nobis posse aliud: ac proindè permanente in nobis potestate ad oppositum, quia non ponimus, propterea de nobis conqueritur. Hoc autē non concedunt Lutherani, & Caluinistæ; ergo non possunt, sicut prænominati Catholici, respondere argumento, & ab eo quoquo modo se expedire.

728 Respondere secundò possent, argumentum vim solùm habere, si necessitas ista non esset orta ex pœna peccati: tunc namque opera non essent ex nobis, sed duntaxat à Deo; sed quia necessitas ista iusta retributio pœnalis est peccato originali: non Deo, iustè retribuenti, sed peccatori, cui est debita, improperiò attribuẽda est. Quidquid ergo mali ex hac necessitate homines operantur, ipsis tribuitur, quia in capite à Adamo ab iisdem causata fuit hæc necessitas, contrahendo in Adamo originale, destructiuum libertatis.

729 Verùm nõ reflectunt hæretici isti, quòd de ipsomet peccato originali etiam procedit argumentum: hoc enim ipsum dicunt fuisse ab Adamo commissum, necessitato terribili quidem, sed non inficiando decreto Dei; ergo nec de ipsa origine peccati posset Deus conqueri, tamquam fuerit ex nobis. Contra secundò, quia Deus nõ conqueritur de malis operibus hominum ratione originis, sed ratione propriæ malitiæ actualis: imò quamuis iustissimè puniat Deus in posteris Adæ pœna negatiua, nõ tamen positiua, originale peccatum: numquam legitur in Scriptura, quòd Deus cõqueratur de aliquo peccante solùm originaliter: & si enim conquestum fuisse dici potest de inobedientia Adami, & Euæ, hæc tamen inobedientia respectu ipsorum non fuit originale, sed actuale peccatum, propria voluntate, & libertate commissum: fuit autem originale respectu posterorum, qui non actuali eorum voluntate, sed voluntate capitis negatiuè, & non positiuè malitiã originalem contrahunt, vt infra patebit. Conqueritur autem Deus de peccatoribus, quòd actualiter vocantem, adiuuantem, & in eorum cordibus pulsantem, audire, & ei aperire nolunt; ergo propter specialem malitiam distinctam ab originali, atque actualem, de illis conqueritur. Nec enim vineam Domini Sabaoth vocat Scriptura totam Adami posteritatem, sed specialem gẽtem Israelitici populi, quam sepe specialiũ gratiarum circumdederat: & de hac specialiter conqueritur, quòd expectauit retributionẽ vuæ, & retribuit labruscas; ergo nõ conqueritur de huius defectu in origine, in ordine ad quam impertinens esset recensere specialia dona tali populo ab ipso Deo concessa, si ex necessitate, contracta in origine, non posset reddere, nisi labruscas: sed cõqueritur, quia specialibus donis munita, præ cæteris, poterat, & debebat retribuere vuarum fructus actuales, & reddidit labruscas.

730 Confoditur tertiò idem figmẽtum omnibus ijs Scripturæ locis, quibus instruimur gloriam Electis dari, vt præmium, & mercedem, quæ infra afferentur à numero 825. Ratio namque præmij, & mercedis aliquod ius meriti supponit in præmiando, formaliter ortum à proprio arbitrio, non ab eo, qui præmiat, licèt non excludat anteriorẽ gratiam: vt patet ex Apostolo ad Roman. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. Et 2. ad Timotheum 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi, &c.* Neminem autem ita ab humano sensu alienum credam, vt nesciat quãcũq; etiã latã rationem iustitiæ, ad alterius adæquationẽ iuris tendere, non eiusdem ad seipsum; ergo, si gloria datur operantibus ex Apostolo, tamquam corona iustitiæ, in præmium nimirum, & mercedem debitam, aliquod ius meriti supponit in operante, quodammodò contra Deum, non à Deo: & consequenter formaliter ortum à libertate extimabili operantis, non à Deo necessitante: licèt non excludat, sed includat, & præsupponat gratiam creditoris Dei, iuxtà eumdem Apostolum prima ad Corinthios 15. *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

731 Confoditur insuper quartò ex illo Prouerb. 16. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguã.* Et infra, *Cor hominis disponit vias suas: sed Domini est dirigere gressus eius.* Ex quibus locis patet, duo in singulis recenseri, quorum vnum soli Deo, alterum etiam homini tribuitur, cùm in ambobus de rebus ad nos pertinentibus, vel operibus nostris sit sermo: aut nimirũ, quia gubernare, & dirigere gratiam præuenientem significat, qua ab eo mouemur: præparatio verò animæ, & dispositio viarum, opus nostrum, ad quod nos ipsos liberè mouemus: vel quia gubernare, & dirigere respicit etiam extrinseca, quæ opera possunt trahere, vel impedire, & hæc non sẽper possunt à nobis pendere, sed benè à Deo, sua Prouidentia gubernante, & dirigente; præparatio verò animæ, & dispositio viarum opera sunt interiora voluntatis, quæ sunt in nostra potestate. Quæcumque autem sit ista differentia, quod in præsenti contra Lutheranos, & Caluinistas facit, est, quòd ex duobus spectantibus ad nos, vnum, vel soli, vel speciali modo tribuitur Deo, non ita alterum: si autem omne opus nostrum esset in nobis à Deo necessitante, nulla esset

ratio præfatę diuersitatis; ergo ex præfatis locis euidēter colligitur vnū tribui Deo, quia in nobis à Deo est, non à nostra libertate: aliud verò à Deo, & simul à nostro libero arbitrio, & ratione nostræ libertatis tribuitur etiam nobis.

732 Confoditur quintò ex illo Deuteronomij 30. *Testes inuoco hodie Cœlum, & Terram, quòd proposuerim vobis vitam, & bonum: & econtrariò mortem, & malum; elige ergo vitā, vt & tu viuas.* Vbi in primis aduertendū, quòd non agitur in hoc libro de propositione facta Adamo ante peccatum: sed populo Israelitico, cui promittitur, vt, si ad cardines terræ fuerit dissipatus, indè retrahet illum Dominus, dummodò præceptis eius obedierit. Agitur ergo de hominibus post lapsū, & eodem modo asserit Dominus proposuisse illis vitam, & mortem: bonum, & malum: ipsisque non minùs, ac Adamo persuadetur, vt eligant vitam, quod est ex duobus, quæ potest, vitam morti præferre; vacat ergo differentia illa, quā somniauit Caluinus, vt notaui numero 681. quòd in Adamo, *Libera fuit electio boni, & mali*: eius autem posteros libertatem hanc electionis perdidisse in Adamo peccante.

733 Quòd, si dicant in præfato loco sermonem esse de libertate, quam habuit populus Israel in suis Protoparentibus. Contra est, quia in præfato Deuteron. libro recēsentur priùs præcepta, quæ tunc illi populo obseruanda tradebantur, non quæ fuerunt tradita Adamo: & post præceptorum traditionem, atque ad illorum obseruantiæ persuasionem, iurat Moyses, quòd eis proposuerit vitam, & mortem, &c. ac persuadet ad electionem vitæ, quæ persuasio esset ridicula, si sermo fuisset de electione in origine, iam impossibili tunc temporis, cùm per tot sæcula antecesserit in origine electio mortis; quid ergo esset illa protestatio Moysis, *Testes inuoco hodie Cœlum, & Terram, quòd proposuerim vobis vitam, & mortem, &c.* cùm, si de origine esset sermo, mortem solùm in Adamo iam contractā proposuisset?

734 Confoditur tandem ex illo Ecclesiastici 31. vbi laudatur iustus, non Adam ex libera electione cadens: & indè laudatur, quòd *Potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*: & *ideò stabilita sunt bona illius in Domino*, subiungitur. Quid? dicere forsan hic poterunt, quòd libertate in origine potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit; cùm Adam nostrum caput transgressus sit præceptum, & fecerit malum, quando per hos hæreticos liberè poterat eligere bonum, aut malum? Erubescant ergo hæretici isti conuicti peruersores, & non sequaces incōcussæ doctrinæ Catholicæ.

735 Venio iam ad Augustinum, ex quo hæretici isti plurima discerpunt ex proprijs locis, & sensu, vt illecebrarum amatores demulceant. Tria autem ex Sancto Doctore distinguam, & singula euidētissimè ostēdā. Primum est, quod insinuaui numero 715. nimirum summam eam libertatem, quam tribuit Deus Adamo, atque Euæ in ordine ad posse benè siue moraliter, siue supernaturaliter operari, media gratia, & iustitia originali, cum omnimoda indifferentia ad vtrumlibet, non reluctantibus, sed sopitis omnibus concupiscentijs, fuisse quidē per peccatum deperditam, quoad posse, sicut & quoad æqualitatem indifferentiæ ad vtrūlibet: sed non quoad rationem electionis, identificatam cum voluntate. Et hinc, quod secundò distinguo, est post peccatum remāsisse in homine libertatem physicam, & simpliciter ad hoc, vel illud malum eligendū, sed cum aliquo dominio concupiscentiarū, & quadam morali necessitate super eam. Tertium tandem, quod distinguo, consistit in eo, quòd per gratiam, & auxilia Christi Redemptoris restituitur homini libertas ad bene, & meritoriè operandum, nō quidem sicut fuit in Adamo cum æquali Indifferentia ad vtrumlibet, cùm non restituatur in hac vita, nec quidem Electis, sopor concupiscentiarum: sed talis, quæ simpliciter libertas sit, potens vtrumlibet, & vtrumlibet simpliciter in dominio habens, licèt semper hinc indè rixas, & repugnantias experiatur, ratione quarum dicitur in libro Iob, *Militia est vita hominis super terram.*

736 Primum autem ex his satis sufficienter probaui præcitato numero 715. ex verbis Augustini lib. de Spiritu, & Anima cap. 48. quæ repetit deindè in libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. nimirum, *Postquam verò seductione Serpentis per Euam cecidit, natura bonum perdidit, pariter & vigorem, non tamen electionem: ne non esset suum, quòd euitaret peccatum: nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset* Ad maiorem tamen assumpti soliditatem, alium Augustini locū hic addere decreui, vt viam omnem præcludam hæreticis, veram Augustini doctrinam in sensum, ipsis accommodatum, distorquendi. In libro ergo primo contra duas epistolas Pelagianorū respōdēs Sāctus Doctor obiecto sibi conuicio, quòd cum Manicheis sentiret in eo, quòd doceret per originale peccatum perijsse omnimodè in homine liberum arbitrium, non quidem à coactio-

coactione, quod nec somniant Manichæi, cùm omnes experiamur non violenter, immò voluptuosè operari: sed à necessitate, ita loquitur. *Quis autem nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitriũ de humano genere? libertas quidem periit per peccatum: sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino, si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad benè, iustèque viuendum; nam liberum arbitrium vsque adeò in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum dulcedine peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet.*

737 Secundum verò ex his, quæ distinxi, adhuc remanet probatum ex verbis modò dictis: sed pro hoc stabiliendo puncto innumera possunt ex Augustino adduci testimonia, sicut est illud lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum, *Quibus hæc est nostra responsio, peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus: sed ad peccatum valere in hominibus subditis Diabolo: ad benè autem, pièque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Et illud lib. de duabus Animabus contra Manichæos cap. 11. *Expecta, sine priùs etiam peccatum definiamus, quod sine voluntate esse non posse, omnis mens diuinitùs conscriptum legit. Ergo peccatum est voluntas apud se retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat; vndè liberum est abstinere: quamuis si liberum non sit, non sit voluntas.* Et illud aliud lib. 1. de libero arbitrio cap. 10. *Ergo relinquitur, quoniam regnanti menti, compotique virtutis quidquid par, aut prælatum est, nõ eam facit seruam libidinis propter iustitiam: quidquid autẽ inferius non potest hoc facere propter infirmitatem, nulla res alia mentem cupiditatis comitem faciat, quàm propria voluntas, & liberum arbitrium.* Insuper illud de Prædest. & Grat. cap. 9. *Liberum verò, quod ab eo habemus, arbitriũ prono ad nequitiam lapsu fluit: & cùm ad virtutis indolem, Dei auxilio deserente, nihil possit, ad genus omne peccati idonè fultum virtute subsistit.* Et tandẽ, ne longior sim, Lutheranos, & Caluinistas moneo, vt qui Diuum Augustinum fidum Scripturarum Interpretem vltrò confitentur cum eorum Magistris, ad illud eiusdem Doctoris lib. de fide contra Manichæos cap. 9. attenta consideratione reflectant. *Peccatum*, inquit, *fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est; & pœna infligitur iustitia à Deo, qui nihil facit iniustè. Aduersus hæc sola cæcitate Manichæi latrant: & cùm conuincuntur naturam non esse malam, sed in potestate esse hominis facere benè, aut malè, dicunt non esse animæ liberam voluntatem; & non vident cæcitatẽ suam.* His iisdem verbis cæcos definiri ab Augustino, immò omni humano sensu, & ratione priuatos Lutheranos, & Caluinistas eò euidentiùs est, quò id ipsum non agnoscunt, quando negant cum Manichæis esse in homine liberum arbitrium. Et quid profectò euidentiùs cæcitatis argumentum, quàm non agnoscere, vt idem Augustinus loquitur contra eosdem Manichæos in lib. de duabus Animabus cap. 11. *Neminem vituperatione, suppliciòque dignum, qui aut id velit, quod iustitia velle non prohibet: aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus Pastores, & in Theatris Poetæ, & indocti in Circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in Sacris locis, & in Orbe Terrarum genus humanum?* Lutherani ergo, & Caluinistæ existimantur cũ Manichæis ab Augustino extra genus humanum, non quidem excessu, sed defectu sensuum, ac cæcitate rationis.

738 Sed demulcent in his suos Asseclas Lutherus, & Caluinus primò dicendo, quòd Augustinus loquatur contra eos, qui negabant libertatẽ in homine secundùm se, etiã ante peccatum, quales erant Manichæi; non qui negant libertatem in pœnam primi peccati, libera voluntate commissi.

739 Ridicula certè responsio, quasi non indè definiat Augustinus peccato Adæ nõ periisse liberum arbitrium, *Ne non esset suũ, quòd euitaret peccatum, nec meritò indulgeretur, quòd non arbitrio diluisset.* Sẽtit ergo nec meritum, nec demeritum esse posse, vbi homo non liberè operatur. Rursus neminem vituperatione, vel supplicio esse dignum, *Qui id velit, quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest*: de quo dicit quòd, *cantant & in Montibus Pastores, & in Theatris Poetæ, &c.* numquid ante peccatum Adæ solum fuit verum, & non nunc? & si nunc quisquam faciat, quod iustitia fieri non prohibet, vituperatione, suppliciòque dignus erit? An non actù id ipsum cantat totum genus humanum, præter inhumanatos Lutheranos, & Caluinistas? Insuper legant, si non legerint isti peruicaces, & versipelles, quid cõtra eosdem Manichæos doceat in libro de Genesi, edito contra ipsos, cap. 3. *Illud autem lumen*, inquit, *non irrationabilium animalium oculos pascit: sed pura corda eorum, qui Deo credunt: & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad eius præcepta seruanda conuertunt: quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat, veniente*

 in

tem in hunc mundum. Vident ne hæretici isti de quo lumine id doceat Ioannes Apostolus in principio sui Euangelii, credo agnoscant, quòd loquatur de quo subdidit, *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est*. Lumen ergo Patris Christus non venit, vt mundū illuminaret ante peccatum Adæ, imò potiùs, vt suo lumine tenebras, quas Adam in mundo adduxerat, euacuaret, ac consequenter, vt peccatores mundaret, & de hoc lumine, ac de his peccatoribus asserit Augustinus, quòd conuerti ad seruanda præcepta, *Omnes homines possunt si velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*. Exulat ergo necessitas omnis ad malum; quia omnis homo sufficienti lumine gratiæ Christi eleuatur, vt possit adimplere præcepta, si velit. Præterea legant, si non legerint, eumdem Sāctū Doctorem in libro 2. contra Faustum Manichæum cap. 5. sic scribentem, *Nos quidē sub fatu Stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel malè viuitur, propter iudicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicemus*. De quo quæso libero arbitrio id asserit, de solius ne Adæ, & nostro prout incluso in illo, tamquam in origine? sufficit ergo, si Adam manibus Dei compactus sub stellarum fato non fuerit creatus; cùm autem non ita, sed de omni homine neget stellarū fatum Augustinus, vt liberum arbitrium voluntatis ab omni necessitatis vinculo vindicet, de vniuscuiusq; arbitrio in seipso loquitur. Ac consequenter verum est, quod Lutherani, & Caluinistæ eadem nota cæcitatis, ac Manichæi, taxantur ab Augustino, dū sicut illi, negant in hominibus defacto liberum arbitrium voluntatis.

740. Dicēt secūdò Augustinū loqui de libero arbitrio à coactione, non à necessitate, quod indè colligitur, quia in loco à nobis citato ex libro de duabus animabus contra Manichæos asserit, *Quamuis si liberum non sit, non sit voluntas*; cùm tamen constet Beatos volunt e amare Deum, & tamen non libero libertate à necessitate, sed à coactione.

741. Verùm non legerunt hæretici isti solidissimam doctrinam Angelici Doctoris, quam tradit quæst. 22. de Veritate art. 5. quamque ab eodem Augustino suxit, nimirum, *Natura autem & voluntas sic ordinata sunt, vt ipsa voluntas quædam natura sit, quia omne, quod in rebus inuenitur, natura quædam dicitur: & ideò in voluntate oportet inuenire, non solùm id, quod voluntatis est, sed etiam quod naturæ est; hoc autem est cuiuslibet naturæ creatæ, vt à Deo sit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud: vndè & voluntati ipsi inest naturalis quidam appetitus sibi conuenientis boni: & præter hoc habet appetere aliquid secundum propriam determinationem, non ex necessitate: quod ei competit in quantùm voluntas est*. Et in responsione ad septimum, *Dicendum*, ait, *quòd ratio illa procedit de voluntate secundum quòd voluntas est; hoc enim est proprium voluntati, in quantùm est voluntas, quòd sit domina suorum actuum*. Hoc est ergo, quod asserit Augustinus, *quamuis si liberum non sit, non sit voluntas*, quia videlicet vbi voluntatis potentia operatur naturaliter, & non ex dominio, operatur, vt natura, non vt volūtas, sicut explicitè loquitur Augustinus lib. 1. retractationū cap. 15. in illis verbis, *In tantùm enim libera est, quia liberata est, & in tantùm appellatur voluntas: alioqui tota cupiditas, quàm voluntas propriè nuncupanda est*. Vt autem id ipsum ex Augustino stabiliam adhuc, in primis vellem, vt vel vnum locum ex Augustino demonstrent isti, in quo nomine liberi arbitrii pro sola libertate à rigorosa coactione vsus fuerit, sicut notaui numero 709. hoc certè ipsorum sōnium non inuenient apud Augustinum; aliud namque est dicere liberum, quod tribus, vel quatuor modis sumitur, sicut ex dictis in eodem numero patet; aliud verò liberum arbitrium, quod dicitur ab arbitrando practicè in alterutram partem. Legant hoc ipsum, omni obscuritate remota, apud Augustinum in libro 3. Hypognosticon paulo post principium, *Sed cur dicatur liberum arbitrium, est paululum differendum: Arbitrium ab arbitrando rationabili consideratione: vel discernendo, quid eligat, quidue recuset puto, quòd nomen accepit; vel ideò liberum arbitrium dictum, quòd in sua positum sit potestate, habens agendi, quod velit, possibilitatem*. Et quamuis subiungat Augustinus, *Sed huiusmodi, vt ante iam dixi, fuit in homine protoplastro, cùm ante peccatum maneret illæsus*. Nō id asserit, quasi in reliquis hominibus nō sit simile liberum arbitrium: sed solùm vult monere Pelagianos, contra quos loquitur, ne id dictum credant in reliquis hominibus sine gratia Christi sanante, & restituente vires, etiam ad bene operandum: cæterùm post hanc liberi arbitrii definitionē, & breuem discursum contra Pelagianos, videant Lutherani, & Caluinistæ quomodò concludat Sanctus Doctor, *Per peccatum*, inquit, *liberum arbitrium hominis possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem. Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent; sine Deo*, (notent particulas illas sine Deo) *aut inchoare*,

chonare, velle certè peragere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quàm malis. Bona dico, quæ de bono naturæ oriuntur, idest velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle amicum, &c. In ordine verò ad opera bona, quæ Deo placent, atque meritoria, quomodò adhuc sit liberum arbitrium, restituto posse per gratiam, infra deinde, & non semel explicat, vt cùm ait. *Alia causa est adhuc non credentis in Deo, alia iam credentis.* Et de primo dicit, quòd *lanuentatus sensus, atque in tenebris obscuratum habens intellectum liberi arbitrij, lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum videre non potest, nisi Deus per suam misericordiam, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxerit in corde eius, &c.* De secundo verò; *Cùm autem acceperit spiritum Domini, erit in eo libertas ad capessenda Domini præcepta; quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Iam verò credentis, idest illuminati, atque reparati in libero arbitrio per gratuitam gratiam Saluatoris, vox est, & ex voluntate mea confitebor illi.* De isto item discurrens iterū concludit, quòd, *Emundat se, quia cum Dei misericordia se præueniente, agit & ipse satis per liberum arbitrium, vt emundetur.* Rursus post pauca, *Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis negauerit, Catholicus nō est.* Sed videant quale fateri esse debent Catholici. *Et quisquis,* subiungit, *sic esse dixerit, quòd sine Deo bonum opus; idest quod ad eius sanctum propositum pertinet, nec incipere, nec perficere possit, Catholicus est.* Sed cum Deo adiuuante est. *Quibus enim,* addit, *dicitur in Psalmis, nisi liberum arbitrium habentibus, venite filij audite me, timorem Domini docebo vos? &c. Quomodò autem vnicuique secundùm sua opera redderetur in die iudicij, nisi liberum esset arbitrium? In omni itaque opere Sācto prior est Dei voluntas;* quia nimirum sanctus sauciatum in posse liberum arbitrium per originale peccatū, *posterior liberi arbitrij,* quod, quia non deperderat nomen, & rationem, sed posse, illi hoc restituto, tum restituitur, & dum operatur Deus, sanando, *cooperatur homo,* suo libero arbitrio, & voluntario. *Nemo sit segnis, & remissus ad seruiendum Deo, nec sic de gratia confidat,* 6 confundantur, atque ita confusi taceant Lutherani, & Caluinistæ, audiaturque fidus Scripturarum Interpres Augustinus. *Tamquam Deus,* inquit, *liberi arbitrij eius, quod per mortem Filij eius reparauit, & sibi præparauit, opera non requirat: imò declinet à malo, & faciat bonum, vigilet, quærat, petat, pulset, contendat vincere seculum, Deo placere, &c.* Sed hoc est, quòd Lutheranis, & Caluinistis summopere displicet, exhortari nimirum, vt

gratia Saluatoris opitulante, seculi illecebras vincant; amant enim in his implicati conscientiæ, non arbitrij ad benè operandum libertatem.

742 Sufficiunt & ista, vt agnoscant isti perfidi hæretici, etiam in nobis post peccatum sanatis gratia Saluatoris siue efficaci, siue sufficienti, adesse liberum arbitrium à necessitate, seu indifferentiæ ad vtrumlibet. Alia nihilominus adiungam ex eodem Augustino loca, inter quæ est illud de Prædestinatione, & Gratia cap. 9. vbi habet. *Ne verò rursus homo, in vltimam fessus desidia relapsus, arduum virtutis iter, & quamuis adiuuante gratia Dei, nonnisi labore gradiendum, neget sibi, credat posse deferri.* Ecce hæresim quam oppugnamus. *Et nullius laboris industriam studio sui profectus adhiberet, ita inter se, atque homines Deus, tempora, officiaque distribuens, ordinauit, vt vocatione ipsius, bonorum principia sumeremus; vocati autem, atque illuminati, vias mādatorum eius, boni ingenij intelligentia noscceremus, & eas libero, vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.* Et ne hæc à coactione, an indifferentiæ libertas? An hæc nō legerūt Caluinus, & Lutherus, vel potius non legisse se fingunt? sicut & illud lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 4. *Habet vnusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere, quæ mala, & esse arbor mala;* non quidem eligendi bona absque Christi gratia, sed quia ipse lux est, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Illud item in libro contra Fortunatum, etiam Manichæum, disputatione 2. *Hodie namque in nostris actionibus, antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi.* Rursus illud lib. 12. de Trinitate cap. 12. *Neque enim potest peccatum non solùm cogitandum suauiter, verùm etiam efficaciter perpatrandum, mente decerni, nisi & illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in opus mouendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat, aut seruiat.* Atque illud tandem, vt alia innumera taceam, sermonis 191. de tempore in fine. *Nos sic dicimus hominem semper, & peccare, & non peccare posse, vt nos liberi confiteamur. & addit, hæc est fides dilectissimi fratres, quā in Catholica didicimus Ecclesia, quamq; semper tenuimus, & tenemus.*

743 Dicunt tertiò, quòd & si hæc aliquando asseruerit Augustinus, deinde retractauit, vt videre est in libro primo Retract. cap. 15. in illis verbis. *Peccatum, quod non est, nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est, quod iusta damnatio consecuta est, hoc enim per vnum hominem intrauit in mundum.* Hoc

au-

autem peccatum, quod per vnum hominē intrauit in mundum, originale est, quod fuit commissum ex prima libertate Adami.

744 Sed versipelles isti volunt confundere peccatum originale, (quod sicut nos nō immediatè operamur, sed contrahimus in origine: ita nec nostra libertate, sed originis libero arbitrio incurrimus) cum nostris actualibus peccatis, quæ operibus malis, à nobis immediatè pendentibus, annectuntur, atque ita à nostra voluntate, & arbitrio fiunt: versutia retractationē vocātes, vt incautos decipiant, quæ non retractatio, sed modificatio, siuè monitio est. Conspiciens enim Augustinus, quod similibus locis possent vti Pelagiani, vt inde probent nullum posse nos contrahere originale, in quod nostra voluntas non habet posse ab eo abstinere, vel non abstinere, vt patet ex eodem Augustino his verbis in citato loco exaratis, *Quod dixi numquam, nisi in voluntate, esse peccatum, possunt Pelagiani per se dictum putare propter paruulos, quos ideò negant habere peccatum, quod eis in Baptismate remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis vtuntur*: Ideò explicat, quòd, quando docet peccatum non esse, nisi in voluntate, in cuius potestate sit abstinere, vel non abstinere, &c. intentionem direxerat ad peccatum propria voluntate originis commissum; quod, *Illud præcipuè*, ait, non verò solùm, *intelligendum est, quod iusta damnatio consecuta est*; *&c.* Volens deindè ostendere, quòd sicut est peccatum, siue operis proprij, siue originis, ita & libertatem arbitrij, siue proprij, siue originis requirat, cōcludit, *Sic enim ostenditur sine voluntate nullum esse peccatum, siue in opere, siue in origine*. Vide circa hoc, quę latè offero num. 988. Volūtatē autem per Sanctum Doctorem esse tunc dūtaxat, quando libero arbitrio operatur, ostēdi iam numero 740.

745 Tertium tandem ex ijs, quæ distinxi, punctum pluribus etiam explicitis Augustini locis conuincitur, sicut ex illo libri de bono Viduitatis cap. 17. vbi respondens Augustinus conuicijs Pelagianorum, illi falsò attribuentium, quod dogma est Lutheri, & Caluini, nimirum necessitatem gratiæ Christi auferre liberum arbitrium: sic habet, *Proindè arbitrium voluntatis humanæ nequaquam destruimus, quando Dei gratiam, qua ipsum adiuuatur arbitrium, non superbia negamus ingrata, sed grata potiùs pietate prædicamus; nostrum enim est velle, sed voluntas ipsa etiam monetur, vt surgat, & sanatur, vt valeat, & dilatatur, vt capiat, & impletur, vt habeat.* Et ex libro de Spiritu, & Littera cap. 30. *Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? absit: sed magis liberum arbitrium statuimus: sicut enim lex per fidē, sic liberū arbitriū per gratiā non euacuatur, sed statuitur: neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio; sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij; per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionem legis operatio: & per hoc, sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impletur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur: quia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligatur.* Illo item ex libro de Corrept. & grat. cap. 1. *Liberum itaque arbitriū, & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisquis iustitiæ, seruusque peccati: in bonis autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit, si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Illo præterea lib. 1. ad Simpl. quæst. 1: *Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non vt impleat homo iustitiā, cùm voluerit: sed vt se simplici pietate conuertat ad Deum, cuius dono eam possit implere.* Sed quando esset finis, si omnia loca Augustini, in quibus liberum arbitrium ad benè operandum adstruit, mediante gratia sanāte, vellem huc adducere? Sufficiat contra hos hæreticos concludere illis verbis Augustini in Exposit. Euangelij Ioannis tractatu 13. *Si quis istam quæstionem*, nimirum de necessitate gratiæ Christi Redemptoris, & subsistentia liberi arbitrij, *liquidiùs, & meliùs nouerit se posse, & confidit exponere, absit, vt non sim paratior discere, quàm docere: tantū ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, vt nobis orationem, qua dicimus, ne nos inferas in tentationem, conetur auferre*, quod asserebant Pelagiani. *Rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum.* Quod, secundùm saltem primā partem, faciunt nunc Lutherani, & Caluinistæ, *Sed audiamus*, subiungit Sanctissimus Doctor, ac etiam, iuxtà confessionē volentis, vel nolentis Caluini, Scripturarū Sanctarum fidus interpres, *Dominum, & præcipientem, & opitulantem: & iubentem, quid facere debeamus, & adiuuantem, vt implere possimus: nam quosdam nimia suæ voluntatis fiducia*, nempè Pelagianos, *extulit in superbiā: & quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia*, (Lutherani sunt isti, & Caluinistæ,) *deiecit in negligentiam: Illi dicunt, vt quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt, vt quid conamur benè vincere, quod in Dei est potestate? O Domine, ò Pater, qui es in cælis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo.* *Audiamus*, contra Pelagianos, *Dominum dicentem*

centem, rogans pro te, Petre, ne deficiat fides tua: nec sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, vt diuino non egeat adiutorio. Audiamus & Euangelistam. Contra Lutherum, & Caluinum, *dicentem, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omninò existimemus in nostra potestate non esse, quod credimus.* Relictis itaque falsariis Magistris, filijs Diaboli, dicant cũ Sanctissimo Doctore, fido Sanctarum Scripturarum Interpetre, qui vsque modò laruas Lutheri, & Caluini amplexati sunt, *O Domine, ò Pater, qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, &c.* Si namque Dominum deprecatur Magnus Augustinus: & nos, vt cum ipso oremus, atque audiamus, exhortatur: ex proprio sensu loquitur, non vt falsarius Caluinus somniat, verbis, ab Aduersarijs concessis, vtitur.

746 An iterum noua dicent versutia, quòd, & si hæc aliquando docuerit, deindè retractauerit? si ita dicent, afferre deberent vbi, & quando doctrinam retractauerit, quam, vt non semel ex dictis patet, in Catholica didicisse Ecclesia fatetur. Sed intelligite insipientes in corde, & stulti aliquando sapite. Legite Augustinum libro 1. Retractationũ cap. 10. vbi referens, quæ dixerat lib. de Genesi ad Litteram cap. 3. *Illud antem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporaliũ se ad eius præcepta seruanda conuertunt: quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Legite, inquam, & inuenietis, si se retractat, an si potius ratificat, quidue moneat, *Non extiment*, ait, *noui heretici Pelagiani secundùm eos esse dictum: verùm est enim omninò omnes homines hoc posse, si velint, sed preparatur voluntas à Domino:* non quidem omnibus, vt velint, sicut facit cum Electis: sed omnibus, vt possint, *Et tantùm augetur*, subiũgit, *munere charitatis, vt possint.* Legite cap. 9. vbi recenset plurima loca, in quibus egerat probando liberum arbitrium, nulla facta mentione de gratia, qua liberum arbitrium indiget, vt possit benè viuere: & deindè Pelagianos monens, non se retractans, subiungit, *In his ergo huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebam, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam, sed frustra hoc putant: voluntas quippe est,* (quæ voluntas non est, sed cupiditas, nisi sit libera, vt patet ex dictis,) *qua & peccatur, & rectè viuitur, quod in his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa, nisi Dei gratia liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuuetur, rectè, piéque viui à mortalibus non potest.* Legite caput 23. & reperietis Augustinum sic Pelagianos monentẽ, *In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem: sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est, dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.* Et deindè, *sic intelligẽdum est*, ait, *quod & dixi postea in nostra potestate esse, vt vel inseri bonitate Dei, vel excidi eius seueritate mereamur: quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem: quæ cùm fortis, & potens præparatur à Domino, facilè fit opus pietatis, etiam quod difficile, atque impossibile fuit.* Legite cap. 24. & inuenietis Sanctum Doctorem retractare se quidẽ de eo, quod in aliquibus locis dixerat, nempe fidem esse opus nostrum, operari verò bene illius, qui credentibus iam dat Spiritum Sanctum: quasi fides præcedat Christi gratiam, & de hoc verè se retractat, inquiens, *Profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dãtur in eodẽ spiritu.* Sed nõ se retractat de admissione libertatis, imò ad vtrumque opus extendit dicens, *Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis: & vtrumque tamen datum est propter spiritum fidei, & charitatis.* Legite tandem, ne prolixior sim, cap. 26. nam videbitis, quòd referens quæsitum quoddam, *Vtrum peccatum, & rectè factum in libero sit voluntatis arbitrio*, quod soluerat, nulla facta mentione de gratia, affirmatiuè in libro 83. Quæstionum, in præfato loco subiungit contra Pelagianos, *Quod ita esse omnino verissimum est: sed, vt ad rectè faciendum liberum sit, Dei gratia liberatur.*

747 Ratione tãdem, quæ colligitur ex dictis, idem horum hæreticorum figmentũ confoditur: nam vbi non est in agente talis libertas, vt ideò opus sit, quia hæc est causa, vt sit, non illi attribui potest, quòd sit siue bonum, siue malum opus, quod est: sed illi, vi cuius est; ergo, nisi homini tale de facto, & post originale sit liberum arbitrium, quod possit ex se deflecti siue ad bonum, siue ad malum, nec bonum potest illi imputari, vt meritum, nec malum in demeritum; tota autem Scriptura mercedem meritorum, appellat gloriam respectu illorum, quibus datur: & pœnam demeritorum cruciatum æternum respectu illorum, quibus infligitur; ergo necesse est, quòd Scriptura supponat libertatem operãdi in homine, etiam post peccatum. Antecedens autem huius discursus est ita ex se clarum, insitumque à natura creaturæ rationali, vt mirum valde sit reperiri posse vel vnum, rationis compotem, qui illud inficietur, *Neminem vituperatione, supplicioque di-*

gnum, qui aut id velit, quod iustitia velle nō prohibet; aut id non faciat, quod facere non potest, ait, Augustinus lib. de duabus Animabus contra Manicheos cap. 11. *Cantant & in Montibus Pastores, & in Theatris Poetæ, & Indocti in Circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in Sacris locis, & in Orbe terrarum genus humanum*. Et legas paulò ante vndè, quia ait, *peccatum sine voluntate esse non posse omnis mens diuinitùs conscriptum legit*. Vndè meritò docet Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 1. *Illud bonum, quo commendatur ipsa iustitia in damnandis peccatis, rectèque factis honorandis, quomodò esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? non enim aut peccatum esset, aut rectè factum, quod non fieret voluntate: ac per hoc & pœna iniusta esset, & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam: debuit autem, & in supplicio, & præmio esse iustitia, quoniam hoc vnum est bonorum, quæ sunt ex Deo: debuit igitur Deus dare homini liberam voluntatem*. Pari modo loquitur in libro 83. Quæstionum quæst. 24. *Iustus autem*, inquit, *regens, & gubernans vniuersa, nullam pœnam cuiquam sinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dari: meritum autem pœnæ peccatum, & meritum præmij rectè factum est: nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam rectè potest, qui nihil fecerit propria voluntate; est igitur, & peccatum in libero voluntatis arbitrio*.

748 Sed dicere possunt hic hæretici, quòd in Adamo peccante nullum penitus influxum habere potuit liberum arbitrium posterorum, quod non dum creatum, nec vllo modo erat existens: quidquid namque sit, an omnis creatura coexistat indiuisibiliter æternitati Dei toti, & non habeat nunc coexistit: priùs, dum non erat, non coexistebat: inconcussum tamen est, quò creaturæ non sibi coexistunt, nisi in se ipsis simul existant; non ergo liberum arbitrium posterorum, quod non erat, poterat quoquo modo influere in peccatum Adæ; vel ergo homines singuli in se non contrahunt peccatum Adæ; si ad peccandum requiritur voluntas libera peccantis, & hoc est hæresis Pelagiana: vel ad peccandum nō requiritur influxus liberi arbitrij, sed sufficit voluntas Dei, volentis homini peccatū, vel bonum factum attribuere: sicut volūtate Dei, non posterorum, cōtrahitur ab hominibus peccatum originale.

749 Sed hic tamen discursus videtur prima facie aliquam difficultatem præferre, dum confunditur ratio peccati originalis cum actualis: at si ista peccata secundùm quòd diuersa sunt, distinguantur, statim euidēs fiet, quomodò non sit vllo modo iniustus Deus, attribuens posteris Adæ peccatum originale sub ratione peccati, quamuis ad illud concursum habere non potuerit liberum singulorum posterorum proprium arbitrium, non dum existens: esset autem iniustus, si ipsis attribueret peccatum actuale absque concursu proprij liberi arbitrij: vel etiam peccatum Adæ, tamquam actuale peccatum posterorum. Rursus clarescet quomodò ad peccatum originis, vt tale, non requiratur voluntas propria contrahentis illud, sed sufficiat liberum arbitrium alicuius, instituti capitis posterorum: vi cuius etiam liberum arbitrium illius sit moraliter, absque vlla vmbra inconuenientiæ, imò cum maxima conuenientia, proprium posterorum; atque adeò vniuersaliter verùm est, quòd nullum imputari potest cuicumque peccatum, quod non sit voluntatè propria commissum, siue physicè relatè ad actuale, siue moraliter relatè ad originale, sicut paucis docet Augustinus lib. 1. Retract. cap. 15. dicens; *Sic enim ostenditur sine voluntate nullum esse peccatum siue in opere, siue in origine*.

750 Originale ergo peccatum; quà tale (vt hinc æquiuoca horum hæreticorum detegere incipiam) diuersum est à peccato actuali: non quasi originale non actù contrahatur, cùm actù concipitur homo, & actù, cùm priùs non fuerit, incipiat esse in eo: hoc namque modo aliqualiter est actuale, & conuenit cum peccato, quod absolutè dicitur actuale, in quantùm ambo actù incipiunt esse in homine, cùm priùs non fuerint: ad differentiam peccati habitualis, quod dicit perseuerantiam moralem in peccato, iam physicè præterito: non verò inceptionem. Differt ergo peccatum originale, vt tale, à peccato actuali proptio in hoc, quòd istud importat in peccatore hic, & nunc actum physicum, quo hic, & nunc physicè, & positiuè peccator auertitur à Deo, & conuertitur ad se ipsum, siue ad bonum commutabile: originale non ita: nec enim cùm homo concipitur, & originale contrahit, habet actum physicū proprium: neque hic, & nunc est ille actus positiuus inobedientiæ Adami, per quem peccauit ipse actualiter: & in se, tāquam in origine, infecit suos posteros: aliō autem modo, quàm actu positiuo, hic, & nunc existente, contrahitur actū peccatum originale. Vt autem notum fiat quomodò contrahatur actū originale peccatum à posteris, necesse est priùs cognoscere rationē peccati, eiusque malitiam, ratione cuius illi debetur pœna: & hinc aliud eorumdē hæreticorum æquiuocum detegemus, quo

pœnam peccati afferunt esse peccatum formaliter, & nouæ pœnæ meritorium. Peccatum ergo in ratione malitiæ, & vt radix prima mala, cui adiungitur debitum passiuum pœnæ, definitur communiter cum Augustino, magistra ipsa ratione, & experientia, in libro 1. ad Simplic. quæstio. 2. his verbis: *Est autem peccatum inordinatio, atque peruersitas; idest à præstantiore conditore auersio, & ad condita inferiora conuersio.* Hæc ergo est malitia, & peruersitas peccati, ratione cuius meritoriũ est pœnę cuiuslibet: quia nimirum creatura rationalis, paruipendens infinitam bonitatem conditoris, auertit se ab illo, se conuertens ad bonum commutabile, & creatum. Et hinc Adam siue voluntate complacendi Euæ, siue desiderio euadendi, sicut Deus, sciens bonũ, & malum, Dei præceptum despexit, & ad sui commodum conuersus, comedit pomum: ob quam inobedientiam incurrit in pœnam, iram, & odium Dei, perditionem omnium donorum, quæ Deus illi, cùm creauit, supra exigentiam naturæ, contulerat, tum scilicet iustitiam originalem, tum gratiam sanctificantem, & eleuantem. Rursus ex deperditione iustitiæ originalis incurrit bellum cōcupiscentiarum, mortē æternam, & temporalem, labores, ærumnas, infirmitates, inimicitias cum animalibus terræ, quæ priùs subiecta erant eius dominio, &c; isthæc ergo omnia pœnæ fuerunt peccati auersionis Adæ à Deo, & cōuersionis ad se ipsum, contra eiusdem Adæ voluntatem, & inuitus inflictæ, non verò sunt quasi noua, & diuersa peccata. Pari consequenter modo in contractione peccati originalis posterorũ debemus distinguere id, quod, vt pœna, consequitur ad culpam, ab eo, quod est originalis culpa: debemus, inquam, inuenire aliquid, auersionis hominum à Deo, & conuersionis ad bonum commutabile, ob quod reliqua omnia, tamquam pœnæ, consequantur.

751 Hoc autē facillimè percipitur, si Scripturæ humiliter præbeamus auditum, & nō superba fronte illi resistamus: præ oculis habentes, quòd Deus creauit, *hominem rectum*; vt docemur Ecclesiastes 7. & deinde sicut dicitur Ecclesiastici 17. *Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos, testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiã, & iudicia sua ostendit illis*. In hac ergo indicatione Dei ostensione, vnum fuit, quòd Adam constituebat caput, & originem, non solùm quoad naturam posterorum, sed etiam quoad spiritualem vitã: taliter, quòd, si ipse obediens fuerit diuino mandato, omnes ab eo descendētes forent producendi cũ iisdem donis gratuitis, cum quibus fuerat gratuito & ipse productus, nimirum cum rectitudine conuersionis ad Deum, cum iustitia originali, cum gratia, tum sanctificante, tum eleuante, &c. si verò ipse peccauerit, non solùm fore Deum spoliaturũ illum omnibus prædictis bonis, sed etiam omnes descendentes fore producturum in puris naturæ, & absque vllo bono gratuito, & naturæ indebito. Numquid pactum hoc vmbram vllam inconuenientiæ dicit, cùm agatur præcipuè de donis, naturæ rationali non debitis? an non etiã ipsi Principes, & Reges terræ conuenientissimè id faciunt, promittendo v. g. Duci militiæ aliquem extimabilem, & fructiferum titulum ipsi, & suis descendentibus supra ordinariam mercedem, si victoriam ab inimicis deferat; nec pro se autem, nec pro suis descendentibus id ipsum consecuturus, si victor non regredietur? Crederem, quòd laudantur Principes ita se gerentes cũ suis subditis, non verò exprobrantur. Quòd autē Deus creauit Adam, non in pura natura rationali, sed cum actuali rectitudine ad se ipsum, cum iustitia originali, & gratia sanctificante, ac eleuante, &c. dona sunt indebita: atque adeò benè potuit velle Deus & conseruationem, sicut & communicationem eorumdem descendentibus cum dependentia ab obedientia Adami, qui cōuenientissimè, & absque vllius iniuria poterat eadem vel nulli, vel soli Adamo, aut etiam simul Euæ, tribuere. Hoc autē pacto, & testamento cum Adamo inito, facta est voluntas Adami moraliter voluntas etiã posterorum, tamquam causa, à qua bene, vel malè operatura, dependere debuit cōmunicatio, vel carentia præfatorum donorum respectu posterorum. Quis id inficiari poterit?

752 His ita positis, ac etiam probatis, euidens in primis fit, in quo consistat malitia peccati originalis, contracti à posteris, prout distincta à pœnis, quas iidem posteri per talem malitiam incurrunt: non enim consistit in voluntate Adami formaliter, prout facta moraliter cōmunis posteris, sed causaliter: cùm enim talis voluntas actù non sit, imò fuerit à Deo condonata Adamo, non potest ratione sui actù inficere posteros, & præcipuè, quia nec ad talem voluntatem Adami influxum habuerunt voluntates posterorum: inficit autem causaliter actù posteros, eosdemque, cùm producuntur, seù concipiuntur, & incipiunt esse, reddit causaliter auersos à Deo, & conuersos ad bonum commutabile, in quo consistit formalis malitia peccati: reddit tamen priuatiuè,

non

non positiuè, ad quod sufficit, si voluntas fuerit, & priuauerit ex parte sua, non autem requiritur, vt actù sit. Videas quàm clara, & ferè manibus tangibilis sit hæc doctrina: vi promissionis Dei, & testamenti initi cum Adamo, omnes posteri acquisierunt conditionatum quoddam ius, vt crearentur, sicut fuit creatus Adam, cum positiua conuersione ad Deum, si non accessisset peccatum Adami; ex quo fuissent vi talis iuris, si nec ipsi deperderent, digni amoris Dei, & hæredes vitæ æternæ, cæterorumque donorum: peccante autem Adamo deperdiderunt talem conuersionem ad Deum in iure promissionis; deperdiderunt, inquam, in causa, sed non subiectiuè, quia tunc non erant posteri, qui subiecta fuerint talis iuris: sed statim, ac concipiuntur, nascuntur cum carentia illius; quod importat priuatiuam auersionem à Deo, & ideò cum merito priuatiuo deperdendi omne aliud donum, quod homini recto, & conuerso ad ipsum Deum, vt in eadem rectitudine posset permanere, tribueret Deus: non tamē cum positiuo demerito: ac propterea omnes Theologi dicunt peccatum originale non esse punibile pœnis positiuis positiuè infligendis, sed priuatiuis, ablatione nimirum illorum bonorum, quæ hominem in prima conditione ex Dei gratia illū felicem reddebant. Euidens fit secundò, quòd malitia peccati originalis non consistit in priuatione iustitiæ originalis, sedantis concupiscentias: nec in priuatione gratiæ, vel iuris ad gloriam: sed in priuatione primi iuris, nascendi cū conuersione ad Deū, & auersione à rebus mutabilibus, cui cōuersioni, sicut cætera dona sunt annexa, vel debita, siue proportionata, ita ad priuationem eius cætera auferuntur in pœnam; nec item in motibus cōcupiscentialibus, vt somniant isti, vi quorum homo trahitur ad delectabilia creata, & auertitur inuoluntariè à Deo, quia isti motus insurrexerunt per ablationem iustitiæ originalis, eos, cùm erat in homine, soporantis: cùm ergo ablatio talis iustitię sit pœna peccati, nō peccatū, motus consequentes erūt etiā pœna peccati, non peccatum. Euidens fit tertiò, quare Deus ita peccatum originale puniens, nō sit iniustus, nec iniustè voluerit Adamū futurum caput cæterorum modo explicato; quia nimirum tale peccatum non communicatur positiuè, sed priuatiuè: nec pœna vlla supra, aut contra naturam, punitur, sed solùm priuatione donorum gratuitorum, quæ in voluntate Adami conditionatè promiserat, quæque, etiam non posito peccato, poterat nō tribuere; nunc verò rationē pœnæ sortiuntur, quia peccato non existēte Adami, fuissent vi gratuitæ promissionis Dei omnibus posteris debita.

753 Ad argumentum ergo supra adductum numero 747. dico verum esse voluntates posterorum, quæ non erant, nullum potuisse habere influxum in peccatum Adæ: huius tamen voluntatem, qua peccauit, fuisse factā moraliter nostrā, non quidem ad positiuè nos afficiendum, sed priuatiuè: quatenus, si talis mala voluntas non fuisset, nos ex gratuita Dei voluntate ius haberemus nascendi filij Dei, cum conuersione ad ipsum, hæredes Regni, cæterorumque donorum, quæ Deus nostro Protoparenti, cū creauit, contulerat: sed tali deindè peccantis Adami mala voluntate omne ius ad dona gratuita in causa perdidimus, vndè nascimur filij iræ, filij vindictæ, & gehennæ, priuatiuè, non positiuè, non digni videlicet amoris Dei, sed vindicante etiam in nobis Deo tale originis peccatum, ablatione iurium ad sua dona, quæ nobis in nostro parente promiserat, & in gehennam priuationis Regni exiliante. Atq; ita firmū manet dogma Catholicum, de quo Augustinus supra numero 743. *Sine voluntate nullum esse peccatum, siue in opere, siue in origine.*

§. SEXTVS.

Futilia Hæreticorum argumenta confringuntur.

754 Argumentum primum, quod plus peruicacia voluntatis, quàm discursu rationis formant hæretici isti, fundant in fucata extollentia omnipotentiæ diuinæ: asserendo non subsistere omnipotentiam diuinam, si in rebus producendis non sit ipsa, & sola causa omnium. Ecce verba Buceri discipuli Lutheri in illud Pauli ad Romanos 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Ex hoc*, ait Bucerus, *quòd Deus non sit efficax nostræ indurationis causa, nostrique traditionis in desideria mala, cōsequitur nō esse Deum, hoc est, rerum omnium primam, & totam causam*. Ita ergo iuxta horum hæreticorum perfidum sensum potest efformari argumentum. Deus solus est prima, & totalis causa omnium, quæ sunt extra Deum, aliter non esset Deus omnipotens; ergo qui admittit aliquid esse à nobis, & non ex so-

lò Deo, vt causa principali, & efficaci, negat Deum, negando illi rationem primæ, & totalis causæ rerum omnium: ac consequenter negando eum esse omnipotentem.

755 Quod argumentum posset roborari ita, quidquid posset creatura alicui effectui, saltem de positiuo, præbere, id habet, ei communicatum ab omnipotentia Dei; ergo omnipotentia continet etiam illum cōcursum, quicūque concipiatur exhibendus à creatura; ergo omnipotentia potest omnia quæcumque extra illā sunt, se sola efficere, vt prima, & totalis causa; ergo ita defacto facit, ne dicatur à nobis aliquid emendicare, vt fiat. Vltra quàm quòd superfluè ponitur concursus creaturæ, quando Deus concurrere debet, & totum præbere potest.

Sed iam obliti sunt heretici isti de libertate hominis in prima sui conditione: si enim asserere Deū, nō esse causam totalē nostrarū actionū, est asserere per ipsos nō esse ōnipotentem; nec ergo primus homo ante peccatum poterat quidquam præstare in suis operibus, cùm nō potuerit Deus nō esse omnipotens: aut si concedunt posse creaturam coagere Deo non præiudicare omnipotentiæ, ruit totum argumentum: quod enim possibile est, vt fiat absque præiudicio omnipotentiæ, neq; si actū fiat, eidem præiudicabit.

756 Respondeo ergo argumento, quòd Deū non agere hìc, & nunc, vt causam totalem, sed admittere consortium causæ creatæ, cōstituit, tantùm abest, vt destruat, Dei omnipotentiam: esse namque omnipotentem dicit posse omnia; ergo, si Deus non posset communicare creaturæ agere, iam hoc nō potens, non esset omnipotens. Non ergo derogat omnipotentiæ diuinæ creaturam simul cum Deo aliquid agere, quia hoc nascitur non ex Dei indigentia, quasi se solo totum non possit: sed ex affluentia, ratione cuius non solùm ipse omnia se solo potest, sed etiā, vt idipsum alijs, cum dependentia ab ipso, communicare valeat: vt & creaturis in agendo ex suo dominio summo vti possit, cùm velit: & non vti, cùm hoc ei placuerit. Vnde ad argumentum in forma, distinguo antecedens. Deus est causa prima, & totalis omnium, quæ sunt extra Deum in actu primo, in quantum potest, concedo; in actu secundo, ita vt defacto omnia ipse se solo producat, nego antecedens. Nō esset ergo Deus omnipotēs, si non posset: non verò, si actū non vult se solo agere: imò, quia etiā potest agere non se solo, ideò est omnipotens: atque inde nego consequentiam. Aduertendum tamen est, quòd omnia quoad esse physicum sunt bona, sed aliqua annexam habent negationem quamdam debiti ordinis, & rectitudinis, recedendo à conformitate cum regula rationis: vnde ista, & si ratione physicæ bonitatis non inficiant agens, ratione tamē negationis annexæ imperfectionem inferūt in agente: & tales sunt omnes actiones ex se peccaminosæ; has ergo continet Deus quoad esse physicum, sed non valet se solo efficere, vel esse causa determinatiua illarum, quia ratione defectus annexi opponuntur Dei bonitati. Atque ita harum tribuit creaturæ posse quoad esse physicū, prohibens deindè, ne faciat ratione negationis annexæ: &, si suo posse vtens, facit, indè malitia, & peccatum. Quidquid ergo creatura potest, (vt ad confirmationem argumenti respondeam,) à Deo communicatū habet quoad esse physicū, & quoad hoc esse totū potest Deus se solo; sed quia effectus isti creati sunt, non includentes omnē perfectionem, inter alios effectus sunt aliqui, qui imperfectionem includunt, imputabilē agenti libero: hos aurē, sicut continet Deus quoad esse physicum, ita & potest creaturæ quoad idem esse communicare: sed ratione defectus, imputabilis agenti libero, se solo nec producere, nec determinare potest, quia summè bonus, & rectus: potest autem id præstare creatura, quia defectibilis est.

757 Instare hìc possent iidem hæretici hoc modo: si Dei bonitatem dedeceret ponere se solo similes effectus, ne eorum malitiæ Deus dicatur Author, non minùs dedeceret tribuere posse creatæ voluntati ad illos: & vt causa prima liberè se determinare ad concurrendum ad illos cum eadem causa creata: iam enim per hanc liberam determinationem etiam Deus est concausa libera, & principalior eorumdem actuum. Atqui hoc secundum non negatur communiter; ergo nonnisi gratis negatur primū; atque in vtroque casu negandum est fore Deo imperfectionem malitiæ attribuendam.

758 Respondeo maximā esse disparitatē in vno, & in alio casu: in primo namque, siue Deus det creatæ voluntati posse, siue cum ea concurrat, vt causa prima, nullo modo ingreditur rationem causæ in ordine ad malitiam: at in secundo, vel esset se solo illius causa, vel principalis: quod euidenter ostendo. Et quidem quoad primum positum, nempè quoad posse, certum est, quòd posse deficere à rectitudine conformitatis cum regula rationis, defectū importat in creatura: defectū tamen mutabilitatis, & non inclusionis omnis perfectionis: sed non im-

impuiabilem nec ipsi creaturæ, quæ causa talis sui defectus non est: nec Deo, ad cuius perfectionem, non verò imperfectionē pertinet, vt possit infinitas creaturas producere, distribuendo singulis determinatas perfectiones, non omnes: sicut autem posse deficere à regula rationis, & actù liberè non deficere perfectio est: & quid laude, non vituperio dignum, quo pacto non esset, si potentia deficere non posset: ita præbere Deum creatæ voluntati solùm posse deficere, aut non deficere, opus laudabile, atque bonum est, & nihil Deo indignum affert; cùm potius effectus bonus huius potentiæ, ideò bonus sit, quia potentia ad vtrumlibet est. Id ergo, quod in hac potētia malum est, & imputabile, nec est ipsa potentia, nec eius actus bonus, sed actus declinans à conformitate ad rectam regulā rationis; qui ei imputatur, quòd causa est, vt sit, cùm potuerit non esse; si ergo Deus se solo poneret, aut ipse determinaret, vt esset, absque dubio ipsi imputandus esset, & non illi, quòd non esset causa, vt fieret; at quando Deus solùm concurrit, vt prima causa, complens creaturam, non ipse est causa, vt sit talis actus, sed creata voluntas: Deus namque non liberè concurrit ad hūc determinatum actum præ illo: sed solùm liberè se determinauit ad complendam potentiam ad vtrumlibet, non ad vnum præ alio; ergo, quòd sit determinatè actus malus, à creata voluntate est, non à Deo; ac consequenter creatæ voluntati imputandus erit, non Deo; non ita discurrendum est de actu bono, ad quem Deus, vltra concursum indifferentem, præstat etiā motus gratiæ facientis, vt voluntas operetur: sicut alibi dictum est.

759 Secundum argumentum formant ex quibusdam Scripturæ locis in sensu peruerso ab iisdem hæreticis explicatis: sunt autē hæc loca subsequentia, nimirum ille ad Romanos primo, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*. Et, *tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt*. Et ille Isaiæ 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude; ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum*. Ille item ad Romanos 1. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Rursus ill: Exodi 10. *Dixit Dominus ad Moysen, ingredere ad Pharaonem: ego enim indurauì cor eius, & seruorum illius, vt faciam signa mea hæc in eo*. Insuper ille Amos 3. *Si erit malum in Ciuitate, quod Deus nō fecerit?* Et tandē ille Matth. 6. *Ne nos inducas in tentationem*: ex quo, aiūt, patet à Deo induci, qui inducuntur in tentationem. Si ergo hæc à Deo per Scripturam dicuntur fieri in pœnam vel originalis, vel præcedentium peccatorum actualium, quis erit, qui Deo pœnas has, replicāt, instigēti resistere valeat? ergo per originale periit funditus liberum arbitrium.

760 Verùm infirmus ad mortem medicinales omnes cibos respuit, & complacet dūtaxat de noxiis: cur namque, qui hæc loca seligunt de scriptura, non etiam mente reuoluunt alia omninò opposita sensui, quē phrenetici isti impingūt iam adductis? si enim Deus sua efficaci voluntate tradit peccatores, & impios in desideria sua, & reprobum sensum, quomodò stabit illud Ezechiel 33. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat?* Scio, quòd de electis dūtaxat explicabunt hæc verba: hanc tamen responsionem ostendi mendacem numero 690. progrediamur vltra: legerunt ne hæretici isti illud Iacobi 1. *Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat: vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus?* An etiam hic sermo est de Electis, & non peccantibus, cū subiungat Apostolus Iacobus, *Deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum?* Quid ergo confingunt hæretici isti, quòd du n Matth. 6. dicitur, ne nos inducas in tentationem, supponitur à Deo induci, qui in tentationem inducuntur? Et si opponitur diuinæ bonitati tentare ad peccatum, quomodò eum eadem componetur, vt Deus sit principalis, imò vnica causa peccatorum? numquid non hominibus post originale, & quibus in pœnam surrexit concupiscentia, dicitur, quòd, *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat: vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus?* Rursus, si, *Non est malum in Ciuitate, quod Deus non fecerit*, vt causa principalis, & efficaciter illud volens, quid est, quod dicitur Ecclesiastici 15. *Non dixeris, per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris, non dicas, ille me implanauit?* Non Adamum certè, tot anterioribus sæculis iam defunctum, sed homines præsentes, & futuros compescere satagebat Ecclesiasticus, ne dicerent: *Per Deū abest*: Nec maior vlla potest excogitari implanatio in mala, quàm esset illa conficta ab his hæreticis, vt Deus producat in nobis mala ipsa. Et videant præcipuè isti Sacrilegi, vnde Deus neminem potest implanare in mala, quia nimirum illa odit, ne faciamus; cùm ergo etiam post originale ea odio habeat, nec post originale potest

in

in pœnam tradem nobis velle. Relinquo, quòd per hos perfidos hæreticos, vt constat ex dictis, decreto etiam Dei, terribili quidem, sed non inficiando, perijt Adam, &c.

761 Respondeo ergo argumento, loca Scripturę omnia ab eodem Deo summè vero, & veraci fuisse reuelata: ideòque omnia, & singula inconcussam continere veritatem; ac consequenter, si aliqua quoad verborum sonum oppositionem videantur præferre, suum nihilominus sensum, ab omni falsitatis vmbra solutũ, seruant: quē, si humiliter, non attrita fronte, & in nobis confidentes, inquiramus, profectò qualis in se est, Deo adiuuante, venabimur. Ille ergo idem Deus, qui, testante Apostolo prima ad Thimotheum 2. *Vult omnes homines saluos fieri*, quique per Ezechielem 33. iure iurando testatur, *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris*: idem Deus, qui iuxtà Iacobum primo, *neminem tentat*, ac Ecclesiastici ore neminem in ea, quæ odit, implanat, tamquam specialis, siue principalis, & efficax causa: idem ipse Deus dicitur tradere impium in sua desideria, & reprobum sensum, vt faciat, quæ non licent, excæcare cor eiusdem, aures aggrauare, oculos claudere, Pharaonem indurasse, mala in Ciuitate facere, atque in tentationem inducere: sed non, vt causa specialis, vel principalis, aut efficaciter volens: sed tantùm, vt causa permissiua: eò quia nimirum potens hæc impedire, dum non impedit, quodammodò facere dicitur. Creatura quidem, si malum proximi impedire poterit, ex præcepto charitatis impedire tenetur: quia causa specialis est, & non eius interest naturas singulorum in suo naturali iure seruare: at Deus, vt causa vniuersalis, & naturæ omnis creatæ Author, debet omnibus sinere, vt suos peragant motus: & ideò non eius dedecet bonitati motus malos creatæ voluntatis non impedire, cùm indè præcipuè plura alia bona possit ipse sua omnipotentia extrahere, nimirum ostensionem suæ iustitiæ in puniendo, vel misericordiæ in subleuando, &c.

762 An non hæretici isti, qui supra reliquos Sanctos Patres Augustinum fidum Scripturarum Interpretem proclamant, poterāt legitimum sensum locorum Scripturæ, ab ipsis adductorum, ex eodem Augustino sugere, si voluissent? Eumdem namque locum ipsum ad Romanos primo examinans, atque explicans in libro quarumdam propositionum Epistolæ ad Romanos propos. 5. ait, *Quod autem dicit, tradidit, intelligitur, dimisit*. Atque ipsummet locum rursus explicans in libro 5. contra Iulianum Pelagianum cap. 3. ait, *Cùm ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, indè fit reus, quòd desertus à Deo, sedit eis, atque consentit*. Videant ne, quòd tradi desiderijs suis hominem, sit deseri, non verò veluti à Deo implanari? Illum item locum, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, adductum in argumento ab hæreticis, videant quomodò explicat Augustinus in libro de Prædest. & Grat. cap. 4. *Sed non ita*, (Lutherum, & Caluinum exprobrat his verbis) *intelligendum est, quasi Deus in homine ipsam, quæ non esset, duritiam cordis operetur: indurare enim Deus dicitur, quē mollire noluerit, sic etiam excæcare dicitur eum*, (Et ita explicat Augustinus aliũ ab hæreticis adductum locum,) *quem illuminare noluerit: sic etiam repellere eum, quem uocare noluerit*. Et quid profectò quoad sonum verborum possent hæretici isti pro eorum errore magis fucatum afferre, quàm sint illa verba Psalmi 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum?* Videant tamen quomodò, explicando eumdem Psalmum, intelligat, *Et hoc*, inquit, *facit Deus apponens iniquitatem super iniquitatem ipsorũ, non uulnerando, sed nõ sanando: quomodò enim auges febrim, auges morbum, non morbum adhibendo, sed non succurrendo: sic quia tales fuerunt, ut curari non mererentur, in ipsa malitia quodāmodò profecerunt*. Circa indurationem tandem Pharaonis legant, quæ vniuersali regula adstruit sermone 88. de tempore: sic enim scribit, *Hoc ergo definitissimè credite fratres, & hoc intelligite: quia quoties Dominus dixit, ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit, nisi ego, inquit, suspendo plagas meas, & flagella, vndè eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto*.

763 Instant nihilominus hæretici isti, Catholicos irridendo in eo, quòd verbum illud, permittere, quasi mollius existiment, quàm sit verbum, operari, vt causa principalis, vel necessitare ad operandum: atque ita arguunt. Homo, etiam Catholicis consentientibus, post originale, nihil potest boni absque Dei gratia, & auxilio eleuante: ergo tali Dei gratia desertus homo impossibilitatur ad bonum, & necessitatur ad malum; ergo permittere hominem peccare, quod est gratia destitutum deserere, idē prorsus, & non quid diuersum est, quàm sit ad malum ipsum necessitare.

764 Sed ita replicant hæretici isti, quia nolunt agnoscere, quòd abyssus abyssum inuocat: & ex vna in aliam, atque aliam, à recta fide semel præcipitati, dilabuntur hæresim, nolētes ex Scriptura, & Sanctis Patribus agnoscere duplex genus gratiæ, nimirum

mirum efficacis, quæ tentationes superans, facit ipsa; vt liberum arbitrium sibi cooperetur: & inefficacis, quæ eleuat quidem, atq; dat posse libero arbitrio, non tamen ipsũ ducit, sed relinquit, vt semetipsum ducat, sicut potest, ad opus: quod tamen deindè concupiscentiarum illecebris allectus, facilè cedit, atque consentit. Peccatorem autem deseri à Deo non est omni nudatum gratia relinqui: sed dumtaxat gratia efficaci, & vincente: cæterùm neminem Deus deserit negatione etiam gratiæ sufficientis, vt infra suo loco probabo: pro nunc autẽ sufficiat locus in superioribus adductus, cõtinens tum Scripturæ, tum Augustini authoritatem: desumptam partim ex Euangelio Ioannis cap. 1. partim ex libro 1. de Genesi ad Litteram, contra Manichæos, ab Augustino elaborato, cap. 3. nimirum, *Illud autem lumen non irrationabilium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt: & ab amore visibilium rerum, & temporalium, se ad eius præcepta seruanda conuertunt, quod omnes homines*, inquit, *possunt, si velint*: vides ne, quòd omnibus datur posse, sed nota vndè id colligit Sanctus Doctor, *Quia illud lumen*, ex Euangelio Ioannis subiungit, *omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*, quæ verba deindè referens in libro 1. Retractationum cap. 10. iterum ratificat dicens, *Verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint: sed preparatur voluntas à Domino: & tantùm augetur munere charitatis, vt possint*. Non ait, vt velint, prout de Electis, & benè operantibus loquens in omnibus libris, quos scripsit contra Pelagianos, & Semipelagianos, ferè semper concludit, probando contra eosdem, quòd opus bonũ nõ est à solo libero arbitrio, sed præcipuè à Deo, qui dat, ex Apostolo ad Philippen. 2. *Velle, & perficere*.

765 Tertium argumentum construunt ex quibusdam locis Augustini, à proprio distortis legitimo sensu, qualis primò est ille ex libro 5. contra Iulianum cap. 3. vbi aiũt, Iulianum refutat Augustinus explicantem, sicut explicant hodie, qui Catholici vocantur, prærecensita verba ad Romanos 1. ita namque Iulianum exprobrans loquitur, *Audis propter hoc, & quæris inaniter, quomodò intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, vt ostendas eum tradere deserendo*? Non ergo approbat, sed reprobat, ac inane inuentũ reputat Augustinus hoc, quod est explicare verba illa, tradi impios desiderijs suis, veluti idem sit, ac gratia diuina deseri. Imò contra hoc ipsum afferens deindè multa ex diuina Scriptura exempla, in quibus Deus dicitur fecisse aliquos impios, & occulto

munera

suo iudicio fuisse in iisdem immissam peruersitatem cordis, vt non audierint verbũ eius, atque peccauerint, sitque subsequẽs peccatum præcedentis pœna peccati: postea concludit contra Iulianum, *Quid est autem, quod dicis, cùm desiderijs suis tradi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi*? Et infra, *An & hic dicturus es, quod ait, ego Dominus seduxi Prophetam illum, intelligendum esse deserni, ut pro eius meritis seductus erraret*? Sentit ergo Augustinus contra Iulianum, Deũ non per diuinam patientiam tradere impios peccaminosis desiderijs suis: sed ad ea in pœnam siue originalis, siue etiam antecedentium actualium, sua potentia compellere: nec, deserendo, Prophetã seduxisse, vt erraret: sed efficaciter volendo. Et indè inscrutabile hoc arcanum scrutari non valens subiungit: *Sed non frustra illi dictum est, iudicia tua abyssus multa: non frustra exclamat Apostolus, O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*. Similis est locus ille contentus in lib. de Grat. & libero arbitrio cap. 21. *Quis*, inquit, *non ista iudicia diuina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus, etiam malorum hominum, quidquid vult, reddens eis tamen secundùm merita eorum*. Et referens deindè plurima Scripturæ loca, in quibus dicitur Deus seduxisse Prophetam, & quòd conuertit corda inimicorum sui populi, vt odirent illum, & vt dolum facerent: ac quòd idem Deus immiserit spiritum erroris in falsis Prophetis, vt crederetur mendacium, & alia similia, concludit, *His, & talibus testimonijs diuinorum eloquiorum satis, quantùm existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quòcumque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorũ, iudicio vtiq; suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto*.

766 Inimici iurati Catholicæ veritatis, & filij Diaboli, quorum intentio tota eò tendit, vt, sicut noctuæ, clarorem declinent fulgentis luminis veritatis, tanta curant diligentia ex Augustini vbique clarescente doctrina aliqua discerpere, & seligere verba, quibus sua caliginosa conficta obtegere valeant. Id ne, petuluaces, contra Iulianum refutat Augustinus in locis adductis, quod Catholicorum adstruit fides? Quid ergo est, quod in eodem libro 5. contra eumdem Iulianum, & eodem cap. 3. docet Augustinus in illis verbis, *Cùm ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, indè fit reus, quia desertus à Deo, cedit eis, atque consentit*. Et infra, *Hos certè, si eos, in quos nobis potestas est, ante*

oculos

oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus: quàm verò innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ vtique, si nolluisset, nulla ratione permitteret, & tamen iustus, & bonus est. Quid est, quod deindè concludit, *Facit hæc miris, & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solùm in corporibus hominum, sed in ipsis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, sed vtitur eis, vt voluerit, cùm aliquid iniquè velle non possit?* His ne Catholicos oppugnat, an potiùs, & Iulianum, & vos ipsos simul cōfodit, qui impiè Deum asseritis, non minùs cautam bonæ conuersionis, quàm perfidæ proditionis Iudæ? Oppugnare videtur vobis Augustinus Catholicorum doctrinā, secundùm quam indubitata fide profitentur Deum nullo modo velle in hominibus mala; non enim ad ea ipsa, quæ odit, vt faceremus, nos implanat, sed solùm permittit, deserendo, à quo deserti cedimus desiderijs malis, atque consentimus: nec tamen Deus ita permittens causa est nostræ malitiæ, sicut essent causa homines potentes eam impedire, & non impediunt: cùm id ipsum doceat præfato loco Augustinus? Dū insuper legistis in libro de gratia, & libero arbitrio, quæ in argumento tanta versutia adducitis: quare non legistis, aut fingitis non legisse, quæ cap. 20. loquens de verbis illis Dauidis, quibus dixerat, quòd Deus præceperat filio Iemini, vt malediceret eidem Dauidi, in quæ ita loquitur, *Nec causa tacita est: cur ei Dominus isto modo dixerat, maledicere Dauid, hoc est, cor eius malum miserit, vel dimiserit.* His namque patet, quòd pro eodem habet mittere in malum, ac dimittere, seu permittere. Et cap. 23. *Quando ergo audiis dicentem Dominum, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & quod ait Apostolus, cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: in eo, quem seduci permittit, vel obdurat, mala eius merita credite.* Nonne his vidissetis, quòd talia similia Scripturæ loca, in quibus Deo attribuitur operatio in malum opus, permissiuè intelligit omnia? Sed & illa alia subsequentia verba, quomodò cum vestris figmentis componitis? *Nec ideò auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus, ego indurani Pharaonem, vel indurabo cor Pharaonis: non enim propterea ipse Pharao non indurauit cor suum: ac per hoc & Deus indurauit per iustum iudicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium.*

767 Vt ergo nunc argumento directè respōdeam, & legitimum verborum sensum in locis adductis cuiqu;pę oculis apponam, cōsiderādam exhibeo Iuliani hæresim, quā tāto studio impugnauit, atque expugnauit Augustinus, circa peccatum originale; Iulianus namque negabat cum Pelagio homines posse infici peccato originali, ad quod influxum singulorum voluntate non habuerint: & indè negabat, ad euitanda peccata, & bona opera facienda, carere homines ex peccato originali sufficiēti posse, & indigere gratia Redemptoris; docebatque singulos homines eodem posse nasci, quo fuit creatus Adam cum perfecta potentia liberi arbitrij: atque adeò dicebat homines absque adiutorio gratiæ Redemptoris solo libero arbitrio benè operari, qui benè operantur: hanc autem hæresim inter alia argumenta, indè refutauerat Augustinus, quòd ex Apostolo ad Romanos 1. dicitur homo in pœnam antecedentium peccatorum tradi desiderijs suis, vt faciat, quę non conueniunt: si autem homo non indigeret gratia eleuante, sed solo arbitrio, omnia posset adimplere præcepta: cùm sēper remaneret arbitrium, non esset, quomodò dicatur tradi in pœnā desiderijs suis: & indè inferebat, ideò dici tradi huiusmodi, quia in pœnam præcedentium peccatorum desertus gratia Christi, vincēte motus cōcupiscentiarum, cedit harum motibus, atque consentit. Istam autem sanā doctrinā deridens, refutare conabatur Iulianus, vt patet ex eodem Augustino in eodem citato libro, *Quod ergo*, ait Augustinus, *in alijs opusculis meis legisse te dicis, atque id frustra refutare conatus es, esse nonnulla peccata, quæ pœna sint etiam peccatorum, deposito vincendi studio, diligenter attende, & inuenies esse verissimum secundùm ea, quæ de cordis cæcitate tractata sunt: quid enim egisti, quæso te, quid egisti cōmemorando Apostolicum testimonium, quo ego illud probaui, quod in alia mea disputatione legisti, quia de quibusdam scripsit dicens, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt, &c.* Volens autem idem Iulianus argumento Augustini respondere, explicat eadem verba Apostoli, non per Dei desertionem negationis auxilij vincentis motus concupiscentiarum, sed præcisè per suspensionem vindictæ, & patientiam, secundùm quam impium relinquit in sua malorum desideriorum voluntate, expectando, vt suo arbitrio recedat, & non castigādo. Et hoc est, quod refutat Augustinus verbis in argumento adductis, *Quid est autem, quod dicis, cum desiderijs suis tradi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi?* Quod totū ex impugnationibus, quibus Iulianum Augustinus oppugnat, euidentiùs conuincitur, sic enim contra ipsum arguit, *Quis verò ita desipiat, vt, cùm audierit, quòd in psalmo*

mo canitur, ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori, hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga illū, si Deus non tradit, vt mala fiant, nisi patientē bonitatem praebendo, cùm mala fiunt. Si verò praeterea dicat, ficut asserunt Catholici, negationem gratiae vincētis similia desideria, non valet argumentum ab Augustino factum: nam benè oraret homo, ne deseratur gratia, qua concupiscentialia desideria vincat. Id ipsum probant alia subsequentia verba Augustini, quibus eumdem Iuliani sensum refutat, nimitum, *Quid est autem, quod quotidie dicimus, ne nos inferas in tentationem, nisi, vt non tradamur concupiscentijs nostris, vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus? An forte hoc à Deo petimus, vt non sit erga nos patiens bonitas eius?* Benè autem stat orare non deseri illa gratia, qua tentationes concupiscentiarum, quibus abstrahimur, & allicimur, vincamus.

768 Alia est ergo desertio per puram patientiam, & suspensionem poenarum debitarū, quo pacto subsequens peccatum non esset vllo modo poena peccati antecedentis: alia est desertio per negationem gratiae vel originalis, vel facientis vincere tentationes, quę insurrexerunt post lapsum Adae: haec est desertiò Dei per suā potentiā punientis, & ad hanc gratiae denegationem, dominatus homo proprijs concupiscentijs, facillimè illis cedit, atque consentit: estque peccatum subsequens poena praecedentis: non quasi Deus velit, vt in poenam antecedentis, nouum homo cōmittat peccatum, cùm, vt paulò antea ex Augustino dicebam, Deus non faciat voluntates malas; & ex Sacra Scriptura, *Quae odit Deus, ne feceris, ne dicas, ille me implanauit*. Sed est poena peccati mediatè, quia nimirum non esset subsequens peccatum, si Deus sua gratia vincente hominem adiuuaret: eam autē denegando in poenam peccati antecedentis, vincunt ipsū hominem concupiscentialia desideria, & homo cedit, atque consentit, nouumque peccatum committit. Et hoc est, quod ait Augustinus, hominem traditum desiderijs suis per diuinam potentiam punientem, in peccata compelli: non quidem à Deo, sed à suis desiderijs vincentibus, & repugnantibus, tamquam lege carnis legi mentis, auxilijs sufficientibus. Hinc etiam Augustinus iusta quidem fatetur, prout omnibus facienda sūt, hęc Dei iudicia, ita punitiua: sed quia hominibus difficillimum est captu, quomodò Deus praeuidens ex ablatione suę gratiae in poenam antecedentis culpae, futurū subsequens peccatum, possit, absque offendiculo suae bonitatis, id velle, recurrit ad illud Apostoli, *O altitudo diuitiarum Sapientiae, & Scientiae Dei*, &c. Id ergo, quod propugnabat Iulianus, & refutabat Augustinus erat desertio Dei per puram patientiam: nō verò desertio per potentiam punitiuam; & subtractiuam auxiliorum modo explicato, sed hanc iugiter docuit.

769 Et ex his patet, quid dicendum sit ad secundum locum Augustini, adductum in argumento: ad tria namque in Scriptura dicitur Deus homines inclinare: nēpe ad bonum, & de hoc nulla est difficultas, quòd Deus positiuè, & vt causa principalis corda hominum sua praeueniente gratia moueat, alliciat, & inclinet, vt probaui ferè per totam antecedentem quaestionem. Secundò ad mala physica, quae annexam non habent malitiam moralem, qualia sūt infirmitates, paupertas, mors temporalis, &c. & sicut haec possunt à Deo immediatè fieri, ita & potest homines physicè ad illa inclinare, praescindendo à malo fine, quem in his homines habere possit. Tertiò ad mala moralia, seu ad peccata, quae nimirū cōtraria sunt rectae rationi, & annexam habent offensam Dei: & sicut haec non possūt à Deo esse volita, ita nec nobis praecipi, vel ad ipsa ab eodem Deo inclinari, tamquam à causa principali, aut efficaciter volente, Deus, namque, *Intentator malorum est*, & *qua odit, ne feceris, ne dicat, ille me implanauit*. Potest autē dici inclinare ad illa negatiuè, seu permissiuè, non impediendo causas, quę talem ex se inducere possunt inclinationem. Legatur Augustinus in Explicatione Psalmi 104. super illa verba, *Et conuertit corda eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius*, in quae ita habet, *Numquid nam intelligendum est, vel credendum, quòd Deus cor hominis ad facienda peccata conuertat? an peccatum non est, vel paruum peccatum est odisse populum Dei, & dolum facere in seruos eius? quis hoc dixerit? numquid ergo illorum tam grauium peccatorum author est Deus, qui nullius vel leuissimi peccati author credendus est? quis sapiens, & intelliget haec?* praefata deindè explicans Psalmi verba, *Non enim*, inquit, *antequam odissent populum eius boni erant, sed maligni, & impij: tales erant, qui facilè incolis suis felicibus inuiderent. In eo ergo, quòd populum suum multiplicauit, hoc beneficio suo malos ad inuidendum conuertit. Sic ergo conuertit cor eorum, vt per inuidentiam odissent populum eius, & dolum facerent in seruos eius. Non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo, cor illorum spontè malum conuertit ad odium: non enim rectum cor peruertit, sed spontè peruersum ad odium populi sui, vbi eo malo vteretur, conuertit, non illos malos faciendo,*

sed

sed istis bona, quibus mali facillimè possent inuidere, largiendo.

770 Quòd si replicet quis causæ purè permissiuę, & non impedienti non posse attribui simpliciter effectum, aliter posset Deo attribui peccatum, quod permittit, & posset, si vellet, impedire. Respondeo cum Augustino duplicem esse causam permissiuam, & non impedientem; aliam nimirum purè moralem, quæ non importat influxum vllum physicum in effectum, sed solummodò obligationem impediendi, & defectibilitatem in ipsa causa: & talis est causa peccati, quod, cùm sit priuatio debitæ rectitudinis, causam sui physicam non habet, sed dumtaxat moralem, quæ potens, & obligata impedire, non impedit: & hoc modo est causa peccati voluntas creata; Deus autem nec defectibilis est, nec ad aliquid obligatus: imò potiùs, vt author naturæ, tenetur complere, non verò impedire voluntatem creatam ad suos motus. Sic discurrit Augustinus lib. 2. de libero arbitrio circa finem, *Motus ille*, ait, *auersionis, quem fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, omnis autem defectus in nihilo est, vide quò pertineat, & ad Deum pertinere non dubites: qui tamen defectus, quoniam est voluntarius, in nostra est positus potestate, &c.* Alia verò causa permissiua est, quę, & si non habeat influxum immediatè liberum in effectum, habet tamen influxum liberum in eius causam proximam, dando illi potentiam, & facultatem ad effectum, & hoc modo potest effectus tribui non solùm causæ proximæ, sed etiam mediatę: tales sunt omnes actus etiam mali quoad physicum esse. Ecce doctrinam Augustini supra Psalmum 29. *Non enim*, inquit, *quidquid passi ab inimicis fuerimus, hoc inimicis deputandum est, & non Domino Deo nostro: quandoquidem in ipso suo exemplo Mediator demonstrauit, quando nobis desuper permittit homines nocere, non voluntatem nocendi desuper dari, sed potestatem: vnusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi, vt autem possit nocere, non habet in potestate.* Hinc autem attribui Deo, etiã effectũ malũ quoad positiuũ, non verò quoad defectiuum, patet ex exẽplis Scripturę, adductis ab hæreticis in argumento, quibus hic addo explicationẽ Augustini in illa verba Iob, *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* supra quæ sic loco præcitato habet, *Non triumphet inimicus, quia ipse fecit: noui ego, inquit, à quo sit permissus, Diabolo tribuatur nocendi voluntas, Domino meo probandi potestas.* Quia ergo, Domino permittente, & potestatem tribuente, abstulit Iob Diabolus bona, ille humili recognitione dicebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.*

§. SEPTIMVS.

Actus concupiscentiales, quibus homo, diuina opitulante gratia, bene resistit, nullam prorsus habere rationem culpæ contra eosdẽ hereticos cõuincitur.

771 NOmina hæc concupiscentia, & cupiditas, sicut, & verba concupisco, & cupio non vno dumtaxat modo, etiã secundùm diuinas Scripturas, sumuntur. Aliquando sumuntur pro omni actu delectabili, vel effectu potentiæ volitiuæ, etiam circa bonum: quo pacto dicitur in Psalmis, *Concupiscit anima mea in atria Domini*, &, *Concupiscit anima mea desiderare iustificationes tuas*, & Apostolus ait, *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, Non loquimur autem de concupiscentia, & cupiditate, ita latè sũptis in presẽti, sed strictiori significatione: strictiori namque horum nominum, sicut & verborum vsu simpliciter significamus affectus voluntatis in opera mala moraliter, & delectabilia, vel vtilia naturæ: atque etiam hoc modo multipliciter potest esse concupiscentia, & cupiditas, aut nimirum cùm voluntas deliberatè, & liberè, præcedenti consilio rationis, similia obiecta appetit, vel amat: & de hac concupiscentia nulli dubium est, quòd sit culpabilis, atque in similibus actibus de obiecto delectabili, & prohibito consistere omne peccatum: aut voluntas trahitur ad similia obiecta absque vlla deliberatione, & libero consensu: & hoc modo etiã dupliciter trahi potest: vel scilicet quia, quamuis concupiscentiæ motui non adhuc deliberatè consentit, ipsum tamen motum libera voluntate, & studio procurauit, vt cùm quis liberè vult cogitare de pulchro delectante, & mouente ad fornicationem, & talis concupiscentia etiam est liberè volita, & perniciosa; vel tandem cùm tales motus concupiscentiales omnimodè independentes sunt, atque anteuolant, præceduntque omnem actum liberi arbitrij, pu-

ta cùm Diabolus excitat cogitationes ad turpia, quas homo nititur, nec potest abijcere à se: cùm inopinatè auditur verbũ, quod hominem allicit ad malum: vel videtur res mouens appetitum sensitiuum, &c. & de his actibus, qui sunt naturales, quãuis non sufficere, si Adã non peccasset, soporante iustitiã originali omnes similes actus concupiscentiales, agimus hic contra hæreticos Lutheranos, & Caluinistas, impiè asserentes omnes similes actus, etiam si rectè ab homine illis resistatur, per seipsos esse noua peccata, & meritoria iræ Dei, & gehennæ. Hoc prænotato.

772 Conuincitur primò tales similes actus concupiscentiales non esse ita peccata, vt ratione sui habeant formalitatem culpæ: nec sint, vt somniant Lutherani, & Caluinistæ, offensa Dei, neque mereantur iram, & indignationem eiusdem, aut pœnam vllam, pluribus Scripturæ locis, tum nimirum ex Apostolo ad Romanos 6. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: vt quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato: qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato*. Si autem actus concupiscentiales essent peccata, etiã quando illis rectè resistitur, non esset verũ, quòd consepulti in Christo per baptismum, adhuc Electi, possint in hoc sæculo in nouitate vitæ ambulare: nec fuisset per Christũ destructum corpus peccati, cùm remanerent concupiscentiæ, à quibus nullus hîc immunis est: nec item vllus posset non seruire peccato: nec tandem, qui mortuus est in Christo medio baptismate, iustificatus esset à peccato. Sed dicent perfidiæ cultores Apostolum loqui de Electis in alia vita, quòd videlicet, cùm ipsis Deus non imputet peccata, mortui sunt, & consepulti peccato per non imputationem, vt in alia vita ambulent in nouitate vitæ, & non seruiant peccato: non verò, vt ita ambulẽt, & non seruiant peccato in ista vita. Sic tamen respondent, qui sanam doctrinam nolunt intelligere, vt benè agant: si enim veritatem requirerent, intelligerent Apostolum, dum subiungit, *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes: & membra vestra arma iustitiæ Deo*. Vident ne si de ijsdem mortuis peccato, & viuentibus Deo in Christo loquitur? hos autem adhortatur, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore, at, non autem in alia vita, vbi nõ erit corpus mortale: seminatur enim hic corpus mortale, surget corpus immortale ex eodem Apostolo. Rursus, *Non regnet*, inquit, *peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius*. Numquid etiam in alia vita erunt concupiscentiæ? ibi ergo etiam peccabitur, & non ambulabunt Electi in nouitate vitæ, sed seruient peccato? Quid reuoluitis stulti, quid cogitatis in cordibus vestris, abijcite opera tenebrarum, & induite arma lucis? Audite insuper, & intelligite clariùs eũdẽ Apostolum loquentem, dum subdit, *Nũc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam*. Nunc, ait, fructus habetur sanctificationis; in fine autem habebitur vita æterna: seu, qui nunc liberati à peccato, & serui facti sunt Deo, fructum habent in sanctificationem, finem habebunt vitam æternam.

773 Tum secundò ex cap. 8. in illis Apostoli verbis, *Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant*. Qui ergò nunc sunt in Christo Iesu, & spiritu Dei aguntur, suntque propterea filij; prout infra idem Apostolus habet, & non ambulant secundùm carnem, motibus eius nimirum non adhærentes, nihil habẽt dignum damnationis æternæ. Sed trita fronte respondent hæretici, non asseri per Apostolum nihil esse damnabile, seu dignum damnationis: sed præcisè nihil esse damnationis, eò quòd, qui sunt in Christo Iesu Electi, nihil illis imputatur: & ideò nihil habent damnationis propter non imputationem, non quia nihil habeãt damnabile. Verùm quid intelligat Apostolus per præfata verba, ipsemet explicat, & horum hæreticorum distortionẽ per se ipsum confodit; assignans enim cur nihil habeant damnationis, subiungit, *Lex enim spiritus in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis*: sed quomodò liberauit, audiamus, an scilicet per non imputationem, an verò per gratiam spiritus, qua adimplerentur præcepta, Nã, sequitur, *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati: & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum*. Illud ergo, quod præcipiebatur à lege, sed impossibile erat obseruari ab homine, infirmato iam in carne ob noxias concupiscentias, ot-

tas

tas ex peccato, factum fuit possibile per Christum damnantem, sua gratia vincente, peccatũ in carne, vt ita iustificatio legis impleretur ab ijs, qui secundùm spiritum, & non secundùm carnem ambulant: non autem; sicut somniant isti hæretici, vt non iustificatio, seu inobseruantia legis non imputetur. An non ita præfata verba explicat Augustinus libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorum? *Nulla*, ergo ait, *condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Iesu: non enim damnatur, nisi qui concupiscentia carnis consentit ad malum: lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit te à lege peccati, & mortis*, audiant autem quomodò, *ne scilicet*, subdit, *consensionem tuam concupiscentia sibi vindicet carnis*. Rursus infra, *Ergo fratres debitores sumus, non carni, vt secundùm carnem viuamus: si enim secundùm carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis, mortificaueritis, viuetis: qui enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*. Non ergo sunt filij Dei, & nihil damnationis habent, præcisè, quia facta carnis non imputantur ipsis: sed quia ita spiritu Dei aguntur, vt factis carnis fortiter resistentes, vincant, & mortificent ea, morituri aliàs, si secundùm carnem viuerent, ipsi adhærendo, & consentiendo. Atque consequenter non in factis carnis est spiritualis mors animæ per peccatum, sed in viuere secundùm carnẽ: *Vos autem in carne non estis*, dixerat Apostolus paulò antea, *sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitet in vobis*. Quid est in carne non estis? numquid mortuis, & carne exutis scribebat Apostolus? non erant ergo in carne, si spiritu Dei acti, non viuebant secundùm carnem, sed secundùm spiritum: quomodò autem non erant in carne, stulti, & tardi corde hæretici ad credendum Apostolo, si pleni erant, vt vos impiè cõfingitis, immunditijs carnis, nempe concupiscentijs mortalibus, & meritorijs iræ Dei, & gehennæ?

774 Plurima alia sunt Scripturæ loca id ipsum adstruentia, vt ad Romanos 13. *Sed induimini Dominum Iesum Christum*: videant autem quomodò Christum induimus, *Et carnis curam*, inquit, *ne feceritis in desiderijs*. Ad Galatas 5: *Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem, in occasionem detis carnis*. Sunt ergo in libertatem vocati, non qui carnis concupiscentias non habent: sic enim nemo esset in libertatem vocatus, & non esset verum, quod dicit Apostolus, *Vos enim in libertatem vocati estis fratres*: sed qui carni libertatem non tribuunt, illi adhærendo, & consentiendo: & ideò subiungit, *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*; spiritu ergo ambulare non est desideria carnis non habere, sed ea non perficere. Iacobi 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*: sed, *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: vndè verò, *probatus*? quia præcisè peccata concupiscentiarum, quibus non consentit, non imputantur? Somnium est hoc istorum hæreticorum, non Apostoli Iacobi doctrina; videant per Apostolum vndè, quia, inquit, *Concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consumatum fuerit generat mortem*. Non est ergo peccatum (loquitur Apostolus, non de Adamo, sed de renatis in Christo sufferentibus tentationes) generans mortem, nisi concupiscentia conceperit, & parturierit consensum: & indè Beatus, qui ita suffert, vt non sinat eam concipere, & parere: si talis namque, *probatus fuerit, accipiet, coronam vitæ*. Coronam, inquam, iustitiæ, debitam operibus, non per præcisam gratiam non imputationis: *non*, enim, *coronabitur*, ex Apostolo Paulo, *nisi qui legitimè certauerit*.

775 Conuincitur secundò eadem Catholica veritas ex doctrina Augustini pluribus locis, vt in Expositione quarumdam propositionum Epistolæ ad Romanos in explicatione quæstionis 17. vbi habet, *Non enim in ipso desiderio prauo: sed in nostra consensione peccamus*. Loquitur autem, vt in eodem loco videre est, de desiderijs concupiscentialibus carnis, quæ pugnant aduersus spiritum, & patet etiam in his, quæ subdit, *Ad hoc valet, quod dicit idem Apostolus, non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum concupiscentijs eius: hic enim ostendit esse desideria, quibus non obediendo, peccatum in nobis regnare non sinimus*. Rursus ex libro 1. de Ciuitate Dei cap. 25. vbi, *Quid, si*, inquit, *illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua mouetur: quantò magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis*. Insuper lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 4. *In grandibus autem*, inquit, *baptizatis, in quibus iam ratione vtentibus, quidquid eidem concupiscentia mens ad peccandum consentit, propriæ voluntatis est: deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus, nihil omnino nocitura*. Quo pacto loquitur libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 13. vbi ita scribit, *Sed ista concupiscentia carnis fallere. eos credo,*

vel falli, cum qua necesse est; vt etiam baptizatus, & hoc, si diligentissimè proficit, & Spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiam, si vocatur peccatum, non vtique, quia peccatum est, (notent hæretici) *sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut Scriptura manus cuiusque dicitur, quòd manus eam fecerit; peccata autē sūt, quæ secūdùm carnis concupiscētiam, vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur. Et ista carnis concupiscentia in baptizatis sic dimittitur, vt quamquam tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus.* Ac deinde, *Et ideò iam non sit peccatum, sed sic vocetur, siue quòd peccato facta sit, siue quòd peccandi delectatione moueatur, & si ei, vincente delectatione iustitiæ, non consentiatur. Nec propter ipsam, cuius iam reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicunt in oratione baptizati, dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris: sed propter peccata, quæ fiunt siue in eius consensionibus, cùm ab eo, quodlibet vincitur, quod placet: siue cùm per ignorantiam malum, quasi bonum, placet.* Ac tandem ex libro 1. de Nuptijs, & concupiscentia cap. 23. vbi, *Nam ipsa quidem,* ait, *concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cùm iam in regeneratis non sit ipsa peccatū, sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus, Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat.*

776 Occurrunt autem hæretici his, & similibus locis Augustini, sed ita extra propositum, vt mirandum valde sit, quòd homines rationis compotes inueniantur, qui non vereantur similia componentes sequi; dicunt ergo Augustinum in præfatis locis negare concupiscentiam esse peccatum actuale, & veluti propria voluntate commissum: non vero esse originale peccatum contractum à posteris voluntate parentum.

777 Quis talia non irrideat commenta? numquid enim peccatum originale non nocet contrahentibus illud? quomodò ergo reddet contrahentes filios iræ, & vindictæ, ac filios gehennæ? Si ergo Augustinus docet in citatis locis, quòd, *Ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus, nihil omninò nocitura*, nec etiam vmbram culpæ originalis in eam admittit. Rursus, si aliquam rationem culpæ in ipsa cognosceret; ergo debitum aliquod cum Deo per eam contraheremus, sicut contrahimus per originale peccatum, pro quo satisfaciendo mortuus est Christus Dominus; quid ergo est, quod dicit Augustinus, nec propter ipsam dicere in oratione Dominica baptizatos, *Dimitte nobis debita nostra?* Insuper, si concupiscentia originale peccatum esset per Augustinum, non diceret, *Deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, qui vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet.* Si enim iam concupiscentia manet, & ipsa reatus adhuc originalis est; non ergo supponitur solutum originale, vt Augustinus supponit. An forsan illud ipsum volunt hæretici isti, quod obijciebant Pelagiani Augustino ex eo, quòd malam esse asserebat concupiscentiam, quia ad mala allicit? obijciebant namque, quod, si concupiscentia mala esset, & ex originali peccato ortum ducens, cùm per baptismum non auferatur concupiscentia, & hęc mala sit; non ergo baptismus omninò abluit ab originali culpa, quia remanet malitia concupiscentiæ. Legatur Augustinus libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorū cap. 13. vbi Pelagianos ita sibi obijcere refert, *Baptisma non dare omnem remissionem peccatorum: nec auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur*: nonne hæc est Lutheranorum, & Caluinistarum doctrina, si concupiscētiæ carnis ex necessitate nobis insurgentes, propter originale, peccata sunt siue actualia, siue originalia? Sed videant quid obiecto isti respondeat Augustinus, *Quis hoc,* ait, *aduersus Pelagianos, nisi infideles affirmet?*

778 Conuincitur tandem Catholica veritas ratione. Quia vel isti motus concupiscentiales anteuolantes omnem nostram libertatem, & ex necessitate insurgentes, fuerūt nobis a Deo datæ independenter ab originali culpa: vel culpa Adami fuit aliquis similis motus, & communicata nobis culpa Adami, communicantur isti motus; vel tandem isti effectus sunt, & pœna originalis culpæ. Si primum, ergo Deus omninò est in nobis prima radix, & causa peccati, & si id posset Deus, vacat omnis ratio, etiam hæreticis admittendi in Adamo liberum arbitrium: Deum autem esse primariam causam culpę, antecedenter ad omnem vsum liberum creaturæ, & infinitis Scripturæ locis opponitur, & neminem crediderim tam impium, vt id de diuina bonitate non horreat audire, multò magis asserere. Nec Caluinus ipse, quàuis aliàs impudentissimus, id ausus est asserere: nam lib. 2. cap. 1. numero 6. ita loquitur de Natura hominis iam corrupta, *Naturam verò illic notari, non vt à Deo condita est, sed vt in Adā vitiata fuit, facilè colligitur, quia minimè cōsentaneum*

sentaneum esset Deum fieri mortis authorem. Secundum verò, non credam, dicant: sic enim nihil nobis culpæ originalis auferret baptisma, si hæc consistit, vt in sua radice, in motibus concupiscentiæ, & isti non auferantur per baptisma in baptizatis. Rursus vbi erit illa rectitudo organica, in qua etiam per hæreticos istos fuit creatus Adã, si iam etiam ipse peccato concupiscentiæ cecidit, iam enim ita actus concupiscentiales in se sentiebat? Ac tandem iam sic neque primum peccatum Adæ fuisset voluntarium, sed quid antecedens. Si ergo id neque ab hæreticis istis conceditur, necesse erit fateãtur actus cõcupiscentiales esse pœnã peccati originalis: non verò peccatum ratione sui, dum ratione sui non addit nouam rationem voluntarij, nec in origine; ergo nec actualem, nec originalem culpam possunt ratione sui afferre actus concupiscentiales, quibus non accedit cõsensus nostræ voluntatis.

779 Quòd si dicant illud ipsum, quod Adamo fuit pœna, esse nobis culpam, ridiculum erit: quod enim non induit ratione nostræ voluntatis formalitatem culpæ; si nec culpa fuit in origine, non habet vndè in nobis euadat culpa; vltraquamquod iam patet ex dictis, in quo nos contrahimus rationem culpæ, in voluntate nimirum ipsa Adami, facta moraliter nostra per hoc, quòd ab ea dependebat conuersio, vel negatiua auersio à Deo, cùm primò concipimur, & creamur. Et aliàs, si quod fuit pœna Adamo, in nobis posset esse culpa, etiã mors, quæ Adamo fuit pœna, nobis esset culpa. Cum tamen id sit contra Apostolum ad Rom. 5. vbi mortem designat nobis, non vt peccatum, sed vt effectum, & pœnam peccati, dicens, *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, &c.* Remanet ergo ex dictis euidentissimè probatum tum Scriptura, tum Augustini doctrina, tum ratione, actus cõcupiscẽtiales præcedẽtes nostram liberam voluntatem, nullatenus esse ratione sui peccata, & culpabiles: quamuis dici possint peccata, quia effectus sunt originalis peccati: itemque, quia sua allicientia, nisi Deus maiori suæ gratiæ dulcedine suffulciat, ad peccata consensionis trahũt; ac consequenter & in sua causa, & ratione effectus, ad quem ex se inducit, malissimè sunt: non tamen malitiam istam moralem in se ipsis formaliter continent.

§. OCTAVVS.

Ex torta hæreticorum obiecta afferuntur, atque diluuntur.

780 OBijciunt primò Lutherani, & Calninistæ plurima, ad eorum peruersum sensum explicata, Sacræ Scripturæ loca, quale est illud Exodi 20. *Non concupisces*, quod esse præceptum obligans probant ex illo ad Romanos 7. *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces.* Hoc autem præcepto prohiberi concupiscentiam antecedentem deliberatum voluntatis consensum, indè ostẽdere conantur, quòd hoc est diuersum præceptum ab illo Ecclesiastici 18. quo prohibetur consensus deliberatus, dum dicitur, *Post concupiscentias tuas non eas.* Et confirmant ex Augustino lib. 1. de Nuptijs, & concupiscentia cap. 23. vbi, loquens de cõcupiscentia, ita habet, *Vt si non fit, quod scriptum est, non concupiscas, fiat saltem, quod alibi legitur, post concupiscentias tuas non eas.* Ergo sentit aliud præceptum esse, *Non concupisces*, & aliud, *post concupiscentias tuas nõ eas.* Roborant etiam ex illo ad Romanos 6. *Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius: neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Ex quo loco patet, aiunt, vocare Apostolum concupiscentias peccatum, & prohibere, vt obediamus earum motibus.

781 Respondeo proprium esse hæreticorum voces truncatas ex Scriptura adducere, vt eis possint, secundùm eorum peruersum sensum, aliquam diuersam significationẽ tribuere: nec enim Exodi citato loco, nec Deuteronomij 5. vbi idem replicatur præceptum, dicitur ita siccè, *Non concupisces*, prout adducitur ab hæreticis, vt indè aliquid apparentiæ videantur afferre, cùm prætendunt præceptum hoc esse omninò diuersum ab illo Ecclesiastici, *Post tuas concupiscentias non eas*: sed dicitur, *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouẽ non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.* Si autem, hic esset sermo de concupiscentia antecedente consensum voluntatis: cùm non prohibeatur his verbis concupiscentia omnis, sed solùm de rebus proximi; ista solùm essẽt prohibita, & cõcupiscentia sororis, virginis

ginis, vel liberæ, cõcupiſcẽtia dignitatis improportionatæ, & omniũ aliorũ vitiorũ, quę nõ tẽdunt ad rẽ proximi, nõ eſſent prohibitæ; quis ita cæcutit, vt hæc sẽtire valeat? Dico ergò illu'd præceptũ Exodi, ſicut & illud eidem ſimile Deuteronomij 5. non eſſe adęquatè diuerſum ab illo citato Eccleſiaſtic. *Poſt tuas concupiſcentias non eas*: ſed diſtingui tamquam inclusum, & minùs vniuerſale ab includẽte, & magis vniuerſaliter, vt vtrobiq; prohibeatur cõſenſus volũtatis cõcupiſcẽtialis: ſed in illo Eccleſiaſtici vniuerſaliter õnis talis cõsẽſus prohibetur: in Exodi autẽ, & Deuteronomij citatis locis prohibẽtur ſpeciali præcepio cõsẽſus cõcupiſcẽtiales de vxore, & quacũq; alia re, cuius dominiũ reſidet apud proximum: iam enim in principio antecedentis Paragraphi probaui ex Scriptura nomina illa concupiſcentiam, & cupiditatem ſumi pro omni actu deſiderij voluntatis tum libero, tum præcedente deliberationem voluntatis: tũ circa obiectum bonum, tum malum: ac conſequenter non per hoc, quòd dicatur, *Non concupiſces, &c.* intelligi debet de cõcupiſcentia indeliberata, & præcedente actum liberum voluntatis.

782 Ad locum venio nunc Auguſtini, & in primis vellem ab hæreticis iſtis ſcire cur, dum in loco ab ipſis citato ex Auguſtino legerunt verba, quæ adducunt in argumẽto, non reflexerunt ad præcedentia, *Ipſa concupiſcentia iam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque, vt ea perpetrent, à regina mente membra non dantur*? Scio, quòd hoc ipſum valet pro ipſis: nam Auguſtinus non dicit, cõcupiſcentiam non eſſe peccatum, eò quòd non ſit libera: quandoquidem eodem modo non eſt libera in regeneratis, ac nõ regeneratis: & tamẽ ſolùm aſſerit nõ eſſe peccatũ in regeneratis; ergo sẽtit nõ eſſe peccatũ, quia his nõ imputatur: at verò nõ regeneratis imputatur: & ideò in illis adhuc debet dici verè, & propriè peccatũ. Hãc tamẽ reſpõſionem eſſe cachinnis dignam neminem crediderim latere ſenſatum: non enim dũtaxat aſſerit Auguſtinus, *Ipſa concupiſcentia iã non eſt peccatũ in regeneratis*: ſed reſtringit hoc ipſum, *quando illi ad illicita opera non conſentitur: atque, vt ea perpetrent, à regina mente membra non dantur*. Si ergo non intẽderet, quòd concupiſcentia in ſe ipſa nõ ſit peccatum, ſed quòd regeneratis non imputetur, ſenſus Auguſtini deberet eſſe iſte, concupiſcentia in regeneratis non imputatur ad culpam, ſi illi non conſentiatur, nec à regina mente membra dantur, vt opera perpetrent illicita: ſi verò illi conſentiatur, & ad opera illicita perpetranda membra exhibentur, tunc imputabitur ad culpam: atqui hæc diſtinctio eſt omninò chimærica, ſi de non imputatione peccati, non verò de peccato ſecundùm ſe fieret; ergo. Probatur minor euidenter: nam cùm dicitur, ipſa concupiſcentia in regeneratis non imputatur ad culpã, &c: vel diceretur de regeneratis dumtaxat Electis: vel de omnibus, etiam nimirum de iis, qui pereunt, & damnantur baptizati. Si primum, non ſtaret diſtinctio: quia Electis non ſolùm neceſſe eſt dimitti peccata concupiſcentiarum, ſi iſtæ culpabiles eſſent, verùm etiam & conſenſus; non enim poterunt cum peccatis conſenſuum non remiſſis ſaluari; non ergo de his erit verùm, quòd non imputantur eis peccata concupiſcentiarum tunc ſolùm, quando non conſentiunt concupiſcentijs, prout reſtrictiuè loquitur Auguſtinus. Si ſecundum, nec ſtaret diſtinctio: regeneratis nãque Reprobis non ſolùm non dimittuntur peccata conſenſuũ, ſed nec alia quæcumq; quæ commiſerint poſt ſuſceptum baptiſma, & non eos pœnituerit de illis; vel, (vt hæreticos hos in ſuiſmet falſis dogmatibus perfodiam,) ſi poſt baptiſma non habuerint certam fiduciam, quod ipſis in Chriſto dimittuntur hic, & nunc peccata: non enim per hæreticos aliqua, & non omnia in Chriſti fiducia dimittuntur peccata; ergo neque reſpectu omnium regeneratorũ ſtat, quòd non imputantur eis peccata cõcupiſcentiæ, tunc ſolùm, quando illis ad illicita opera non conſentitur, &c. ſtat verò inconcuſſè diſtinctio Auguſtini iuxta Catholicorum ſenſum, ſecundùm quem reſpectu nullius concupiſcentia antecuolans arbitrium voluntatis eſt peccatum; reſpectu omnium verò peccatum ſit conſenſus ad illicita, quem ſi habuerint Electi, indè erunt Electi, quia de illis dignum egerint fructum pœnitentiæ, & non ſic Reprobi regenerati. Sed ſi iſte eſſet ſenſus Auguſtini, aiunt, quare in ſolis regeneratis aſſerit ipſam concupiſcentiam, præciſo conſenſu, non eſſe culpam. Reſpondeo, quia in ſolis regeneratis remanet concupiſcentia, deleto iam per baptiſma vinculo originalis culpæ: in non regeneratis verò ſtat adhuc originale peccatum, cuius concupiſcentia eſt effectus pœnalis, cùm autem ſæpè, iuxtà figuras Rethoricæ, effectus induat denominationem cauſę, benè in non regeneratis dici poteſt culpa concupiſcentia, denominatione deſumpta ab eius annexa cauſa: vel forſan exemplum clarius attulit Auguſtinus, vt oſtenderet concupiſcẽtiam non eſſe culpam, eam conſiderando,

vbi

vbi sola est, atque seiuncta à culpa originali, quo pacto est in solis regeneratis: ne occasionem præberet Pelagianis, negantibus originale peccatum, extorquendi deindè eius doctrinam, prout sæpè solebant.

783 Vt ergo pateat, quid indicare voluerit Augustinus in verbis illis adductis in argumento, nimirum, *Vt, si non fit, quod scriptum est, non concupisces: fiat saltem, quod alibi legitur, post concupiscẽtias tuas nõ eas.* Animaduertant primò, volo, hæretici isti, quòd nõ dicit Augustinus, vt si non fiat, quod iussũ, vel mandatum, siue præceptum est, sed, *Quod scriptum est, non concupisces: fiat tamen, quod alibi legitur, post concupiscentias tuas non eas:* hoc namque scriptum, *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorẽ eius, &c.* potest ex se magis latè patere, quàm illud aliud, quod legitur, *post tuas concupiscẽtias nõ eas:* & defacto nostri primi parẽtes poterãt ante peccatũ liberè vtrũq; agere: sed post peccatũ, nec ipsi poterãt, nec nos nunc cohiberi possumus in hac vita ab omni actu concupiscentiæ; possumus tamen omni concupiscentiæ denegare cõsensum: & ideò, vt infra ex eodem Augustino, & ex Sacra etiam Scriptura ostendemus, præcipitur nobis, ne concupiscentijs consensum demus, non verò ne concupiscamus vllo modo: vnde benè stant verba Augustini, *vt, si non fiat,* secundùm omnem, quam habere potest, significationem, *quod scriptum est, non concupisces: fiat tamen,* adæquatè; quod in nostra habemus potestate, scilicet, *quod alibi legitur, post concupiscentias tuas non eas.*

784 Alium preterea legitimum sensum possumus prædictis verbis Augustini ex eodem tribuere, vt nimirum sit nobis etiam præceptum, quòd nec concupiscamus: non tamquam opus viæ, sed tamquam finis Patriæ: eò modo, quo precepta est nobis gloria sempiterna: vt sensus sit, si hic non facimus, *quod scriptum est, non concupisces: fiat saltem, quod alibi legitur, post concupiscentias tuas non eas:* & ita peruenienimus ad illud, vt non etiam concupiscamus. Ecce doctrinã Augustini tum in Epistola 200. vbi ita habet, *In qua iustitia, non dum consumata, perseueranter proficientes, ad eius consumationem quandoque veniemus: vbi peccati concupiscentia non cohibenda, atque frenanda, sed nulla sit: hoc enim lex posuit, dicendo, non concupisces, non quòd hic valeamus, sed ad quod, proficiendo, tẽdamus.* Tum in libro 1. de Nuptijs, & cõcupiscentia cap. 27. vbi in illud Apostoli ad Romanos 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis desiderijs eius:* sic habet, *Non enim ait ad habenda desideria, sed ad obediendum desiderijs eius: vt tamen nec ipsa sint desideria, velle debemus, etiam si in corpore mortis huius id obtinere non possumus.*

785 Quòd si hic replicent hæretici isti inintelligibile esse, quòd remaneat debitum pœnæ, vbi deleta est iam culpa; tum quia debitum pœnæ nascitur ex culpa; ergo hac ablata, aufertur illud. Tum quia permanentia culpæ, trãsacto actu, non aliud importare potest, nisi debitum pœnæ; ergo, si concedunt Scholastici Catholici permanere in baptizatis concupiscentiam in pœnam originalis; debent etiam concedere, quòd eadem concupiscentia sit ipsa culpa originalis permanens.

786 Respondeo, quòd iuxtà hoc hæreticorum somnium, nihil prorsus nobis conferret baptisma: nam, si concupiscentia, & ceteræ pœnæ culpæ originalis permanent in nobis, vt culpæ, dignæ iræ Dei, & cruciatus gehennæ, quid quæso culpæ abstulit à nobis baptisma? Quid ergo erit illud Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit?* Quid illud Actorum 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum?* Quid item illud Apostoli ad Romanos 6. *Consepulti enim sumus cum illo in baptismum in mortem: hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati?* Quid illud eiusdem Apostoli ad Ephesios 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundãs lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit Sancta, & immaculata?* Quid tãdem illud Augustini in libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 13. vbi referens, quòd Pelagiani illi attribuebant contra eos scripsisse, docendo, *Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneãtur,* Conuicium à se abiiciens, ait, *Quis hoc aduersus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? dicimus enim baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum: & auferre crimina, non radere: nec, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, vndè crescant, iterum resecanda peccata: nam & istam similitudinem comperi sua illos adhibere calumnia, tamquam hoc nos sentiamus, atque dicamus?*

787 Ad argumentum ergo, nego esse inintelligibile remanere debitum passiuum pœnæ, ablata, seu deleta culpa, quando præcipuè culpa non aufertur ratione condignæ satis-

satisfactionis exhibitæ à peccante, sed ex gratia creditoris offensi: cùm enim debitū pœnæ nascatur ex culpa, non est ipsa culpa, sed effectus ab illa ortus; culpa namque consistit in auersione à summo bono, & conuersione ad inferiora bona: siue positiuè in culpa actuali, siue negatiuè in originali, ex quo nascitur dignitas, seu meritum pœnę: bene autem potest auferri causa, & remanere effectus præcipuè in moralibus, in quibus effectus non indiget perseuerantia causæ, vt conseruetur, sed sufficit causam fuisse: Deus tamen summè bonus remissa culpa, remittit etiam simpliciter debitum pœnæ, & solùm relinquit secundùm quid, siue vt indè remaneat memoria gratuitæ remissionis culpæ, & nō ex necessitate: siue etiā, vt aliquid ex parte sua exhibeat peccans ad obtinēdā in totū deletionē debiti pœnalis: remittit, inquam, Deus etiam pœnam simpliciter, quia remittit debitum pœnæ æternæ: & solùm relinquit debitum ad pœnas temporales, quę comparatæ ad æternam sunt ferè nihil. Ad primam probationem in contrarium, concedo debitum pœnæ nasci ex culpa: sed nego indè sequi, quòd hac ablata aliundè, quàm ex condigna propria satisfactione offendentis, debeat etiam auferri pœna, cùm hoc stet in voluntate remittentis gratuitò, vt remittat quantùm placuerit. Ad secundam nego perseuerantiam culpæ cōsistere in debito pœnæ: sed in perseueranti auersione siue positiua, siue negatiua à sūmo bono, & simili conuersione ad bona inferiora, vt patet ex dictis.

788 Ad secundum locum adductum ex Apostolo in argumento, concedo per illa verba, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, &c.* nomine peccati intelligere Apostolum concupiscentiam? sed notanda sunt verba: adhortatur enim, vt non regnet, ne scilicet, vt paulò post subiungit, exhibeamus nosmetipsos seruos ad obediendū: & simus serui eius, cui obedimus: quæ autem maior seruitus excogitari posset, & Dominium tyrannicum illo, quod confingunt isti hæretici, asserendo nos seruire peccato per concupiscentias, ad quas vi, & necessitate ducimur? vt quid ergo Apostolus diceret, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*? Patet autem ex Augustino supra concupiscentiam vocari peccatum: non quia ipsa peccatum est, sed quia effectus est peccati: sicut scriptura dicitur manus scriptoris, & sermo latinus v.g. dicitur lingua latina: itemque quia ad peccatum, si fortius nō resistatur, trahit: sicut frigus dicitur pigrū, quia pigros facit.

789 Sed replicant hæretici non esse hic standum sensui Augustini, eò quòd Apostolus ad Galatas 1. anathematizat eos, qui aliter euangelizauerint, ac euangelizauit ipse. Cùm ergo, aiunt, Apostolus dicat peccatum esse concupiscentiam, non licèt interpretationem præfatam amplecti Augustini. Et ecce hæreticorum volubilitatē: quem namque, cùm pro se ipsis distortè adducunt, vocant fidum super omnes alios Sacræ Scripturæ Interpetrem, nunc anathemati Apostoli Pauli subijciunt. Atque videas vndè, quia Apostolum, ne contrarius sibi ipsi videatur, explicat: non enim stare possunt ista duo, *Nihil damnationis est nunc ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant*: &, concupiscentia carnis est peccatum mortale, etiam in his, qui non ambulant secundùm concupiscētias carnis. Quid ergo? non debet alterū ex his ita explicari, vt, quomodò alteri nō opponatur, pateat? Non ergo explicandus erit Apostolus, cùm secunda ad Corinth. 5. ait, *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, nimirum Sacrificium ad expiandū peccatum: sed standum erit per hos blasphemos litteræ occidēti, quòd Pater fecerit Filium suum peccatum, quando iste nec nouerat peccatum? An potiùs idemmet Apostolus necessitatem similium explicationum in pluribus Sacræ Scripturæ locis requirit, cùm prima ad Corinth. 12. ait, *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij genera linguarum, alij interpetratio sermonum*? Aliud ergo est Euangelium, quando secundùm litteram difficultatem patitur, legitimo explicare sensu: aliud verò eidem Euangelio vel noua addere, aut contrarium docere, prout faciunt Lutherani, & Caluinistæ: hos autem anathematizat Apostolus, non Sanctos Scripturę Interpetres.

790 Obijciunt secundò aliqua Diui Augustini, aut vitiata, aut à proprio sensu discerpta loca; primò namque ex primo libro de Nuptijs, & concupiscentia cap. 25. adducunt hæc verba, *Peccatum remittitur in baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur*. Ex libro autem 5. contra Iulianū cap. 3. hæc alia, *Concupiscentia carnis, aduersùs quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatū mentis: & pœna peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis*. Magnificant autem præcipuè hæretici isti secundum locum: quia, aiunt, in eo Augustinus nō solùm explicitis verbis vocat concupiscentiam carnis peccatum, quia effectus, & pœna peccati est; itemque quia causa peccati du-

dupliciter est, nimirum vel contagione, quando media concupiscentia generatur proles, & trahitur ab ea peccatum originale: vel dum vtentẽ ratione suis motibus ducit ad consensum: sed etiam aliam rationem peccati in ipsa formaliter contentã adstruit, nimirum, *quia inest illi* ratione propria *inobedientia contra dominatum mentis.* Neque dici potest, subiungunt, quòd loquatur de concupiscentia, prout coniuncta cum originali in non regeneratis; eò quòd in illis non verificantur illa Augustini verba, *Aduersus quam bonus concupiscit spiritus,* quandoquidem in non regeneratis, prout non semel docet Augustinus, non datur gratia præueniens, aut adiuuans ad opera, quæ effici non possunt sine fide: sed solùm gratia excitans, & adiuuans ad fidem, siue efficax, siue sufficiens.

791 Respondeo primum locum vitiatum adduci ab hæreticis, vt incautos decipiant: non enim in eo ita habet Augustinus, prout adducitur in argumento, sed prout sequitur, *Si autem quæritur, quomodò ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo vniuersorum facta est remissio peccatorum, &c. Ad hæc respondetur dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.* Vide ergo horum hæreticorum versutiam, non enim ponunt verba Augustini, *Dimitti concupiscentiam carnis in baptismo*: quæ cùm possit esse cum sua causa, nempe originali peccato, vel sine illa, benè stat, quod ipsa sit: & non sit cum ea imputabilis culpa: sed variant verba, ponendo nomen, peccatum, loco nominis concupiscentiæ carnis, vt indè suum firment errorem, quòd concupiscentia ipsa sit peccatum: & dum ipsa est, adhuc peccatum est, sed non imputatur in regeneratis baptismo, prout sonant verba illa, *Peccatum remittitur in baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur.* Distinguant hæretici istirés, prout distingui debent, & æquiuocis non vtantur verbis, vt Lectores decipiant, & indè incautos trahant discipulos post se; quid namque certius, quàm non imputari eis peccata, quibus dimissa sunt? Sed aliud est peccata de facto in se ipsis permanere, non tamen imputari: aliud verò peccata deleri, vt indè non imputẽtur, quia deleta sunt. Hoc secundo modo Catholicum est, quòd concupiscentia non erat ipsa peccatum, sed effectus originalis culpæ: deletur autem per baptismum reatus culpæ, & solùm remanet pœnalis concupiscentia: quę cùm non sit ipsa culpa, sed quod fuit illius causa: dum illa deleta fuit, iam est ablatum, quod erat, vt culpa, imputabile. Hæreticum autem est, quòd concupiscentia ipsa sit culpa, & in se ipsa permanens, ac non deleta, non imputetur, vt culpa. An non totum hoc cõcludit euidenter exemplo Augustinus cap. subsequenti 26. *Nam sicut,* inquit, *eorum peccatorum, quæ manere non possunt,* secundùm actualitatem actuum, *quoniam, cùm fiunt, prætereunt, reatus tamen manet: &, nisi remittatur, in æternum manebit; sic* contrario modo *illius concupiscentiæ, quando remittitur,* secundùm causam, quæ culpa est, *reatus aufertur: hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.* Aufertur ergo reatus, non verò manens in se, non imputatur, *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse,* inquit, non verò reum non imputari.

792 Ad secundum locum dico, quòd, si veritatem, non cauillationes pro veritate ipsa oppugnanda, inquirerent hæretici, dum prærecensitum locum legissent Augustini, discreuissent, quòd aliud est aliquid esse physicè malum in se, aliud esse malum morale, seu imputabile, tamquam demeritum, & dignum pœna: omnis namque carentia boni mala est physicè: sed non ideò mala moraliter, & imputabiliter: alias, quia bruta carent potentia cognoscendi, & amandi Deum, quæ impotentia mala est, & defectus, digna essent indè puniri æternaliter: & homo ipse, (quia non est ex se tam perfectus physicè, quam Angelus: & consequenter in eo, in quo deficit physicè perfectionis Angelicę, malum dicit, quod nihil aliud est, nisi defectus boni.) si secũdùm propriam naturam fuisset à Deo creatus, etiam vt taliter à Deo creatus, & absque alia ab ipso adiuncta malitia, esset æternaliter punibilis: quis hoc, nisi insanus, diceret? Quamuis autem vsus obtinuerit, vt sub nomine peccati, nisi aliter materia ipsa insinuet, veniat actio mala moraliter, & imputabiliter non tamen indè impedimur, quin etiam sæpè vocemus mala, & defectus, qui nõ sũt imputabiles, peccata; cùm namque videmus hominem bonæ indolis, sed deformem, siue cæcum, vel claudum, peccatum esse dicimus, quòd talis sit corpore deformis, siue cæcus, vel claudus: sic item mulierem pulchram, nuptam deformi viro, & similia. Rursus argumentũ deficiens in materia, vel forma dicimus peccare in vna, vel altera; extimabilem picturam malè adornatam, peccatum esse sic inornatam relinqui: amentem peccare in capite, &c. Aliud ergo est hoc præcisũ nomen, peccatum, aliud dicere, peccatũ imputabile; primum dici potest de omni phy-

physico defectu in se: secundum nonnisi cùm defectus est voluntarius, & ideò est, quia voluntas vult illud esse: quod totum clarè docuit Augustinus ipse lib. 2. de libero arbitrio circa finem illis verbis, *Motus ergo ille auersionis, quod fatemur esse peccatū: quoniam defectiuus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quò pertineat, & ad Deū pertinere non dubites: qui tamen defectus, quoniam est voluntarius, in nostra est potestate: si enim times illum, oportet, vt nolis: si autem nolis, non erit*. Istud ergo peccatum, quoniam defectiuum est, causam sui actiuam non habet, quia ex nihilo est: solùm autem causam, cui attribuatur, habere potest voluntatem, in cuius potestate est, vt illud timendo, impediat, ne fit: & si non ita agendo impedit, tunc illi, vt causæ morali, attribuitur.

793 Conformiter autem ad hanc doctrinā, cuique, Augustinum legenti in loco ab hæreticis adducto, patere poterit, quòd, cùm ait, *Concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis*, nomen peccati vsurpat primo modo, pro physico defectu recessus, & non subiectionis ad rectam rationem: non verò pro malitia, ex se imputabili, & digna iræ Dei, vel pœnæ, prout culpabilem proclamant hæretici isti concupiscentiam præcedentem omnē actum liberum voluntatis: agit namque ibi contra Iulianum, qui Augustino obiiciebat, quòd, si concupiscentia carnis fuisset à Deo in pœnam peccati originalis data, (modo tamen supra num. 752. explicato, negatiuè scilicet, non positiuè) ipsa concupiscentia esset laudabilis: ecce verba, quibus obiectum Iuliani refert Augustinus, *Et conaris*, inquit, *ostendere hanc inobedientiam carnis potius esse laudabilem, si pœna peccati est. Et, tamquam persona sit aliqua, quæ peccatorem scienter affligat, sic eam, velut vltricem sceleris, & in hoc Dei ministram, tāquam magnum aliquod bonum, cothurno sermonis exornas*. Eam ipsam ergo concupiscentiam, quā tamquam personā, cui imputabile sit aliquid in laudem, vel vituperium, negat esse Augustinus, quoniam hæc voluntati, liberè operanti, competere dumtaxat possunt, dicit non esse quid bonum in se: sed physicum malum, quia recessus, & defectus est non subiectionis ad rectam rationē: sicut exemplificans idem asserit de cæcitate, quæ facta ex parte dicitur Israel ad Romanos 15. & propterea eodem deindè exēplo, quod relinquunt hæretici, concludit, *Et sicut cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deū non creditur: & pœna peccati, qua cor superbi digna animaduersione punitur: & causa peccati, cùm aliquid cæci cordis errore committitur: ita*, sequitur, *concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, &c.* Numquid autem cæcitas antecedens ad actum liberum infidelitatis, quæ purè negatio est luminis supernaturalis, non verò actus positiuus in malum, sicut est concupiscentia, erit etiā ratione sui malum imputabile? an potiùs malum, seu peccatum physicum, consistēs in carentia boni, ex qua deindè prolabitur homo in actum infidelitatis? quis id non videt? an non ita paulò ante vocat Augustinus his verbis: *At ista cæcitas fuit Iudæis grāde incredulitatis malum*? Quia ergo Iulianus prætendebat, quòd, si concupiscentia pœna esset peccati, indè laudabilis fieret, & bona: non autem posset malum dici, & peccatum: ad hoc præcisè attendit Augustinus, vt probaret, etiam quod in se malum est, & peccatum physicum, posse esse pœnam retributam à Deo peccatori: & non indè fieri bonum, & laudabile: sicut discurrit de Angelis malis, qui non ideò redduntur laudabiles, quia in psalmo 77. dicitur, *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos*. Ad cuius responsionis soliditatem recolenda sunt, quæ ex Augustino Paragrapho antecedenti attuli ad probandum ex eius mēte concupiscentiā ratione sui nō esse tale malum, scilicet imputabile, vt pro ea dicamus in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita nostra*: si autem ipsa ratione sui esset meritoria iræ Dei, & cruciatus gehennæ, vt dicūt hæretici, adhuc pro ea deberemus rogare, vt dimittatur nobis.

794 Ex his autem soluta etiam manent duo alia Iudicra horum hæreticorum argumenta, quorum hoc est primum: omnis natura, aut vis, quæ suæ non respondet regulæ, sed ab ea discedit, peccatum est; ergo etiā natura ipsa humana, prout radix cōcupiscentiarum, & non solùm concupiscētia ipsa actualis, dici debet peccatum. Secundum autem ita formatur: id, quod est impedimentum, ne Deus ametur super omnia, sicut diligendus est, peccatum cōuincitur esse: sed natura humana, vtpotē prior ad se ipsam, & sui complementum, quàm ad Deum: necnon concupiscentia, tamquā inclinatio naturæ ad se ipsam, impediunt, ne Deus ametur super omnia, sicut diligendus est; ergo vtraque conuincitur esse peccatum. Quis tales crederet laruas

in

in hominibus ratione prædītis, & non potiùs censeret delirantes, quos ita arguere conspiceret? sic enim omne creabile necesse esset fateri peccatum, etiam animalia, & insensitiua: quia in omni creatura priùs natura est ad se, quàm ad Deum extra se: & in rebus incapacibus amoris Dei, illa incapacitas ortum habet ex propria differentia intrinseca, quæ essentialiter terminat naturam, & impedit vlteriorem perfectionem: atque ita hæc differentia esset maius peccatum, quia etiam impedit potentiam ad diligendum Deum. Hæc ergo omnia, quæ à natura sunt, & non à voluntate, potente oppositum, peccata, mala, & defectus physici sunt, causam non habētia ex Augustino supra, sed fundata in nihilo creaturarum, quod habent ex se, & ex quo deindè omnipotentia conditoris extrahuntur ad esse; & indè, nec rationem meriti, nec demeriti inducere possūt. Illa autem sunt peccata, & culpæ imputabiles, quæ recedunt à sua regula, vel impediunt amorem Dei super omnia dependenter à libero arbitrio potente, vel non recedere, vel non impedire; & ita euanescunt horum insanientium hæreticorum conficta.

§. NONVS.

Ostenditur opera gratiæ diuinæ, non solùm nullum induere detrimentũ, verùm etiam acquirere augmẽtum meriti ex concupiscẽtia reluctante.

795 Contendunt pertinaciter Lutherani, & Caluinistæ, vt notaui numero 666. nullum opus Iustorum bonum, & ex gratia factum, tale in se esse, vt non sit peccatum mortale, & meritorium gehennæ ratione reluctantis concupiscentiæ, dũ fit, & inquinationis naturæ rationalis, in qua fit; Catholica autem doctrina est, opus gratiæ nullum posse, nec quidem veniale inquinamentum in se admittere, vt pote quia tale opus principaliùs, & speciali modo est à Deo potiùs, quàm à nobis; nō quia homo in gratia non possit peccare, & gratiam respuere: sed quia gratia non potest concurrere ad opus malum: vndè si homo habens gratiam peccat, etiam venialiter, non erit opus gratiæ, sed naturæ: illud autem, quod est opus bonum, & à gratia, nec vmbram habere potest maculæ: & quamuis simul possit stare cum opere opposito venialiter malo, orto à sola natura, non tamen cum opere opposito mortaliter malo: dico cũ opere opposito, vt nō fiet iuxta hæresim, quam impugnamus, quòd sit peccatum mortale concupiscentia mouens ad turpia, & sit deindè opus gratiæ resistentia efficax voluntatis, non consentientis ad eadem; licèt cum hac resistentia aliquando subrepat aliquis actus inefficax consensus, qui sit veniale: cæterùm nullus Catholicus negat posse opus gratiæ admittere in subiecto peccatum mortale in opere diuerso: nam fides supernaturalis est, & opus gratiæ & stat cum peccato luxuriæ, furti, &c. sed non stat cum peccato infidelitatis: potest item quis efficere actum supernaturalem pietatis, etiam dum furatur, sed non potest simul peccare peccato impietatis: solus autem actus amoris Dei super omnia, & perfectę contritionis, cum nullo possunt in eodē subiecto peccato mortali componi: & quoniam omnes actus aliarum virtutū sæpè in hominibus Sanctis imperantur à charitate, & ab amore Dei super omnia: hinc contra hos hæreticos probabimus non solùm concupiscentiam reluctantem nō inquinare opera, quæ sunt à gratia, verùm etiam in ijs, qui bene operantur ex motiuo charitatis imperantis, opera esse digna retributionis: tantùm abest, vt sint plena immunditijs, & meritoria gehennæ. Quamuis deindè cum opere solius naturæ venialiter malo nedum possint esse, verùm etiam, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, ex Epistola Ioannis cap. 1. propter quę venialia peccata etiam sanctè, & piè viuentibus opus quotidiè est dicere, *dimitte nobis debita nostra*, iuxtà præceptum Dominicum.

796 Et quidem error iste hæreticorum sufficientissimè expugnatus remanet in duobus præcedentibus Paragraphis, dum probauimus actus concupiscentiales, nisi sint voluntarij, & imperati ab ipsa voluntate, vel accedat consensus, in quibus casibus nullum esset opus bonum gratiæ, non esse culpabiles ratione sui: licèt sint causaliter mali, & vitiosi; quia trahunt, cùm non fortiùs resistitur, ad consensum; si ergo non sunt ratione sui mali moraliter, & imputabiliter, cùm resistitur: nec subiectum moraliter inquinant; ergo fortior, & exundans resistentia, quæ est opus gratiæ, nō est, vt chimærizant hæretici isti, exitialiter peccaminosa, & digna in se opprobrijs, at-

que iræ Dei, & gehennæ ratione reluctantis concupiscentiæ, inquinantis naturã, &c. Hic tamen alijs specialibus rationibus, fundatis in Scriptura, vel Augustino, tum etiã in lumine naturæ, denuo eumdem errorem confoderè conabor.

797 Impugnatur ergo primò præfatus error pluribus Scripturæ locis, qualis est ille secundæ ad Timotheum 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex*; & videant hæretici isti, vndè iustitiæ ne coronam dicant iustitiæ ex sola voluntate Dei promittentis, *Quia bonum certamen*, inquit, *certaui, cursum consumaui, fidem seruaui*. Quomodò autẽ essent corona iustitiæ, debita ratione boni certaminis, & consummationis cursus, atque obseruantiæ fidei, si ista, secundùm se spectata, meritoria essent, vt chimærizant hi hæretici, potiùs æternæ mortis, quã coronæ æternæ vitæ? Similis huic est locus ille ad Hæbreos 12. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ*. Vbi duo sunt ad intentum reflectenda, quòd de eadem nimirum disciplina asseritur futuram, vt reddat fructum: & non de Deo, tamquam non imputante malitiam: imò potiùs tamquam retribuente ex iustitia merito disciplinæ: & præterea fructus iste non redditur vtcumque, sed *exercitatis per eam*; ergo huic passiuo exercitio debitus est fructus iste iustitiæ; si autem etiam ipsum exercitium disciplinæ immunditiæ plenum esset, mors, non fructus pacatissimus, esset illi ex iustitia debita. Rursus ex eodem Apostolo ad Romanos 7. habemus, *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo; cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti; nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ*. Quid est, *nunc autem soluti sumus à lege mortis*, secundùm quam fructificabamus morti, *vt fructificemus Deo*, &, *seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ*, si adhuc mortificati legi per corpus Christi, operari non possumus, nisi opera mortis? esset ne fructificare Deo, an morti? Ex eodem insuper ad Ephesios 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*. Nihil autem boni per hos hæreticos potuisset in nobis præparare Deus, si ratione concupiscentiæ, quam exuere non possumus in hac vita, quidquid præparauit, exitiale esset. Prętereа ex Epistola ad Titum cap. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo*. Erudiuit autem nos Deus, non vt sæcularia desideria non habeamus, quæ compescere non possumus: sed vt abnegemus, vt nimirum illis non adhæreamus, consentiẽdo: & adhuc per hoc sobriè, & iustè, & piè viuere possumus: quod non esset, si talia opera æternę mortis ratione sæcularium desideriorum meritoria essent. Claudat tãdem venenata horum hæreticorum ora idem Apostolus prima ad Corinthios 7. vbi loquẽs de honestate vsus matrimonij propter euitandum periculum incontinentiæ, docet, *Si autem acceperis vxorem non peccasti: & si nupserit virgo non peccauit*. & infra, *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat, si nubat*. Si ergo vsus matrimonij, in quo inseparabilis omninò est, præcipuè post originale, carnalis concupiscentia, non est ex ore Prædicatoris veritatis peccatũ, nonne euidenter cõuincuntur filij Diaboli, & prædicatores falsitatis, qui omnia opera, etiam gratiæ, adstruunt esse peccata? An forsan dicent Apostolum non loqui de vsu matrimonij, sed de contractu, vel Sacramento? Si ita dicant, insaniunt: non enim carentiam contractus, vel Sacramenti adhortatur deindè Apostolus cùm dicit, *Hoc itaque dico fratres tempus breue est, reliquum est, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint, & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur, &c.* sed secũdùm quòd priùs dixerat, *Quòd, si non se continent, nubant, melius est enim nubere, quàm vri*. Atque secundùm quòd loquitur ad Thessalon. 4. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore*. Vas ergo suum docet posse quemquã possidere in sanctificatione, & non solùm contractum vel Sacramentum inire. Quòd, si iterum dicant ista docere Apostolum, eò quòd Deus matrimonio coniunctis in peccatum non imputat vsum carnalem, nõ verò quasi peccatum non sit. Vanum refugium cõuincuntur inquirere: possidere namque in non imputatione peccati, nullo modo esset possessio in sanctificatione, cùm non excluderet possessio ipsa peccatum; nec starent illa verba Apostoli, *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit, & qui non iungit, meliùs facit*: vtrique enim malè face-

facerent, sed vtrisque æquè non imputarentur: imò qui non iungerent inferiùs facerēt, eò quòd ardētioribus vterētur cōcupiscentialibus desiderijs illi, qui carni resisterent, quàm qui indulgerent, vt experientia patet, & ex eodem Apostolo ad Romanos 7. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*. Quia nimirum prohibitione augetur desiderium; meliùs ergo facerent, qui iungerent, quàm qui nō iūgerent, quod aduersatur inconcussæ doctrinę Apostoli.

798 His addo tum illud primæ Petri primo *Fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. Tū illud primæ Ioannis 3. *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum, & propter quod occidit eum? quoniam opera eius maligna erant, fratris autem iusta*. Recursus autem in his locis ad non imputationem peccatorum euidenter excluditur: quandoquidem, si per solam non imputationē diceret Petrus, *Non peccabitis aliquando*: nec staret, quòd per talia opera fieret certa vocatio, & electio, sed aliunde ex non imputatione: nec item staret restrictio, *hæc enim facientes non peccabitis aliquando*: quos enim Deus elegit, vt saluos faciat, siue hæc agerent, siue nō agerēt, nullū eis imputaret peccatū: quos autē reprobasset, siue agerēt, siue non agerent, quidquid peccarent, imputaret; ergo recursus ad non imputationem peccati, totum verborum Petri sensū destrueret. Rursus nec opera Abel iusta dicta sūt imputatione, sed ratione intrinsecæ iustitię, ob quā merebātur ita respici à Deo: videat nāq; quid 4. Genes. de eadē materia dicitur. *Et respexit Dñs ad Abel, & ad munera eius: ad Cain verò, & ad munera illius non respexit: iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius: dixitque Dominus ad eum, quare iratus es, & cur concidit facies tua: nonne si benè egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* His profectò apparet indè Dominum redarguisse Cain, quòd sibi debuerit attribuere non-respectū fuisse ad illius munera, sicut fuerat respectū ad munera sui fratris Abel, eò quòd nimirum non eo iusto corde, & animo, quo ille, munera obtulerit: & iniustè in fratrem inuidia exarsisse, quasi aliundè, quàm ex proprio defectu, fuerit frater à Domino illi prælatus.

799 Concludo autem omnia loca Scripturæ illo ad Romanos 8. *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*. Ipsamet ergo concupiscentia ex se mala, vitium naturæ, quæque malitiam, & peccata, si conciperet, pareret, adhuc conuertitur *In bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*. Non quidem ratione sui: sed illius, qui etiam de tenebris facit lumen splendescere, nimirum, quia eò gloriosior est Electorum triumphus, quò cum potentiori certantes inimico, per eum, qui infirmos accinxit robore, victoriam reportant.

800 Impugnatur secundò, idem error pluribus Augustini locis: sed quoniam in his quatuor continentur puncta omni animaduersione digna, ea separatim adducā, vt distinctiùs percipi valeant, & mente retineri.

Primum ergo, quod ex doctrina Augustini hic distinguendum offertur, est differentia, quam facit, inter concupiscentiam anteuolantem consensum voluntatis, & ipsum voluntatis consensum, docens, quòd prima nullatenus noceat, benè verò secundus vitæ spirituali, secundùm quam iustus ex fide viuit: hæc enim differentia euidenter conuincit, quòd non loquatur Sanctus Doctor de malitia operis, prout imputata, vel non imputata: sed secundùm se: quandoquidem, si de imputatione, vel non imputatione gratuita dumtaxat Dei esset sermo, præfata differentia nō staret; cui namque Deus non imputat vnū peccatum, seu remittit, iuxtà Psalmistam, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, eidem remittit etiam peccata consensuum: & cui non remittit vnum, nec remittit reliqua, quæ simul habet; si ergo Augustinus speciali solertia asserit solum consensum, qui prębetur cōcupiscentijs, non verò concupiscentias, cōsensum ipsum antecedentes, posse nocere vitæ spirituali, qua iustus ex fide viuit: de nocumento loquitur secundùm se, non verò prout imputatur, vel gratuitò non imputatur. Legant ergo Lutherani, & Caluinistæ Sanctum Doctorem lib. 1. de Nuptijs, & concupiscentia cap. 32. & sic docere conspicient, *Hoc traicit parens in prolem carnalem, quod & ipse carnaliter natus, non quod spiritualiter est renatus: quia id ipsum, quòd carnaliter natus est, quamuis reatu soluto, non impediat fructum eius, tamen tamquam in semine oliuæ latet: etiam si propter remissionē peccatorum nihil oleo noceat, ei scilicet vita, qui secundùm Christum, qui est appellatus ab oleo, idest Chrismate, iustus ex fide viuit*. Sed, vt videāt nunc quando non nocet, legant librum secundum cap. 34. & inuenient sic scribentem, *Quapropter, quamuis & in omnibus naturæ generatis, gratia regeneratis sit ista carnalis concupiscentia, repugnans legi mentis,* tamen

tamen quia remissa est in remissionē peccatorum, non iam illis in peccatum reputatur: nec nocet aliquid, nisi eius motibus ad illicita consentiatur. Et ne his verbis, quis apprehendat cōcupiscentiam ipsam esse peccatum, & in baptismate solutum fuisse eius reatum, remanente physico eiusdem, videat ex eodem Augustino lib. 6. contra Iulianum cap. 5. vbi de eadem concupiscentia, & eius reatu loquitur quid habeat, *Soluitur ergo per indulgentiam, quia tenebat in noxa: conteritur per continentiam, ne vincat in pugna. Agitur itaque, vt non obsit, donec ita sanetur, vt non sit. Tenebat*, ait, *in noxa*, non quòd ipsa erat noxa: tenebat autem dupliciter tum videlicet in eius causa, scilicet in originali, cuius ipsa est effectus: tum in suimet effectu, quia deficiente in nō baptizatis gratia preueniente ad opera, quæ supponit fidem, concupiscentia ipsa trahit semper noxium consensum, *Cùm enim essemus in carne*, inquit Apostolus ad Romanos 7. *passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti: nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, itaut seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ.* Et idem Augustinus post pauca ad supra allata, in libro 6. contra Iulianum in illa verba Apostoli Iacobi, *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, &c.* ita prætaiam doctrinam clarè stabilit, *Profectò in his verbis*, ait, *partus à pariente discernitur: pariens enim est concupiscentia, partus peccatum: sed concupiscentia non parit, nisi conceperit: non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandū obtinuerit volentis assēsum. Quòd ergo aduersùs eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat, pariatque peccatum.* Cæterùm de ipsa formaliter loquens idem Sāctus Doctor lib. 1. de Nuptijs, & concupiscentia capit. 23. ait, *Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; cùm iam in regeneratis non sit ipsa peccatum. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit, &c.* Concludat totum hunc discursum Sanctus Doctor lib. 2. de meritis, & remissione cap. 33. vbi euidenter se explicat, quid intelligat, cùm reatum originalis peccati vocat non semel reatum concupiscentiæ, non quia, videlicet, hæc ratione sui reatum includat: sed quia effectus, & pœna est reatus, quem supponit, dum sic loquitur, *Qui autem dicunt, si peccato mors ista corporis accidisset, non vtique post remissionē peccatorum, quam Redemptor nobis tribuit, moreremur, non intelligunt, quomodò res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus soluit, tamen eas ad certamen fidei sinit manere. Posset enim & alius non intelligens dicere, si propter peccatum dixit Deus homini, in sudore vultus tui edes panem tuum, & spinas, & tribulos pariet tibi terra, quare & post remissionem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura, & aspera parit etiam terra fidelium? Item, si propter peccatum dictum est mulieri, in gemitu pariet, cur etiam post peccatorum remissionem fœminæ fideles eosdem dolores parturiendo patiuntur?* Numquid ergo mors corporalis, sudor laborantis, spinæ, & tribuli terræ, & ipsi partus dolores etiam peccata sunt mortifera, quia etiam de his dicit Augustinus, *Non intelligunt quomodò res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus soluit, &c.* An potiùs originale peccatum vocat prædictorum malorum reatum, tamquam pœnarum incursarum propter originale? Sed videat quicumque similia somniaret, quomodò subsequatur cap. 34. idem Sanctus Doctor, *Hac*, inquit, *quæstione proposita, respondemus dicentes ante remissionem, esse illa supplicia peccatorum: post remissionem verò certamina, exercitationesq; iustorum.* Isthæc ergo omnia, sicut & concupiscentia, quorū Augustinus asserit fuisse reatū, supplicia sunt, & pœnæ peccatorum, non ipsa peccata ratione sui: & ideo non obsunt ei vitæ, secundùm quam iustus ex fide viuit: sed potiùs prosunt gloriosè ea vincentibus.

801 Secundum punctum, quod in hac materia distinguit Augustinus, consistit in eo, quòd sicut malè vti bono, malum est, & peccatum, quia indè peior conuincitur voluntas, dum etiam bonum conuertit in malum: ita malo benè vti, bonum est, & indè melior conuincitur voluntas, quòd etiam malum ordinat ad bonum, non eò vtens, sed superans; vndè quamuis concupiscentia sit mala, voluntas tamen fortiter resistens, & non cedens, imò illam superans, bona est, & nihil mali induit, dum eò conuincitur melior, & gloriosior, quò cum fortiori inimico pugnans, illum superat, atque deijcit. Vnde Augustinus in libro 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 28. ait, *Sicut ipsa carne, quamuis corruptibili, benè vtuntur, qui membra eius ad opera bona conuertūt: in qua carne nō sunt, quia non secundùm carnem eam sapiunt, neque viuūt: sicut denique etiam morte, quæ primi peccati pœna est, benè vtuntur, qui eam pro fratribus, pro fide, pro quacumque vera, & sancta iustitia fortiter, & patienter impendunt: sic illa etiam lege peccati, quod iam remissum, in vetustate carnis manet, benè vtuntur coniugati fideles, qui ex eo, quòd sunt in Christi nouitate, dominari sibi libidinem minimè patiuntur.* Hac eadem ratione vtius ipse carnalis concupiscentiæ

in

vi matrimonij, dum ordinatur in bonum finem propagandæ prolis, redditur bonus, & honestus, nullam in se continens rationem malitiæ, *Ideò quippè*, ait Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap. 10. *concubitus coniugalis, qui fit intentione generandi, non est peccatum, quia bene vtitur lege peccati, idest concupiscentia, quæ est in membris, repugnans legi mentis*. Et libro 1. de Nuptijs, & concupiscentia cap. 12. *Quamuis*, inquit, *coniugalis concubitus, qui fit intentione generādi, nō sit ipse peccatum*: & videas vnde, *quia subiungit, bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem: nec liberum arbitrium trahitur subiugante peccato, cùm iustè dirigitur in vsum generandi plaga peccati*. Libro tandem 1. de peccatorū meritis, & remissione cap. 29. *Bonum ergo coniugij*, ait, *non est feruor concupiscentiæ, sed quidam licitus, & honestus vtendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini, accommodatus: sicut autem bono vti malè, malum est: sic malo bene vti, bonum est*. Si autem vti ipsamet concupiscentia induere potest bonitatem ratione boni finis, ad quem ordinatur: quantò magis bona erit, & omnis expers malitiæ concupiscentiarum debellatio, fortisque ab ijsdem reportata victoria? an non hoc est, quod ait Apostolus prima ad Corinth. 7. *Igitur, & qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit*? Si, inquam, vsus ipse mali potest reddi ex bono fine bonus, quis ita cæcutiet, vt non conspiciat valdè melius esse malum ipsum oppugnare, & vincere, atque illi nulla ratione subijci, quod fit opera gratiæ, secundùm quam per eūdem Apostolum, *Expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induimus nouum, qui renouatur in agnitionem, secundùm imaginē eius, qui creauit illum*, prout scribit ad Colos. 3?

802 Tertium punctum situm est in eo, quòd non idem est dicere malum, vel etiam vitium, aut defectus, quod est dicere peccatum meritorium iræ Dei, vel pœnarum: hoc enim secundum importat præterea actum libertatis, ratione cuius ei imputabile sit malum, vitium, aut defectus: ac propterea, & si actus præcedentes concupiscentiæ sint mali, & vitiosi, & defectuosi: nisi tamen ipsis accedat consensus volūtatis, numquam induunt rationem peccati, coinquinantis subiectum, vel eius opera, quæ non sunt talis concupiscentiæ effectus. En hoc totum clarè præscriptum ex Augustino libro 2. contra Iulianum ante medium, *Iamne*, contra Iulianum inquit, *discernis, iamne percipis, iamne respicis, & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis, quasi ciuile bellum interiorum remanere vitiorum: non tamen talia sunt vitia, quæ iam peccata dicenda sint, si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat: & concipiat, pariatque peccatum*? Vbi considerandum est, quod ait Augustinus, non tamen talia sunt vitia, quæ in peccatum imputentur, seu, *Quæ iam peccata dicenda sint*. Nec ergo sunt, nec peccata dici possunt. Et rursus lib. 6. contra eumdem Iulianum cap. 5. *Tu autem*, inquit, *qui putas, quòd, si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatur, multum erras: omni enim peccato caret, non omni malo, quod planiùs ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis*. Quòd si exoptas scire vndè concupiscentia sit vitiū, & mala, si non est peccatum, legas eumdem Augustinum libro 2. de Nuptijs, & cōcupiscentia cap. 2. & id habebis: sic namque ibi scribit, *Et quando nolumus, & quando non consentimus, nec ei membra nostra, vt impleat, quod appetit, exhibemus, habitat tamen in eis: & mentem resistentem, repugnantemque sollicitat, vt ipse conflictus, & si non sit damnabilis*, (notent hæretici, *& si non sit*, ait, *damnabilis*, non verò non sit ex nō imputatione damnandus,) *quia non perficit iniquitatem: sit tamen miserabilis, quia nō habet pacem*. Est ergo malum vitium, & defectus physicæ pacis, atque quietis: euasurus defectus moralis, si ad se consensum deindè voluntatis trahat.

803 Quartum punctum, quod vltimò notandum est, in eo stat, quòd opera gratiæ in viuentibus in Christo, eò gratiotiora sint oculis Dei, magisque in se ipsis perfecta, quò cum maioribus reluctantibus concupiscentijs fiunt: quò namque actus, ex sua ratione bonus, robustior, & intensior est, eò est melior, magisque Deo placens: concupiscentiæ autem reluctantes quò plures, & fortiores sunt, eò, vt superentur, robustiora requirunt opera gratiæ: ad hoc autem propositum scribit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 34. *Nequaquam igitur*, inquiens, *in morte pro iustitia subeunda, vel cōtēnenda laudaretur præcipua patientia, si mortis non esset magna, multùmque dura molestia: cuius timorem, qui vincit ex fide, magnam ipsius fidei, comparat gloriam, iustamque mercedem*. Videant, si è regione differant hæretici isti ab Augustini doctrina, dum iste opera ex eo rationem laudabilitatis, & augmenti meriti desumit in patientia Martyris, ex quo hæretici isti volunt patientiam Martyrum coinquinari mortaliter, nempe ex timore re-

reluctante naturæ ad subeundam mortem. Libro item de Correct. & Gratia cap. 12. *Maior quippe*, ait, *libertas est necessaria adversus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseuerantiæ munita, atque firmata*. Et infra, *Hinc est, quòd in hoc loco miseriarum, vbi tentatio est vita hominis super terram, virtus in infirmitate perficitur.* Rursus lib. 2. contra Iulianum de Conflictu mentis cum carnis concupiscentijs loquens, sic scribit, *Contra quam regeneratus sua ratione vtitur: & illo spectante, atq; adiuuãte*, nempe Christo, *velut in agone confligit, quia virtus in infirmitate perficitur, dum contra hoc nostrum, quod à iustitia deficit, illo nostro, quod ad iustitiam proficit, dimicatur: vt vincente profectu, totum surgat in melius, ne vincente defectu, totum vergat in peius*. Victoria ergo tentationum dimicantibus auget præmium, cùm per eam surgant in melius, tantùm abest, vt victoria ipsa euadat plena immunditijs, quia de immunda reportatur concupiscentia. Numquid etiam hic dicetur, quòd victoria ista surgit in melius ex non imputatione peccati? non ita sanè loquitur Augustinus: nam profectum vincentẽ assignat pro causa surrectionis in melius, non extrinsecam Dei gratuitam non imputationem.

804 Impugnatur tertiò ratione naturali, omnibus obuia; quia malitia, vel bonitas actus nec sumitur præcisè ex suo obiecto, nec pręcisè ex natura, & modo tendendi actus: sed indiuisibiliter ex vtroque: nec enim amor, quia amor, indè bonus est, cùm amor turpium sit malus: nec odium, quia odium, malum est, cùm odium mali sit bonum: pari modo nec omne bonum specificat actum bonum, cùm odium boni sit malum: nec omne malum specificat actum malum, cùm fuga à malo sit bona; ex proportione ergo, vel improportione obiecti ad actum sumitur bonitas, vel malitia actus, vt tũc nimirũ actus sit moraliter bonus, quando volũtas vel bonum amplectitur, vel malum fugit: si verò actus sit improportionatus obiecto, vt si bonum fugiatur, aut malum amplectatur, tunc actus est moraliter malus; ergo sicut actus fugę à bono eò ipso conuincitur malus, nec vt fuga à bono potest vllam habere bonitatem moralem: ita actus perfectæ fugę à malo eò ipsò, quia fuga est, conuincitur ita bonus, vt si nullam admittat rationem amoris, nullã prorsus induere possit vmbram malitiæ: atqui ille actus, quo fidelis, gratia Christi Redemptoris adiutus, concupiscentiæ ita resistit, vt non solùm ea non vincatur, sed etiam vellet toto conatu abigere à se quod repugnare experitur legi mentis suę: & ideò non abigit, quia aliundè est, quàm ab ipsa voluntate, talis, inquàm, actus ita est fuga est à malo concupiscentię, vt nullam induat vmbram amoris, vel amplexus eiusdem; ergo iste actus, & si obiectum habeat malum, cui resistit, quia tamen fugiendo, non amplectendo illud respicit, bonitatem præcisam moralem induit, nullo verò modo inquinamentum, vel immunditiam. Quòd si aliquando aliquis inefficax consensus, vel negligentia subrepit, hic defectus à natura est, non à gratia; ergo firmũ manet, quòd opera gratiæ in operantibus iustè talia sũt, vt nullam in se dicant, ratione concupiscẽtiarum reluctantium, immunditiam: & si aliquando alios naturæ actus secum compatiãtur, venialiter malos, modo in principio præsentis Paragraphi assignato.

805 Quòd si dicant hęretici argumentum hoc conuincere, quando malum, cui resistitur, non est voluntati eidem resistenti imputabile; tunc namque voluntas comprobatur merè odiendo, & fugiendo circa illud se habere: at verò, quando ipsum malum est eiusdem voluntatis inquinamẽtum, afficit reliqua opera voluntatis, vtpotè ab eadem voluntate positum ad resistendum legi mentis: sicut, qui ipsas tentationes procurat, vt deindè fortiter resistat, peccat amando periculum. Cùm autem concupiscentiæ sint ex peccato originali nobis voluntarię voluntate capitis, facta moraliter nostra, adhuc stabit peccatum concupiscentiarum, & si illis à Sanctis fortiter resistatur.

806 Verùm in primis isti hæretici nolunt distinguere culpam à pœna: numquid iterum erit probandum, concupiscentias nõ esse culpam originalem, sed pœnam illius, cùm adhuc soluto per baptisma originali, & omni alio vinculo culpæ, si quod fuerit in baptizatis, remaneant concupiscentiæ ad agonem, & probationem fidei, non ad damnationem, dummodò voluntatis non trahant consensum? *Hæc autem lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus.* Scribit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 28. *non sic manet in membris eorum, qui ex aqua, & spiritu renati sunt, tamquam non sit eius facta remissio, vbi omninò plena, & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitijs interfectis, quibus separabamur à Deo: sed manet in vetustate carnis, tamquam superatum, & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodò reuiuiscat, & in regnum proprium, dominationemque reuocetur.* Si ergo tota supponitur per

Bap-

Baptismum soluta ratio culpæ, manente adhuc malo concupiscentiæ, tamquam pœna, in agonem, & probationem fidei, quid adhuc somniant hæretici isti inquinamenti damnabilis in ipsa concupiscentia, cui resistitur? Sed ne sic videamur concedere nullum opus posse esse ex se bonum, quando subiectum supponitur etiam exitialiter inquinatum, quasi in peccatore fides, & spes non sint opera supernaturalia ex se bona: addendum est hic, quod inquinamentũ peccati, non est velut cœnũ in peccatore, vt quidquid in ipso sit, inquinari oporteat: sed inquinamentum morale, imputabile peccanti ratione voluntariæ positionis actus, deficientis à rectitudine debita: sicut autem quilibet singularis actus suã distinctam, & diuersam entitatem habet: ita quilibet distinctam rectitudinem, vel defectum dicit rectitudinis debitæ: & sicut vnus non variat entitatem alterius, ita nec defectus rectitudinis vnius, auferre potest ab alio rectitudinem, quam ex se habet; ergo defectus vnius actus non reddit moraliter inquinatum alterum, si iste ex se rectitudinem continet debitam; cùm ergo gratia, vtpotè instrumentum speciale Dei, speciali modo, & vt causæ principalioris operantis, non possit operari, nisi actus, habentes suam in proprio genere rectitudinem, numquam opus gratiæ, etiam in peccatore inquinato, poterit de illius inquinamento participare: quamuis deindè opera peccatoris, nisi peccatum auferant, non sint ita Deo grata, ac sunt opera iusti; quia non habent eam dignitatem, quam inducunt opera filiorum, vel amicorum, sed pensantur solummodò secundùm proprium valorem.

§. DECIMVS.

Friuolis hæreticorum oppositionibus occurritur.

307 OBiiciunt primò hæretici plura, ad eorum sensum explicata, Scripturæ loca, quale est illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Ex quo ita arguunt. Ratione concupiscentiarũ, quibus homines propendent ad propria commoda, nemo potest in hac vita Deum diligere toto corde, tota animia, tota mente, & totis viribus, quocumque sit præditus diuino adiutorio; ergo in obseruantia huius præcepti omnes deficimus, & peccamus ratione concupiscentiarum reluctãtium: atqui non solùm omnia alia præcepta debemus ex charitate seruare, iuxtà illud primæ ad Timotheum 1. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*: verùm etiam omnia opera nostra, etiam non præcepta, debemus ex charitate peragere, prout habemus primæ ad Corinthios 10. *Siue manducabitis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*; Ergo deficientes in opere charitatis, in omnibus nostris operibus, quæ singula debemus ex charitate peragere, peccamus ob luctam concupiscentiarum, quæ perfectam erga Deũ charitatem nobis impediunt. Secundò afferunt illud ad Galatas 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio Iesu Christi daretur credentibus*. Ergo, inferunt, omnia peccata sunt, & sola fide in Christum percipimus promissa. Tertiò illud etiã Matthæi 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*. Atqui homines, subsumunt, ob peccatum originale sunt arbores, fructificantes malas concupiscentias; ergo sunt malæ arbores, non valentes bonum vllum facere fructum. Quartò afferunt illud Ioannis 3. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Nihil autem, aiunt, operamur, cui caro ex opposito concupiscẽs non obsistat; ergo nihil operamur, quod non sit permixtum mala cooperatione carnis. Quintò adducunt illud Genesis 6. *Videns Dominus, quòd multa malitia hominis esset in terra: & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit enim, &c.* Similis est locus eiusdem Genesis 8. *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescẽtia sua.* Si ergo, inferunt, cuncta cogitatio humani cordis est ad malum, nihil homo operari potest bonum, & quod non sit peccatum. Sextò ex illis verbis Genesis 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, ita argumentantur: Deus testatur abfuturũ ab homine in æternum ex eo, quòd caro est; ergo, quia caro mala radix est concupiscentiarum, meretur ex se in omni suo opere Dei absentiam. Septimò magnificiunt illud Isaiæ 64. *Facti sumus immundi omnes; &, quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.* Quod iactant euidenter conuincere omnia opera, etiam iustorum, plena esse immunditijs, sicut pannus menstruatæ. Pari mo-

Baptismum soluta ratio culpæ, manente adhuc malo concupiscentiæ, tamquam pœna, in agonem, & probationem fidei, quid adhuc somniant hæretici isti inquinamenti damnabilis in ipsa concupiscentia, cui resistitur? Sed ne sic videamur concedere nullum opus posse esse ex se bonum, quando subiectum supponitur etiam exitialiter inquinatum, quasi in peccatore fides, & spes non sint opera supernaturalia ex se bona: addendum est hic, quod inquinamentũ peccati, non est velut cęnũ in peccatore, vt quidquid in ipso sit, inquinari oporteat: sed inquinamentum morale, imputabile peccanti ratione voluntariç positionis actus, deficientis à rectitudine debita: sicut autem quilibet singularis actus suã distinctam, & diuersam entitatem habet: ita quilibet distinctam rectitudinem, vel defectum dicit rectitudinis debitæ: & sicut vnus non variat entitatem alterius, ita nec defectus rectitudinis vnius, auferre põtest ab alio rectitudinem, quam ex se habet; ergo defectus vnius actus non reddit moraliter inquinatum alterum, si iste ex se rectitudinem continet debitam; cùm ergo gratia, vtpote instrumentum speciale Dei, speciali modo, & vt causæ principalioris operantis, non possit operari, nisi actus, habentes suam in proprio genere rectitudinem, numquam opus gratię, etiam in peccatore inquinato, poterit de illius inquinamento participare: quamuis deinde opera peccatoris, nisi peccatum auferant, non sint ita Deo grata, ac sunt opera iusti; quia non habent eam dignitatem, quam inducunt opera filiorum, vel amicorum, sed pensantur solummodò secundùm proprium valorem.

S. DECIMVS.

Friuolis hæreticorum oppositionibus occurritur.

307 OBiiciunt primò hæretici plura, ad eorum sensum explicata, Scripturę loca, quale est illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Ex quo ita arguunt. Ratione concupiscentiarũ, quibus homines propendent ad propria commoda, nemo potest in hac vita Deum diligere toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus, quocumque nisi pręditus diuino adiutorio; ergo in obseruantia huius præcepti omnes deficimus, & peccamus ratione concupiscentiarum reluctãtium: atqui non solùm omnia alia præcepta debemus ex charitate seruare, iuxta illud primæ ad Timotheum 1. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*: verùm etiam omnia opera nostra, etiam non præcepta, debemus ex charitate peragere, prout habemus primæ ad Corinthios 10. *Siue manducabitis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ergo deficientes in opere charitatis, in omnibus nostris operibus, quæ singula debemus ex charitate peragere, peccamus ob luctam concupiscentiarum, quæ perfectam erga Deũ charitatem nobis impediunt. Secundò afferunt illud ad Galatas 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio Iesu Christi daretur credentibus.* Ergo, inferunt, omnia peccata sunt, & sola fide in Christum percipimus promissa. Tertiò illud etiã Matthæi 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Atqui homines, subsumunt, ob peccatum originale sunt arbores, fructificantes malas concupiscentias; ergo sunt malæ arbores, non valentes bonum vllum facere fructum. Quartò afferunt illud Ioannis 3. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Nihil autem, aiunt, operamur, cui caro ex opposito concupiscẽs non obsistat; ergo nihil operamur, quod non sit permixtum mala cooperatione carnis. Quintò adducunt illud Genesis 6. *Videns Dominus, quòd multa malitia hominis esset in terra: & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit enim, &c.* Similis est locus eiusdem Genesis 8. *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Si ergo, inferunt, cuncta cogitatio humani cordis est ad malum, nihil homo operari potest bonum, & quod non sit peccatum. Sextò ex illis verbis Genesis 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, ita argumentantur: Deus testatur abfuturũ ab homine in æternum ex eo, quòd caro est; ergo, quia caro mala radix est concupiscentiarum, meretur ex se in omni suo opere Dei absentiam. Septimò magnificiunt illud Isaiæ 64. *Facti sumus immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.* Quod instant euidenter conuincere omnia opera, etiam iustorum, plena esse immunditijs; sicut pannus menstruatę. Pari modo

do conuincere dicunt illud Psalmi 142. *Et non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Ex quo, aiunt, conuincitur nullum esse iustũ in conspectu Dei, nisi quia Electis ab ipso non imputantur culpæ. Vltimò tandem afferunt illud Iob 9. *Verè scio, quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo, compositus Deo,* Idest relatè ad oculos diuinę Maiestatis nullus est extimabilis iustus ex hominibus:pro vt paret ex eo, quod de se ipso subiungit Iob, dicens, *Si iustificare me voluero, cor meum condemnabit me: si innocentem ostendero: prauum me comprobabit.*

808 His distortis rimis pestiferos errores suos in cordibus miserorum sequacium introducere conantur isti blasphemi Lutherus, & Caluinus: atque, dummodò adducant discipulos post se, parùm curãt, aut curare negligunt, si Deum conuincuntur asserere iniustum exactorem, vel impium punitorem, exigendo à nobis impossibilia: ac non reddentes, quæ exiguntur, æternæ mortis pœna,sæuisque cruciatibus puniendo. An retractant forsan, quod toties repetunt, præcipuè Caluinus, nempe inter omnes Sanctos Patres solum Augustinum esse Sacræ Scripturæ fidum Interpetrem? Si autem non retractant, ipsum legant sermone 61. de tempore, & inuenient ita scribentem, *Deus neque impossibile potuit aliquid imperare, quia iustus est; neque punire, quod vitare nõ possumus, quia pius est.* Sed quid mirum, si in talia abrupta deflectere cogũtur, qui typho superbiæ ita eleuantur, vt proprios sensus omnium Sanctorum Patrũ, ac Conciliorum, nec non totius Ecclesiæ trito, atque indeclinabili præferunt.

809 Respondeo ergo, singula Scripturæ loca iuxtà germanum, & legitimum sensum explicando. Vndè ad primum dico dupliciter ex Augustino locum illud Matthęi,de quo alibi non semel in Sacra Scriptura fit sermo, intelligi posse, & debere. Vno modo, vt nobis præcepta sit Dei dilectio ex toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus, secundùm quòd eædem vires in hac vita prorumpere possunt in ipsum actum dilectionis, præsupposito diuino adiutorio: non verò secundùm quòd aptæ sunt in dilectionem prorumpere in alia vita. Neque enim Deus Matth. 25. à seruo, qui duo talenta acceperat, offerente fructum similem duorum talentorũ, aut vberiorem exegit, aut de illo conquestus est, quòd non retulit quintuplum, sicut alius, cui quinque talenta præstiterat, imò ipsum bonitatis, & fidelitatis laudauit: exprobrauit autem illum, qui, vno talento accepto, nullum retulit ex eo fructum. Legatur Augustinus lib. de Spiritu, & Lit. cap. 36. vbi de hoc præcepto loquens ait, *At, si credendum est, quòd ad tantam dilectionẽ Sancti peruenire potuerunt, qua certè maiorem in hac vita esse non posse Dominus ipse testatus est, vt animas suas pro fide, & pro fratribus ponerent: cùm ab hac peregrinatione, in qua per fidem nunc ambulamus, non per speciem, peruentum erit ad speciem, quam non dum visam speramus, & per patientiam expectamus: procul dubio, & ipsa dilectio non solùm supraquàm hic habemus, sed longè supraquàm petimus, & supraquàm intelligimus, erit.* Ecce duos diligendi Deum modos, & hic, & in Patria: sed videant hæretici quid subiungat Augustinus, *Sed dici potest quædam iustitia minor, huic vitæ competens, qua iustus ex fide viuit, quamuis peregrinus à Domino: & ideò per fidem ambulans, non dum per speciem, non absurdè dicitur etiã ad istam pertinere, ne peccet: neque enim, si esse non dum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plena, perfectæque debetur, iam culpæ deputandum est.* Verum ergo est non posse Sanctos in hac vita, in ænigmate, & per fidem ambulantes, tantùmdem Deum diligere, quantùm diligunt, cùm viuunt per speciem in Patria; sed nihilominùs possunt, & si dilectione minori, competente tamen huic statui, ita diligere, vt non peccent. Secundus sensus est, vt charitas ex toto corde, ex tota anima, &c. sit finis præcepti, non exequenda in hac vita: prout habetur loco ipso, quem ex prima ad Timotheum 1. adducunt hæretici, vt nimirum in hac vita iuxtà vires desideremus ita Deum amare, quòd tandem acquiramus in Patria dilectionem eiusdem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & viribus. Id ipsum loco citato etiam docet Augustinus subsequentibus verbis, *Proindè hoc erit primum præceptum iustitiæ, quo iubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, quod in illa vita complebimus, cùm videbimus facie ad faciem: sed ideò nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneamur, quod fide exposcere, quò spem pręmittere, & obliuiscendo,quę retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.*

810 Hinc patet, quòd, etiam si concedamus teneri homines omnia præcepta ex charitate in Deum adimplere, (de quo hìc non est differendum, nę terminos trãsgrediamur, præsenti materiæ præfixos,) sicut possumus præcepto dilectionis, quantùm pro hac vita sumus obligati, satisfacere: ita & cætera valebimus adimplere pręcepta: dummodò firmum maneat omnibus,

bus, & singulis puris hominibus (Deipara excepta) opus esse quotidie dicere, *Dimitte nobis debita nostra*, saltē pro venialibus, & , *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, &c.* prout habemus Ioan. 9.

811 Ad secundum dico ex eodem Apostolo clarescere, sicut & ex Augustino, quid importent illa verba, *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio Iesu Christi daretur credentibus*, si nimirum contextus verborum benè pensetur; agit enim ibi Apostolus, vt probet legem solam sine gratia Christi ostendere quidem peccata, sed nō ea posse auferre: auferri autem per fidem Iesu Christi: non modo, quo hæretici sōniant, sed quia per fidem impetramus gratiam, qua deindè legem implemus. Inter alia namque, Galatas exprobrans Apostolus, tamquam fascinatos, ne obedirent veritati, ait, *Hoc solùm à vobis volo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Et deindè, *Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Et infra, *Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham.* Et, *Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quoniam iustus ex fide viuit: nam si ex lege hereditas,* inquit, *iam non ex promissione: Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.* Loquens autem deindè de ipsa lege, subiungit, *Quid igitur lex? Propter transgressiones*, ait, *posita est donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Legant autem ad Romanos 7. quid sit legem positā esse propter transgressiones: non enim significat legem peccata causare, sed manifestare, *Quid ergo*, inquit, *dicemus, lex peccatum est? absit, sed peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Et infra, *Itaque lex quidem Sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum; quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit: sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Hoc est ergo, *Quid igitur lex? propter transgressiones posita est*, nimirum non ipsa obseruari facit mandata, sed indicando quid facere debeamus, nobis notum facit, quòd sine gratia Redemptoris, in omnibus præceptis legis deficimus: & indè Apostolus concludit, *Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato*: hoc est ostē-dit omnia præcepta sine gratia Christi tenere nos peccato obstrictos, *vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Videatur Augustinus in Expositione eiusdem capitis 3. ad Galatas, & signanter in ipsamet verba, *Sed cōclusit Scriptura omnia sub peccato*: sic namque habet, *Non ergo*, inquit, *lex data est, vt peccatum auferret, sed vt sub peccato omnia concluderet; lex enim ostendebat peccatū esse, quod illi, per consuetudinem cæcati, possent putare iustitiam.* Quomodò autem obtineat promissa, infra probabimus. Pro nunc sufficiat detectam iam remanere hæreticorum versutiam, secundùm quam locum, de quo agimus, Scripturæ, qui, vt probatum est, procedit de operibus legis, præcisa gratia Christi Redemptoris, imò quibus prætendebant Hæbrei debitam esse eamdem Redemptoris gratiam, volunt transferre ad opera gratiæ: quæ ideò in Christo Iesu datur, vt, quæ per solam legem implere non poterant homines; seruarent deindè suffulti auxilio gratiæ: *Nam quod impossibile erat legi*, scribit Apostolus ad Romanos 8. *in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.*

812 Ad tertium dico argumentum solùm probare voluntatem hominis post lapsum esse ratione concupiscentiarum arborem malam, si careat auxilio gratiæ: sed per auxilium gratiæ, præsertim efficacis, fieri arborem bonam, potentem fructificare, vel actū fructificantem bona opera, & ideo in eodem citato loco dicitur, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut arborem malam, & fructum eius malum*: his verbis namque ostenditur in nostra potestate esse, vt credentes, obtineamus per fidē auxilia gratiæ, quibus fieri valeamus arbores bonæ. An non hoc poterant, quasi iisdem verbis legere apud Augustinum libro 1. contra Iulianum cap. 3. *Et hinc intelligat*, ait, *arborem malam voluntatem malam, quia defectus est à summo bono, vbi bonum creatum bono creante priuatur, vt sit in eo radix mali nihil aliud, quàm indigentia boni: arbor autem bona ideò est voluntas bona, quia per ipsam conuertitur homo ad summum, atque incommutabile bonum, & impletur bono, vt faciat fructum bonum.* Illa ergo gratia præueniens ex Augustino, quæ voluntatem hominis cōuertit ad Deum fortiter, & supra quàm concupiscentia eumdem trahit ad bonum commutabile, facit voluntatem arborem bonam, eam bono implens, vt faciat fructum bonum: & quoniam similem gratiam potest homo impetrare per fidem, recurrendo ad Deum, quamuis aliquando inueniatur ab his, qui non requirunt illum, indè

indè est, quòd Christus dicat, prout supra, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, &c.*

813 Ad quartum libenter concedo id, quod nascitur ex carne, bonum non esse: sed nō ideò semper peccatum est: aut enim trahit consensum voluntatis, & tunc non tam malum, verùm etiam peccatum est: aut solùm consistit in concupiscentia antevolante opus voluntatis, & tunc quid malum naturæ est, & vitium, sed non imputabile ad specialem culpam: atque ideò, etiam si obsistat operibus spiritus, non indè huius opera inquinat, vt probatum est ex dictis.

814 Ad quintum dico ridiculè extendi locum Scripturæ, qui procedit præcisè de vno speciali tempore, ad omne tempus. Quis enim non videt, quòd ea, quæ de ijsdem hominibus minatus fuit Deus, & opere complenit, nullo alio tempore fecerit? Agitur ergo in præcitato loco Genesis 6. de hominibus, qui erant in sæculo illo præcedente, & in quo fuit diluuium, quādo non solùm non erat lex gratiæ, sed neque lex scripta: & de his dicitur in eodem capite, *Cùm homines incepissent multiplicari super terram, videntes fily Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, &c.* Horum ergo cor erat communiter corruptum, & cuncta cogitatio illorum intenta erat ad malum; & propterea de his etiam ait, non de hominibus futuris tempore gratiæ, *delebo hominem, quem creaui à facie terræ*, Et, *Finis vniuersæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum: & ego dispergā eos cum terra: fac tibi arcam de lignis leuigatis, &c.* Sed nec propterea non etiam tunc repertus fuit Noe, de quo ore Dominico habemus in eodem capite, *Te enim vidi iustum coram me in generatione hac*. Quid ergo versipelles isti prætendunt ex hoc loco, vt probent, quòd in omni tempore, etiam cum gratia Christi Redēptoris, omnis cogitatio hominis intenta sit ad malum? Nō est autem similis locus alius, qui adducitur ex 8. Genesis, cùm dicitur, *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona est ab adolescentia sua*, illi, qui adductus est ex eiusdem Genesis 6. *Et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*: nam in illo ponitur intentio voluntatis, in illo verò sola sensus, & cogitationum cordis propensio, nimirum naturæ concupiscentiæ, quæ cor inclinant ad malum, quibus tamē adhuc voluntas Dei adiutorio potest obsistere, eaque vincere: vndè dicitur in eodem loco, *Ædificauit Noe Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mūdis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait, nequaquā vltra maledicam terræ propter homines, sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona est ab adolescentia sua*. Nonne his euidenter suffocatur horum hæreticorum error? si namque Dominus odoratus est odorem suauitatis in holocausto Noe; non ergo opus Noe opus fuit immunditiæ, sed opus Deo gratum, & suaue; verba enim ipsa indicant, quòd opus ex se attulit Domino odorem suauitatis, non verò ex se immundum, non fuit ita imputatum; hoc siquidem modo non refudisset Domino odorem suauitatis, sed purè negatiuè non fuisset extimatum insuaue, & immundū. Distinguant ergo isti perfidi opus naturæ vitiatæ in se, ab operibus gratiæ: & dicant cum Scriptura, quòd, *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona est*, non prout perfusa gratia Spiritus Sancti, sed ab adolescentia sua: at gratia cælitùs conspersa reddit Domino *odorem suauitatis.*

815 Ad sextum etiam desumptum ex 6. Genesis patet ex modo dictis quid dicendum sit; non enim cum dicitur, *Non permanebit spiritus meus in homine in æternū, quia caro est*, id pronunciatur de toto humano genere, sed de gente illa eadem, de quā deindè subdit, *Delebo inquit hominem, quem creaui à facie terræ*, eò quòd cuncta cogitatio cordis hominum illius gentis, *intenta esset ad malum omni tempore*. Neque ibi agitur de permanentia Dei in homine secūdum gratiā, & vitā spiritualē: sed secundum quod cap. 2. dixerat, *Formauit igitur Dñus Deus hominē de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*. Sensus ergo illorum verborum est, quem tribuit Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei capite 24. nimirum spiritus meus, spirans spiraculum vitæ, nō permanebit in æternum ita spirans cum generatione hac, quia tota carnalis est, *Eruntque dies illius centum viginti annorum*, hoc est, vt deleam gentem istam non expectabo, nisi dumtaxat centum viginti annos, *non sic accepiendum est*, ait præcitato loco Augustinus super prædictis verbis, *Quasi pronunciatum sit, post hæc homines centum viginti annos viuendo, non transgredi, cùm, & post diluuium etiam quingētos excessisse inueniamus, &c. Ac sic centum viginti anni prædicti sunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus transactis diluuio delerentur.*

816 Ad septimum desumptum ex Isaia dico eodem modo loqui, ac loquitur Apostolus ad Philippenses 3. cùm dicit, *Verumtamen existimo omnia detrimētum esse propter eminentem Scientiam Iesu Christi, propter quem omnia*

omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Sed legant hæretici de quibus operibus ita loquatur Apostolus, hæc namque præmiserat, *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus, secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela*, & de his secundùm quæ superbiebant Hebræi, subiungit, *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, verumtamen existimo omnia, &c.* vt supra. Et si quærant vndè legis opera detrimenta erant: habeant ex eodem Apostolo, quia nimirum legem spiritualem carnaliter accipiebāt; & in ordine ad promissa terrena, ne perderent, timore legem obseruabant: & indè vocatur ab Apostolo lex timoris, & seruitutis, vt ad Romanos 8. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, &c.* Et ad Galatas 4: *Scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de Ancilla, & vnum de Libera: sed qui de Ancilla secundùm carnem natus est, qui autem de Libera per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Sina in seruitutem generans, &c.* In quæ verba, explicando hoc caput quartum Augustinus suo 4. Tomo, *Ille*, inquit, nempe filius, *de Ancilla, quæ Agar vocabatur, vetus testamentum significat, idest populum veteris testamenti propter iugum seruile carnalium obseruationum, & promissa terrena, quibus irretiti, & quæ tantummodò sperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritualem cælestis patrimonij*. De hac ergo eadem iustitia, de qua tunc populus ille Hebraicus gloriabatur, loquutur Isaias, cùm dicit, *Et quasi pānus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ*: & propterea caput incipit implorando aduentum Christi, *Vtinam dirumperes Cœlos, & descēderes, à facie tua montes defluerent*, vt nimirum per eius gratiam fieret vera operū iustitia.

817 Ad octauum desumptum ex Psalmo 142. dico loqui Psalmistam de Iustitia rigorosa, cùm enim nullus homo (Deipara excepta) ita iustus sit, vt non sit ei opus dicere, *Dimitte nobis debita nostra*, saltem venialia, orat Psalmista, vt non rigoroso iudicio, misericordia suspensa, iniret cum seruo suo Dominus. Quandoquidem sciebat nullum esse ita iustum apud Deum, vt non plura iniusta opera, saltem venialiter, commiserit. Atque eodem modo loquitur Iob tum in primo, tum in secundo loco adductis in argumento, cùm non semel in eodem libro de Iob testimonium ferat Spiritus Sanctus, quòd, *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum aliquid cōtra Deum loquutus est*. Et nihilominus arguitur à Domino cap. 38. his verbis, *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Et Iob ipse cap. vltimo accusat se ipsum, dicēs, *ideò insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam, idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere*. Aliud ergo est aliquem esse iustū, quia nō peccat mortaliter, quo pacto multi reperiuntur Sancti, qui, dempto originali, nullum commiserunt mortale; aliud verò esse omninò, & perfectè iustum, vt Dei indulgentia, & remissione non indigeat, quo modo, præter Deiparam, nullus purus homo iustus est.

818 Obijciunt secundò plurima Augustini loca, nempe primò illa verba, quæ habet in libro de perfectione iustitiæ ratiocinatione 17. vbi agens, an homo sit sine peccato, *Non vtrum*, ait, *præceptum sit, quæritur, quod valde manifestum est: sed hoc ipsum, quod præceptum esse constat, vtrum in corpore mortis huius possit impleri, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea, quæ volumus, faciamus?* Quibus verbis admittit Augustinus præceptum Dei, & cōsequenter cuius inobseruātia sit peccatum, quamuis ab homine in corpore mortis huius adimpleri non possit. Rursus post pauca, *Nam cùm est aliquid adhuc carnalis concupiscentiæ*, inquit, *quod vel continendo frænetur, non omnimodè ex tota anima diligitur Deus. Cur ergo*, deindè subiungit, *non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat?* Ergo docet posse aliquid esse nobis in hac vita præceptū, quod in eadē adimplere non possumus: & cùm omnia teneamur ex præcepto charitatis implere, in hoc deficientes, in omnibus delinquimus. Tertiò tandem ex libro 9. Cōfessionum cap. 13. afferunt verba illa, *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia, discutias eam: quia verò non inquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus apud te locum inuenire indulgentiæ*. Ergo, aiunt, etiam vita sancta Electorum, & opera gratiæ, si, remota misericordia, discutiantur, reperiuntur digna iræ Dei, & ex sola non inquisitione vehementi, seu non imputatione, fiducialiter saluari sperant Electi.

819 Respondeo breuiter ex dictis: & ad primum dico loqui ibi Augustinum contra Celestium Pelagianum, qui negabat Peccatum originale, & indè negabat etiam cōcupiscentiam esse malam, & prima pecca-

ti: Augustinus autem probabat esse malam physicè, & miseriam hominis, vt supra ostendimus: ideòque non congruere perfectæ iustitiæ æternę vitæ: & indè etiam hic prohiberi; sed quomodò hic sit præceptum, *Non concupisces*, ex eodem Augustino non semel ostensum est, tamquam scilicet finis, ad quem tendamus per opera præsentis vitæ: non verò vt hìc à nobis exequendum: atque adeò secundùm quòd obligamur in hac vita, tale præceptum nō est nobis impossibile, sed possumus facere, quamuis nullus efficiat: obligamur enim ad nolle habere concupiscentias, si possemus; non autem ad non habere. An non legerunt isti hæretici responsionem Augustini ad ratiocinationem decimam sextā immediatè antecedentem, in qua hæc cōtinētur verba, *Nos respondemus nullum cum eis de his verbis debere esse conflictum, quia non est ausus dicere hominem esse sine peccato, vel aliquem, vel seipsum: sed tantummodò esse posse respondit, quod neque nos negamus*. Quòd si replicent hæretici nullatenus componi ista duo, quòd omnis homo possit esse proximè sine peccato, & nullus ita sit. Respōdeo ex Angelico Doctore quæst. 24. de Veritate artic. 13. quòd, quamuis homo possit singulis tentationibus, & concupiscentijs malis, etiam ad venialia inclinantibus, obsistere, aliàs, si esset impossibilitatus, non peccaret: est tanta nihilominùs variabilitas cognitionum intellectus, & flexibilitas voluntatis, vt impossibile sit moraliter, quòd aliquando, saltem semideliberatione voluntatis, homo non cadat in hanc, vel in illam tentationem. Et ex his explicatus etiam manet secundus locus Augustini. Ad tertium dico ex eodem citato loco Augustini patere, quòd sermonē habet de peccato veniali, nimirū quòd nulla sit etiam laudabilis vita hominis, quæ non sit permixta pluribus venialibus: & væ tali homini, si illum Deus, semota misericordia, iudicaret, quandoquidem etiam ista venialia deberent pœna ignis Purgatorij, licèt temporali, purgari. Si tamen concedatur, quòd Augustinus loquatur de mortali, nescio quid hic locus contineret pro hæreticis: non enim dicit Augustinus væ omni actioni laudabili, &c. sed, *væ vitæ*, vndè solùm sequeretur, quòd in tota vita semper misceretur aliquod mortale, non quòd omnis actio vitæ laudabilis sit mortale peccatum. Euidens tamen est ex contextu verborum, quod loquatur Augustinus de intermixtione venialium; ad recensita nāque, quæ adducuntur in argumento, hec præmittit verba, *Quamquam illa in Christo vivificata sic venerit, vt laudetur nomen tuum in fide, moribusque eius: non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum generasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuū.*

§. VNDECIMVS.

Error, quo asseritur nullum opus gratiæ posse induere rationē meriti, eliminatur.

820 ARticulus est fidei definitus contra Pelagianos, & Semipelagianos, cōtra quos satis defatigauit se Augustinus, nō posse creaturam rationalem, sed præcipuè hominem post lapsum, aliquod bonum opus, & meritorium mercedis apud Deum efficere, aut in pura natura conditum, aut absque gratia Christi Redemptoris post despoliationem à iustitia originali, & accessum, in pœnam, concupiscentiarum. Quia nimirum natura, quæ ab intrinseco priùs est ad se ipsam, quàm ad alia extra se, nisi aliquo dono dirigatur ad Deum, vel intrinsecas concupiscentias sopitas habeat, semper in operando finem in suipsius commodūm poneret, quod est à Deo auerti, ipsumque offendere: tantùm abest, vt possit esse meritorium mercedis apud Deū opus. Hoc, de quo toties locutus sum, hic denuò commemoro, vt istorum hæreticorū conuicia, quibus Catholicos afficiunt, quasi isti, asserendo opera nostra posse esse digna mercede apud Deum, erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum se adscribant, obtundam. Catholici namque & istorum errores, quibus naturam liberi arbitrij, chimærizando, eleuant: & Lutheranorum, ac Caluinistarum laruas, quibus rationem gratiæ preuenientis, & cooperātis deprimunt, quasi non habeat posse Deus tale adiutorium homini tribuere, quo eleuetur ad operandum sine peccato, & meriti ius acquirat ad mercedem, damnant, & anathematizant, tamquam oppositos Sacræ Scripturæ. Illorum quidem errores iā Dei gratia euanuerunt ab hominum cordibus; istorum autem hæreses maiores radices fixerunt, quia libertati consulunt conscientiarum, imò concupiscentiarum, sed, *Væ qui dicitis*, iuxtà Isaiæ minas cap. 5. *malum bonum, & bonum malum, ponentes tene-*

bras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

821 Non ergo contra hos hæreticos prætẽdimus posse hominem ex se, & præcipuè post originale, aliquod bonum opus efficere, & meritorium, quasi priùs homo ex suo libero arbitrio aliquid tribuat, cui Deus deindè retribuat, *Quis*, namque ex Apostolo ad Romanos 4. *prior dedit illi*, nempe Deo, *& retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Neque enim in hoc loco agebat Apostolus de esse naturali, sed agebat de bene operari: ratione cuius concludit, quòd, *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*. Sed quod hic stabilire ex Scriptura, simul, & authoritate Augustini satagam, consistit in eo, quòd possit homo, præuentus gratuitò ex Dei præcisa bonitate, & misericordia diuino adiutorio, eleuante vires eius liberi arbitrij, opera elicere meritoria, siue de congruo, siue de condigno (de quo hìc non disputamus) tum primæ gratiæ habitualis, si hanc non supponitur habere: tum augmenti, si iam primam habet: tum tandem vitæ æternæ, iuxtà mensurã gratiæ, quæ semen est æternæ hæreditatis.

822 Ex Scriptura ergo eliminatur prædictus hæreticorum error pluribus vijs. Primò quidem, quia si Deus gloriam Electis non daret ex merito operum, sed sua præcisa voluntate gratuita donandi, cui placuerit, non esset verum, quòd, cui Deus dat, ratione operum illius det, sed ratione suæ propriæ præcisæ voluntatis: si opus namque nihil meretur; non ergo vi operis daret; atqui tota ferè Scriptura, nos docet Deum motum ab operibus, atque illorum ratione præmium retribuere, & non solùm præmium naturale, verùm etiam dona supernaturalia, atque vitam æternam; ergo, &c. Minor probatur tum Genesis 22. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, &c.* Quod replicatur deindè cap. 26. Tum Matth. 25. *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Et infra, *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* Tum Lucæ 21. *Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis: in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Tum ad Romanos 2. *Qui reddet vnicuique secundùm opera eius: ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem quærunt, vitam æternam; ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati*, quales sunt, contra quos agimus, *Ira, & indignatio*. Tum tandem ad Hebr. 13. *Beneficientiæ autem, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.*

823 Secundò, quia sicut peccatores dicuntur ex Apostolo ad Romanos 7. fructificare morti: *Cùm enim*, ait, *essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti*: fructificare autem morti per opera carnis nihil aliud esse, vel intelligi potest, nisi opera efficere meritoria mortis æternæ: ita consequenter, cùm operantes spiritu gratiæ dicuntur econtra fructificare vitæ, nihil aliud significari poterit, nisi quòd fiant opera meritoria æternæ vitæ; quomodò loquitur Apostolus idem ad Romanos 6. *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*: fructum vestrum, inquit, vt appareat esse fructum ipsiusmet bonæ arboris, secùndùm quòd alibi Christus dicit, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum*; vt faciamus nos iubet, non verò vt faciat ipse Deus ex sola non imputatione peccati: quamuis, & fructus bonus arboris sit principaliùs Dei, tribuentis gratiam: sed est etiam nostrum ratione liberi arbitrii. Eodem modo loquitur Isaias cap. 3. *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet*; inde ergo bene est iusto, quoniam in cœna Magni Patris familiæ, qui fecit nuptias Filio suo, fructus comedet adinuentionum suarum: suarum, inquam, sed magis Supremi Patris familias, qui cœnam ipsam præparauit Electis à constitutione mundi, eos eligendo, vt essent sancti, & immaculati in conspectu eius.

824 Tertiò, quia retribuere, & remunerare stant dupliciter, vno modo nimirũ per replicationem actuum, cùm quis tribuit, & iterum deindè retribuit: vel munerat, & iterum deindè remunerat: quo pacto dicitur in Psalmo 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit*, nẽpe multiplicatò dedit, *mihi*. Alio modo, vt ex iisdẽ verbis patet, retribuere, sicut & remunerare, est aliquid intuitu doni prioris, ipsi tributi, rependere, & ita dicitur, *Quid retribuã*, hoc est quid reddã *Dño pro omnibus, quæ retribuit mihi*. Quãdo ergo retribuere, vel remunerare multiplicitatem donationis importat, verũ est, quòd non significat, nisi gratiam donantis; sed quando retributio, & remuneratio

ratio nõ dicitur ratione multiplicitatis doni: sed ratione accepti, & indè retributi, importat in retributione aliquam rationem debiti ob meritum tributionis & indè dicitur retributio, & remuneratio, quasi satisfactio tributi prioris, & muneris: pluries autem in Scripturis Deus dicitur retribuere, vel remunerare opera bona vi eorumdem operum: ergo ratione meriti in opere, cui retribuit præmium. Ita ad Hæbreos 10. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem*. Et cap. 11. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias existimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Et infra. *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*. Ita insuper in Psalmo 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*. Ita ad Colossenses 3. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.*

825 Quattò ex ratione mercedis, quæ per Scripturam retribui dicitur operibus bonis: illud namque, quod alicui tribuitur ex præcisa gratia donantis, & non ex merito operum, quasi debitum, nullatenus dici potest merces operis, sed gratia. Econtrà verò, quod tribuitur ex merito operis, non ita esse potest gratia, vt non sit etiam aliquo modo debitum ex iustitia, & indè vocatur merces operum; sicut habemus in Parabola Matth. 20. *Dicit Dominus vineæ procuratori suo, voca operarios, & redde illis mercedem*. Et infra, *Nonne ex denario conuenisti mecum, tolle quod tuum est, & vade*. Quod tuum est, inquit, quasi suum ex merito operum: & indè merces operis. Apostolus item ad Romanos 4. *Ei autem, inquit, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. Cùm ergo merces dicitur reddi operi, & labori, non potest id aliter subsistere, nisi ratione meriti operantis, cui correlatiuè respondet merces, vel præmium. Deuoluant autem nunc Scripturam, & inuenient Prouerbiorum 11. *Impius facit opus instabile, seminanti autem iustitiam merces fidelis*, Ecclesiastici 36. *Da mercedem sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur*. Et cap. 2. *Qui timetis Dominum credite illi, & non euacuabitur merces vestra*. Cap. item 11. *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat*. Rursus cap. 18. *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. Et tandem cap. vltimo, *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo*. Inuenient item in Genesis 15. *Noli timere Abrahã, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Hieremiæ 31. *Hæc dicit Dominus, quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus*. Matth. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui est in Cœlis*. Et cap. 5. *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis*. Cap. item 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam*. Marci 9. *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam*. Ioannis 4. *Videte regiones, quia albæ sunt, iam ad messem: & qui metit mercedem habet, & congregat fructum in vitam æternam*. Primę ad Corinthios 3. *Qui autẽ plantat, & qui rigat vnum sunt: vnusquisque autem propriam mercedem habet secundùm suũ laborem*. Apocalypsis tandem 22. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, dare vnicuique secundùm opera sua*.

826 Ex his pateat primò, quàm ludicrè similibus locis sibimet, prout placet propositis, respondeant hæretici, quòd sermo in illis sit de aliquo præmio rerum temporalium, non de retributione donorum supernaturalium, & vitæ æternæ. Ludicrè, inquam, respondent, confundentes legẽ gratiæ, cum lege scripta, & carnaliter intellecta communiter ab Hebræis, (exceptis Sãctis Patribus illius temporis:) Hebræi nãque legem seruabant amore rerum temporalium, vt explicitè docet Augustinus supra citatus nume. 816. & ideò non adiuti gratia ob malũ finẽ operantium, ex eodem Augustino in Expositione cap. 5. Epistolæ ad Galatas. *Quædam opera legis, implebant, quæ in Sacramentis sunt: illa verò, quæ ad bonos mores pertinent, omninò non poterant: non enim impletea*, subiungit, *nisi charitas*. Talis ergo obseruantiæ legis quoad exteriores cæremonias correspondebant præmia terrena, & temporalia: vndè Apostolus ad Romanos 10. *Moyses enim scripsit*, inquit, *quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo viuet in ea*; sed non ita viuit, qui Christi legem seruat, *Ita, & vos*, ait idem Apostolus ad Romanos 6. *existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro*. Ac propterea catholic

pite deindè 8. legem Christi asserit, quòd sit, *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu*. Præterea euanescit talis hæreticorum conficta responsio ex pluribus locis à me allatis, in quibus etiam ipsa gloria explicitè dicitur merces, qualia sunt Ioannis 4. Matth. 5. & Ecclesiast. 18. Rursus quid temporalis præmij agnoscunt isti perfidi in Sanctis i,s, de quibus Apostolus ad Hæbreos 11. dicit, quòd ad cõseruationem susceptæ fidei, *Alij distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt inuenirent resurrectionem. Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ?* An non legunt, vel fingunt non legere isti proterui, quid canat in Psalmo 72. Regius Vates, *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns: in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Et dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis: existimabam, vt cognoscerem hoc, labor est ante me: donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Quomodò facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam: in Ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges, &c.* Ex quibus patet, quod Dauid veluti mirabatur, quomodò iniqui supra iustos in hoc mundo gaudeant: nisi deindè in vtrorum finem animum deuoluens, diuersum agnouisset exitum, felicẽ pro iustis, miserabilissimum pro impijs. Et in Psalmo 36. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: in homine faciente iniustitias*, quia, *Adhuc pusillum, & non erit peccator: quæres locum eius, & non inuenies: mansueti autem hæreditabunt terram, &c.*

827 Pateat secundò nec vllam subsistẽtiam habere, sed prorsus chimæricam esse illam aliam hæreticorum responsionem, secundùm quam dicunt nostris operibus elicitis ex gratia deberi mercedem præcisè, prout sunt ex gratia; prout verò à nobis, quia mala sunt, deberi iram, & indignationem, licèt istud debitum non imputetur, etiam ex gratia. Non, inquam, subsistit ista chimærica responsio. Tùm quia id ipsum est figmentum, quòd diuina gratia concurrat ad opus nostrum, quod sit in se mortale, vel veniale peccatum. Tum quia meritum, vel demeritum non est operis, sed operantis: non enim operatio, sed operãs gaudet in præmio: nec operatio ipsa facit, vt ipsamet sit, sed libertas operantis, in quo consistit ratio meriti. Et indè reflectãt hæretici cui promittitur merces, & quare, in locis à me adductis: nisi quid nãq; gratia est, quę substinet, quę labores patitur, quę persecutionum tormẽta substinet, aut traditur à parentibus, cognatis, & amicis: nõne homines? propter hæc autem promittitur merces, cùm patienter ea substinent propter, vel ex fide: verum tamen est, quòd sine gratia hæc opera non essent, aut non essent ex recto fine: sed sine libero arbitrio nec meritoria essent, nec præmium illis corresponderet; & gratia ergo, & liberum arbitrium simul requiruntur in opere, vt mercedis dignum, vel meritorium sit.

828 Quintò ex eo, quòd titulus coronæ nõ conuenit, nisi legitimè, & iuxtà Ducis directionem certantibus; hoc namque est legitimè certare: si autẽ quis certans, propria volũtate, & cõtra Ducis volũtatẽ certat, nõ legitimè certat, nec corona, sed mulctatio ei debetur, etiã si vincat, *Nam & qui certat in agone, non coronatur*. Ex Apostolo secunda ad Timotheum 2. *nisi legitimè certauerit*. &, *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit*. Hanc autem temporalem vitam esse continuam militiam, in qua pugnamus tum cum vitijs interioribus, tum cum hostibus exterioribus, patet ex illo Iob 7. *Militia est vita hominis super terram*, & ex Apostolo prima ad Corinthios 9. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptã. Ego igitur*, subdit, *sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, &c.* Si ergo ex Scriptura habemus dari aliquibus defacto gloriam, vt coronam certaminis, nonne euidens est, quòd, quibus datur, legitimè certauerint, & Deo in suis operibus placuerint, cui se probauerint, ideòque coronari meruerint? Audiant nunc hęretici, qui indè in nobis demeritum pœnæ, non meritum gloriæ decãtãt; quia interioribus motibus concupiscentiarum comprimimur. *Beatus vir*, habet Apostolus Iacobus cap. 1. *qui suffert tẽtationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus*, non quidem offendentibus, *sed diligentibus se*. Audiant Apostolorum principem in sua prima Epistola cap. 5. *Cùm apparuerit*, inquit, *princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*. Audiant Apostolum Paulũ secunda ad Timotheum 4. *Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui: in*

reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex.

829 Sextò tandè, & vltimò ex ratione debiti iustitiæ: vbi enim supponitur qualecumque iustitiæ debitum, necessè est correlatiuè præsupponi proportionatum ius in creditore: & implicat dari debitum iustitiæ, vbi, qui tribuit, ex præcisa gratia id præstat, *Ei autem qui operatur*, ait Apostolus ad Romanos. 4. *merces non imputatur secundùm gratiam sed secundùm debitum*. Hæc ergo duo opponuntur, vt id, quod est ex gratia, secundùm quòd est ex gratia, sit secundùm debitum: quamuis deindè possit idem esse ex gratia præcedente, & ex consequente secundùm debitum, quale est debitum fūdatum in antecedenti gratia creditoris: vt cùm in hominibus diues gratuitò dat pauperi denariorum summam, vt mercaturā faciat, & lucretur, & deindè secundùm lucrum agit cum eo ex debito iustitiæ: hoc namque modo Deus dat seruis suis talenta gratiæ, quibus vult, vt operentur in eis; & lucrentur: & deindè secundùm lucrum mercedem reddit iustitiæ: multò magis chimæricum esset vocare iniustum eum, qui nullo modo debens, non daret, quod non deberet: atqui non solùm ex Scriptura habemus Deum ex iustitia defacto Sāctis retribuere, verùm etiam, quòd iniustus esset, si non retribueret; ergo necesse est in Electis, & benè operantibus præsupponi ius meriti ratione bonorum operum. Minor probatur, & quoad primam partē, tum ex citato loco numero antecedenti. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Tum ad Hebræos 12. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij sed mæroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Quoad secundam item partem ex illo ad Hebræos 6. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis.* Ac etiam ex illo Matthæi 20. *Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum, tolle quod tuum est, & vade.* Vbi non arguitur iste, quòd gratiam sibi factam non agnoscat: sed quia veluti alijs inuideret ex æquali mercede: cæterùm supponitur indè non fieri illi iniuriam, quia pretium, in quo conuenerat cum vineæ Domino, iam sibi redditum habuerat; si ergo istud non habuisset, tunc legitimè cōqueri potuisse ostenditur: aliàs hæc ratio superuacaneè, & frustra assignaretur pro pretio suppositi iam laboris.

830 Quòd si dicant hæretici isti rationem iustitiæ in Deo dante gloriam non nasci ex merito operum, sed ex fidelitate promissionis. Contra est euidenter, quia quamuis ad debitum præfatum iustitię necesse sit, præcesserit Dei promissio retribuendi: aliàs namq; cùm Deus sit Creator nostri, Conseruator, & ab eo habeamus omnia, posset à nobis quæcumque opera, & titulo dominij, & titulo gratitudinis exigere, absque vllo debito retribuendi mercedem: atque adeò etiam ex hoc capite promissio retributionis, & non exigere à nobis titulis dominij, & gratitudinis precisè opera nostra bona in eius obsequiū, gratia antecedēs sit: nihilominus hæc promissio operibus ex se bonis, & quæ Deo placent, facta est: non operibus vtcumque, vt patet ex cap. 10. ad Hebræos, *Iustus autem meus ex fide viuit, quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ: nos autē non sumus subtractionis filij in perditionem; sed fidei in acquisitionem animæ.* Qui ergo subtrahunt se à fide, & à fide, quæ per charitatem operatur, vt infra dicemus, Deo displicent: & qui Deo displicent sunt in perditionem, quibus ita operantibus non est facta promissio: qui verò benè operantur, & Deo placent, sunt filij promissionis: & ne id credant hæretici isti de sola fide, legant Apostolum ad Colossenses primo, vbi hæc inuenient, *Ideò & nos non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali: vt ambuletis dignè Deo per omnia placētes: in omni opere bono fructificantes, &c.* Vidēt ne quid Colossēsibus orabat Apostolus, vt conseruarentur filij promissionis? non quidem, vt Deus seruaret cum eis promissa: sed vt faceret eos dignè ambulantes & in omnibus suis operibus Deo placentes, & fructificantes; non ergo ex sola Dei promissione est iustitia Dei in danda gloria; sed ex debito rependendi operibus ex se dignis, & Deo placentibus, licèt hæc sine præcedenti Dei gratia efficere homo nō possit,

831 Ex Augustino eliminatur secundò idē hæreticorum error, qui non tam vocat beatitudinem mercedem, & præmium operum, sed etiam nostrorum meritorum, vt lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 25. vbi, *Vita enim æterna*, inquit, *est totum præmium, cuius promissione gaudemus: nec præmium potest præcedere merita, & priùs homini dari, quàm dignus sit; non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere.* Et in libro. 83. Quæstionum quæstione 63. *Merces enim cognitionis meritis redditur: credendo autem, meritum comparatur.* Fides ergo nostra non est manuductio gloriæ,

riæ, nisi quia meritoria est: sed non sola fides, quæ sine operibus mortua esset, verùm etiam reliqua opera bona eamdem (proportione seruata) habent rationem meriti, vt ex subsequentibus patebit. In Psalmum ergo 72. *Qui aliud*, inquit, *præmium petit à Deo, & propterea vult seruire, carius facit, quod vult accipere, quàm ipsum, à quo vult accipere. Quid ergo? nullum præmium Dei? Nullum, præter ipsum: præmium Dei ipse Deus est.* Videant hæretici quomodò, & quantùm à mente Augustini aberrent, quòd iste docet, petentem à Deo aliud præmium, quàm Deum ipsum, malè petere, eò quod carius facit ipso Deo, quod petit, cùm solus Deus sit operum nostrorum præmium. Hæretici verò dicunt non Deum esse operum nostrorum præmium, sed ad summum aliquod bonum temporale. Rursus in Psalmū 93. *In vinea*, inquit, *operaris, fac opus tuum, & accipies mercedem tuam: à Patre familias non exigeres antequam opereris, & à Deo exigis antequam opereris: & ista tolerātia ad opus tuum pertinet, vt inuenias mercedem.* Præterea in libro 22. de Ciuitate Dei cap. 30. *Dies ille*, ait, *nescit ortum, nescit occasum: illi diei non succedit crastinus, quia non præcedit hesternus: hunc diem, vel hos dies, & hanc vitam, & veram vitam in promissis habemus; alicuius ergo operis merces est.* Insuper homilia octaua in illa verba secundæ ad Timotheum 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* ita loquitur, *Reddet ergo, quis reddet? reddet ergo iustus Iudex: non enim opere inspecto potest negare mercedem, qui opus inspicit.* Numquid, ait, qui se promisisse inspicit, aut non potest negare, quod promisit? Non ita, sed, *Non enim potest opere inspecto negare mercedem, qui opus inspicit.* Sed quæ sint ista opera videant hæretici, *Bonum certamen*, subiungit, *certaui, opus est: cursum consumaui, opus est; fidem seruaui, opus est: superest mihi corona iustitiæ, merces est: sed in mercede nihil agis, in opere non solus agis: corona tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed nō nisi ipso adiuuante.* Item homilia prima de verbis Apostoli, *Proindè fratres*, inquit, *concupiscite vitam, & diligite videre dies bonos, vbi nulla nox erit: vitam, in qua dies malus non timetur: dies bonos, in quibus numquam finimus: sed, si hanc mercedem diligitis, cauete, ne opus, cuius ea merces est, recusetis.*

832 Vt autem nunc ex eodem Augustino horum hæreticorum os obstruam, qui Catholicis conuiciantur, quasi Pelagianorum, & Semipelagianorum hæresibus subscribantur: alia addam loca, in quibus, & merita ante gratiam propellit, secundùm quæ Apostolus sæpè docet, *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur, &, non ex operibus, quæ fecimus nos: sed secundùm magnam misericordiam suam saluos nos fecit, &c.* à meritis post, & adiuuante gratia, de quibus in probatione antecedenti egimus è Scriptura, & præcipuè ex eodem Apostolo. In Epistola ergo 105. sic elatè vera merita ex gratia, iuxtà Catholicos, à confictis per Pelagianos, & Semipelagianos distinguit Augustinus, *Nulla ne igitur sunt merita iustorum? sunt planè, quia iusti sunt: sed vt iusti fierent, merita non fecerunt.* Et deindè, *Sed nec ipsa remissio peccatorū sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat, neque enim nullum est meritum fidei.* Et post aliqua, *Vndè & ipsa vita æterna, quæ vtique in fine sine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam: sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur: nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Quomodò autem sint data merita, & adhuc nostra sint, probaui ex Augustino, cùm ex eodem liberum propugnaui contra hos eosdē hæreticos hominis arbitrium, & præcipuè ex libro 1. Retract. cap. 24. illis Augustini verbis, *Vtrūq; ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis: & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei, & charitatis.* Epistola item 46. *Nec quisquam*, scribit, *dicat meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ sibi traditam Dei gratiam: vt putetur verum esse, quod illi hæretici dicunt, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, quod omninò falsissimum est.* Ista est hæresis Pelagiana, & Semipelagiana, contra quos agit Augustinus: audiant tamen doctrinam Catholicam, secundùm quam & ipsi Lutherani cum Caluinistis confutātur, in his, quæ subdit, *Non quia*, inquit, *nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum, alioquin quomodò iudicabit Dominus mundum? sed misericordia, & gratia Dei conuertit hominem, vt iustificetur impius, hoc est ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit, quando iudicabitur mundus.* Et tandem sermone 15. de verbis Apostoli, *Gratia*, scribit, *salui estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ne fortè dicas, promerui, & ideò accepi: non putes te promerendo accepisse, qui non promereres, nisi accepisses: gratia præcessit meritum tuum: non gratia ex merito, sed meritum ex gratia.*

833 Possent tamen adhuc, solius perfidiæ clypeo muniti, dicere hæretici, in omnibus prædictis locis sermonem non habere Au-

gustinum de rigorosa ratione meriti, quæ fundatur in opere bono, vt libero, secundùm quòd hic est sermo: sed de merito, quatenus præcisè dicit dignitatem personæ, cui proportionem habet gloria: eo modo, quo dicimus aliquem mereri dignitatē à Principe, ratione nobilitatis, bonę indolis, capacitatis, &c. licèt nullum opus operatus fuerit defacto meritorium, vel in obsequiū Principis, vel in bonum commune, &c. quo etiam modo dicimus merito dari gloriam infantibus baptizatis, qui ex hac vita discesserint ante vsum rationis, nimirùm, quia digni sunt per gratiam receptam in baptismate; hoc ergo modo, dicere possent hæretici, meritum ex Augustino datur in Electis per gratiam, scilicet dignitas ratione gratiæ, quæ eos facit filios adoptiuos, & hæredes gloriæ.

834 Sed ista possent dicere hęretici iis, quibus proponunt selecta, quæ volunt, ex Augustino, non loca legentibus, quæ vsque modo, ex eodem Sancto Doctore dicta sunt: in pluribus namque ex illis opus requirit, vt tamquam merito reddatur merces, prout cuicumque hic legenti patere poterit; in omnibus etiam aliis meritum operis ante gratiam excludit, & de eodem opere post gratiam, iudicando à Domino, sermonem habet: conformiter ad quam doctrinam ita loquitur homilia secunda, *Qui verò de animæ suæ salute attentiùs cogitant, cùm in die iudicij ante Tribunal Christi venerint, mala, quæ ante faciem suam posuerant, & bonis operibus redempta sunt.* (Videant si de dignitate personę, an de operum merito loquatur,) *auferentur: bona, quæ propter vanitatem*, vitandam nimirum, *post dorsum proiecerant, ante oculos collabuntur, & merebuntur audire, venite benedicti Patris mei percipite Regnum*. Similiter homilia octaua, cum ait, *Sicut enim in torcularibus, & vua premitur, & oliua, vt vinum, & oleum reponatur in cauea: ita per malitiam malorum hominum, qui boni, & iusti sunt multis tribulationibus corporaliter fatigantur, vt animæ eorum, tamquam oleum, & vinum, recondi in æterna tabernacula mereantur*. Et tandem homil. 05. ad Fratres in Eremo, *Diligamus*, inquit, *proximum, sicut & nos: quia de terra, sicut & nos, proximi nostri sunt formati, vt per hoc vitam mereamur æternam ipso adiuuante, &c.* Vidēt ne hæretici isti vndè meritum doceat vitæ æternæ Sanctus Doctor? ex dilectione nimirum proximi, & patientia boni operis in tribulationibus, non verò ex dignitate personæ, sicut ipsi somniant.

§. DVODECIMVS.

Nugacia hæreticorum argumenta diluuntur.

835 Obiiciunt primò hæretici plurima ex Scriptura loca, quale est illud ad Romanos 8. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit, quòd sumus filij Dei: si autem filij, & hæredes*. Ex quo loco arguunt ita. Per id simus Regni hæredes, per quod simus filij: sed simus filij per gratiam, ob quam primò simus membra Christi: & ad primam gratiam non datur meritum; ergo ratio deindè meriti ex gratia in ordine ad id, cuius iam sumus hæredes, omninò confingitur. Rursus adducunt verba capitis 6. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna*: atque dicunt, si gloria esset bonorum operum merces, debuisset Apostolus dicere, quòd sicut mors stipendium est peccati, ita & vita æterna stipendium virtutis: nō ita autē dicit, sed quòd ista sit gratia: & si gratia, non erit ex debito. Adducunt prętereà verba illa Psalmi 102. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*: aiuntque, si gloria corona est misericordiæ, & miserationum Domini; cùm ergo dicitur corona iustitiæ, non erit iustitia respiciens meritum, sed promissa eiusdem Domini. Afferunt insuper illud ad Romanos item 8. *Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: & sic arguunt, loquitur hic Apostolus de inæqualitate dignitatis operum ad gloriam, non simpliciter de improportione: & consequenter de operibus gratię, non naturę: & dicit, quòd passiones huius temporis non sunt condignę ad futuram gloriam; ergo assertio meriti glorię contrariatur Apostolo. Tandem adducunt verba illa Lucæ 17. *Quis autem vestrū habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi; statim transi, recumbe: & non dicat ei, para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam: & post hæc tu manducabis, & bibes? Nūquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quę ei imperauerat? Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*. Ex quo loco iactant proterui isti hęretici euidenter excludi omnem rationem meriti, etiam in operibus bonis ex gratia: quandoquidē com-

comparantur ita operantes seruo Domini temporalis, qui operans in vtilitatem Domini, inutilis est sibi, quatenus nihil apud illud promeretur mercedis, propterea quòd operatur, vt seruus, & ex debito; cùm ergo eodem modo præcipiantur, qui omnia seruant mandata, vt dicant, *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*. Ergo nullam per talem mandatorum obseruantiam vtilitatem, inquiunt, mercedis acquirunt ratione operum, iam debitorum, apud Dominum.

836 Respondeo proprium esse hęreticorum difficultates facere in ijs Scripturæ locis, in quibus prorsus nulla est difficultas: & deindè alia per se ipsa clara, nullo habito respectu ad contextum verborum, distorquere, prout libet. Iuxta ergo Catholicorum doctrinam de meritis operum, per gratiā factorum, stant omnia, in quibus difficultant hęretici isti, nimirum, quòd Prædestinati fiunt hæredes Regni, & filij per gratiā: quòd ea, quę est corona iustitię, debita operibus, sit etiam absolutè, & simpliciter corona misericordię, & miserationū Domini: quòd item opera, quibus debetur gloria, non sunt ad eadem condigna: ac tandē, quòd necessum sit fateri taliter merentibus, seruos inutiles esse, & fecisse, quod debebant, nullamque gratiam pro talibus operibus debere eis Dominum. At verò negata in operibus ex gratia, prout negant isti hęretici, ratione meriti, nullatenus subsisterent loca Scripturæ à me adducta: non enim subsisteret, quòd propter bona opera, & motus ab illis Deus saluaret, quos saluat ex adultis: neque, quòd malè operantes fructificant morti, operantes verò ex gratia fructum ferūt in sanctificationē, & vitę ęternę: sicut nec tertiò, quòd gloria esset retributio, & remuneratio operum bonorum, sicut pœna retributio malorum: nec quartò, quòd esset operum bonorum merces, & pręmium: nec quintò, quòd esset corona legitimè certantiū: & multò minùs sextò, quòd esset corona iustitię, eis debita à iusto Iudice, prout patet ex dictis. Cùm ergo omnia Scripturę loca cōtineant immobilem veritatem, ille sensus semper, & vbique est amplectendus, secundùm quem stet veritas singulorum locorum, & qui nulli alteri eiusdem Scripturę opponatur. Vt autem nunc ostendā, quomodò cum ratione meriti in operibus ex gratia stent illa quatuor, quæ ab hęreticis adducuntur in argumento, singula ad examen adduco.

837 Ad primum ergo dico, quod ex Scriptura ipsa, gloria non est in omnibus Beatis æqualis: ex Euāgelio namq; Ioannis habemus, *In domo Patris mei mansiones multæ sūt*, in cuius loci explicationē Augustinus tract. 67. *Quia*, ait, *& si alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo Patris mei mansiones multæ sunt: nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito*. Et Apostolus primę ad Corinthios 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum: stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum*. Vbi, & si agatur de Resurrectione corporum, diuersa tamē corporū gloria ex diuersa gloria animarum redundat. Rursus certum, & de fide est nihil nos posse boni operari, & meritorium, nisi in fide, & gratia Christi: nec gratiam filiationis posse acquirere, destructo corpore peccati, nisi consepeliamur cum eodem Christo in baptismate, vt habemus ex Apostolo ad Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*. Et cap. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato: qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato*. Quoniam autem, & si multi sint baptismatis ministri, vnus tamen, & idem est Christus, qui baptizat, *Numquid*, ait, Apostolus prima ad Corinthios 1. *Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* sentiens, quòd schismata inter eos erant, dicentes, *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephę, ego autem Christi*: hinc etiam fit, vt æqualis sit in hominibus baptizatis baptisma, æqualis omnium delictorum remissio, & æqualis in Sacramentis gratia filiationis, & Regni hęreditas. Hinc ergo, (vt veniam nunc ad argumentum,) non datur, nisi æqualis Regni hæreditas, & quoad hanc verissimum est, quòd per Christi gratiam tantummodò, nullis nostris præcedentibus meritis, datur nobis; imò potiùs, *Cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Et, *cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filij eius*, vt habet Apostolus ad Romanos 5. Atque ita vsque modò non datur ratio, vt in domo patris nostri mansiones multæ sint. Videant autē hæretici vndè sit ista diuersitas mansionum in domo patris ex prima ad Corinthios 3. *Fundamentum enim aliud*, ait Apostolus, *nemo potest ponere, præter id quod positū est, quod est Christus Iesus: si quis autem superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit,*

clarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit: si cuius opus māserit, quod superædificauit, mercedē accipiet, &c. Non ergo in fundamento spiritualis ædificij est merces gloriæ: sed in superædificatione operum, quæ fiunt, ipso adiuuante fundamento, quod est Christus. Hinc concludo distinctionem illam, Catholicis communem, collationis gratiæ, seu hæreditatis ad gloriam, ex opere operato dumtaxat, nempe Christi: & collationis gratiæ, etiam ex opere operantis hominis. Prima datur hominibus per Sacramenta Christi, quæ cùm ex se sint æqualia in omnibus, non causant ex se, nisi æqualem gratiam: at secunda, etiam in Sacramentis ipsis, inducitur diuersa ex diuersa dispositione subiecti: quis namque dicat æqualem conferri gratiam baptizato infanti, nullam habenti dispositionem; ac accedenti ad baptisma adulto cum feruore charitatis, vel etiam cum firma voluntate subeundi statim Martyrium. Rursus, quia opera operantium iustorum diuersa sunt in obseruantia legis, nimirum vel ex diuersitate honestorum motiuorum, vel ex maiori, aut minori feruore, & intensione actuum, quibus iusti super fundamentum Christi superædificant aurum, & lapides pretiosos, non fœnum, aut paleas, eodem tamen Christo sua præueniente gratia, prout libuerit ei, adiuuante immediatè, & non per æqualem Sacramentorum applicationem: hinc illis debetur diuersa merces: hinc in domo Patris mãsiones multę sũt: hinc, sicut in aliquibus superabundant passiones Christi, ita abundat eorum resurrectio.

838 Ad secundum dico millies dictum esse, quomodò gloria sit Dei gratia, non obstante, quòd sit ex consequenti debita ex iustitia. Est namque gratia primò, quia Deus, vt Dominus, nec non titulo gratitudinis posset quæcumque opera exigere ab hominibus, absque vlla obligatione retribuendi, prout patet ex Luca adducto ab hæreticis in argumento; quòd ergo non ita exigat: sed promissione mercedis gloriæ, gratia est ista gloriæ promissio. Secundò, quia nisi homo satisfaciat pro peccato, siue proprio, siue originali, nihil poterit apud Deum mereri, *Cùm enim*, ait Apostolus ad Romanos 7. *essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legē erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti:* non poterat autem homo ita satisfacere: & satisfecit pro ipso Christus: atque ita per Christum, cui in baptisma sepelimur, à culpis mundamur, vt ita liberati à seruitute peccati, fructus afferamus in sanctificationem, finem verò vitam æternam, iuxta Apostolum ad Romanos 6. Præterea tertiò, quoniam gloria datur meritis, & merita etiã nobis gratiosè dantur à Deo: etiam ipsa gloria, imò ius ipsum meritorum ad gloriam gratia est, non exclusa ratione iustitiæ, nimirum debiti in Deo ad retribuendum meritis, quæ antecedenter gratiosè dat. Quomodò autem Deus donet nobis merita, per totã ferè quæstionem primam explicatum est, nunc sufficiat adducere pauca Augustini verba in Epistola 106. vbi *Fateatur esse*, ait, *liberũ arbitrium, & si diuino indigeat adiutorio: fateatur, quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamuis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei nostram prouenire victoriam.* Nimirum quia, si iustitia per motionem præuenientis gratiæ non plus delectaret, quàm illecebra tentationis, caderemus, non vinceremus nostro libero arbitrio; quòd ergo liberum arbitrium gratię se accommodet, gratia præstat, plus illi dilectionem afferens, quàm obiectum illecebrarum. Ipsissimum ergo meritum nostrum plus à Deo est, & longè plus, quam à nobis; quid ergo mirum, si gloria, quæ datur meritis, dicatur gratia, cùm plus sit gratia, quam merces. Atque ex his patet quid dicendum sit ad tertium locum; quòd nimirũ corona gloriæ sit plus corona misericordiæ, & miserationũ Domini antecedentium ad ipsum meritum, quod reddunt gratis datum, quàm sit à nostro libero arbitrio: ita tamen, vt trahat liberum arbitrium ad opus, non verò excludat; ipsum namque liberum arbitrium adiuuat, ipsum trahit. Legant Augustinum Epistola 89. ad Hilarium, *Neque enim*, inquit, *voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia iuuatur: sed ideò iuuatur, quia non tollitur: qui enim Deo dicit, adiutor meus esto, confitetur se velle adimplere, quod iussit: sed ab eo, qui iussit, adiutorium poscere, vt possit.* Quia ergo opus bonum, & si gratia magis sit, quàm opus nostrum, adhuc tamen opus nostrum est: indè gloria plus corona est misericordiæ, & miserationum Domini, quàm iustitiæ: sed adhuc est corona iustitiæ, quam reddet Dominus in illa die iis, qui diligunt aduentum eius, vt patet in supradictis ex Apostolo.

839 Ad quartum in primis dico, cur versuti isti hæretici considerant, & ostentant dũtaxat verba, quæ in argumento adducunt ex cap. 8. ad Romanos, & nihil cogitant, vel non cogitare fingunt, illa alia ex secũda ad Corinthios 4. *Id enim, quod in præsenti*

est

est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Vt hinc discernerent, quòd licèt, modo deindè explicando, non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: adhuc tamen eædem operantur in nobis: & cùm non physicè: moraliter, & meritoriè, tam sublimè æternæ gloriæ pondus? Directè autem ad locum dico, quòd opera facta ex gratia in multiplici sunt differentia: atque etiam non eodem modo consideranda sunt in supposito, à quo fiūt. Primò ergo opera vel sunt ex charitate, qualia sunt amor Dei super omnia, & perfecta contritio peccatorum, prout ista sunt Dei, summè amabilis, offensa: vel sunt ex aliarum virtutum motiuo. Secundò aut vtraque ista procedunt ab homine, qui nō adhuc supponitur filius adoptiuus: vel ab homine, qui iam supponitur filius, & hæres. Tertiò aut ista opera considerantur secundùm valorem sibi proprium: aut prout induunt valorem intrinsecum, siue ex meritis Christi, communicatum illis per Sacramenta: siue ex gratia habituali condignificante, & constituente iam Filium Dei ipsum operans; & iuxtà diuersas has acceptiones, atque considerationes diuersimodè est de illis dicendum. Opera ergo ex charitate primò explicata, etiam si sint ab homine nō adhuc baptizato, merentur saltem de congruo (supposita tamen Dei promissione) & dona gratiæ, & donum gloriæ: taliter vt similia opera species sint baptismatis, & dicantur baptismus flaminis, eò quòd sunt voluntas, & votum baptismi fluminis, seu baptismi in re susceptibilis. Si verò loquamur de cæteris operibus bonis, elicitis à peccatore, & non vnitis vlli Sacramento, nullam prorsus habēt rationem meriti apud Deum: quandoquidem opera inimici, non auferentia inimicitiam, saltem ex parte operantis, nullatenus sunt meritoria apud offensum: habent nihilominùs quamdam proportionem, vt Dei, non iustitiam, sed pietatem moueant ad subministrandum operanti vlteriora auxilia, siue pro susceptione Sacramentorum, siue pro eliciendis actibus perfectioribus amoris Dei, vel perfecti doloris de peccatis, vt patet ex cap. 10. Actuum Apostolorum, vbi refertur, quòd Cornelius Centurio ante baptisma acceptus erat Deo propter orationes, & eleemosynas, quas faciebat: vt propterea miserit ei Angelum, qui moneret eum, quatenus accerseret Petrum, qui ipsum de mysterijs fidei, edoceret, & baptizaret: & ità à versu 4. dicitur de Angelo, *Dixit autem illi, orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriā in conspectu Dei*. Et à versu 34. *Aperiens autem Petrus os suum dixit: in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*. Post quæ illi prædicauit Christum: & deindè, vt refertur vltimo versu, *Iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi*. Si autem tertiò de ijsdem operibus loquamur, prout vnitis in Sacramentis, siue tamquam partibus, siue tamquam dispositionibus, ita induunt meritū Christi, quòd nulli dubium esse potest fore condignum præmij gloriæ. Si quartò, prout sunt ab homine iam filio adoptiuo per præcedentem gratiam, ita ratione dignitatis personæ, induit vnumquodque bonum opus, proportione seruata, condignitatem ad augmentum gratiæ, & hæreditatis ad gloriam, non ratione valoris præcisè intrinseci, sed à dignitate operantis, ratione gratiæ habitualis: sicut namque in hominibus maioris existimabilitatis est obsequium Principis, quàm simile obsequium hominis plebei: ita, cùm gratia habitualis se habeat in ordine donorū supernaturalium creabilium, tamquam natura, cui debita sunt in sua proportione cætera dona, condignitatem habet ad illa, eademque condignitate dignificat bona opera operantis. Apostolus autem (vt argumentum hæreticorum nunc eneruam) loquitur, vt patet ex verbis ipsis, de passionibus huius temporis, considerando eas secundùm se, nempè momentaneitatem veluti laborum, & leuitatem eorumdem relatè ad interminabile præmium gloriæ: & tale, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, sicut alibi inculcat: vt indè spe tanti præmij hilari corde homines subeant passiones istas leues, & transitorias; non autem considerat eas, vt condignificatas aliundè: cùm talis dignitas non conducat ad mouendos animos pro subeundis ex corde similibus passionibus.

840 Ad vltimum dico, quòd sicut hæretici isti considerant in Euangelio dominum temporalem, vtentem iure suo in seruum: vellem etiam, vt ex alijs infinitis locis eiusdem Euangelii reflecterent ad dominum, cedentem suo iuri erga seruum, & relinquentem ipsum liberum, & in proprio iure, non domini: puta si Dominus diceret suo seruo, ego hodie, vel per totam istam hebdomadam in tua te relinquo libertate, vt facias, quę tibi placuerint: tantummodò tibi propono, quòd si cum meo inimico con-

conuerſationē inibis, vapulabis à me plagis: ſi in vtilitatem meam volueris te applicare, opus tuum magis, minùſque cōpenſabo, iuxtà quod operaris: quid in hoc caſu dicent hęretici? poſſet ne Dominus gratiam non habere ſeruo, qui in ſua libertate relictus, adhuc cogitauit, quę Domini ſunt, non quę proprię conducerent libertati? an non dignus retributione erit labor ille ſerui, à quo, pręindulgente Domino, poterat abſtinere? quis inſaniens id diceret? numquid forſan ex ſola promiſſione eſſet in hoc caſu pręmium, an ex merito operum? ſi namque eſſet ex ſola promiſſione, non eſſet vndè maiori labori deberetur maior merces, cùm promiſſio ſit eadē; promiſſio ergo nihil facit aliud, niſi quòd ſit gratia ceſſionis iuris Domini in ſeruum: ſed non ipſa eſt motiuum mercedis, imò potiùs opus. Hoc autem caſu poſito eoſdē hęreticos percontor, numquid ſimili ſeruo licebit gloriari in ſe ipſo, quaſi ex ſe debitorem ſibi fecerit Dominum ſuum? an Domino gratias agere, quòd, cùm per ſe omninò ſibi inutilis foret, gratia Domini ſibi vtilis factus ſit: non excluſo tamen ſuo libero arbitrio, quo, gratiosè in libertate relictus, in Domini vtilitatem operatus eſt, vt mercede euaderet dignus? credo iam, quòd hanc euidentiam non negabunt. Si autem ita eſt, vndè proterui iactant locum adductum ex Euangelio Lucę concludere eorum pernicioſiſſimum errorem, cùm iā totam Scripturam videant Dei promiſſionibus plenam, quibus benè operantibus promittitur merces: ita tamen, vt homo ſit relictus in manu conſilij ſui ad porrigēdam manum vel ad vitam, vel ad mortē ſuā? Mercedem ergo debet Deus benè operantibus, quia ipſo non exigente, tamquā Domino à ſeruis, (in quo caſu, vt loquitur Euangeliſta, nullam illis gratiam deberet,) ſed adhortando promiſſis, ſerui, in libertate relicti, quæ Domini ſunt, non quæ ſua, quęrunt. Adhuc tamen poſtquam, quæ pręcipiuntur, faciunt, dicere debent, ſerui inutiles ſumus, quia, quæ nos pluribus titulis Domino debemus, fecimus; quòd namque non ita à nobis Deus exigat, ſed promiſſionibus gratuitis mercedis, non ex nobis eſt, ſed ex ipſius gratia, & pietate: non tamen excluſo per hoc libero arbitrio, cui relinquitur, vt operi, quod voluerit, manus imponat: atque indè, quia bonum, quod in poteſtate eius relinquitur, Deo offert liberum arbitrium, ex iuſtitia ipſi debetur mercedis compenſatio.

841 Obiiciunt ſecundò hęretici aliqua Auguſtini loca, diſcerpta à contextibus, vt quā malunt, tribuant ſignificationem. Primò quidem obiiciunt verba aliqua deſumpta ex libro de libero arbitrio cap. 6. nempe *Dona ſua coronat Deus, non merita tua*; ergo euaneſcunt, inquiunt, ex doctrina Auguſtini prætenſa in Electis merita. Pariter cap. 7. *Non Deus, ait, coronat merita tua, tamquam merita tua, ſed tamquam dona ſua*. Ergo inferunt, non coronat Deus merita noſtra, vt à nobis, vel à noſtro libero arbitrio, ſed quà à ſua gratia proueniunt: quibus, quatenus ita proueniunt, promiſit compenſationem. Rurſus ſermone 15. de verbis Apoſtoli ſic habet, *Non putes te promerendo accepiſſe*. Et deindè, citans aliqua verba Pſalmi 55. ſubiungit, *Pro nihilo, inquit, ſaluos facies eos: quid eſt pro nihilo ſaluos facies? nihil in eis inuenies, vndè ſalues, & tamē ſaluas, gratis das, gratis ſaluas: omnia merita precedis, vt dona tua conſequantur merita tua.* Si nihil ex Auguſtino, imò & ex Pſalmo, inuenit Deus in Electis, vndè eos ſaluet, nōne, inquiunt, omne meritorum veſtigiū excutitur? Tertiò tandem ex homilia 14. hęc referunt, *Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat, niſi dona ſua.* Vbi illam particulam, *nihil*, appellare ex parte noſtra, quòd videlicet nihil, prout ex nobis, ſit coronādū, ſed dumtaxat dona Dei, ipſamet verba, inquiunt, oſtendunt.

842 Reſpondeo in omnibus prædictis locis agere Auguſtinum contra Pelagianos, vel etiam contra Semipelagianos, quorū primi exinanibant totaliter gratiā Chriſti, impiè aſſerentes ſolis viribus liberi arbitrij adimpleri legem, vt oſtendi, cùm eorum errores retuli. Secundi verò volebant gratiam, facientem obſeruari legem, dari his pręalijs ob meritum fidei, vel inuocationis Dei in illis pręalijs, antecedens ipſam gratiam; ac conſequenter per primos ſalus ęterna aſſerebatur data per merita ſolius liberi arbitrij, & non per donum ſpeciale Dei, extra dona naturalia ſpectantia ad primam creationem hominis. Per ſecundos verò initium ſalutis eodem modo dicebatur eſſe ex ſolo libero arbitrio. Ex quibus erroribus, quos anathematizant Catholici, patet in duplici ſenſu ſumi, cùm dicitur meritum noſtrum: vno nimirum ita, vt dicatur noſtrum, quia ex ſolo libero noſtro arbitrio ſit, & ita ſumebant Pelagiani, & Semipelagiani: alio modo, vt ſolùm dicatur noſtrum, quia ratio meriti cadit in creatura rationali, & non in gratia, quę licèt faciat creaturam rationalem benè operari: quia tamen expers eſt omnis vitę, incapax etiam eſt meriti, vel pręmij; nec Deus, qui cauſa principalis eſt

est actionis meritoriæ, potest apud se ipsum mereri: vndè nostrum dicitur meritũ, quia, prout a nobis est, coronatur, imò veriùs nos pro tali merito coronandi sumus. Impugnans ergo Augustinus præfatos hæreticos, illud ipsum, secundùm quòd ab ipsis asserebatur, negabat: & ita, quia ipsi merita nostra vocabant, quasi à nostro libero arbitrio se solo, & vt causa principali facta: Augustinus eadem phrasi negando in tali sensu dari in nobis, vel saltem vmbram, siue vestigium meriti, concludebat merita nostra, quæ Deus coronat, non esse nostra, quasi ex nobis: sed merita Dei, quia Deus per gratiam, facientem operari, ac subiicientem sibi liberum arbitrium, est principalior causa nostrorum meritorum. Cæterùm chimæra est dicere, quòd Augustinus negauerit, aut somniauerit non inesse rationem meriti in opere, prout est à nostro libero arbitrio: cùm, vltra allata in nostra secunda probatione, indè probet in nobis liberum arbitrium, vt seruetur in nobis ratio nostri meriti. Legant Augustinum, si forsitan adhuc non legerint, hæretici isti, tum lib. de Spiritu, & Anima cap. 48. tum in lib de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. & in vtroque loco ita loquentem inuenient, *Postquam verò seductione Serpentis per Euam cecidit*, nimirum Adam, & cũ eo totum genus humanum, prout docemur ab Apostolo, *naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem, non tamen electionem: ne non esset*, inquit, *suum, quòd euitaret peccatum: nec merito indulgeretur, quòd non arbitrio diluisset*. Nec sufficit ad libitum dicere, quòd id ipsum retractauerit: quæ enim in his libris retractauit, in duobus libris retractationũ recensuit, in quibus hoc nec nominatum inuenient hæretici.

843 Ad primum ergo locum, desumptum ex libro de gratia, & libero arbitrio, dico ex contextu verborum patere in quo sensu loquatur Augustinus: antecedenter namque ad verba, adducta ab hæreticis, ita Pelagianos, ac etiam Semipelagianos oppugnans, scribit, *His, & talibus testimonijs diuinis probatur gratiã Dei non secundùm merita nostra dari*. Loquitur ergo, non de meritis per gratiam, sed merita nostra, oppugnando, vocat, iuxtà Pelagianorum phrasim, quæ sint in nobis ex nobis sine gratia, & quibus reddatur, tamquam debita, gratia; ac ideò subiungit, probans ad merita debere præcedere gratiam, dantem posse, & facientem simul operari, *Cui redderet coronam iustus Iudex, si non donasset gratiam misericors Pater? & quomodò esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? quomodò ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur?* Audient clarius loquentem hæretici, *Si enim*, addit, *merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: quis enim te discernit, quid autem habes, quod non accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis? Prorsus talia cogitãti*, inquit, *verissimè dicitur, dona sua coronat Deus, nõ merita tua*. Tacet ista: alia verba hæretici, ne euidẽter appareat, qđ talia merita, ex seipso cogitãti, & quę nõ acceperit per gratiã, dicat Augustinus, *dona sua coronat Deus, nõ merita tua*, quę fingẽdo cogitas. Eodẽ ergo modo loquitur deindè, cùm dicit, *Nõ Deus coronat merita tua, tãquã merita tua*, quasi facta ex te ipso, sicut cogitas, *sed tãquã dona sua*, data ab ipso per gratiã, quę liberũ tuũ arbitriũ reducit ad opus: nõ econtra.

844 Ad secundum dico peruersitatem horum hæreticorum ex eodem loco maximè conuinci: vbi enim legunt, *Non putes te promerendo accepisse*, legunt etiam immediatè post, *qui non promereres, nisi accepisses: gratia præcessit meritum tuum: non gratia ex merito, sed meritum ex gratia*. Cur ergo prima verba afferunt discerpta, vt ita videantur præferre negationem meriti, & relinquunt sequentia, in quibus adstruit Augustinus meritum nostrum: sed non primo modo Pelagianistico, quasi ex nobis: at secundo modo Catholico, nimirũ ex gratia, faciente operari? sequens ergo Pelagianos impugnare, subiũgit, *Pro nihilo*, inquit, quod sit ex se ipsis, *saluos facies eos, nihil in eis inuenis* ex se ipsis, *vndè salues: & tamẽ saluas, gratis*, gratiam, vndè mereantur saluari, *das*: & indè *gratis saluat*, vt patet iam ex responsionibus ad primum argumentum ex Scriptura.

845 Ad tertium pari modo dico, eosdem impugnando hæreticos, contra quos totus erat Augustinus, illa adstruere, cùm dicit, *Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat, nisi dona sua*: hoc est nihil tuum, quasi ex te: sed ita tuum, vt tuum non sit, nisi ex dono Dei, nempe gratia, faciente te operari. Et ideò in fine concludit. *Hæc ergo, & his similia diligenter, & fideliter cogitantes, non acquiescamus eis, qui liberum arbitrium in superbiam extollentes, præcipitare magis, quàm eleuare conantur*. Pelagianos autem esse, qui, in superbiam elati, liberum arbitrium, eleuando, præcipitant, ex Augustino agnoscere quisque potest in libris, quos contra eosdem scripsit; in primo namque quem edidit contra duas Epistolas Pelagia-

nomiin, sic habet capite 2. *Liberum autem arbitrium, defendendo, præcipitant: et de illo potiùs ad faciendam iustitiam, quàm de Domini adiutorio confidatur: atque vt in se quisque, non in Domino glorietur.* Et cap. 4. loquens de necessitate præcedentis gratiæ ad posse seruare iustitiam, *Hoc isti nolunt, ait, elati, & superbi, nec purgando, defensores, sed extollendo, præcipitatores liberi arbitrij.*

§. DECIMVSTERTIVS.

Deum nobis non præcipere impossibilia, contra eosdem hæreticos ostenditur.

846 QVamuis error hic Lutheri, & Caluini, secundùm quem dicunt obseruantiã legis nobis præceptã, esse nobis impossibilem, sufficientissimè sit ex dictis oppugnatus: dum probauimus liberum arbitrium habere eiusdem obseruãtiam legis in sua potestate, prout gratia Christi Domini, qui illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundũ, saltẽ quoad posse, adiuuatur: sicut etiam, dum probauimus cõcupiscentiarum cohibitionem non esse nobis præceptã, nisi secũdùm quòd compescere eas possumus: nolo tamen illa sufficere: sed hic nouis tum Scripturæ, tum Augustini authoritatibus stabilire satagam nihil nobis præcipi, quod, iuxta obligationem præcepti, non sit nobis possibile.

847 Iugulatur ergo primò prælibatus hæreticorum error pluribus Sacræ Scripturæ locis, ex qua initium sumam à libro Deuteronomij cap. 30. vbi, postquam fit mentio de Dominicis præceptis, & signanter de præcepto diligendi Deum, (quod principaliter esse nobis impossibile prætendunt hæretici,) his verbis, *Si tamen audieris vocem Dñi Dei tui, & custodieris præcepta eius, & ceremonias, quæ in hac lege conscripta sunt: & reuertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, in tota anima tua, &c.* Obseruantia præcipuè huius præcepti diligendi Deũ ex corde ostenditur esse nobis præ cæteris præceptis possibilis: vpote, quia non aliundè pẽdet, nisi ab intrinseco cordis, quod supponitur illuminatum gratia Christi, illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum. Legant pertinaces isti præcitatum caput, legant verba illa, *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in Cælo situm, vt possis dicere: quis nostrum valet ad Cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque transmare positum, vt causeris, & dicas: quis ex nobis poterit trasfretare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed iuxtà te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* An dicent hæretici non esse in his verbis sermonem de dilectione Dei, sed de ceremonijs extrinsecis? Quid ergo est, quòd signanter antecedenter ad hæc verba agitur de amore Dei? Quid est, quòd, *mandatum hoc*, dicitur, non mandata, nisi quia omnia mandata in vno continentur, nimirum in Dei dilectione; qui Deum namque diligit, omnia, quæ Deo placent, exequitur? Quid tandem, quod subiungitur, veluti recapitulando, quæ dicta sunt, *Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum: & econtrariò mortem, & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & custodias mandata illius, & ceremonias, atque iudicia?* Nonne, si non de mandato dilectionis etiam esset sermo, potuisset populus ille de hoc mandato causari, & dicere. Quis nostrum valet ad impossibile pertingere, vt audiamus, & compleamus? & frustranea fuissent verba Moysis, proponentis etiam hoc præceptum cum alijs?

848 Rursus Matth. 11. habemus, *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris.* Agitur certè hic de iugo, & onere præceptorum, non de præcisa gratia, quæ nullarenus potest inducere rationem iugi: & de tali iugo, quo inueniamus requiem animabus nostris, consequenter de adæquato præceptorum iugo, sine quo non inuenimus requiem prædictã: sed attendãt quid subiungat Euangelista, *Iugum enim meum*, inquit, *suaue est, & onus meum leue.* Numquid suaue, & leue possunt hæretici dicere iugum, quod impossibile est deferre? Si ergo suauis, leuisque est præceptorum obseruantia, nõ solùm nõ impossibilis, verùm etiam facilis redditur volenti, diuino adiutorio.

849 Præterea Epistolæ primæ Ioannis, 5. *In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* Nonne hic de præcepto charitatis, & dilectionis Dei agitur, quæ omnium dicitur adimpletio præceptorum? Hoc nihilominùs

minùs asseritur non esse graue: si autē esset obseruatu impossibile, nihil illo grauiùs cogitari posset.

850 Insuper in eiusdem Ioannis Euangelio cap. 15. habemus, *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderūt, & oderunt & me, & Patrem meum.* In quibus verbis procul dubio agitur de peccato infidelitatis, & odio in Christum: nam de cætero Hebræi non erant absque aliis peccatis, cùm Euangelium sit plenum increpationibus, quibus Christus plurima illorum genera peccatorum arguebat. Si ergo Christus non venisset, & locutus eis fuisset: vel si non opera fecisset, quæ nemo alius fecit, non peccassent peccato infidelitatis in eius doctrinam: nec peccato odii, illum ad mortem vsque persequendo. Ore Dominico id habemus: atqui in similibus conditionatis casibus non aliundè poterāt excusari Hebræi, nisi quia in talibus suppositionibus non habuissent motiuum, sufficienter eos mouens ad fidem, & amorem Christi; ergo carentia sufficientis cognitionis, seu ignorantia sufficientiæ ex parte motiui excusat ore Dominico à peccato; eò quòd defectus non esset ex parte potentiæ: quantò magis excusaret à peccato impossibilitas rei præceptæ, si esset in opere præcepto?

851 Tandem Lucæ primo habemus, quòd postquam annūciauit Angelus Mariæ Verbi Diuini in eius vtero exequendam Incarnationem, volens ostendere, quòd, quę Deus dicit, potens sit & facere, subiunxit, *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* Quæcumque ergo Deus nobis promittit, potens est & facere: atqui nobis Matth. 7. promittitur, quòd si petamus, dabitur nobis: si quæramus, inueniemus: & si pulsemus, aperietur nobis, *Omnis enim*, citato loco dicitur, *qui petit accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Et, *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester dabit bona petentibus se?* Sermonem autem hic esse de petitione auxiliorum, quibus Dei legem, & præcepta, prout debemus, seruemus, patet ex illatione, quæ ad prædicta connectitur, nempe, *Omnia ergo quæcūq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex, & Prophetæ.* Si autem in his verbis non significaret id, quod petere debeamus, esset consequentia omninò extra propositum; vt ergo hæc connexionem habeant, significatur per præfata vltima verba, vt petamus à Deo auxilia talia, quibus faciamus aliis, quæ ab aliis volumus fieri nobis, & in his consistere legem. Quod totum clariùs ostēditur Lucę 11. vbi postquam traditur nobis oratio Dominica, exemplo ostendit Christus nō negare nobis Patrem cœlestem, quęcumque per eādem orationem petimus: ac idē refertur, quod loco citato Matthęi, *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis, &c.* Et, *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester de Cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Quid sit autem spiritus bonus, Apostolus indicat pluribus in locis, vt ad Romanos 7. *Itant seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ.* Et cap. 8. *Qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Et deindè, *Ergo fratres debitores sumus nō carni, vt secūdùm carnē viuamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Cui ergo euidens non est ex his, nomine spiritus venire diuinū adiutoriū, quo agimur, vt vincamus carnem, vitamque carnalem: & viuamus in Christo vita spirituali? Verùm non discedamus à præfato loco Euangelii secundùm Lucam. Certè Christus, quòd post traditum modum orandi per Dominicam orationem, statim subiungat, *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice commoda mihi tres panes, &c. Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi, eò quòd amicus eius sit: propter improbitatem tamē eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis, &c.* Certè, inquam, hæc subiunxit Christus, vt nos doceret perseuerantiam orationis Dominicæ, promittendo nobis, quòd ita perseueranter petendo, accipiemus: quæ in ea petimus, quærendo inueniemus: & pulsando aperiet nobis ianuam ad suæ gratiæ thesauros: atqui inter alia in oratione Dominica petimus, ne nos Deus inducat in tentationē, sed liberet nos à malo; si ergo, quod promittit, potens est & facere, taliter feruorosè orantibus, atque perseueranter, non solùm non erit impossibile non induci in tentationem inobseruantiæ alicuius præcepti, sed etiam defacto liberabitur; quāuis sæpè permittat peccare venialiter, siue ex defectu feruoris leui in petendo: siue vt suam maximam agnoscat infirmitatem, & ad gratiam confugiat: siue tandem ne in superbiam indè incidat, vbi magis humiliari debet: & glorietur in Deo, nō in se.

852 Patet autem ex his quàm ridiculosè procedant in præsenti Lutherani, & Calvinistæ pro sustinendo eorum errore; aliqua namque dumtaxat pro suo libitu sibi opponunt ex Scriptura loca, quibus respondendi detur eis aditus, quòd Deus non potest nobis præcipere impossibilia, quæ talia sint nobis simpliciter: sed potest præcipere aliqua, quæ absolutè à nobis fieri non implicent, licèt implicent nobis ex suppositione peccati. Eo modo, quo nobis impossibilis erat sine Christo satisfactio condigna pro peccato mortali: sed quia hæc voluntaria fuit nobis in peccato, adhuc obligati eramus ad satisfactionem, nobis impossibilem: taliter quòd, si Deus non fuisset misertus nostri, mittens filium suũ ad nos redimendos, damnati fuissemus. Cùm ergo, inferunt, impossibilitas observantiæ præceptorũ sit ex reluctantibus nostris concupiscentijs, insurgentibus in nobis ex peccato originali, benè stabit, quòd possimus obligari ad similia impossibilia.

853 Patet, inquam, ridiculè, nec non subdolè procedere tales hæreticos, dum respondentes Catholicis, ita respondent, quasi quòd isti erroribus Pelagianorũ permisceantur; concedunt namque, & fide profitentur Catholici, homines per originale fuisse impossibilitatos ad omnem actũ bonum præceptum, etiam ad initium fidei, contra Pelagianos, & Semipelagianos; cum hoc tamen gratias agentes Deo, quòd filium suum miserit in similitudinem carnis peccati, vt de peccato, iuxta Apostolum ad Romanos 8. damnaret peccatum: dicunt per Christi gratiam præuenientem, & adiuuantem, atque illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum, quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, fieri nobis possibile, vt nimirum iustificatio legis impleretur in nobis; sicut docet idem Apostolus loco modò citato: & de hac gratuita potentia nobis per Christum collata procedunt adducta à nobis Scripturæ loca, ad quę nullatenus se extendit hæreticorũ respõsio.

854 Dolosum præterea transitum faciunt in eorum responsione, de impossibilitate, ex suppositione consequente, & libera, ad suppositionem antecedentem, absolutam, & necessariam: nunc confundendo actus voluntatis cum voluntate, nunc distinguẽdo. Quod, vt magis elarificem, ab eodẽ exemplo, quod affertur in argumento, euidentiam desumam. Verum namque est, quòd homo offendens Deum, vi huius voluntatis, quæ libera est, ab eaque homo abstinere, vel non abstinere poterat, contrahit debitum satisfaciendi de condigno Deo, quæ satisfactio est illi impossibilis: sed hæc impossibilitas vi eiusdẽ actus, quo contrahitur, potuit non contrahi, per hoc, quòd potuit homo Deũ nõ offendere: & ideò benè imputatur homini ex peccato contractio illa impossibilitatis, quæ potuit non contrahi: hinc tamen non fit, quòd iam impossibilitato homine ad Deo satisfaciendum, noua deindè crescant peccata, vel crescat malitia peccati toto tempore, in quo non satisfacit: vel quòd Deus possit sub noua obligatione culpæ obligare eum ad præbendam satisfactionem condignam: sed tantummodò perseuerat eadem obligatio antecedenter libera, contracta vi primi actus, a quo potuit abstinere: ac ita homo, vel eius voluntas, praua permanet vi primi actus: sed nõ omnis actus deindè voluntatis impossibilitatæ, nouam affert prauitatem. Eo modo, quo proijciens liberè Breuiarium in mari, dum illud trãsfretat, voluntate non recitandi Officium, toto tempore itineris, tunc peccatum contrahit: non verò, cùm impossibilitatus iam, non recitat, nisi complaceat de nouo liberè de illa impossibilitate, à qua complacentia liber est abstinere. Vndè si pœniteat de prima culpa, vel illi remissa supponitur; non denouo culpatur, cùm tempore impossibilitatis officium non recitat. Et tota ratio à priori est, quia peccata non multiplicantur per præcisam potentiam voluntatis, quæ vna semper, & eadem est: sed per multiplicationem actuum: vt ergo sint plura peccata, debent singuli actus cõtinere, tãquã inter se distincti, & plures, id, quod constituit actũ formaliter prauũ: ergo, sicut volentes, nolentes, concedunt hæretici, quòd, si ad primum actum homo supponeretur aliundè, quàm à se impossibilitatus, non posset sub culpa à Deo obligati ad illum, quia non esset illi voluntaria carentia actus: ita impossibilitatus à se per primum actum, per hunc contrahit quidem malitiã totius obiecti mali voliti: sed deindè noui actus, qui supposita impossibilitate non afferunt nouas rationes voluntarij, non possunt afferre nouam rationem, seu multiplicitatem malitiæ: cùm non isti afferant impossibilitatem, sed supponant: ac consequenter respectu primi actus impossibilitas fuit consequens ex suppositione, & libera, vtpotè per ipsum contracta: at respectu cæterorum, qui eam iam supponunt, est antecedens, absoluta, & nullatenus libera.

855 Ex quibus concludo, quòd vt præcepta dentur à Deo hominibus, obseruanda

ab iisdem propriis actibus voluntatis, non potest Deus illos obligare ad nouam culpam actualem, distinctam ab originali, nisi ipsis obseruantia sit possibilis: ac consequenter nisi ad actus, quos non possunt, saltem sufficientia det auxilia, quibus possint siue mediatè, siue immediatè: non enim omnibus auxilia dat immediatè Deus ad omnia, vt infra ex Augustino probabo. Exempli gratia infideli non dat auxilia ad omnia præcepta, sed vt possit conuerti ad fidem, qua deindè possit mereri auxilia ad alia præcepta; huic enim libera est obseruantia, vel inobseruantia præceptorum omnium, eò quòd liber est, vt credat, & fiat potens reliqua seruare præcepta: & si non vult fieri fidelis, liberè non vult auxilia, quibus seruet reliqua præcepta: quòd enim sine fide non habeat auxilia ad cætera præcepta, & hic, & nunc sit impossibilitatus ad illa, non est hæc, nisi impossibilitas consequens, quia semper est potens credere, & talia acquirere auxilia.

856 Iugulatur secundò idem error ex Augustini doctrina, ex qua innumera afferre possem loca pro eodem errore expugnando: breuitati tamen consulens, quatuor tantùm seligam, quæ distinctè ad amussim trutinabo, vt omnem tergiuersationibus aditum hæreticis occludam.

857 Primus autem sit ex sermone 61. de tempore, quem inchoat Augustinus his verbis, *Scio, & credo charitatem vestram sapienter intelligere non esse sine causa, quòd vos de vera, & perfecta charitate tam frequenter admoneo: hoc enim ideò facio, quia ad omnium peccatorum vulnera nullum medicamentum tam salubre, & tam efficax esse agnosco.* Nonnè quæ de charitate in tali sermone, admonendo, dictum est in medelam vulnerum peccatorū relatè ad suos Auditores, ad Adami posteros, & non relatè ad Adamū, & Euā ante peccatum, quos monere, aut adhortari non poterat, conuincitur Augustinum esse locutum? Videant autem hæretici quid his statim subnectat, *Additur*, inquit, *& hoc, quòd, cùm tam magnum sit vera, & perfecta charitatis remedium*, intelligunt iterum, quòd cùm de remedio sermo sit, relatè ad infirmos dicitur, *nullus tamen inuenitur*, sequitur, *qui eam, cum Dei adiutorio, non possit habere.* Veram ergo, & perfectam charitatem, qua tenemur omnes Deum super omnia diligere in hac vita, nemo est, qui cum Dei adiutorio habere non possit: cùm tamen isti hæretici impossibilitatem obseruantiæ cæterorum præceptorum ex conficta impossibilitate obseruandi præceptum charitatis colligere conentur. *Potest mihi*, præterea subiungit, *dicere aliquis, non possum ieiunare: numquid potest dicere, non possum amare? potest dicere, propter infirmitatem corporis mei non possum à vino, vel à carnibus abstinere: numquid potest dicere nō possū diligere? Potest quisquā dicere se virginitatem non posse seruare, &c. nūquid potest dicere non possum inimicos diligere, &c. Cùm enim multa sint, quæ propter fragilitatem humanam corporaliter implere non possumus, charitatem tamen in corde nostro, Deo inspirante, si in veritate voluerimus, sine aliqua dubitatione habere poterimus.* Sed dicent heretici hāc inspirationem Deum non dare Electis in hac vita, sed in alia. Si ita dicunt, progrediantur in legendo eodem loco Augustinum, qui, veluti horum hæreticorū præscius responsionis, ita subiungit, *Sed dicet aliquis, nulla ratione possumus inimicos diligere:* cui dicto respondet, *In omnibus Scripturis Deus tibi dicit, quia potes, tu contrariò respōdes non posse: considera nunc, vtrum tibi, an Deo debeat credi?* Et audiant vnde id asserat Sanctus, atque erubescant de ipsorummet impudentia, *Quia*, inquit, *nec impossibile potuit imperare, quia iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare; quia pius est.* Iam autem, vt dicebam, non Adamo, non Euæ loquebatur Augustinus, sed præsentibus Auditoribus, & ex parte ipsorum proposuit responsum, non posse diligere inimicū: atque hoc responsū impugnans, dicit indè conuinci, Deo loquente, posse: quia illis iubet, qui quā iustus non potest illis præcipere, nisi quæ possunt: & quā pius non potest condemnare hominem ex eo, quòd non vitauit, quod vitare non poterat. Vltraquam quòd dilectio inimicorum per Euangelium iubetur, non verò ante Euangelium.

858 Secundus autem sit ex libro de Natura, & Gratia cap. 43. vbi agens contra Pelagianos, qui negantes originale peccatum, negabant etiam necessitatem gratiæ Christi ad benè operandum, & inter alia obiiciebant, quòd aliàs, si natura sel pla post originale nō posset benè operari, Deus illi impossibilia iuberet: ita ad propositum discurrit S. Doctor, *Verū est antè quod ait, quòd Deus tā bonus, quàm iustus talem hominē fecerit, cui peccati malo carere sufficiat; sed si voluisset: quis enim eum nesciat sanum, & inculpabilem factum: & libero arbitrio, atque ad iustè viuendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semiuiuum latrones in via reliquerunt: & qui, grauibus saucius, confossusque vulneribus, non ita potest ad iustitiæ volumen ascendere, sicut potuit indè descendere.* Agit vsquemodò Sanctus Doctor de impotentia

potentia naturæ iam vulneratæ per originale: de homine tamen sic saucio subiungit, *qui etiam si in stabulo est, adhuc curatur:* videant autem hæretici, quomodò curatur, respondendo etiam argumento hæreticorum, *Non igitur*, ait, *Deus impossibilia iubet: sed, iubendo, admonet & facere, quod possis, & petere, quod non possis. Iam nunc videamus vndè possis, vndè non possis*. Et concludit, *Medicina potest, quod vitio non potest*. Indè ergo Deus non præcipit impossibilia, etiam in sauciatis per originale, quia, etiam si isti deperdiderint posse operari benè in pœnam vitij, ex medicina tamen gratiæ Christi recipit saltem primum posse ad fidem, & per fidem posse recurrere ad Deum, petendo, quærendo, & pulsando: vt faciendo quod potest, petat noua auxilia ad ea, quæ non adhuc potest.

859 Tertius locus sit ex cap. 69. eiusdem libri, vbi contra eosdem Pelagianos sic loquitur, *Valdè autem bona sunt præcepta, si legitimè his vtamur*: quibus verbis patet de nobis loqui, de quibus controuersia solùm erat cum Pelagianis: vt autem legitimè vtamur, hæc, quæ subiungit, requirit, *Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Sunt enim quædam præcepta ex se faciliora alijs: facilius namque est amare parentes, & amicos in Deo, quam inimicũ propter Deum; facilius item est nolle furari, quàm abstinere à fornicatione, &c. atque ita gratia, quæ sufficit ad vincendã vnam tentationẽ, non sufficit ad vincendam aliam: & auxilium, quod sufficit ad vnum opus bonum, non sufficit ad aliud, loquor de sufficientia efficaci, quæ ponit opus. Eo ergo, quo quis firmissimè credit Deum non posse nobis præcipere impossibilia, hinc etiam scit in suo posse esse, vt faciliora præcepta executioni mandet: ea verò, in quibus difficultatem maiorem inuenit, indè etiã scit in suo posse habere, quia in suo posse habet Deum gemitibus, & feruorosis orationibus exorare, vt maiora subministret auxilia, *Ad hoc enim valet*, ait idem Sanctus Doctor libro de Gratia, & libero arbitrio cap. 15. *quod scriptum est*, nempe Ecclesiastici 15. *Si volueris, conseruabis mandata: vt homo, qui voluerit, & non potuerit, non dum se plenè velle cognoscat: & oret, vt habeat tãtam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata: sic quippe adiuuatur, vt faciat, quod iubetur*. Firmissimè ergo ex Augustino cõtra hos hæreticos credendum, Deum nobis, (quibus ob originale peccatum, ac etiã malos habitus, ex eodem Sancto Doctore prædicto libro de Natura, & Gratia cap. 27. *Sunt reuera duo ista pœnalia ignorantia, & difficultas,*) non posse præcipere impossibilia, vt indè admoneamur, *& in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*.

860 Quartus locus similis antecedenti sit ex prætacto libro de gratia, & libero arbitrio cap. 16. vbi, agens contra Pelagianos, ita habet, *Magnum aliquod Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat?* subiungit: *sed ideò iubet aliqua, quæ non possumus, vt nouerimus, quid ab illo petere debeamus; ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat*. Tota autem lis inter Augustinum (vt monui supra, dum attuli secundum eiusdem Sancti Doctoris locum,) & Pelagianos, non erat de homine ante peccatum, respectu ad quem conueniebant: sed de eo, qui, iacens sauciatus in stabulo, adhuc curatur; de hoc ergo asserit Sanctus Doctor nullum esse, qui nesciat, non fore iussurum Deum, quod sciret non posse ab homine fieri: *sed ideò*, inquit, *iubet aliqua, quæ non possumus, vt nouerimus*, credentes, *quid ab illo petere debeamus*, quatenus, orantes, impetremus eam charitatem, & velle ita efficax, vt quod lex iubet, impleamus: vna nãq; gratia sufficit ad fidẽ, sufficit ad aliquod velle seruare mandata: sed non ad implere opus, quod volumus: vndè Augustinus cap. 18. eiusdẽ libri, *Cur ergo dictum est*, ait, *diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est: nisi quia per præceptum admonitum est liberum arbitrium, vt quæreret Dei donũ, quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, quo addi sibi quæreret, vndè quod iubebatur impleret?* Cõcludo ergo ex Augustino nihil nobis, quod præcipitur, esse ita impossibile, vt diuino adiutorio, non solùm fiat possibile, sed etiam, si voluerimus, facile: *sarcina quippe illa*, ait Augustinus cap. antecedenti ad citatum, *quæ infirmitati grauis est, levis efficitur charitati*. Licèt autem prima auxilia habere, à nobis non pendeat, sed omnem actum nostrum præcedant: hæc tamen nulli deficiunt, saltem quoad sufficientiã, per eam lucem, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Istis autem, quę operatur Deus in nobis sine nobis, possumus, orantes, & reliqua acquirere, quibus omnia seruemus pręcepta. Vndè Augustinus ibidem, *Vt ergo velimus*, inquit, *sine nobis operatur: cùm autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur*. Atque ita iuxtà illud Ecclesiastici 15. *Si volueris, conseruabis manda-*

ta

ta. certum est, ait Augustinus cap. 16. *Nos mandata seruare, si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo*, adiuti prima gratia, ipso operante, vt velimus, *petendum est, vt tantùm velimus, quantùm sufficit, vt volendo*, Deo nobiscum cooperāte, *faciamus*.

861 Contra inconcussam hanc, quam vsque modò propugnauimus Catholicam veritatem, nihil habent eiusdem veritatis inimici obiciendum præter ea, quæ retulimus §. 10. quæ cum ibi fuerint omni claritate soluta, non sunt hic iterum deferēda: & ideò ad alium pergo expugnandum errorem. Vndè sit.

§. DECIMVSQVARTVS.

Error, quo asseritur sola fide Electos formaliter, & adæquatè iustificari, repudiandus ostenditur.

862 Eò Lutheranorum, & Caluinistarum insania in substinendo sola fide saluari, qui saluantur, peruenit, vt non solùm velint hypocrisim esse, graueque peccatum, conteri, & dolere de peccatis præteritis, sicut notaui in principio Articuli: verùm etiam nullum aliud bonum opus fideli esse in præcepto, præter fidem, vt his verbis docuit Lutherus in libro de Libertate Christiana, *Iustus*, scribit, *non operatur ex obligatione, sed ex amore solùm, iuxtà illud Pauli: nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*. Atque indè in eodem libello asserit, *Qui fide certò credit omnia condonari per Christum, illa sola fide non solùm obtinet, vt non sibi imputentur peccata: sed totam legem implet. Atque adeò, qui credit, lege iam liberatus est*.

863 Tria ergo hic ex Scriptura, Augustini authoritate, ac etiam ratione oppugnare, simul ac expugnare conabor. Primum est, quòd dicunt solam fidem ratione sui saluare, vel sufficere per se ad salutem, & reliqua opera nihil conducere. Secundum est, solam fidem esse in præcepto, reliqua libera credenti. Tertium tandem dolorem de peccatis præteritis, non solùm non conducere ad salutem, sed potiùs esse graue peccatum, & obesse. Ostendam autem illa esse monstra, & conficta, & his asserta opposita inconcussam continere veritatem. Sed quoniam versuti, & versipelles hæretici isti, videntes affluentiam locorū Scripturæ, quibus ipsorum peruersitas obtunditur, plurima construxere, vt vel clarescētem veritatem obnubilare possint, loca Scripturæ nunc vno, nunc alio modo: nō iuxtà verborum contextum, sed prout opportunum iisdem videtur, explicando, ad deludendam veritatem: operę pretium duxi priùs hæc examinare inuenta, vt veris à falsis seiunctis, faciliùs ipsorum astutiam detegamus, & assertorum figmenta expūgamus.

864 Aduertendum ergo primò fidem ab hereticis istis tripliciter partiri: aliam namque vocant fidem historiæ, aliam fidem promissionis, aliam fidem miraculorum. Primam dicunt consistere in eo, quòd credatur veritas eorum, quæ in Scriptura per Deum loquentem enunciantur fuisse, vel euentura esse in se ipsis. Secundam dicunt consistere in fide, qua credimus Deū donaturum nobis, quod promisit. Tertiam dicunt consistere in ea firma fide, qua quis volens Deum operari aliquod miraculum, absque hæsitatione credit illud Deum facturum. Quamuis autem hæretici isti fateantur omnem actum fidei ex tribus explicatis esse supernaturalem, & ex dono Dei: non tamen volunt omnem sufficere ad salutem, sed dumtaxat secundam, nimirum fidem promissionis: nec quemlibet actum fidei promissionis, sed illum, quo quis hic, & nunc firmiter credit cōdonari ipsi a Deo in Christo peccata, & donādam vitam beatam.

865 Hæc fidei distinctio, quamuis in præsenti nihil prosit hæreticis, non est tamen prætereunda, quia reuera chimærica est, cùm fides, vt fides, nullam sumat distinctionem ab obiectis, quæ credit, seu quibus firmiter assentitur: sed ab obiecto formali credendi, nempe ex authoritate dicentis: idem enim obiectum, secundùm idem potest sciri, potest opinari, potest credi: ac econtra eadem fides, vt vna potest extendi ad omnia reuelabilia ratione eiusdē motiui, scilicet infallibilis authoritatis eius, qui loquitur, siue ergo dictum sit res facta, siue facienda, siue essentialis, siue accidentalis, siue promissa, siue quocumque modo; cùm fides non tendat ad rem, prout cognitam in se: sed prout infallibiliter connexam cum authoritate dicentis, & aliàs, si ab hac præscindat, fides esse non poterit, sed vel scientia, vel opinio, aut error: semper, si fides est, eiusdem rationis fides erit, & distinctio illa hæreticorum con-

conuincitur esse somnium, ac contraria Apostolo Paulo ad Ephesios 4. vbi habet, *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma*.

866 Non est tamen propterea negandum, quòd nomen ipsum fidei non semper sumatur pro assensu credentis. Aliquando namque fides sumitur pro obiecto ipso credẽdo, vt cũ dicitur in Symbolo Athanasii, *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, &c.* Aliquando verò sumitur pro obiecto formali spei, nimirum pro constantia, & fidelitate promittentis, vndè ortum ducit illud adiectiuum fidus fida fidum: & ita dicitur in Psalmo 32: *Rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide*, idest fundata in constantia, & fidelitate: in toto namque ferè dicto Psalmo agitur de constantia, & fidelitate Dei. Rursus fidem sumere solemus pro spe, sicut & verbum fidere pro sperare: & ita dicimus non diffidere obtenturos aliquid, pro non desperare: & fidem habere obtinendi, pro spem habere. Ac tandem fidem sumere etiam solemus pro ipsa promissione, & voto, sicut dicitur prima ad Timotheum 5. *Adolescentiores autem viduas deuita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, hoc est primam sponsionem. Hæc vera sunt, sed non indè multiplicari rectè fides potest sumpta pro assensu intellectus, vt patet ex dictis modò, & secundùm quòd fides dicitur fũdamentum iustitiæ, & iustus ex fide viuere: nisi namque Deo credamus vero, & veraci, nec ipsum amare, nec in eo sperare poterimus; de hac ergo fide, prout est assensus Deo dicenti, loquentes, probabimus solam non sufficere ad salutem.

867 Aduertendum secundò ab his hæreticis concedi fidem historiæ, & miraculorũ posse stare sine spe, & charitate, atque obseruantia cæterorum præceptorum: sed de fide promissorum non ita sentiunt: dicunt namque ad hanc fidem subsequi indubitatò, esseque fidei indiuiduos comites spem, & charitatem. Quod sua solita versutia exemplis stabilire procurat, sed æquiuocãdo, Lutherus in libro de Captiuitate Babylonica, vbi cogitemus, inquit, hominem sanæ mentis, & fame grauiter laborantem, & huic, mortem iam metuenti, aduenire, qui eum ad aliquod paratum, lautumque, conuiuium vocet, sitque ille talis, cui miser fidem indubitatò accomodet, posset ne, subsumit, huiusmodi famelicus non statim ex illa fide fiduciã, & spẽ desiderati cibi concipere, ac properè, quàm possit, ad conuiuium illud accurrere, simulque, & conuiuatorem illum toto corde amare, & colere? Simile exemplum affert de graui morbo affecto, & mortem iam expectante, cui Medicus omni fide dignus occurrat, promittatque indubitatò salutem. Hæc autem ita componit Lutherus, vt inculcet maximã differentiam reperiri in intrinseco prædicatorum inter fidem istam promissorum, & reliquas fides historiæ, & miraculorum: prima, quia ita perfecta est, vt secũ trahat spem, & Dei amorem, ideò ex se sola, inquit, iustificat: non ita reliquæ, quæ possunt stare sine spe, & charitate. Atque huiusmodi fidei distinctione veritatẽ Scripturæ obtegere curat, explicando loca Scripturæ, quibus docemur fidem sine operibus mortuam esse, de fide historię, & miraculorum, quę potest esse sine operibus: & negando intelligenda fore de fide promissorum, quę siue illis esse non potest, & propterea est radix vitę, non mortua.

868 Hinc etiam secundò aliam obcęcatis Affeclis foueã patat, dicendo, quòd, cùm in Scriptura legimus vitam æternam reddi, vel promitti operibus bonis, intelligendũ sit tamquam de signo, non tamquam id, cui fiat promissio: quia nimirum bona opera supponunt fidem viuam, cui est facta promissio: & hæc fides trahit talia opera: ideò quidquid dici debet de fide, dicitur de operibus, tamquam effectibus, & signis supponentibus fidem: non quia istis sit facta promissio, vel reddantur promissa, quę dumtaxat debita dicit esse fidei. Vndè Melanthon, Lutheri discipulus in sua Apologia, *Sola*, inquit, *fide in Christum, non per dilectionem, aut opera, consequimur remissionem peccatorum, & si dilectio sequatur fidẽ*. Et Lucerus, pariter Lutheri discipulus in sua Cõcordia, *Fides, ait, vt fides est, & assensus Euãgelij, fides ipsa sola, hoc est primò, & per se, est solida, plenaque causa receptiua primùm gratiæ, atque adoptionis Dei, & principis iustificationis, idest qua ex iniustis efficimur iusti: deinde sequitur charitas ad operandum iusta*. Ex hoc autem maledicto aliam proferunt blasphemiam in Sacramenta, negando esse eorum susceptionem necessariam ad salutem: cùm solùm necessariam prædicent fidem, qua credamus verbis Christi, quibus illa confecit, prout loquitur Lutherus in articulo 1. ad Leonem, *Sacramentum*, ait, *non confert gratiam: sed sola fides verbi Christi promittentis, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, &c.*

869 Mirandum profectò est, quòd homines taliter excordes reperiantur, qui se similibus accommodent nugis: quis namque, nisi omninò cæcutiat, non videt, quòd

quòd famelicus, vel ægrotus, non ideò amat salutem, quia Conuiuatori, vel Medico pollicenti cibum, siue restitutionem salutis, indubitatò credit: sed econtra, quia primus supponitur anhelare cibum, ideò faciliùs credit sibi promittenti conuiuium, an non famelicus eo ipso, quòd famelicus est, cibi appetitor est? & pari modo infirmus timens mortem, nonne indè timet mortē, quia amat salutē? quid ergo cōponit iste nugarum magister, quòd indè famelicus amat conuiuium, quia indubitatò credit pollicenti Conuiuatori: & ægrotus indè amat salutem, quia Medico credit, illam ei pollicenti? Nec vllo modo verū est, quòd ægrotus, vel famelicus indè Medicum, vel Conuiuatorē amat, quia illis pollicentibus, vt supra, indubitatò credit: sed eos amat, vt medium ad finem exoptatum. Cæterum, si ego tota fide crederem mihi pollicenti conuiuium, vel etiam restitutionem salutis: sed cibum nausearē, vel mori exoptarem, non propter talem indubitatam fidem, aut cibum, & Conuiuatorem: aut salutem, & Medicum amarē. Exempla ergo adducta à Luthero omninò extra propositum sunt, cùm sint de casibus, in quibus supponitur amor finis, & fides requiritur, vt amentur, & applicentur media: in nostro autem casu non supponitur amor Dei, vel salutis æternæ, qui sunt actus charitatis, & spei ante fidem: sed potiùs id, quod disquirimus est, vtrum fides promissorum secum indiuiduos comites habeat charitatem, & spem, vt prætendit Lutherus?

870 Sed, vt etiā suismet armis Lutheri monstra suffocem, ab eiusdem exemplis nolo discedere: & Lutheranos ipsos percontor: si quis ex ipsis esset famelicus, vel ægrotus ad mortem, & Conuiuator, aut Medicus accederet, illi spondens conuiuium, vel salutem, cū conditione tamē pretij, offensiua honoris famelici, vel ægroti; etiam si iste totam fidem habeat pollicenti, acceptabit ne conuiuium, siue promissionem reintegrationis salutis? & ita pollicentem amabit? an potiùs spernet, si non odio prosequatur? non dubitarem quemlibet ex Lutheranis responsurum fore, quòd, si talis famelicus, aut ægrotus plus eximat honorem, quàm satisfieri suæ fami, aut viuere; non obstante tota fide, quam haberet pollicenti, incitaretur ad odium potiùs, quàm ad amorem: aut saltem sperneret oblatum cibum, & restitutionem vitæ, ne fœdaretur in honore. Non ergo sufficit quæcumque fides pollicenti bonum, nec quælibet fames de illo, siue timor opposi-ti mali, vt sequatur amor rei promissæ, & erga promittentem: sed præterea requiritur, vt famelicus, vel timens malum, non sit magis affectus ad alia, ratione cuius maioris propensionis impediatur ab amore efficaci promissorum. Et ecce vndè, non obstante indubitata fide credentium Dei promissis, non tamen semper talis fides est viua, trahens amorem, & spem: quia nimirum mundi illecebræ præsentes aliquando magis trahunt, quàm promissa futura: vel quia malus habitus plus incitat: vel quia ad promissa non tanta attentione cogitatur, sicut ad præsentia: aut tandem quia simul aliquis vult pro nunc præsentia, non desperans in futurum posse obtinere promissa.

871 Ruit ergo Lutheri nugarū constructio. Ruit tanto labore excogitata triplicis fidei distinctio. Euanuit nubes, qua oculos sequacium obcæcat, ne lumen veritatis agnoscant; falsumque conuincitur dogma, quòd fides, quæcumque illa sit, etiam promissorum, non possit esse verissima fides intellectualis, licèt sine operibus. Nec præcepta alia spei, & charitatis, &c. tamquam signa fidei requiruntur ad salutem, sed ratione bonitatis rei præceptæ: ac consequenter repellendi sunt, tamquam ingratissimi gratiæ, & bonitati Dei, qui Sacramenta in remedium nostrorum malorum gratuitò à Christo instituta, quoad realem susceptionem spernunt. Et sanè nescio quomodò hæretici isti sibi ipsis insubsistētes sint: si enim propugnant fidem promissorum indiuiduos habere comites charitatem, & spem, ac consequenter obseruantiā cæterorum præceptorum, cùm implicet amantem Deum super omnia, illi displicere, non obseruando illius præcepta: quare non ita dicunt eamdem fidem trahere secum receptionem Sacramentorum? an istam non concedunt nobis præceptam? Quid ergo est, quòd Matthæi vltimo non solum præcipitur Apostolis, *Euntes docete omnes gentes*, sed etiam additur, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*? Et Marci 16. non dicitur dumtaxat, *qui crediderit*, sed additur, *& baptizatus fuerit, saluus erit*? Ioannis item 3. habemus, *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*? Rursus ex Apostolo ad Romanos 6. numquid docemur, quòd consepulti sumus cum Christo per fidem in ipsum dumtaxat? non ita certè, sed aliàs docemur: ait, enim, *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo*

per baptiſmũ in mortẽ. An dicẽt verũ eſſe hoc dũtaxat de baptiſmate, nõ de ceteris Sacramẽtis; de ceteris nãq; fides à nobis exigitur, nõ realis ſuſceptio, vel illorũ confectio? Ita ſi dicant, falſi dogmatici conuincuntur: numquid enim Matth. 26. Chriſtus fidem Sacramenti Euchariſtiæ exegit ab Apoſtolis in Cœna, an potiùs, *Accepit Ieſus panem, ac benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes, Hic eſt Sanguis meus, &c?* Numquid non noua Sacramenti in Eccleſia confectio præcipitur Lucæ 22. cùm dicitur, *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem?* An non Iudæis, vltra Apoſtolos, loquebatur Chriſtus Ioannis 6. cùm poſtquam dixerat, *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de Cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mũdi vita*, refertur, quòd litigabant Iudæi ad inuicem dicentes, *Quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* quibus Chriſtus reſpondit, *Amen amen dico vobi, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis?* Et quòd de comeſtione reali ſit ſermo, patet tum ex illo, quod deindè fecit in Cœna cum Apoſtolis, tum ex ſubſequentibus verbis in eodem capite, *Hic eſt panis, qui de Cælo deſcendit: non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: non manducauerunt autẽ Hebræi manna in deſerto per ſolam fidem, ſed reali manducatione: non erat tamẽ ille panis vitæ, ſicut iſte Sacramentalis, & ideò non ille, ſed iſte viuificat vita æterna dignè ſumentes. Nec quia diſcipulis murmurantibus, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eũ audire?* Et Ieſus reſpondit, *Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quidquam*, ſignificatur; quòd non prodeſt ſuſceptio Sacramenti carnis Chriſti: ſed reſpondit Ieſus cogitationi carnali, quam conceperant Apoſtoli, quaſi quòd danda foret eis caro Chriſti comedenda carnaliter, eo modo, quo comeduntur carnes animalium: & ideò ait, hoc modo carnis meæ comeſtio non prodeſt, ſed prodeſt ſpiritualiter manducata in Sacramento: in quo nihil carnis carnaliter ſentitur, ſed ſpiritualiter creditur, quòd verè, & realiter mãducetur corpus Chriſti. Eo modo, quo Ioannis 3. non intelligente Nicodemo verba Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei*, cogitabat enim nouum ortum carnalem, vnde, & reſpondit, *Quomodò poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?* Ieſus reſpõdit, *Quod natũ eſt ex carne, caro eſt: & quod natũ eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Spiritus, vbi vult, ſpirat &c.* Nõ tamẽ propterea in hac noua natiuitate non requiritur, tãquam materia, corporalis ablutio per aquam, ſicut ipſemet Chriſtus ibidem docet, *Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Sic in caſu, quod carnaliter manducatur, ſpecies ſunt panis, & non caro Chriſti, vt cogitabant fore manducaturos carnẽ Chriſti tunc Apoſtoli: ſed docuit Chriſtus ſuam quidem realem carnem fore manducaturos, non tamẽ carnaliter, carnem ſentientes: cùm Chriſtus ſpiritualiter, non carnaliter, hoc eſt modo ſpirituali, non carnali, & ſenſibili ſit in Sacramento. Et tandem nonne omnẽ tergiuerſationis locũ his hæreticis claudit Apoſtolus prima ad Corinthios 11. vbi, poſtquam affert iam à me relata, concludit, *Probet autem ſe ipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit?* Quid enim eſt, *probet ſe ipſum homo*, ne indignè manducans, iudicium ſibi manducet? nonne, vt priùs conſcientiam, ſi fœdatam habeat, extergat? Numquid dicent, vt probet, ſi fidem habeat? de fide ergo huius Sacramẽti præmittit ad prædicta Apoſtolus, *Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare: vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum: & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis? Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo?* Vet hoc ne non laudabat, quia vnuſquiſque habebat fidem ſuam? an quia ad Eccleſiam conueniebant potiùs vnuſquiſque ibi carnaliter, quod attulerat, manducans, quàm ad manducandum Dominicam cœnam: de qua ſtatim ſubiungit, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate, &c?*

872 Circa Sacramẽtum item Extremæ vnctionis, & Pœnitentiæ quid? fidem ne verbis Domini requirit Apoſtolus Iacobus cap. 5. cùm dicit, *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum,*

eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum; & alleuiabit eũ Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei? Fides quidem requiritur, quoniam sine fide impossibile est placere Deo ex Apostolo: sed non sufficit hæc, imò oportet induci Præsbyteros Ecclesiæ, qui orent pro infirmo, atque vngant, &c. *Confitemini*, subdit etiam, *alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini*: non ergo sola fides sufficit ad remissionem peccatorũ, sed etiam requiritur confessio, ex dolore proueniens, ac præsbyteri absolutio. Et idẽ dicendum de cæteris Sacramentis.

873 Aduertendum tertiò, quòd, vt locis Scripturæ, quam maluerint, isti perfidi significationem tribuant, tripliciter rationem iustificationis distinguũt. Primò, dicunt, tunc aliquis dicitur iustificari, cùm ex auerso à Deo fit conuersus, saltem in habitu; quo modo quisquis operans ex gratia, dicitur operari iustè, & se iustificare. Secundo modo dicitur quis iustificari, cũ acquirit augmentum gratiæ, quo pacto habetur Apocalypsis 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Tertiò, dicitur quis iustificari, cùm in iudicio, vel ab aliquo declaratur iustus, sicut habetur Prouerbiorũ 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum*. Nõ negauerim triplici isto modo sumi posse iustificationẽ: vellẽ tamẽ, vt locis Scripturę, in quibus de ipsa iustificatione fit mẽtio, illũ sensũ tribuerent, quẽ in se præferũt ex contextu verborum, non quem maluerint, ad eludendam veritatem.

874 Aduertendum tandem, quòd etiam nomen Pœnitentiæ dupliciter versutè sumunt, vt vno modo concedant loca Scripturæ posse, & debere intelligi; non alio modo. Primò ergo dicunt sumi Pœnitentiam pro dolore, & detestatione malę vitæ præteritę, seu præcedentium peccatorum: & de pœnitentia hoc modo non solùm impiè proferunt, non conducere ad iustificationem, verùm etiã, quòd sit hypocrisis, & graue peccatum: eò quòd, dicunt, qui ita dolet, quasi suo actu vult se iustificare, & minuit meritum Christi, existimans hoc non sufficere ad iustificationem: sed necessarium esse proprium actum. Alio modo sumunt Pœnitentiam pro puro recessu à perpetratione peccatorum, per nouam vitam in Christo, & hãc asserunt iuuare ad iustificationem negatiuè, quatenus refrẽnat noua peccata, & impedit nouos obices; atque istam Pœnitentiam dumtaxat volunt, indici nobis per Sacram Scripturam pluribus locis. Ita loquitur Lutherus artic. 7. ad Leonem. *Nullus*, inquit, *est necessarius actus charitatis in conuersione, qui feratur in peccata, & sit detestatio retroactæ vitæ: sed optima Pœnitentia noua vita*. His ergo prænotatis, vt tergiuersationes hæreticorum faciliùs eludamus.

875 Refellitur error istorum hæreticorum quoad primum punctum, nimirum probando solam fidem, quæcumque sit illa, non sufficere ad iustificationem hominis, pluribus Scripturæ locis, incipiendo ab Euangelio Matthæi, ex quo primò habemus in cap. 5. octo Beatitudinum distinctiones per octo genera operum, non per diuersas fides, quæ semper eadẽ est, etiam iuxtà hæreticos, qui fidem saluantem asserunt esse fidem, qua creditur, quòd hic, & nunc in Christo remittuntur peccata; ergo quia per istã operũ diuersitatẽ alius est alio præstantior, indè octo distinguuntur Beatitudines: & ita dicitur, *Beati pauperes spiritu*, nempe humiles, *quoniam ipsorum est Regnũ Cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebũt terram. Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Beati qui lugent, &c.* Capite itẽ 18. Parabola ponitur, de quodã, cui Dominus remiserat totũ debitum, ac consequenter, qui, etiam per istos hæreticos, debuit habere fidem, ratione cuius totum debitum ei fuerit remissum; quique deindè refertur traditus tortoribus, non quia fidem amiserit, sed quia misericordiam non habuit cum suo conseruo, & notent hæretici vim verborum Christi, arguentis talem seruum, *Nonne*, ait, *oportuit & te misereri conserui tui: sicut & ego tui misertus sum?* Quibus verbis ruit aufugium explicãdi opera, tamquam signa fidei iustificantis præsuppositę, non enim statet particula illa, *sicut*, si non in defectu misericordiæ, sed fidei, seruus peccasset: nam sensus esset, nõne oportuit, & te seruare fidem de mea remissione, dũ ageres cum tuo cõseruo: sicut & ego tui misertus sum, qui modus loquendi esset omnimodè disparatus. De illo ergo arguitur, quòd non seruauerit, quod requiritur in oratione Dominica, vt dimittat aliis debitoribus suis quisq; si vult dimitti sibi à Deo propria debita. Et tandẽ ex capite 25. vbi possessuris paratum à constitutione mundi Regnum, non asseritur dandum, eò quòd fidem habuerint, sed propter opera: stantibus namque ad dexteram dicet Christus esse paratum Regnum indè, quia, *Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* & econtra damnandis non refertur dicendũ, quòd fidem non habuerint, quamuis hæc necessaria sit ad salutem: sed, *Esuriui enim & nõ dedistis mihi manducare: sitiui, & nõ dedistis*

ftis mihi bibere, &c. Sed dicunt hæretici opera in Euangelio poni, vt signa fidei, vel infidelitatis; non vt causa salutis, vel damnationis. Ridicula certè responsio; tum quia iam probatum est in secunda animaduersione; fidem benè stare posse sine operibus, licèt impossibile sit sine fide, placere Deo; ergo opera non ponuntur, vt signa, sed vt causa damnationis, vel salutis; tum quia, si opera ponerentur, vt signa, vana esset tam longa series verborum in Euangelio, assignando tanta opera bona, vel mala, & admirationem Electorum percontantium, quando Christum viderint esurientem, sitientem, nudum, & in carcere detentum: sicut etiam excusationem Reproborum, & Christum respondentem, *Quamdiù fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, si propter fidem dumtaxat alij saluarentur, & propter solam infidelitatem damnarentur alij; tum tertio, quia, vt satis disertè notat Augustinus, infra afferendus, indè in eodem capite dicitur, quòd, *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis*: indè etiam refertur, quòd damnandi respondebunt, nō quidē, quòd ipsū Christū non agnouerint, vel eiusdem præcepta ignorauerint: sed, *Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmū, aut in carcere, & non ministrauimus tibi?* vt appareat etiam eos, qui eiusdem fidei participes permixtè passi sunt; quique Dominū; sicut Electi, agnouerunt, & confessi sunt, fore in die illo ab inuicem segregandos: & alios propter opera fore saluādos: alios verò damnādos, quia fidem mortuam sine operibus seruauerunt.

876 Secundò idem conuincitur ex pluribus locis Euangelij Lucæ. Primò quidem ex capite 10. vbi refertur, quòd interrogans Christum quidam Legisperitus ita, *Magister quid faciendo, vitam æternā possidebo?* Christus ait, *In lege quid scriptum est? quomodò legis?* Et ille, *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum, sicut te ipsum.* Cui Christus, *Benè respondisti*, subiunxit, *fac hoc, & viues*. Quomodò autem benè respondisset iste, si de fide saluante nihil dixerat? & quomodò, *fac hoc, & viues*, si nō indè viuitur? Quia, dicitis, hęc supponūt fidem, per quam viuitur? si ergo quis vos interroget, per quid cognoscatis? benè respondebitis per voluntatem: quandoquidem voluntas supponit intellectum, & oritur ex illo. Quis sanè hęc non irrideat infulsa responsa? Imò potiùs quęrenti Legisperito, quid opus haberet, quo saluaretur, & non afferenti ex lege fidem, sed opera dumtaxat, detegere debuisset verus Magister nuditatem veritatis, & dicere, hęc bona sunt, quia ex fide ortum ducunt: sed non ista, imò potiùs fides saluat; credas ergo, & saluus eris: non autem relinquere cum sub nubilo, respondendo, *fac hoc, & viues*. Sed quia verus Magister vera docuit: hæretici isti contrariū docentes, perfidiæ conuincuntur. Rursus negabunt ne isti hæretici posse aliquem mēdacium proferre, aliud seruando internè, quàm proferat ore? crederem sanè, quòd fateantur totum ferè mundum plenum esse his temporibus fictionibus. Concedere ergo debent posse aliquem internè firmam habere fidem Dei promissis, & Euangelio: & timore mortis negare oretenus dumtaxat coram Tyranno suam fidem: iste ergo saluabitur, quia sola fides interna sufficit ex se ad salutem: nec namque opus est, vt omnes saluandi profiteantur coram alijs eorū fidem: quid ergo est illud Lucæ 12. *Quicumque confessus fuerit me corā hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei?* Nisi quia vltra fidem interiorem, quæ ex se sufficit ad salutem in suo genere, est in præcepto, vt, cùm opus fuerit illam extrinsecùs fateri, fateamur: ac ita qui extrinsecùs eam negaret, haberet quidem fidem, sed mortuā sine opere præcepto? Rursus seruum scire voluntatem Domini sui, & non facere secundùm illam, non est negare voluntatem Dñi: sed operari cōtra voluntatem, quā scit habere Dominum; ergo dum Lucę 12. dicitur, *Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*; duo nobis intimantur: vnum nimirùm, quòd possit quis credere, & scire voluntatem Domini promittentis, vel comminantis nobis; & operari contra eiusdem Domini voluntatē: alterum, quòd ita credens, & non operās secundùm fidem, eò quòd sciens, & non operans secundùm Domini voluntatem, illum spernit: non verò ita, qui nesciens indè fit dignus maiori plaga; tantùm abest, vt sola fides saluet. Prætereà, quòd fidelis faciens prandium vocet ad illud potiùs cognatos, Amicos, vel vicinos, quàm pauperes, debiles, aut cæcos, & claudos, non arguit pœnitùs defectum fidei; præcipuè si id faciens aut titulo gratitudinis, aut pa-

cis

est consentiendum, siue amicitiæ: neque circa hoc contraria habemus præcepta: melius tamen ex eiusdem Lucæ 14. est conuocare secundos, quàm primos: & videant hæretici vndè. *Cùm facis,* prætacto loco dicitur, *prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte te & ipsi reinuitent; & fiat tibi retributio; sed voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Consulitur ergo per hæc verba conuocatio pauperum ad prandium potiùs, quàm parentum, amicorum, vel vicinorum diuitum: non quia hoc secundum dicat defectum fidei, neque quia peccatum hoc sit: sed indè præcisè, quia primi habentes, vndè retribuant, premium retribuunt temporale. Cùm verò secundi non habeant, vndè retribuãt; præmium expectabitur in resurrectione mortuorum. Si autem opera ex se non conducunt ad salutem, sed sola fides, non staret ista retributio, vel non retributio, vbi nec fidei fit augmentum, nec defectus: sed sola positio operum, quibus hic fiat, aut non fiat retributio. Similis est locus cap. 16. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vbi mammona iniquitatis nõ dicũtur diuitię, iniquè cõgestę, quæ restitui debent Domino, non dari alijs, sed vocantur ita diuitiæ, quia incitamenta, & occasiones sunt magnis iniquitatibus; non indè autem, quia diuitias proprias aliquis vult relinquere hęredibus; & non dare pauperibus, fidem amittit: vel qui pauperibus dat, augmentum habet fidei: atque ita opus istud subleuandi pauperes opus est misericordię; non fidei: & tamen operatur premium in æterna tabernacula: ergò falsum est, quòd sola fides saluat, vel cõducit ad salutem. Non dissimilis est locus ille cap. 18. *Amen dico vobis; nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter Regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.* In his certè nec agitur de fide, nec de illius defectu, nec precipiuntur, sed consuluntur hæc, tamquam magis perfecta: atque istis, tamquã ratione sui bonis, promittitur retributio, & hic, & in sęculo futuro. Vbi magis innotescit sensualis affectus horum hęreticorũ, qui clamitant, quòd obligare se aliquem ad castitatem sit crudelitas, non opus bonum: quando Christus, qui est veritas, adhuc consulit derelictionem vxoris, dummodò id fiat ex mutuo consensu, ne alter alteri, quod illius est, iniustè auferat.

877 Tertiò ex Euangelio Ioannis, in quo habentur præcipuè sequentia. Primò in cap. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quid confingitis pestes humani generis, sola fides promissorũ, est in præcepto, & saluat, reliqua opera libera sunt fideli? quid chimærizatis? estne homo, qui nollet gaudere de præsentibus mundi voluptatibus; & deindè post mortem simul vita æterna? nemo sanè, si posset, non ita vellet; si ergo sola fides est in præcepto, & reliqua opera non ita libera ergo esset credens firmiter Dei promissis futuris; illa amare, & simul præsentia; ergo si ita quis faceret, non indè damnaretur. Quid ergo est; quod Christus nos docet, *Qui amat animam suam, perdet eam?* Nonne vos per hæc verba reprobat? Capite item 13. postquam refertur lauatio pedum discipulorum, facta à Christo: & adhortatio, vt alter alterius lauarent sibi pedes, & verba ista, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis,* subiungit, *si hæc scitis, beati eritis,* sed numquid indè beati, si scitis, quod est, si ita mihi docenti, & pollicenti creditis? non ita, sed, *beati eritis, si feceritis ea,* ait: si autẽ opera solum, vt signa fidei saluãtis adducerẽtur ex Scriptura, nonne dissonum esset tribuere signo & non significatę iam simul adductæ causę, effectum? operibus ergo potiùs tribuitur saluatio, quia fides, etiam promissorum, mortua est, & non beatificat, nisi etiam fiat; quod creditur. Capite etiam 15. hæc duo habentur, *Ego sum vitis vera,* (Christus est, qui loquitur,) *& Pater meus agricola est.* &, *Ego sum vitis, vos palmites.* Potestne aliquis alio modo esse palmes in Christo, nisi per fidem? non credã, quòd vllus id somniare poterit, si rationem nõ omninò deperdiderit. Sed videant hæretici, quid ibidem dicatur, *Omnem palmitem, in me non ferentem fructum, tollet eum?* Palmes ergo, quæ existens in Christò, fructum non facit, tollet eum ex eo, quòd fructum non facit, non econtra priùs Pater tollat, & deindè fructũ nõ faciat; quis ergo est iste fructus, qui fieri debet à palmite, indè facta palmes, existens in Christo, quia fide coniungitur Christo viti, & consequẽter, quæ iam supponitur? aliud sanè præter fidem, quæ supponitur, requiritur, nẽpe opera, vt insinuatur paulò post, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in me: sicut ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Hoc est præceptum meũ, vt diligatis inuicem.*

nicem; *&c.* Qui ergo iam fide coniunctus Christo, & ea fide, qua Christo promittēti creditur, imò potiùs omni vnica fide, si deindè fructus non faciet, tollet eum pater, vt, *mittatur foras, sicut palmes*, vbi, *& arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*, prout eodem loco subiungitur. Capite adhuc 16. ita legimus, *ipse enim Pater amat vos* (Christus etiā loquitur discipulis) sed videant hæretici, si propter solam fidem: imò potiùs, quia ista se sola mortua esset, charitas præponitur, tamquam reddens illam dignam amore Patris, quamuis deindè charitas supponat fidem, *Quia*, inquit, *vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui*. Quid sit autem amare Christum, ipse nos docet cap. pręcedenti 14. *Qui habet*, ait, *mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me*. Nec dicant isti proterui, quòd mandata Christi alia non sint, nisi de fide, eò quòd cætera credenti sunt libera, & non in præcepto: iam enim paulò ante attuli verba illa, *Mādatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: sicut etiam Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum*. Explicando deindè in quo debeant abundare, subditur, *Audistis quia dictum est antiquis, non occides, &c. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui dixerit, fatue, reus erit gehēnæ ignis*. Item, *Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierē ad concupiscendū eam, iam mœchatus est eā in corde suo*, & multa alia ibidem referuntur mandata, prout etiā plura insinuātur cap. 19. eiusdē Matthæi, dū cuidā sciscitanti à Domino, *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Christus respondit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, & subiungente illo, *Quæ?* iste replicauit, *non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Videntne, quæ vltra fidem, credētibus dantur mandata, vt si non obseruent, non intrabunt ex ore Christi in Regnum Cœlorum; tantùm abest, vt non sint in præcepto, prout blasphemat Lutherus, magister mendaciorum?

878 Quartò ex Apostolo, qui ad Romanos 2. postquam de Deo docet, quòd, *Reddet vnicuique secundùm opera eius*: &, *non enim est acceptio personarum apud Deum*, subiungit, *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*: *non enim*, inquit, hæreticos istos oppugnans, *Auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur*. Sed dicent isti solius perfidiæ amatores, quòd Apostolus hic loquitur de audientibus legem, non verò de credentibus eidem legi. Si tamen ita respondent, euidenter conuincuntur falsitatis ex ijs, quæ superaddit Apostolus, contra eos, quos arguebat: ita enim arguit, *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo*, numquid auditores, & non credentes legi, requiescunt in lege, & gloriantur in Deo? aut credentes dumtaxat fide historiæ, & miraculorum, & non fide promissionis? *Et nosti*, subsequitur, *voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per legem*. Hæc ne de audiente, sed non credente legi dici possunt? *Confidis*, item addit, *te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorū, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & veritatis in lege, &c.* Videant autē vndè arguat Apostolus, *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furādum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, prauaricatione legis Deum inhonoras*. Et quamuis ista contra Iudæos dixerit Apostolus, ad finem tamē dicebat, vt probaret fidem cuicumque legi non sufficere, nisi per opera consumetur lex: hæc enim omnia affert postquam dixerat, *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis, operantis malum, Iudæi primùm, & Græci: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco*. Vt ergo operum necessitatem probaret, vsus est exemplo legis, & eiusdem non obseruantiæ apud Hebræos, vt conuinceret eos, etiam iuxtà legem ipsius datam. Prima etiam ad Corinthios 13. idipsum docet, sic loquens, *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*; ergo ex Apostolo quæcumque sit fides, si sine charitate est, per quam amatur Deus super omnia, & adimpletur Dei voluntas, hominem nō iustificat. Occurrunt hæretici, ex verbis Apostoli dicentes colligi loqui de fide miraculorum, quæ potest stare sine charitate, non de fide promissorum, quæ charitatem comitem habet. Sed iam hunc aditum, atque chimæricum refugium illis occlusi in prima animaduersione, vbi probaui omnem fidem posse stare sine charitate. Hìc tamen ad propositum adiungo, percontando ab hæreticis, si reflexerint vnquam etiam miracula fuisse promissa, vt habetur Matth. 17, *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis*

mon-

monti huic, transi hinc illuc, & transibit. Et capit. 21. *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle, & iacta te in mare, fiet?* Etiam ergo fides ista, de qua loquitur Apostolus, est fides promissorum; atque ita ruit omne istorum hæreticorum figmentum. Replicare possent, hæc miraculorum promissa non esse vtilia nobis, sicut sunt promissa gratiæ, & vitæ æternæ: vndè ista, & non illa trahunt secum amorem Dei benefactoris. Sed ò mira peruersitas! fides ergo promissorum concupiscentialium saluat, & vbi reperitur ratio boni vtilis: non autẽ fides Theologica, prout est honor, & subiectio intellectus nostri Deo loquenti? Id ergo, quod trahit in nobis charitatem, non est assensus Deo loquenti, in quo consistit fides, sed res locuta ratione sui, quia ratione sui bona est nobis, & non ita cætera, quæ nobis promittendo, loquitur Deus: cùm ergo eadem in se sit res, siue sit locuta, siue cognita aliunde, & per scientiam, adhuc si non fide, sed aliunde esset cognita, eodem modo traheret charitatem: ergo non fides saluat, sed charitas vndecumque trahatur. Habetis ne Sacrilegi locum vlteriorem refugij? Videatis cæci, excutite nebulas è cordibus vestris, vna siquidem est fides, cõsistens, non in diuersitate dictorum à Deo, sed in vnitate subiectionis intellectus in obsequium Dei dicentis. Idem Apostolus non ait, si habeam omnem eam fidem, qua montes transferam, sed omnem dixit, hoc est tam intensam, tam magnam, qua mõtes mereri possem hinc illuc transferri, nihil essem. Nec enim Dominus in parabola seminantis Matth. 13. dum ait, *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & sollicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur*, voluti de speciali fide loquitur miraculorum ex se infructifera: sed de vna fide indiuisibiliter accepta, quæ, non quà talis fides, fructum non habet: sed quia suffocatur, ne fructus operum reddat ob sæculi sollicitudinem, & fallacium diuitiarum amorem. Ideò non dixit Christus, quòd fides ista deperditur, vel quòd fructifera non sit: sed quòd tollitur ab ea vita, qua iustus ex fide, quæ per charitatem operatur, viuit; & indè sine fructu efficitur, quoniam fides sine operibus mortua est. Cùm item Marci 10 de iuuene illo, Dominum sciscitante, *Magister bone, quid faciam, vt vitam æternam possideam?* dicitur, *Iesus autem intuitus eum, dilexit illum, & dixit ei, vnum tibi deest: vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo: qui contristatus in verbo, abijt mærens: erat enim habens multas possessiones. Et circũspiciens Iesus, ait discipulis suis, quàm difficilè, qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt*: numquid fides promissorum deficiebat illi, qui Christo dicebat, *Magister bone?* item, *quid faciam, vt vitam æternam possideam?* & de quo dicitur, quòd, *Iesus intuitus eum, dilexit*: & cui subiungitur, *vnum tibi deest*, non quidem fides, sed, *vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus*: vt cùm abierit mœrens, ob difficultatem, quã sensijt vendendi diuitias: *erat enim habens, multas possessiones*, de illo, & similibus diuitibus dixerit Dominus suis discipulis, *quã difficilè, qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt?* An potiùs ex toto contextu Sole clarius est, totam difficultatem in operibus reperiri, vt nimirum spoliauerit se diuitijs, & daret pauperibus: & ob hoc, non ob difficultatem credendi in Christũ, vel eius promissis, de se dici meruerit, quòd difficilè intraturus foret in Regnum Cœlorum? ad intrandum ergo in Cœlum non sufficit fides, quæcumque sit illa, nisi sint opera: nec fides, quæcumque sit, trahit secum opera: sed facilè impeditur à diuitiarum, aliarumque voluptatum mundi amore, quæ quãcumque fidem, (nisi speciali gratia Deus superexundantem amorem æternorum promissorũ infundat,) facilè suffocant, & sine fructu reddunt.

879 Quintò ex Apostolo Iacobo in sua epistola, qui Spiritu Sancto, ad huic errori aditum occludendum, prouidente, totus est in docendo, quòd fides sine operibus, seu ex se, nisi extet spiritus vitæ ex charitate, mortua est, id ipsum omni possibili claritate ostenditur: hic enim, postquam cap. 1. conformiter ad Apostolum Paulum, paulò ante relatum, docuerit, *Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos, &c.* Et, *Qui autem perspexerit in legem libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit*, non sola fide: atque intra, *Si quis autem putat se Religiosum esse, non refrenãs linguam suam, huius vana est. Religio*: & cap. 2. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides saluare eum?* vbi nõ distinguit inter fidem, & fidem, sed inter fidem, & opera: tandem eodem capite Catholicam hanc veritatem, quam propugno, 3
omni cum claritate definit, exemplo vsus Abraham, de quo Genesis 22. dicitur, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*: & Paulus Apostolus ad Roman. 4.

huius

huius exemplo totus est ad probandam iustitiam ex fide; de Abraham ergo loquēs ad propositum loco citato Iacobus, ait, *Vis autem scire, ò homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham Pater noster, nōne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filiū suum super altare? Vides, quoniā fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consūmata est? Et suppleta est Scriptura dicens, Credidit Abrahā Deo, & reputatū est illi ad iustitiā, & amicus Dei appellatus est*. Vident ne isti peruicaces, quòd, & si fides cooperando operibus, cooperetur etiā iustificationi, non tamen per illam solam, quæcumque sit fides, suppletur Scriptura dicens, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiā*, sed per opera, correspondentia fidei ex Apostolo Iacobo? Et propterea concludit. *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm*? Audiui hos hæreticos negare præfatam Epistolam Iacobi esse Canonicam. Si ita est; prout etiam ab alijs accepi, quòd adhuc dicant in Scriptura plura esse adiuncta à Catholicis, non mirum, quòd homines addicti suæ præcisæ voluntati, & directioni Diaboli, ea omni impudentia dicant, quæ vel proprius appetitus, vel mendaciorum pater Diabolus eis suggerit, subiicientes omnimodè sensibus rationem. Si namque nolunt credere, sicut defacto nolunt, non posse Ecclesiam, prout directam à suo legitimo capite, errare, dicente Christo Petro Matth. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt aduersus eam*: cur adminùs non considerant, quòd, quæ ex Apostolo Iacobo, & Scriptura dicuntur, restrictiua sunt libertatis carnalis: quæque, nemo, nisi gratia Dei adiuuante, potest grata habere? quo ergo fine potuissent homines, nisi Spiritu Sancto dirigente, talia sibi ipsis frena imponere? Cur, qui Diuum Augustinum prædicant fidum Scripturæ Interpetrem, non reflectunt, quòd in suis libris millies Iacobi epistolam citat, tum in libro de Prædestinatione Sanctorum, tum in libro de fide, & operibus, & innumeris alijs in locis, tamquam non minùs Canonicam, quàm totam Scripturā, & Epistolas cæterorum Apostolorum? Sed addicti libertati conscientiæ, atque sensibus ligata ratione, ad lucem veritatis oculos leuare non solùm non curant, verùm etiam spernunt.

880 Sextò ex epistola Petri prima cap. 4. vbi fideles ad bona opera exhortans, ait, *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatē continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum*. Cùm autem charitas fidē sēper supponat, vt etiā hæretici isti adstruunt, semel quòd verum esset fidem hominem iustificare, non haberet charitas locum, vt peccata operiat, quæ iam semper operta supponeret; ergo pro exhortando ad charitatem, aliquid ei tribueret Petrus, quæ non illi, sed fidei conuenirent. Relinquo, quòd frustranea essent adhortamenta ad charitatem, si hæc indiuiduus comes esset fidei: sed sufficerent ea, quæ fiunt ad fidem. Rursus cap. 2. epistolæ secundæ, *Quapropter*, inquit, *magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Ergo per fidem, nisi accedant opera, non est certus fidelis, saltem quoad executionem, de vocatione, & electione: tantùm abest, vt secundùm quòd somniant hæretici isti, teneatur fidelis credere fide firma, quòd per fidem Christi, ratione solius fidei, sint ipsi remissa peccata, & data hæreditas ad Regnum Cœlorum.

881 Refellitur secundò idem error, & quoad eamdem partem, ex Augustino, qui librum de fide, & operibus, ad errorem, de quo agitur, expugnandum, inscripsit. Sed quoniam hæretici isti plura cōponunt, non pro veritate inquirenda, sed vt veritatis fulgorem nebulis tegant, illa dumtaxat seligam ex Sancto Doctore, quibus probem eam ipsam veram fidem, quæ cum operibus hominem iustificat, eamdem prorsus, segregatam ab operibus, mortuam esse; ac consequenter quæ sola iustificare non potest. In dicto ergo libro cap. 15. ita scribit in verba illa Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis manducare, &c.* nimirum, *Nec increpat, quia in eum non crediderunt: sed quia bona opera non fecerunt: nam profectò, ne quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, promittat æternam vitam: propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtè eisdem pascuis vtebantur; vt appareat eos illi dicturos, Domine, quando te vidimus illa, & illa patientem, & non ministrauimus tibi, qui in eum crediderant, sed bona operari non curauerant*. Quæ eadem ferè in totum verba refert iterum in libro de octo Dulcitij quæstionibus, respondēs ad primam quæstionem. Vel ergo Augustinus diuersitatem fidei non admittit: sed vnam, prout defacto vna est, adstruit: & hanc mortuam, iuxtà Iacobum Apostolum, docet, si operibus careat: vel non obstante triplici fidei distinctione, omnem ex illis supponit fuisse sine operibus in iis, quibus dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum: &c.* & propterea asserit, quòd non erunt increpandi, quia in eum non crediderint: sed

sed quia bona opera non fecerint: vel tandem in iisdem solùm supponit fidem historiæ, & miraculorum, non verò fidē promissorum: & in primis quis sibi hoc persuadeat somnium, quòd aliquis credat fide diuinâ historiæ, & promissis à Christo de miraculis: & eidem non credat, vitam æternam pollicenti? Deindè, si iam ergo Augustinus supponit specialis fidei, quæ sola saluare potest, defectum, quomodò ob hunc defectum, damnatos asserit non fore increpandos: sed quia bona opera non fecerint. cùm potiùs, iuxtà hos hæreticos, ob huius fidei defectum essent damnati, ob quem non reciperent thesaurum meritorum Christi? Rursus quomodò ex segregatione omnium gentium, eos iisdē pascuis vescentes infert fidei: vt, non quia in fide defecerint, sed in operibus, conuincantur damnandi: si alios pascuis vescentes saluantis fidei, & non ita alios supponeret? nōne ista pura figmenta sunt horū hæreticorum, Catholicæ veritatis inimicorum, & tenebrarum dumtaxat amatorum? Cap. item 26. *Caueamus ergo diligenter*, inquit, *in adiutorio Domini nostri non facere homines malè securos, dicentes eis, quòd, si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad salutem æternam esse venturos: sed potiùs sanam doctrinam Dei magistri in vtroque teneamus: vt & sancto baptismo consona sit vita Christiana: ne cuicumque homini, si vtrumlibet defecerit, vita promittatur æterna.* Vbi non est sermo de solo Sacramento baptismatis, & operibus, sed de baptismo includente fidem, Sacramento proportionatam, vt patet ex ipsis verbis Augustini, *dicentes eis, quòd, si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint.* Non ergo loquitur de vita post baptismum, etiam sine fide: sed de vita in ea fide, quæ includere debet baptisma: fides autem, quam includere debet baptisma, adæquata esse debet, etiam per istos hæreticos: nec enim crederem, quòd tales hæretici baptisma tribuerent adulto, qui profiteretur fidem historiæ, & miraculorum, & negaret fidem promissorum: nō enim ita posset quicumque sepeliri cum Christo in baptismate, destructo corpore peccati, prout docet sepeliendos fideles, Apostolus ad Romanos 6. si in ipsamet susceptione in aliquo Christo loquenti non crederet. De adęquata ergo fide loquens Augustinus, malè securos asserit Lutheranos, & Caluinistas, qui soli adæquatè fidei promittunt vitam æternam: nec adhærent sanæ doctrinæ Dei Magistri, iuxtà quam promissam vitam ęternam in vtroque tenere debemus; *vt sancto baptismo consona sit vita Christiana: ne cuicumque homini si vtrumlibet defecerit, vita promittatur æterna.* Videant tandem, & attentè mente deuoluāt hæretici, qualis sit fides se sola, præcisis operibus, ex Augustino sermone 33. de verbis Apostoli; *Nolite ergo*, inquit, *esse, tamquam de fide securi, adiungite fidei rectæ:* (fides certè recta adæquata est: nam si historiæ, & promissis miraculorum credatur, & non sic promissis reliquis, nemo sanè rectè credi dicet,) *vitam rectam*: sicut autem vita recta non est, vbi deficitur in aliquibus, ita nec recta fides, quæ adæquata non est: *vt Christum*, subsequitur, *confiteamini in carne venisse, & verbis vera dicendo, & factis benè viuendo: nam si confiteamini verbis, & factis negetis, fides talium malorū prope est fidei Dęmoniorum.*

882 Refellitur tandem ratione idem error, & quoad eamdem partem: quia licèt cognitio, & assensus, siue iudicium de bonitate obiecti moueat voluntatem ad amorem; & desiderium eiusdem obiecti, eo modo, quo est cognitio, & iudicium: magis nimirum, vel minùs, sicut cognitio est magis clara, & de obiecto præsente: ac iudicium magis intensum, & fortius; aut econtra cognitio est magis obscura, obiectum magis distans, & iudicium minùs intensum: quis tamen non videt, quòd propter eamdem rationem, quando duo proponuntur obiecta, vnum, vel alterum amplectendum, voluntas ad illud faciliùs se conuertet hic, & nunc, cui intellectum pius applicat, & hic intensiori, atque fortiori iudicio sententiat esse amplectendum? cùm ergo Deus, promittēs æternam vitam, requirat à nobis fugam ab oblectamentis terrenis, quæ nobis sunt magis præsentia, & clariùs, non per speculum, & in ænigmate, cognita: sicut æterna promissa: poterit iam homo simul cogitare promissa, & præsentia delectabilia: & illa quidem absque dubio credere futura, quantùm est ex vi Dei promittentis, sed fortiùs applicari, (nisi gratia specialis obsistat,) ad ea, quę præsentia habet, & inclinationibus naturalibus sunt conformia: & ita hic, & nūc amare præsentia delectabilia, vt non curet hic, nunc, si Deo displiceat. Et vtinam libertas conscientiæ, quam continet Lutheri, & Caluini secta, non esset causa magis allectans, quàm eiusdem conscientiæ restrictio iuxtà Catholicorum fidem, quantùm est ex se, & præcisa dulciori gratia præueniente, quam Deus dat, quibus vult; nec enim vnus esset homo, qui monstra errorum, quos vsque modo oppugnauimus,

mus, non abhorreret; hinc ergo conuincitur, quòd potest stare firma fides Deo promittenti, sed applicari voluntas ad opera prohibita ex maiori attentione ad præsẽtia oblectabilia, ac fortiori iudicio intellectus, quòd ea sunt amplectenda: cum qua fide, composito iam despectu Dei promittentis, & prohibentis, fides ipsa mortua erit, nihilque iuuabit, vt Deus hic, & nunc offensus non indignetur contra talẽ credentem intellectu, & contradicentem, ac ipsum Deum spernentem, voluntate. Atque adeò conuincitur consequenter solam fidem ex se, sine operibus, nullatenus hominem iustificare, imò potiùs in causa esse, prout supra dixi ex Lucæ 12. quòd, *Seruus, qui cognouit*, nempe per fidem, *voluntatem Domini sui, & non præparauit, & nõ fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis*: quando, *qui non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

883 Secunda verò pars erroris, in qua impiè asseritur solam fidem esse in præcepto, cætera verò esse libera credenti, non præcepta, remanet iam expugnata ex antecedenter dictis, tũ nimirum cum in secunda animaduersione probauimus vsum aliquorum Sacramentorum esse in præcepto: tum cùm ex Scriptura attulimus, quòd ab illo, cui Deus debitum totum dimiserat, misericordia motus, parem exegit miseratione erga conseruum: ob cuius defectum eum dedit tortoribus: tum tertiò cùm ostendimus exteriorem confessionem fidei esse aliquando in præcepto: tum quartò cùm seruum agnoscentem, sed non facientem voluntatem Domini sui, probauimus vapulaturum multis. Cùm item vidimus nobis Deum præcipere odium nostri, hoc est nõ operari secundùm appetitum concupiscẽtiarum. Rursus cùm retulimus, quòd, si palmes existens in uite Christo per fidem, non reddet fructum, eum tollet Pater agricola, & in ignem mittet, vt ardeat: vbi quamplurima citauimus ex Scriptura præcepta, & mandata: & tandem probato, quòd sola fides non sufficit ad iustificationem, necesse indè ostenditur, aliqua alia esse præcepta, quæ adimpleri debeant, vt acquiratur iustificatio. Quibus omnibus alia nunc loca explicitiora addam ex Scriptura, sicut est illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*, inquit, non fidem, quæ non videtur: & subiungit, *Nolite putare quoniã veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere*: imò, *Qui soluerit vnũ de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum.* Qui ergo soluerit omnia minima, & maxima, excepta fide, & docuerit homines ea esse soluta, quo modo faciunt isti hæretici, nonne, nisi resipiscant, omninò exulabũt à Cœlorum Regno? Rursus, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam*. Et cap. 6. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si autẽ nõ dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Numquid nõ præceptũ est, quòd si non fiat, ad mortem deducit æternam? Neque enim valet dicere, quòd sermo sit de his, tamquam signis fidei; si enim non sunt præcepta, sed libera credenti; dum ergo non fierent, non committeretur peccatum; non ergo staret, quòd, si non dimitteremus proximo peccata eorum, facta contra nos, Deus indè indignaretur, vt non dimitteret nobis peccata nostra. Si item sola fides est in præcepto, liberum est ergo fideli, & non in præcepto, vt diligat proximum suum, sicut se ipsum: nam fides in Deum pollicẽtem ad summum comitem haberet ipsiusmet Dei amorem, sed quidquid sit de hac tractione, si amor proximi præceptus non est, saltem peccatum non erit proximum non amare. Quid est ergo, perfidi, illud epistolæ Ioannis cap. 3. *Nos scimus, quoniã translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit manet in morte?* Quid illud cap. 1. *Qui autem odit fratrẽ suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat?* Et illud aliud, *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo?* An non præcepta sunt, quia ita placet Luthero, quæ os Domini præcepta docet esse in Euangelio Ioannis cap. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem?* & rursus, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem?* & quidem non infidelibus loquebatur Christus, vt possint dicere hæretici, quòd loquitur de amore proximi, tãquã signo præcepti fidei: sed eos alloquitur, quibus immediatè antea dixerat, *Non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciet Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat: vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* His iam fidelibus, iam Electis, iam Amicis Dei, ait, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*. Insuper cùm Paulus ad Galatas 5. ait, *Vos in libertatem creati estis fratres*, Nonne de illis lo-

loquitur, qui liberati erant per fidem, & baptisma de seruitute peccati: sed legant, quod subiungit Apostolus, *Tantùm*, ait, *ne libertatem in occasionem detis carnis*; liberatus ergo à peccato non est liber, sed in obligatione, & præcepto, ne carnis concupiscentijs habenas relaxet. *Sed per charitatem*. subinfert, *seruite inuicem; omnis enim lex in vno sermone impletur, diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, quia nimirum, qui proximum diligit, sicut se ipsum, non nisi in Deo potest ita diligere: & qui Deum diligit, vt illi non displiceat, omnia, quæ ille præcipit, exequitur. Et ideò ex eodē Apostolo ad Romanos 13. *Dilectio proximi malum non operatur*: nec sola fide, sed, *qui diligit proximum, legem impleuit*. Et, *plenitudo legis est dilectio*, ibidem ex Apostolo, non sola fides.

884 His accedat volo Augustinus, qui vltra supra relata, pluribus in locis horum hæreticorum errorem oppugnat: ex quibus tamen duo solùm seligam, ex diametro eidē errori opposita: & ambo in præcitato libro de fide, & operibus. Primus sit ex cap. 20. in quo ita scribit, *Quantùm attinet ad doctrinam veritatis, ne cuiquam mortifero peccato perniciosissima securitas detur, vel etiam pestilentissima tribuatur authoritas, iste curationis ordo est, vt baptizandi credant in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eo ritu, quo symbolo traditur*, ecce adæquatam fidem: audiant tamen hæretici, si hoc sufficiat, *Et à mortuis operibus*, subiungit, *agant pœnitētiam, omnium se remissionem peccatorum in baptismo accepturos esse non dubitent: non vt peccare liceat, sed vt peccasse non noceat; vt sit factis remissio, non permissio faciendi*. Vbi ergo est libertas in alijs operibus extra fidem, si per eam simul cum baptismo, & factorū iam operum pœnitentia, datur solùm factorum remissio, non permissio faciendi? Et clariùs cap. 22. *Nequaquam ergo*, inquit, *mens incauta fallatur, vt se existimet Deum cognouisse, si eum fide mortua; hoc est, sine bonis operibus, confiteatur, more Dæmonum: & ideò se iam non dubitet ad vitam æternam esse venturum, quia Dominus dicit, hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Hoc est vnum speciale argumentum ex ijs, quæ cōgerunt hæretici isti: sed fingunt non legisse Augustinum, qui illud soluens sic subiungit, *Venire quippe debet etiam illud in mentem, quod scriptum est, in hoc cognoscimus eū, si mandata eius seruauerimus. Qui dicit, quia cognouit eum, & mandata eius non seruat, mēdax est, & in eo veritas non est*: nimirū, quia cognoscens intellectu, negat deinde per voluntatem in facto; ex quo potiùs fit dignus vapulare multis, quia sciens volūtatem Domini sui, non secundùm eam operatus est. *Et ne quisquam*, (hos hæreticos refellendo addit:) *existimet mandata eius ad solam fidem pertinere, quamquam dicere hoc nullus est ausus*, (sed ausi sunt deinde hæretici isti, libertatis conscientiæ præ alijs amatores,) *præsertim quia mandata dixit, &c. tamē postea Ioannes ipse aperuit quid diceret, cùm ait: hoc est mandatum eius, vt credamus nomini Filij eius Iesu Christi, & diligamus inuicem*. Poterat ne clariùs hos hæreticos refellere Augustinus, cùm adhuc suo tempore similem peruersitatem nullus ausus fuerat asserere?

885 Nec deest ratio naturalis ad idem conuincendum intentum: experientia namque notū est plus quēq; extimare amari ab aliquo, quàm ab illo cognosci; & multò magis offendi, dum paruipenditur ab eo, qui illum cognoscit, & cui benefecit, ac benefacturum fore pollicetur: quàm ab alio, à quo vel non cognoscitur, vel non tantùm cognoscitur: quoniam autem plura sunt in vniuerso, & præcipuè post Adæ originale peccatū, quæ possūt affectū hominis ad se trahere, & à Deo auertere, iustū erat, vt idem homo totum suum cor, mētem, & vires conuerteret ad Deum, quòd eidem plura prohiberentur, & alia, in maius Dei obsequium, præciperentur, inter quę amor proximorum in Deo, & propter Deum; ergo iustum, & rationabile omninò fuit plura alia, præter fidei, dedisse Deum nobis præcepta: vel positiua, indicentia opus: vel negatiua, alia opera prohibentia.

886 Tertia tandem erroris pars, qua lata panditur impię permanentiæ in vitiorum illecebris via, dum asseritur pro obtinenda iustificatione: non solùm non esse necessariam detestationem, & dolorem præteritorum peccatorum: verùm etiam hoc esse graue hypocrisis peccatum; infinitis prope Scripturæ locis refelli posset: sed quoniam plura possunt peruersè explicare de pœnitentia, vt supra, nimirum de noua vita in Christo præcisè: ideò dumtaxat aliqua adducam, quæ explicitè sunt de dolore, & detestatione vitæ malæ anteactæ pro quo incipiam à libro Deuteronomij cap. 4. vbi habetur, *Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Tribulatio autem animæ non requiritur in seruando mandata, cùm ex Psalmographo potiùs seruire debeamus Domino in lætitia, vt habetur Psalmo 99. tribulatio

tio ergo animæ requiritur pro odienda, & detestanda anteriori mala vita. Similiter Paralipomenon 2. cap. 34. habetur, *Hæc dicit Dominus Deus Israel: quoniam audisti verba voluminis huius, atque emollitum est cor tuũ, & humiliatus es in conspectu Dei super his, quæ dicta sunt contra locum hunc, & habitatores Ierusalem, reueritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me: Ego quoque exaudiui te, dicit Dominus*: Psalmo item 6. ita habemus, *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, & stratũ meũ rigabo: turbatus est à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocẽ fletus mei.* Ioel insuper 2. *Cõuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu, & in plãctu: & scindite corda vestra, & cõuertimini ad Dominũ Deũ vestrũ.* Sed videant quare: si nouam vitam debeamus in his peragere, an verò dolere de malo præterito, *Quia*, additur, *benignus, & misericors est, patiens, & multa misericordia, & præstabilis super malitia*. Et infra, *Inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes, ministri Domini, & dicent, parce Domine, parce populo tuo.* Ploratus ergo requiritur pro peccatis iam factis, vt Deus parcat, non pro noua præcisè inchoanda vita. Similiter habemus Ionæ 3. *Et crediderunt Niniuitæ in Deum*, nimirum, quòd propter peccata essent à Deo irato post dies quadraginta subuertendi, *& prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem: & peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamauit, & dixit: homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gustent quidquam, &c. & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus, &c.* Quidne est ieiunare, vestiri saccis, & conuerti à via sua mala, ac iniquitate? numquid hæc noua vita requirit, quia noua, an ad detestandã vitam præteritam, & agendam propter eam pœnitẽtiam? Sed videant quid per hæc obtinuerint Niniuitæ, *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt à via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit*. Quòd si dicatur, hæc vera fuisse in lege veteri ante Aduentũ Christi: sed non ita dicendum in lege gratiæ. Quid? numquid in lege veteri, qui saluati sunt, non meritis Christi id obtinuerunt? an non est Christus omnium Redẽptor? Sed transeamus ad legem gratiæ: nõ legerunt forsan isti hæretici illud Matthæi 26. *Recordatus est Petrus verbi Iesu: priusquã Gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras fleuit amarè*? Et illud Lucæ 7. *Ecce mulier quæ erat in Ciuitate peccatrix: stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat*: & murmurante super hoc Pharisæo, Christus respondit, *dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, nimirum quoniam hæc faciebat ex amore Dei, priùs offensi ab ipsa? Atque etiam illud eiusdem Lucæ 18. *Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad Cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam*? Et ne longior sim in re tam euidenti, eamdem veritatem concludo illo Apostoli secundæ ad Corinthios 7. *Quoniam, & si contristaui vos in epistola, non me pœnitet: et si pœniteret, videns, quòd epistola illa, et si ad horam vos contristauit, nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: contristati enim estis secundùm Deũ, vt in nullo detrimentum patiamini in vobis.* Quis autem nõ videt tristari ad pœnitentiam nõ esse, quòd nouam tristes inceperint vitam peragere, vt supra dicebam: sed contristari ob peccata præcedentia, pœnitendo, & dolendo de eorum malitia? tristari namque in bonis potiùs malum est: bonum verò est tristari malè peregisse.

887 Ex Augustino autem pluribus possem eumdem refellere errorem: sed quoniam vnum præcipuè conspicio ipsum adæquatè iugulare, hunc vnum volo mihi sufficere locum. Homilia ergo 50. cap. 15. loquẽs de peccatis adulterij, & homicidij, à Rege Dauide contractis: ac simul de pœnitentia, quam pro eis peregit, ita habet; *Non frustra de tam immani, & abrupto profundo sceleris clamauit ad Dominum, dicens: auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, &c. Quid autem obtulit*, subiungit, *Domino, vndè ille propitiaret sibi? Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non spernit; non solùm ergo deuotè obtulit, sed etiam ista dicendo, quid offerri oporteret, ostendit: non enim sufficit*, (discant ex Augustino hæretici isti) *mores in melius commutare, & à factis malis recedere: nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitũ, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosinis*. Nonne euidenter patet hanc Augustini doctrinam contradictoriè opponi errori, quem impugnamus hæreticorum?

888 Ratione tandem idem error refellitur: prudentis namque, ac prouidi Medici nõ

so-

solùm est infirmitati, quæ actû languenti inest, occurrere: sed, si potest, ita eam mederi, vt & curetur: & prouideat, quantùm ex se est, cohibere futuras infirmitates: qui autem ita mederetur actû, vt, & si sanet præsentem languorem, ex ipso tamen medicamine maiores desumeret vires languor, vt peior resurgeret deindè, iste certè non esset prouidus Medicus, nec mederetur ex fine restituendi ægroto salutem, sed aliud profectò haberet in mente motiuum. Nulli Catholico dubium est, tanti valoris esse merita Christi Domini Redemptoris, vt superexcedant omne debitum, quod contrahunt homines ex peccatis: ac consequenter, quòd quantùm est ex parte meritorum Christi, benè potuisset de condigno satisfacere pro omnium hominum peccatis, absque vllo ipsorum actu: sicut iisdem mereri vitam æternam: si tamen Christus voluisset applicare sua merita pro actû peccante, sanaret ne infirmitatem animæ, consistentem in auersione à Deo, cùm non possit homo, dum actû est à Deo auersus, non esse simul, & semel auersus? Rursus, si applicaret eadem sua merita, nihil aliud exigendo ab homine, nisi fidem in ipsum, non verò opera, nõ solùm nõ cõpesceret peccata futura, sed potiùs facilitas ista condonationis redderet illum facilem ad noua cõmittenda peccata. Ne ergo homo à peccatis sanandus, facilis remaneat ad noua perpetrãda, sed ab iisdem curet se cohibere: congruũ, & prudentissimũ fuit, quòd ita Christus sua merita Patri pro nobis obtulerit, vt & nos etiam cum ipso ad Patrẽ offeramur conuersi, atque voluntate ita firmati in ipsum, quòd indè, ex quo veniam præteritorum obtinuimus, retrahemur, ne in futurũ labamur: cogitantes, quòd, nisi ad minùs reddamus Deo tanti valoris satisfactionem ex parte nostra, quanta fuit voluntas, qua à Deo recessimus, numquam nobis proderunt merita Christi Redemptoris. Quod totum, vt patet, procedit de adultis, potẽtibus benè operari, non de infantibus ante vsum rationis: & ideò in illis sufficiunt merita Christi, applicata per baptismα: in adultis verò etiam ad baptismũ delenda peccata, requiritur aliqua propria dispositio, & nõ sufficit sola fides, si propria habeant peccata: nam pro solo originali, quod fuit cõtractum voluntate aliena; facta moraliter nostra, sufficit etiam fides aliena, exhibita nomine nostro.

§. QVINTODECIMVS.

Hæreticorum argumenta referuntur, & diluuntur.

889 Obijciunt primò hęretici isti plura Scripturæ loca, ita arguentes: ex Scriptura non solùm habemus fidem dumtaxat esse necessariam ad salutem, verùm etiam explicitè, quòd opera nullatenus adeam iuuant, aut conducunt; ergo, qui præter fidem, necessaria opera asserunt ad iustificationem, infideles, & alieni conuincuntur à veritate Sacræ Scripturæ. Antecedens probare ostentant ex illo ad Romanos 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem, & non ex operibus legis.* Et ex verbis illis ad Galatas 2. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Insuper ex illo ad Ephesios 2. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, vt nę quis glorietur.* Ex quibus Catholicos exprobrans Melanthon in suis locis communibus, ait, *Si dicunt, scilicet exclusiua, sola, tollant etiam ex Paulo illas exclusiuas, gratis, non ex operibus, &c.* His attexunt verba illa eiusdem Apostoli ad Romanos 4. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deũ: quid enim dicit Scriptura: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: ei autẽ, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum: ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundùm propositum gratiæ eius. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei: si enim, qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.* Ergo, inferunt, si ex operibus legis esset iustificatio, exinaniretur fides, & promissio per Apostolum. Et prætereа verba illa Ioannis Apostoli in Euangelio 6. vbi interrogantibus Christum turbis, *Quid faciemus, vt operemur opera Dei? respondit Iesus, & dixit eis, hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Et infra. *Hæc est autem voluntas Patris mei, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, &c.*

890 Respondeo omnia, quæ habemus in Testamento nouo ex Euangelistis, vel Apostolis, fuisse ab iisdem nobis relicta non proprio marte, sed dirigente, vel meliùs di-

dicam, loquente per eos Spiritu Sancto, qui nec falli, nec fallere potest; atque adeò quęcumque in Scriptura continentur, vera sunt: & nihil prorsus inuenitur, quod alteri oppositionem habeat, dummodò in Scriptura quęratur spiritus viuificans, & nō stetur, more Hebręorum, litterę occidēti, iuxta Apostolum secunda ad Corinthios 3. Heretici quidem, qui non veritatem in Scriptura requirunt, sed fucos ad eorum fucandos errores, non curant de Spiritu viuificante: sed totam exhibent industriam, vt aliquam inueniant litteram occidentē. Non ita Catholici, qui pręcipuè attendūt ad spiritum viuificantem. Cùm ergo, vt innumeris locis probatum est, pręcipuè ex Apostolo ipso Paulo, sola fides non sufficiat ad salutem, sed etiam requirantur opera pręcepta, sine quibus fides, quamuis vera, & supernaturalis, mortua esset; in alijs verò eiusdem Scripturæ locis iustificatio fieri dicitur, non ex operibus, sed ex fide Iesu Christi: & hæc in re oppositionē continere non possint, vero fideli incumbat opera discernere in lege, quæ ad iustificationem non conducunt: & alia similiter in lege, quæ non tam conducant, sed quæ ad eamdem instificationem sint omninò necessaria: monente præcipuè Apostolorum Principe Petro in sua secunda epistola cap. 3. fideles, super epistolis Pauli subsequentibus verbis, *Sicut & carissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his; in quibus sunt quadam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant: sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem*. Quæ verba specialiter Augustinus in libro de fide, & operibus cap. 14. de materia præsenti intelligit, sic loquēs, *Quare iam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint: bene autem viuere in bonis operibus, & viā Dei tenere neglexerint: nam etiam*, subiungit, *tempore Apostolorum non intellectis quibusdam subobscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere; quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer adstruat fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planèque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt*. Isti ergo, si voluissent Apostolum Petrum, & Augustinum consulere, non ita abruptè procederent, Scripturas adulterando, & ad corū peruersum sensum adducendo: sed, quia diligunt magis tenebras, quàm lucem, ne arguantur opera eorum, quærunt pro viribus ex Scriptura litteram occidentem, nihil curando: imò subobscurando spiritum viuificantem.

891 Duo ergo distinguunt Scripturæ operū legis genera: alia nimirum, quæ fiunt iuxtà legem, spiritualiter intellectam, & in ordine ad Deum, atque eius æterna promissa: huiusmodi fiunt, & facta fuere ab hominibus Electis ab Abel iusto vsque ad vltimum electorū: nec fiunt, vel fieri possunt, nisi auxiliante gratia Dei, quæ datur, vel data fuit credentibus fide Iesu Christi, qui iam venit: vel venturi, cùm adhuc non venerat; & hoc est illud ad Ephesios 2. *Gratia enim saluati estis per fidem*, quia nimirum, vt habet Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 7. loquēs de fide in Christum, *Ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupātur*: nam per fidem Dei promissis credentes, ipsum inuocamus, vt auxilia subministret in opportunitatibus ad præcepta adimplenda: sicut idem Sanctus Doctor in explicatione Psalmi 118. concione 16. docet his verbis, *Quid est, Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam, nisi quia ita erit portio cuiusque Dominus, cùm legem eius custodierit? sed quomodò custodit, nisi hoc donet, atque ad hoc adiuuet spiritus viuificans, ne littera occidat? Inuocandus est igitur: sic enim ab eo fides impetrat, quod lex imperat: quoniam quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*. Alia sunt opera facta secundùm legem carnaliter intellectam, prout legem Moysi intelligebant Hebræi, in ordine nimirum ad promissa terrena, & temporalia: non enim lex hæc carnalis ex se erat, *Lex enim Sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum*. Item, *Scimus enim, quia lex spiritualis est. Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*. Ait Apostolus ad Romanos 7. Lex ergo illa dicebatur carnalis, quia intelligebatur ab Hebręis secundùm litteram occidentem, non secundùm spiritum viuificantem: vndè etiam ad Romanos 2. ait Apostolus, *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura est præputium, legem consumans, te, qui per litteram & circumcisionem præuaricator legis es? non enim*, subiungit, *qui in manifesto Iudæus est, neque, quæ manifesto, in carne, est circumcisio: sed, qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu, non littera: cuius*

ius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Secundùm hanc duplicem legis intelligentiã loquitur Apostolus ad Galatas 4. in illud Genesis 16. *Abraham duos filios habuit, vnũ de ancilla, & vnum de libera: sed, qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem*; dicens esse dicta per allegoriam, *Haec enim*, subsequitur, *sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Sina in seruitute generans, &c. illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra*. Secundùm hanc duplicem legis intelligentiã asserit de Christo ad Ephesios 2. *Legem mandatorum decretis euacuans*, cùm ad Romanos 3. dicat, *Legem destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus*: statuitur namque spiritualiter, euacuatur carnaliter. De operibus iuxtà legem, carnaliter intellectam, ad Philippenses 3. ait, *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus, secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela: sed, quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta*: quia nimirum obseruantia legis, carnaliter intellectæ, non erat ex corde recto, sed ex fine temporali: & ideò non ex gratia, sed ex puro libero arbitrio; & propter hoc addit Apostolus, *Vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ in lege est: sed illam, quæ ex fide est Iesu Christi*. Non sic autem loquitur de operibus legis, factis ex gratia, secunda ad Timotheũ 4. sed ait, *Reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* quia, inquit, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui*.

892 Quoniam ergo Hebræi, qui ex lege Moysi conuertebantur ad fidem Christi, superbè existimabant gratiam fidei debitã fuisse operibus præcedentibus, secundũ legem Moysi, quoad extrinsecam, & carnalem obseruantiã, factis, vt monet Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. in principio, inquiens, *Vt de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quòd data sibi legi seruissent: & ex hoc Euangelicam gratiam, tamquam debitam meritis suis, percepissent, quia legi seruiebant*. Taliter vt schisma commouerint, volentes non debere dari baptisma iis, qui ex præputio veniebant ad fidem, nisi circumciderentur, & seruarent legem Moysi, vt habetur Actorũ 15. *Surrexerunt autẽ quidã de heresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi*: & sermo ibi est de iis, qui ex gentibus conuersi erant ad fidem. Et in principio capitis, *Quidam descendentes de Iudæa docebant fratres: quia, nisi circumcidamini, non potestis saluari*, quasi circumcisioni fuerit debita gratia fidei, & hæc sine illa non valeat ad salutem, etiamsi per charitatem operetur: & schisma hoc sæpè sæpiùs ab aliquibus innouabatur: contra hos, qui opera ista naturalia extrinsecæ obseruantiæ legis, datæ per Moysen, censebant, & docebant esse meritũ, cui debitũ erat gratia fidei: & sine qua asserebant fidẽ Christi perfectam, & consũmatã, secundum præcepta Euangelii, non saluare, loquitur Apostolus, cùm opera legis nihil iuuare docet ad salutẽ: sed dumtaxat fidem, gratis datam, Iesu Christi: fidem, inquam, consummatam, & perfectam intellectu, & voluntate, ore, & factis; vt supra dictum, & probatum à me est. Quod totum clariùs ostendo, singula ab hæreticis adducta loca ad trutinam ponendo per contextus verborum.

893 Ad primum ergo desumptum ex 3. ad Romanos, *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus*, dico ex verbis paulò ante positis, *vbi est gloriatio tua? exclusa est*, patere, quòd loquatur de operibus extrinsecæ obseruantiæ legis Moysi, quibus gloriabatur populus Iudaicus, adhuc illi, qui ad fidem Christi conuersi erant: hoc enim est, quod increpat Apostolus, caput secũdum incipiens his verbis, *Propter hoc inexcusabilis es, ò homo, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas*: nimirũ, quia conuersi illi ex Hebræis iudicabant eos, qui venerant ex gentibus ad fidem, quòd non obseruantes legem Moysi, nõ saluarentur, cùm etiam ipsi eam non obseruarent corde, sed ceremoniis dumtaxat extrinsecis, & fine carnali; taliter ad quid deindè diceret, *Non est acceptio personarum apud Deum: quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur; non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores, &c.* Ad quid, *Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras: circumcisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?* Nonne his patet, quòd contra eos loquatur, qui venerant ad fidem ex circumcisione, & indicabant illos, qui venerant ex præputio, nec circumcisi fuerant? An non caput tertiũ eodem tenore prosequitur, dum incipit, *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circumcisionis?* Et infra, *Quid ergo? præcellimus*

limus eos? nequaquam. Causati enim sumus Iudaos, & Græcos omnes sub peccato esse; illa namque lex carnaliter intellecta, & operās, non ex Christi gratia, sed ex fine terrenarū promissionum, peccata ostendebat, sed nō auferebat, vt, subiungens, docet Apostolus, *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo: per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege*, non quidem sine omni lege, sed sine lege illa carnali, *Iustitia Dei manifestata est*: nam aliàs quomodò in eodem capite diceret, *Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legē statuimus?* Quomodò in capite antecedenti dixisset. *Circūcisio quidem prodest, si legē obserues?* Circumcisionem ne approbat carnalē, cùm alibi dicat, *Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura?* Sed videant, quæ circumcisio prosit, quæ nō, *Neque*, inquit, *quæ in manifesto, in carne, est circumcisio, sed qui in abscōdito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu*. Atque ita per legem carnalem, *Non iustificabitur omnis caro coram Deo*: & sine hac lege *iustitia Dei manifestata est*; non sine illa, de qua dicitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, nimirum, *non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum non falsum testimoniū dices*, & cætera, quæ ibidem adiunguntur mandata. De operibus ergo huiusmodi legis carnalis, quæ per Christum euacuata fuit, non statuta: ac sine qua *instítia Dei manifestata est*, deindè asserit Apostolus contra eos, qui in illis gloriabantur, *Vbi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? non*: nimirum per similem legem factorum: *sed per legem fidei*, operantis ex gratia, & non ex solo adiutorio extrinseco legis: de ijsdem subiungit, *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus*.

894 Ad secundum pari modo dico ex contextu verborum clarescere, quòd loquatur de operibus extrinsecæ obseruantiæ legis, & quoad ceremonias legis inquam, datæ per Moysen, non legis Christi operātis per gratiam: exsuscitatum enim erat denuò apud Galatas schisma prædictum, quòd venientes ex gentibus ab baptisma necesse erat priùs circumcidi, & obseruare legē Moysi, vt per opera ista mererentur gratiam fidei: incipiens namque Apostolus Galatas redarguere ita scribit cap. prim. *Miror; quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi*. Post quæ narrat conuersationem suam in Iudaismo, conuersionem, & multarum Prouinciarum migrationem, & deindè cap. 2. redit ad materiam, de qua loquebatur dicens, *Sed neque Titus, qui mecū erat, cùm esset gentilis, compulsus est circumcidi, sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quā habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent*. Legem autem seruitutis esse legem Moysis, carnaliter intellectam iam supra dixi ex eodem Apostolo, scribente ad eosdem Galatas cap. 4. Ad istam ergo legem seruitutis volebant illi falsi fratres redigere fideles. Ad hunc etiam finem refert Galatis monitionem, quam fecerat Petro Antiochiæ, eò quòd præsentiam fidelium circumcisorum subtrahebat se à fidelibus, venientibus ex gentibus, his verbis, *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat: priùs enim, quàm venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ corā omnibus: si tu, cùm Iudæus sis, gētiliter viuis, & nō Iudaicè, quomodò gētes cogis iudaizare?* Et in improbatione huius suborti apud Galatas schismatis, subiūgit, *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus, peccatores: scientes autem, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*. Secundùm quem sensum etiam loquitur cap. 3. cùm dicit, *Hoc solùm à vobis volo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Loquitur ergo de operibus præcedentibus spiritum gratiæ, non verò de operibus gratiæ. Et cap. 4. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri: ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Est ne quid circa hanc euidentem veritatem confingant hæretici?

895 Ad tertiū dico, quòd, & si in epistola ad Ephesios nō fiat mētio de præfato schismate, euidenter tamen patet, quòd Apostolus ad finem Impediendi, ne quis glorietur de operibus bonis, quasi suis, & non ex gratia speciali Dei factis: ex gratia, inquam, gratis data, non debita operibus antecedentibus, sicut gloriabatur populus Iudaicus: eò totus tendit, vt doceat fidem in Christo gratiam esse, & non debitam operibus, antecedentibus ad fidem, atque ad gratiam Christi; ac consequenter, non nisi versutè locus, qui est de operibus naturalibus, & quæ non adminiculante gratia, & eri-

erigente hominem ad Deum, non possunt esse, nisi ex fine concupiscentiali, & malo, transfertur ab istis hæreticis ad opera facta ex gratia, & fide Iesu Christi: quæ inde bona, & meritoria sunt præmij, quia, gratia, hominem supra se ipsum eleuante, facit, vt hic se, & opera sua in obsequiũ, & laudem Christi dirigat. Loqui autem modo prædicto Apostolum patet ex cõtextu eiusdem capitis 2. quod ita inchoat, *Et vos, cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis, &c. in quibus, & nos aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, &c. Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos: & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo Iesu, vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu*. Ad hoc autẽ secundum probandũ ex primo subiungit, *Gratia enim saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis*, quasi ex solo libero arbitrio ipsorum præ alijs, quo pacto potuissent contra alios gloriari non credentes, *Dei enim*, inquit, *donum est: non ex operibus*, quasi datum operibus antecedentibus, dum illud habuistis, sicut nos, cùm essemus mortui delictis: atque ita nemo in se, sed in Domino gloriari potest, ideò concludit Apostolus, *Vt ne quis glorietur*. Cæterùm non excludere opera facta ex gratia, legere poterant hæretici deindè in cap. 6. in quo adhortans singulos ad opera bona, ita habet, *Scientes, quoniam vnusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber*.

896 Ad quartum dico eodem modo loqui Apostolum, ac locutus fuerat in tertio capite antecedenti, prout dixi, explicans primum, ab hæreticis in argumento adductũ, locum. Si namque, cùm dicit, *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*, de omnibus operibus locutus esset, & non de solis operibus extrinsecæ obseruantiæ legis Moysi, ad quid subiungit, *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei: si enim, qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio: lex enim iram operatur*? Numquid enim opera bona ex gratia, impetrata per fidem, fidem destruunt, aut promissiones gratiæ? cùm potiùs perfectam supponant fidem; aut lex gratiæ fidei iram operatur? Nonne euidens est, quòd de operibus legis, præcedentibus fidem Euangelij, est sermo, de quibus gloriabantur Iudæi, quòd meritò illorum esset illis debita gratia Euangelij: quo pacto fides Euangelica non fuisset illis gratia, sed debita præcedentibus naturæ operibus, *Ei, namque, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*? Sed illud, quod subiungit, *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundùm propositum gratiæ Dei*, quid est perfidi hæretici? si enim fides est opus gratiæ Dei præcisè, quomodò reputatur credenti ad iustitiam? Dicitis forsan ad iustitiam pertinere, vt obseruentur promissa? si ita dicitis, distinguere debetis duo genera promissorum: alterum, quod est onerosum promissario, & hoc genus certum est, quòd obligat promittentem ad reddendum ex iustitia promissario: sed ita iam ratione oneris promissarius meritorius est rei promissæ: alterum, quod est pura gratia promittentis, & in hoc casu ridiculum est dicere, quòd res promissa sit debita promissario: sed solùm dici potest, quòd iustum sit promittentem stare promissis, seu quòd debeat sibi promissa seruare: non enim, deficiens, deficeret promissario, sed sibi. Si ergo, ait Apostolus, referens verba Genesis 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, & deindè, *credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum voluntatis gratiæ Dei*, non verò secundùm antecedens debitum: debemus simul saluare gratiam propositi, secundùm quod Deus det gratiam, facientem credere, & operari; & simul debitum retribuendi mercedem, promissam oneri operis meritorij.

897 Ad vltimum desumptum ex Euangelio Ioannis cap. 6. dico, etiam apud Matth. cap. 19. referri, quòd sciscitanti Christũ, *Magister quid boni faciam, vt habeam vitam æternam*? responsum fuit, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: nec tamen replicanti, quæ? facta fuit vlla mentio de fide, sed, *non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices: honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Quid ergo? non est necessaria fides ad iustificationem, sed dumtaxat præfata opera? Quòd enim dicant hæc opera supponere fidem: Quid indè? non per hoc sequitur illam iustificare, sed solùm supponi ad opera iustificantia; si verbis modò dictis, solitariè acceptis, possemus stare. Non ergo vnum, vel alterum locum Euangelij debemus accipere, tamquam adæquatam legem in ordine ad salutem: sed omnia simul colligendo, quæ in eo continentur dispersa; Christus namque nunc vnum, nunc alia com-

commendabat, secundùm quòd sua scientia iudicabat opportunum, ex ijs, quæ pro acquirenda salute necessaria sunt. His addo, quòd iustificare hominem specialiter tribuitur fidei pluribus modis: tum nimirum primò, quia fides completa, & consúmata, vt notaui supra ex Apostolo Iacobo, ac etiam ex Augustino, includit opera, aliter esset fides in intellectu dumtaxat, & non quoad voluntatem; atque ita nomine fidei absolutè venit illa, cui nō cōtradicunt opera. Secundò, quia fides est prima gratia Christi, qua impetrantur auxilia ad cętera opera, vt etiam monui supra ex Augustino; fidelis ergo habet radicem omnis gratiæ, per quam, si vult, saluus fiet. Tertiò, quia fides non solùm est primum ex necessariis ad salutem, sed etiam directiua operum: & sicut opera artis tribuuntur arti dirigenti potiùs, quàm voluntati imperanti, taliter, vt per Verbum, non per Spiritum Sanctum, dicantur omnia facta esse, licèt opera ad extra sint indiuisibiliter à tota Trinitate: ita, qui saluantur, speciali modo dicuntur saluari per fidem. Quartò tādem, quia fides mouet voluntatē ad credita promissa, & media: vndè, si voluntas non impeditur contrarijs concupiscentijs, trahit amorem Dei, & proximi, ac etiam obseruantiam præceptorum; ergo quantùm est de se, nisi aliundè impediatur, radix est adæquata salutis, licèt non saluet sola. Hoc ergo vltimo, & primo modo, benè stat dictum, *Hoc est opus Dei: vt credatis in eum, quē misit ille*. Relinquo, quòd citato loco Ioannis, in argumento adducto, non quæritur causa iustificationis: sed, quæ sint opera Dei: & Christus assignauit opus, quod est principium cæterorum, & ante reliqua necessarium: non verò causam adæquatam iustificationis.

898 Instant hic hæretici, si non omnis, & sola fides saluat: sed posset dari fides vera, & mortua; ergo non esset verum vniuersaliter dicere, quòd omnis fidelis, & credēs in Christum saluabitur: sed hoc, subsumunt, pluribus opponitur Scripturæ locis, vt loco illi ad Romanos 1. *Nam virtus Dei est in salutem omni credenti*. Et illi cap. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes; qui credunt in eum*. Rursus loco illi Ioannis 3. *Sicut Moyses exaltauit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Illi item Actorū 13. *Per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari: in hoc omnis, qui credit, iustificatur*. Plura alia, quæ similia, imò minoris apparentiæ, referunt loca, breuitatis causâ relinquo: cùm quidquid dicam de istis, meliùs dici valeat, & clariùs de alijs.

899 Respondeo: si ex Scriptura omnis in Christum credens, saluaretur, quomodò staret illud Matth. 7. cùm Christus ait, *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cęlorum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum?* Numquid Dominum inuocabunt Christum, qui in eū non credent, cùm Apostolus dicat ad Romanos 10. *Quomodò ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Idē etiam immediatè antea docet, *Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*. Quid confingitis hæretici peruersi, qui Scripturas præcisè inquiritis secundùm litteram occidentem? aliud ne prædicat Apostolus, vas electionis: aliud Christus? an, more Hebræorum, videntes Scripturas, non videtis: & audiētes, non intelligitis, excæcati corde, & auribus mentis aggrauati? Dico ergo, vt paulò antea dixi, fidem simpliciter illam esse, quę secundùm Iacobum, consummatur, & suppletur operibus: seu, quæ se talem exhibet in opere, qualis est in mente: ea verò fides, quę licèt vera fides mentalis sit, atque supernaturalis, aliundè tamen, à voluntate scilicet, opera annexa habet diuersa, & contraria, absolutè est fides imperfecta, mortua, & quodam modò falsus fidelis est ille, qui opera habet cōtraria fidei, dum nomen retinet fidelis, qui in opere infidelis est; & indè Ioannis epistola cap. 2 dicitur. *Qui dicit se nosse Deū, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est*. Omnibus ergo pręfatis, vel similibus locis Scripturę, in quibus per fidem promittitur omni credenti salus ęterna, sermo est de fide perfecta simpliciter, consummata in opere. Et eodem modo loquitur Apostolus, cùm dicit, *Omnis quicumque inuocauerit nomē Domini, saluus erit:* sermonem enim habet de omnibus iis, qui toto corde, & mētis affectu Deum inuocāt in opportunitatibus, in tribulatione. Christus verò dicendo, *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum*, eos excludit, qui non toto corde ad Christum recurrunt: atque ita cohærēt omnia allata Scripturæ loca, non iuxtà hęreticorum chimęras.

900 Replicant ex illo Actorum 10. *Huic*, nimirum Christo, *testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*. Ex quibus verbis ludicrè, non minùs, quàm iactanter victo-

victoriam proclamant, ita arguentes: nomē Iesus nō apprehēditur operibus, sed sola intellectus fide: atqui per tale nomen dicitur iustificari omnis, qui credit in eum; ergo sola intellectus fide, præcisis quibuscumque operibus, habetur iustificatio: & non nisi voluntariè asseritur requiri fidem, opere consummatam.

901 Respondeo in primis, quòd, cùm dicitur, *Per nomen Iesus remissionem accipere peccatorum omnis, qui credit in ipsum*, non est sermo de nomine, prout sonitus est vocis, sed de significato nominis: nomen enim Iesus idē est, ac Saluator: & ita, qui credit Christum esse Saluatorem mundi, quātùm est ex parte illius, qui est *Lux vera, quæ illuminat omnē hominem, venientem in hunc mūdum*: quiq; *vult omnes homines saluos fieri*, potest, si velit, omnium peccatorū remissionē accipere, in quantùm potest per fidē impetrare cætera, quæ requiruntur; efficaciter autē, & quoad effectū, ille remissionē accipit, qui credit fide perfecta, & consūmata, qui nimirū talē se exhibet in opere, qualis est fide in intellectu. Sed demus nomē ipsū Iesus, prout significatiuū, iustificare quotquot in ipsum credunt, quid inde arguunt versuti isti hæretici, non victores, vt audacter iactant? Nomen, inquiunt, non apprehenditur, nisi intellectu. Verissimum est; nā neque res apprehenduntur, nisi intellectu, & aliquo sensu cognoscitiuo: cæterùm voluntas non apprehendit, sed fertur pondere amoris in obiectum: apprehendere nāque est obiectū in se tenere, quod nō conuenit, nisi potentiæ, illud ad se obiectiuè trahenti: si verò magis latè etiam voluntati admittitur apprehensio per affectum, nūquid venerari nomen Iesus: &, cùm illud deuotè proferimus, dulcedine perfundi, non est voluntatis, illud amantis? & caput inclinare, vel genuflectere, non est etiam cæterarum potentiarum, subditarum voluntati? Quid ergo? terminorum æquiuocatione prætendunt isti Scripturas obtegere, & ad peruersum sensum detorquere?

902 Simile est argumentum, quod conficiunt ex alijs Scripturæ locis, loquentibus de verbo prædicationis Euangelicæ, vel veteris testamenti, qualis est ille, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Et ille Psalmi, *Misit verbum suum, & sanauit eos*, atque similes: ex quibus locis arguunt pari modo, quòd verbum Dei non apprehenditur, nisi intellectu. Cui argumento dicendum breuiter, quòd quidquid intellectu apprehenditur, vt bonum, amabile est à voluntate, & exequibile per potentias executiuas: si, vt malum, fit voluntati odibile. Sed hic ab istis versipellibus scire exopto: si, qui credit verbo Dei, saluus est, quid est illud Parabolæ seminantis in Euangelio, quam explicās Christus suis Apostolis, ait, vt videre præcipuè est Lucæ 8. *Semen est verbum Dei: qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deindè venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorū, ne credentes salui fiant. Nam, qui supra petram, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt: & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & nō referunt fructum, &c.* Quamuis enim ex his primi, & secundi benè intelligantur de his, qui verbum audientes, non credunt, & de his, qui primò credentes, deindè à fide recedunt: tertij tamen non inter istos includuntur, sed illi sunt, qui verbum susceptum, atque retentum solicitudinibus sæculi, atque diuitijs, & voluptatibus suffocant, reddunt mortuum, & sine operum fructu. Non ergo, qui mortuo modo verbum apprehendunt Dei: sed qui ita retinent, vt fructum afferant in patientia, supportātes patienter insulta Diaboli, mūdi, & carnis, eis viriliter resistendo, salui fiunt per fidem perfectam, & cōsummatam verbi Dei.

903 Obijciunt vltimò Pharisaicum, vt vulgò dici solet, scrupulum, quem, conuiciando Catholicos, magnifaciunt apud imperitos, nimirum, quòd doctrina de necessitate operum pro salute æterna adipiscenda, non solùm imminuit honorem Christi, dum præter Christi gratiam, requiritur etiam opus nostrum ad nostram iustificationem: verùm etiam monstruosa conficitur compositio quædam in medio requisito ex merito Christi, & nostro; cùm ergo, aiunt, hæc aures offendant fidelium, ita & offendere debet doctrina de necessitate operum.

904 Respondeo tamen ex dictis, necessitatē operum nostrorum bonorum non indè asseri à Catholicis, quia merita Christi existiment insufficientia pro merendo, etiam infinitis hominibus, remissionem peccatorum, & vitam æternam: sed ne, iuxtà Christi doctrinam, Sanctum, & filiorum panis, detur canibus: nisi namque Christus voluisset suis meritis, etiam opera nostra, nihil haberent homines, quod eos præpediret, ne tamquam canes redirent semper ad vomitum peccatorum: nec filij essent, qui Patrem amare, timere, & venerari negli-

gereut; vt ergo Sanctum, & panis filiorū, non detur canibus,vult Deus cū sua gratia etiam opera nostra, quibus veri filij simus summi Patris. Relinquo, quòd etiam opera bona nostra sunt ex Christi gratia, & donum: sed mirabili modo cōponit Christus in nobis suam gratiam cum opere nostro: vt & suum sit per spiritum infusum charitatis: & nostrum per nostræ arbitriū voluntatis: ad hoc videlicet, vt filij Patris simus, tum ex parte Dei, nos sua gratia adoptantis: tum ex parte nostrum, gratiā adoptantem non respuentium. Hæc ne mirabilis compositio est monstruosa? an quam faciunt ipsi ex pretiossimo auro salutis æternæ cum cœno luxuriantium voluntatum humanarum, dum ipsam dari dicūt ex solis Christi meritis, nullo habito respectu ad voluntatem hominis, qualis sit in se, nempe si longè ab illo luxurietur, vt sues in luto: vel si prope, amore, & charitate in ipsum flagrans? hoc certè monstrum super omne aliud est deforme: non compositio gratiæ, & liberi arbitrij, quæ opus mirabile est digiti Dei.

905 Vnū tamē hic pro cōplemēto huius catholicæ doctrinæ est notandum, nimirum, quòd quando cum fide requirunt Catholici etiam opera pro adipiscenda salute, loquuntur de adultis, habentibus posse, & vsum rationis ad liberè operandum: non de infantibus, qui, si decidunt baptizati ante vsum rationis, saluantur ex solis Christi meritis, remisso ijsdem in Christo originali per baptisma. Quòd si indè arguant hæretici, quare istis potest remitti peccatorum ex solis Christi meritis, & non æquè omnibus? Respondeo id nobis insinuari ex Scripturis, secundùm quas requiruntur opera nostra bona, & libertas in operādo, vt iustificemur, quæ non possunt exigi à paruulis, carentibus vsu rationis: sed his sufficit illud Matth. 19. *Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret:* & nota, quòd per alios oblati dicuntur, non se ipsos obtulerunt: *discipuli autem increpabant eos: Iesus verò ait eis, sinite paruulos, & nolite eos prohibere, ad me venire: talium est enim Regnum Cælorum.* Ratio etiam huius diuersitatis in promptu est: nam, cùm originale non sit contractum propria voluntate, sed præcisè voluntate aliena capitis: nec importet actualitatem auersionis creatæ voluntatis à Deo, sed in semine, & radice naturæ deformatæ, & corruptæ: proportionaliter aufertur per alterius capitis Christi Redemptoris voluntatem, applicatam ex fide ministri, vel paruulos suscipiētium in baptismo contributa ijsdem paruulis in tali Sacramento seminali conuersione ad Deum, qualis est gratia habitualis, quæ radix est cæterorum donorum supernaturalium, semen gloriæ, & adoptio filiorum: econtra verò peccata, propria voluntate commissa, sunt ipsius voluntatis à se, & non per alium: actualis, & non in radice, auersio à Deo: vndè, vt proportionali modo auferantur, & acquiratur adoptio filiorum, debet per se voluntas, & actualiter ex auersa fieri, quantùm potest, ad Deum conuersa, suppleturo Christo capite, quæ ipsa exhibere non potest, pro satisfaciēdo Deo offenso per peccata antecedentia.

906 Hæc tamen conuersio creatæ voluntatis per se in adultis, adhuc dupliciter esse potest: vel nimirum amoris, ratione bonitatis Dei in se, qualis habetur per charitatē, & detestationem peccatorum, eò quòd sūt offensa Dei, in se summè amabilis: quæ, cùm sit perfecta conuersio, statim ex adiūctione satisfactionis Christi capitis, qui venit reconciliare ima summis, sanctificat subiectum, etiam ante Sacramentum: licèt in honorem Sacramentorum velit adhuc Christus obligationem receptionis Sacramenti in re. Altera est conuersio imperfecta, non amoris, sed timoris, secundùm quam quis dolet de sui auersione à Deo per peccata, quia timet habere cœlestem Patrem iratum, & vltorem, ac punitorem; & quoniam hæc etiam est conuersio voluntatis creatæ à se, & actualis ad Deum, licèt imperfecta, & insufficiens, non reliquit Christus misericors simili modo conuersis mederi, instituendo Sacramenta, quibus mediantibus dat ipsis perfectam conuersionem in semine, dando nimirum in Sacramento gratiam habitualem, sine qua isti non perfectè ad Deum conuersi, non essēt saluandi: & hoc est, quod dicitur, quòd attritus, per Sacramenta fit contritus, nimirum in radice: non in actù, sicut ille, qui perfectè conteritur.

907 Atque indè est necessitas Purgatorij, ad quod inficiandum Lutherus, in tot hæresum monstra dilapsus est; quia nimirum Christus elegit sibi Sponsam Ecclesiam cœlestem, non habentem rugam, neque maculam, vt habetur ex Apostolo ad Ephesios 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, nō habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta, & immaculata.* Et Apocalypsis 21. *Non intrabit in eam,* scilicet in cœlestem Ierusalem, de qua est sermo, *aliquod coinquinatum,*

natum, aut abominationem faciens, &c. Cùm ergo Christus Redemptor noster, vt probatum est, nolit Sanctum, & panem filiorum dari canibus: ac propterea nõ applicet merita sua sine nostra cooperatione, si capaces sumus, vtentes ratione, vt etiam & nos faciamus, quantùm possumus, & debemus, operantes ex parte nostra adoptioni filiorum, quis indè, nisi cæcus non videt, quòd, si nos cooperamur quidem ad cõuersionem nostram, vt simus actù conuersi, sed non satisfacimus pro præteritis offensis, quantùm possumus, & debemus, aliquid debiti etiam ex parte nostra, sed temporale, remanebit satisfaciendũ? Si itẽ sãctificatus iã peccata venialia cõmiserit, & nec doluerit, nec medicinam pro his applicauerit, numquid ita coinquinatus, & abominationem faciens, intrabit in cœlestẽ Ierusalem, & non erit priùs igne purgandus? Aut non legerunt, vel legentes noluerunt intelligere hæretici isti Apostolum prima ad Corinthios 3. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Dñi declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedẽ accipiet. Si cuius opus arserit, detrimẽtũ patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignẽ.* Est ergo in die Domini, quando exiget à nobis quid per corpus gessimus, siue bonum, siue malum, ignis probans opera: ita tamen, vt arso malo opere per ignem, operans saluus fiat, quasi per ignem mundantem. Idem etiam clarè constat apud Matth. 5. vbi loquens Christus de offensis illatis proximo, ait, *Si ergo offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo. Esto consentiens*, subiungit, *aduersario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas nouissimum quadrantem.* Nonne de debito contracto per offensas hìc est sermo, quòd soluere hìc iubemur in via, ne cùm ad mortẽ peruenerimus, & stricto iudici offeremur iudicandi, seueriori iudicio ad vltimum soluendum quadrantem, etiam reclusi in carcere, cogamur? ex quo tamen non dicitur, quòd numquam simus liberandi, sed quòd non liberabimur, donec vniuersum soluamus debitum. Illud etiam libri secũdi Machabæorum cap. 12. nemini non est obuium, *Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolimam offerri pro peccatis, mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans: nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Et ne cuiquam peruicaci locus daretur id explicandi de mortuis in hac vita spiritualiter propter peccata, subiungitur, *Et quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, &c.* Repositam, inquam, & non adhuc redditam, quoad fructum æternæ gloriæ, quousque à peccatis forent absoluti. Concludamus ergo ex eodem loco cũ Ecclesia Catholica contra istos pestilentes hæreticos, *Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

§. SEXTODECIMVS.

Fides specialis, qua quisque teneatur, vt sibi reuelatum, credere remitti sibi hìc, & nunc in Christo peccata, tãquã chimerica reprobatur, & oppugnatur.

908 VLtimus ex erroribus, quos contra Lutheranos, & Caluinistas, hic expugnandos mihi proposui, consistit, vt notaui in principio, in hoc, quòd, dum asserunt sola fide Electos saluari, hanc fidẽ nolunt esse pluribus communem: sed specialẽ, qua quisque sit obligatus credere fide diuina remitti sibi hic, & nunc peccata ex meritis Christi, & dari ius hæreditatis adoptiuæ ad gloriam. Contra autem hoc erroneum horum hæreticorum assertum non est nobis in præsenti probandum, quòd similis fides neminẽ saluet: sed quòd fides ipsa sit cõmentitia, ac conficta: & quòd sit audacia, & temeritas, non verò fides. Pro maiori tamen intelligentia.

909 Prænoto nullum esse dubium apud Catholicos ex Concilio Tridentino Sess. 6. capit. 9. ac Canon. 13. & 14. quòd, si Deus reuelaret alicui speciali reuelatione, prudẽter extimabili, quòd sit Dei reuelatio, & non delusio Dæmonis, sibi esse hic, & nũc dimissa peccata, aut esse ex numero Prædestinatorum, sicut per os Prophetæ reuelata fuit Dauidi aliquando remissio adul-

teriji

terii, & homicidii, dum ait illi Propheta, *Dominus quoque trāstulit peccatum tuum*: & piè creditur reuelasse Gloriosissimæ Virgini Mariæ, atque Apostolis, quòd essent ex numero Prædestinatorum, in tali casu nō solùm, cui est facta similis reuelatio, possit, verùm etiam teneatur credere fide diuina: aliàs peccaret, contemnendo diuinam reuelationem; id autem, in quo prærecensitos hæreticos impugnamus, & anathematizamus nunc, est, quòd cuilibet, qui saluatur, vel etiam, cui hic, & nunc fit remissio peccatorum, fiat similis specialis reuelatio. Dicimus omnes Catholici esse plures in hac materia reuelationes, sed communes, ac conditionatas ex parte obiecti, e. g. cuilibet hic, & nunc, sicut & quolibet tempore remitti peccata, si hic, & nūc, vel alio tempore bene conteratur, vel bene dispositus recipiat Sacramenta; quemlibet etiam fore saluandum, qui præcepta seruauerit, vel absq; peccato ex hac vita discesserit: & omnes paruulos legitimè baptizatos, atque ante vsum rationis ex hac vita migrantes, esse ex Electorum numero. Sed, vt ab hoc vltimo incipiam, non possumus defacto scire, quis sit legitimè baptizatus, quia nescimus intentionem ministri, nec ea nobis reuelata est, sed dumtaxat moraliter non dubitamus ministros legitima intentione baptizare; nec item omnes, imò vniuersaliter forsitan nullus his temporibus, qui absque mortali peccato terminat suam vitam, reuelationem habet pro eo tempore, quo vitam terminat, de suo statu; nec omnis, imò eodem modo forsitā his temporibus nullus, cùm ei fit remissio peccatorum, reuelationem habet de tali remissione; & idem respectiuè dicimus de saluandis; ac consequenter fidem, quam ponunt isti hæretici, vt omnis, qui remissionem accipit peccatorum, vel per gratiam ius ad gloriam, ideò accipiat, quia fide diuina credit se hic, & nunc id ipsū per merita Christi fore accepturum, dicimus esse audaciam, & temeritatem, non fidē: seu esse fidem temerariam, & impudentē, atque falsam, non habentem aliud motiuum, quàm reuelationem somniatam, & chimærizatam ab istis hæreticis: & horum assertum esse hæreticum, prout tale declarauit Concilium Tridentinum loco citato. Vndè.

910 Reprobatur primò tale assertū ex Scriptura pluribus locis, qualis est ille Ionæ 3. dum, postquam refertur, quòd, prædicata per eumdem Prophetam Niniuitis futura eorum internecione, necnon Ciuitatis subuersione: & quòd isti indixerunt ieiunium, aliasque pœnitentias, ad Deum placandū, iā ipsis iratū, prout defacto placarūt: nō dicitur, credamus firmè, quòd Deus nobis ignoscet: sed cùm spe, simul & metu, *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Ex quibus verbis patet eos non tam dubios fuisse de liberatione corporalis internecionis, & Ciuitatis subuersionis: verùm etiam de delictorum suorum remissione, dicendo, *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?* Si autem ad peccatorum indulgentiam, specialis, quam hæretici isti asserūt, præcedere deberet de eadem remissione firma, & indubitata fides: iam, dubitantes, peccatum infidelitatis cæteris peccatis addidissent, tantùm abesset, vt ab eorum mala via conuersi fuissent, cum tamen ibidem dicatur, *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est super malitiam, &c.*

911 Insuper ille Ecclesiastes 9. *Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem. Sunt Sancti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrum amore, vel odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.* Ex quo loco euidenter patet, quòd nec Sancti, & Sapientes, quorum opera sunt in manu Dei, sciunt, an sint apud eumdem Deum, amore, vel potiùs odio digni: & isti hæretici indè volunt iustificari hominem, quia fide diuina, & indubitatò credit, se hìc, & nunc fieri dignum amore, & hæredem Regni in Christo.

912 Huic loco respondent hæretici, quòd à Catholicis ad alienum distrahatur sensū, quàm in se contineat: aiunt namque per præfata verba Scripturæ nihil aliud doceri, nisi quòd ex exterioribus euentibus siue prosperis, siue aduersis, nemo potest iudicium facere, an aliqui sint Sancti, & sapientes, vel potiùs econtra: eò quòd similes euentus indiscriminatim accidunt tàm iustis, quàm iniustis: non verò doceri, quòd ille, qui Sāctus, vel sapiēs est, nesciat, si talis sit. Et addunt, Catholicos subsanādo, si ille esset sensus, qualem Catholici impingunt, quòd nemo scit in se ipso, an odio, vel amore dignus sit; ergo, qui actualiter sciens, & volens peccat, nescit se esse dignum odio. Vndè dicunt Ecclesiastem ibi contra eos loqui, qui malam eligunt vitam ex eo, quia vident, & bene operantes, & male iisdem subesse tum prosperis, tum aduersis euentibus, eos monendo, non indè esse cognoscibilem aliquem, an non sit Sanctus, & sapiens: an amore, vel odio dignus: sed id reseruari omnibus notificandum in futurum. Qui

sensus,

sensus, inquiunt, ex verborum contextu patesit: nam ad præcitata verba statim subiungitur, *Eò quòd vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio: bono, & malo: mundo, & immundo: immolanti victimas, & sacrificia contẽnenti: sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, sic & ille, qui verum deierat.*

913 Sed quis vnquam ex Catholicis confictum, quod isti hæretici illis impingunt, somniauit, vt indè rationabiliter possint quemquam subsannare? nemo sanè ex illis aiterit, quòd nullus sciat an odio, vel amore dignus sit: sed omnes fatemur Deum iniquos odio habere, & iniquitates non solum, qui faciunt, sed etiã apud alios perspectas de facto esse: nec enim locus Ecclesiastes peccatores continet, sed solos Sanctos, & sapientes, quorum opera sunt in manu Dei; de his ergo dumtaxat dicimus, quòd, cùm gratia Dei, & remissio peccatorum sint supernaturales: & ad hãc promerendam requiratur opus supernaturale ex gratia: & nos, licèt in nobis ipsis sæpè cognoscamus, quid quoad substantiam actus agamus, (nisi opus sit ita forsan momentaneum, vt perspicaciam intellectus aufugiat,) non possumus nihilominus cognoscere, an talis actus sit supernaturalis, & ex gratia, an aliunde? sit ne sufficiens, an non? si sit permixtus aliquo motiuo culpabili, vel aliquo consensu instantaneo mortaliter graui? indè dicimus, quòd bonitas supernaturalis actus, prouenicns à gratia supernaturali, nobis inuisibili, nòn sit à nobis, nec à Sanctis ipsis in hac vita cognoscibilis, nisi à paucis, quibus facta fuerit specialis reuelatio: cæterùm non negamus nos cognoscere nostros actus quoad substantiam: & ita bene etiam cognoscimus, dum scimus præceptum, & non curamus de eius obseruantia, quòd peccamus: quamuis non semel etiam peccamus, & nescimus: vel quia tenemur præceptum scire, & negligimus scire: vel quia actus ita momentaneus est, & tanta cogitationum diuersitas, vt non aduertamus de singulis actibus. Est ne forsan aliquis, qui id ipsum in se ipso experientia continua non probet? His autem, pro hæreticorum iniustis conuicijs obtundendis, præmissis.

914 Redeo ad eorum profligandam respõsionem; pro quo, ne confusè progrediar, distinguere priùs debeo duplicem sensum, quos ipsorum responsio posset habere: vnũ nimirum, vt ignorantiam istam appellare faciant non supra eosdem, qui dicuntur Sancti, & sapientes, sed supra alios: & sẽsus sit: & tamen isti Sancti, & sapientes non cognoscuntur ab alijs esse tales, eò quòd similes in illis experiuntur euentus, atque in alijs impijs, & iniustis: alterum verò, vt eamdem ignorantiam faciant appellare, etiam supra ipsosmet Sanctos, sed præcisè relatè ad euentus prosperos, vel aduersos: & sensus sit: si respiciantur præcisè tales euentus, nemo, nec etiam ipsi, qui sunt Sancti, possunt indè cognoscere, an odio, vel amore digni sint.

915 Ex his duobus explicatis sensibus primũ non posse vllo modo subsistere ipsamet verba indicant euidenter: quãdoquidẽ ignorantia, & dignitas amoris, vel odij intransitiuè, & de eodem dicuntur: non transitiuè, & de diuersis: non enim dicitur, & tamen nescit homo vtrum amore, vel odio digni sint, quo pacto ignorantia posset intelligi de alijs, & dignitas amoris, vel odij de illis, de quibus profertur, quòd sunt Sancti, atque Sapientes, &c. Sed huiusmodi, *Sunt Sancti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei*: *& tamen nescit homo, vtrum amore, vel odio dignus sit*. De eodem ergo, de quo dicitur, *nescit*, intelliguntur reliquæ particulæ, *vtrum amore, vel odio dignus sit*; & cùm totum hoc non intelligi possit de peccatore, de quo in præfato loco non fit suppositio; cui lcus est, quòd tota illa citata periodus sit de Sanctis, & sapientibus, quorum opera sunt in manu Dei: & asseritur nihilhominus, quòd neque ipsi sciunt, si amore, vel odio digni sint.

916 Atque ita pro expugnanda præfatorum hæreticorum commentitia responsione, restat probandum, quòd præcitatus locus nõ sit restrictiuus ad præcisum motiuum euentuum, quasi dumtaxat ex his non possit iustus se discernere ab iniusto, quamuis deindè se discernat certitudine fidei. Vt ergo ostendam, nec etiam ita se posse discernere, præmitto priùs Catholicorum sensum circa totum contextum, quem supra modum versutè fucant hæretici, vt apparentiam præstent suæ responsioni: & dico legitimum totius contextus sensum esse, quòd etiam, qui sunt Sancti, & sapientes, & quorum opera in se ipsis sunt in manu Dei, nesciunt, an amore, vel odio digni sint, eò quòd nõ habent vnde id cognoscant. Cuilibet quidem notum est se non cognoscere gratiam Dei, quæ spiritualis est, & supernaturalis, & quando aduenit, & quando discedit, nec sentitur, nec intelligitur: atque eodem modo cuilibet notum est se non discernere, si suum opus sit naturale, vel supernaturale, elicitum ex gratia: supernaturalia namque non cognoscuntur à natura,

tura, nisi aliquem naturalem effectum inducant, naturæ cognoscitiuæ proportionatum: & ideò Ecclesiastes hoc supposito, tamquam cuilibet experimento in se ipso noto, transit ad inuestigandum, si habeat Sancti, & Sapientes signum aliquod, in quo possint scire se esse Sanctos, & dicit, quòd neutiquam, eò quòd, *Vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio; bono, & malo, &c.* Et notetur, quòd non dicit omnes exteriores euentus, prout restringunt peruersi Scripturarum distortores: sed vniuersa, quæ naturæ humanæ eueniunt secundùm cursum naturæ, æquè indiscriminatim eueniunt iusto, & iniusto, bono, & malo, &c. nam etiam Sancti sentiunt interiores luctas concupiscentiarum, & aliquando, vrgente eas inuisibili inimico, fortiores, quàm alii: vndè semper timent, ne aliquē momentaneum, & imperceptibilem consensum dederint: & gratiam, si habuerint, deperdiderint: dubitant, si, prout debebant, tentationes fortiter, aut negligenter repulerint, si aliqua forsitan complacentia irrepserit: sæpè exteriorum euentuum cognitione turbantur, nec discernunt, si propriis passionibus in his casibus indulgent: & indè non habent, vndè cognoscant, vtrum amore, vel odio digni sint apud Deum.

917 Hunc autem esse sensum præfatorum verborum Ecclesiastes, non quem confingunt hæretici, ex consonantia eorum verborum ostendo: atque in primis notanda sunt illa verba, per Spiritum Sanctum dictata, *Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem*. Quidne videtur hæreticis curiosè in suo corde pertractasse Ecclesiastem, vt intelligeret? ea ne, quæ cuilibet obuia sunt, nimirum, quòd vniuersa æquè eueniunt iustis, & iniustis, &c? hæc sanè non indigere scrutinio, vt intelligantur, quis non videt? aliud ergo in sua curiositate vult nobis indicere, vt videlicet nō istis attendamus, & inde concipiamus, quasi Deus non prospiciat in hæc inferiora, cū insipiente, dicente in corde suo, non est Deus: & viam mandatorum, vel relinquamus, vel non curemus sequi: certificans nos Sanctorum, iniquorumque diuersitatem seruari in futurum in alia vita, vt quisque pro suo merito recipiat aut præmium, aut pœnam: atque adeò, quos de hoc adhortatur, supponit nescire omninò certè, an ipsi amore, vel odio digni sint, nō obstāte, quòd eorum opera in manu Dei sint. Secundò hæreticos ipsos percontor, nōne illa verba, *Sed omnia in futurum seruantur incerta*, hoc indicant, quòd illa, quæ hic incerta habemus, eadem ipsa manifesta habebit homo in futura alia vita? certè hunc illorum verborum esse sensum cæci ipsi vident. Numquid ergo Sancti in Patria ex diuersitate exteriorum euentuum expectabunt se cognoscere, an odio, vel amore digni sint: & non in se ipsis id ipsū agnoscent? si ergo illud, quod hic incertum est, seruatur ipsis manifestandum in futurum, sicut ibi promittitur manifestādum etiam certitudine intrinsecæ; ita, quod hic incertum dicitur, incertum supponitur certitudine intrinseca. Imò ridiculam redderet Ecclesiastes sententiam sensus, quem illi impingunt hæretici: nam iste esset sensus: quæ nescit hic Sanctus ex exteriorū euentibus, licèt sciat certitudine fidei, sciet in futurum etiam ex exteriorum euentibus, quòd scilicet tunc videbunt, qualis erit iniquorum exitus: quasi velit adhortari, vt gaudeamus de malo aliorum in alia vita, & non sufficiat Sanctis, quòd ipsi in se ipsis Deo fruentur in perpetuas æternitates, de quo supponunt hæretici Sanctos in hac vita indubitatam habere fidei certitudinem. Si ergo hūc sensum hæreticorum supponeret Ecclesiastes, nihil aliud doceret, nisi expectandam esse in alia vita malorum punitionem: hæc certè non nisi mēte stolidi sibi persuadere possunt. Restat ergo talem esse Ecclesiastes doctrinam, quæ nos doceat non debere turbari, quòd hic nihil diuersitatis experiantur Sancti, quo certi fiant, vtrum amore, vel odio digni sint; eò quòd hæc certitudo hic non prodest, vbi magis proficuum est cum timore, & tremore alacriter ad bona opera intendere: seruari autem istam experimētalem certitudinem in illa vita, vbi nullum periculū est superbiæ, aut iactantiæ: sicut esset in ista.

918 Rursus similia sunt plura loca apud Iob cap. 9. vt cùm loquens de Deo, postquam dicit, *Quis restitit ei, & pacem habuit?* atque, *Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit, quasi sub signaculo, &c.* subiungens ait, *si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam*; Deus autem, qui non mouetur loco, non venit ad hominem, nisi per gratiam, & ab eo discedit, quando homini irascitur. Et deindè, *Cùm inuocantem exaudierit me*, nonne hic est casus, de quo agimus? sed reflectant hæretici, quid addat Sanctus Iob, *Non credo*, inquit, *quòd audierit vocem meam*. Infra item, *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Quid clariùs poterant per Scripturas exoptare isti phrenetici ad manibus tangēdam monstruositatem sui erroris? ...

919 Adhuc nihilominùs hæc, cuilibet clara, loca Scripturæ peruertere satagunt hæretici isti, dicendo, in prædictis locis nihil aliud docere nos Sanctum Iob, nisi quòd nullus homo sit iustus cōparatione ad Deū, hoc enim modo inchoat præcitatum caput, *Verè scio, quòd ita sit, & quòd non iustificabitur homo compositus Deo.* Et iuxtà hoc dictū, subiungit adducta verba.

920 Sed miranda prorsus cæcitas eorum, qui tam peruersos sequuntur magistros! Quis namque tàm stolidus est, vt non videat non posse cum veritate dici de eodem, verè scio, & ignoro, vel non intelligo? De eo autem, quòd homo non iustificetur compositus Deo, asserit Iob, *Verè scio*: in aliis non ita, sed, *si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.* Item, *Cùm inuocantem exaudierit me, non credo, quòd audierit vocem meam*; & tandem, *si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Quid quæso ignorabat? an fuerit, vel non fuerit simplex, compositus Deo, qui priùs dixerat, *Verè scio, quòd ita sit, & quòd non iustificabitur homo compositus Deo?* Quid? *si venerit ad me, & si abierit*, idem sunt, ac si compareт Deo? quando etiam dicitur, *Cùm inuocantem exaudierit me*, idem ne est, ac cùm comparatus fuero Deo? non credam, quòd inueniatur vel vnus, sui compos, qui hæc audiat, & non irrideat.

921 Præterea eumdem suffocat hæreticorū errorem Apostolus, dum prima ad Corinthios 4. scribit, *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Sed volens in hoc tollere à quocumque iudicium inuestigandi, an iste, vel ille fidelis sit in concredito sibi munere, subiungit, *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; sed neque me ipsum iudico: nihil enim*, inquit, *mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sū, &c.* Discant hæretici à prædicatore veritatis, dicente, *nihil enim mihi conscius sum*, & desinant esse seminatores falsitatis, asserendo fide indubitata, qui nullus est, credere debet se esse iustum.

922 At neque, Apostolo docente, agnoscere volunt propriam perfidiam: sed ad cauillationes recurrunt, dicendo Apostolum non potuisse loqui de se ipso absolutè, qui alibi absolutè asserit, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Et, *viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus.* Solùm ergo sua doctrina relatè ad opera pronunciabatur, nimirum, quòd, si spectentur opera, quæ in vnoquoque sunt plena immunditijs, nec ipse conscius erat de sua iustitia, & de his Deo iudicium reseruari, si velit imputare, vel non.

923 Hoc sanè proprium hæreticorum est, inuestigare, quid valeant dicere, vt singulorum locorum Scripturæ veritatem operiant, nihil curando de eorumdem cōcordantia inter se: si namque Paulus relatè dumtaxat ad opera, ait, *Nihil enim mihi conscius sum*: quomodò deindè subsistēt Euangelistæ Ioannis loca in prima sua epistola, dum cap. 2. ait, *Qui dicit se nosse Deum: & mandata eius non custodit, mendax est, &c. qui autem seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est, & in hoc scimus, quoniam in ipso sumus?* Vbi euidenter patet ex obseruantia præceptorum Dei, & præcipuè charitatis, cognosci, qui in Deo maneat. Cap. item 3. *Qui seruat*, inquit, *mandata eius, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus, quoniam manet de spiritu, quem dedit nobis*: quæ verba defacto sunt, & de spiritu, quem iam dederat defacto Deus, ne suis dolis dicant hæretici Ioannem loqui de operibus perfectis, non de iis, quæ fiūt, repugnante defacto concupiscentia, ratione cuius omnia sunt defacto immunda. Et cap. tandem 5. *Si diligamus*, ait, *inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est: in hoc cognoscimus, quoniam in eo manebimus, & ipse in nobis.*

924 Verum hinc possent contra Catholicos aduersarij insurgere, dicentes; si ergo ex obseruantia præceptorum, & præcipuè ex charitate in proximum, scitur, quòd aliquis in Deo maneat: quomodò stabit dictum Pauli, *nihil enim mihi conscius sum?* Et illud Ecclesiastes, *Et tamen nescit homo, vtrum amore, vel odio dignus sit*, atque reliqua loca, iam à nobis adducta? Si tamen hæc loca benè intelligantur, prout intelligi debent, nullo prorsus modo se opponūt: nam loca Ioannis sunt de scientia permanentiæ in Deo, secundùm quòd à nobis possunt sciri operai qui enim scit se benè operari ex charitate, scit esse in Deo, & Deum in ipso: qui autem moralem solùm notitiam, vel certitudinem habet, non nisi moraliter etiam scit se esse in Deo, & Deum in illo; vt autem quemque ad talia opera adhortetur Euangelista, asserit ex illis, secundùm quòd possumus cognoscere, debere nos metiri, an simus, vel non simus in Deo. Apostolus autem Paulus loquitur de cognitione omninò certa, qualem requirit iudicium, ne fortè aliquis temerè iudicet proximum suum: & propterea dicit, neque sibi ipsi certè omninò conscium esse; quia nemo potest certò cognoscere, an operetur ex gratia, & non ex aliquo mo-

tiuo humano. Pari modo Ecclesiastes de cognitione certa loquitur, non de coniecturali, & moraliter dumtaxat certa: volēs ostendere, non ex euentibus communibus iustis, & iniustis moueri debere homines ad deuiandum à recto tramite iustitiæ: quia similes euentus non indicant, qualis homo sit apud Deum: ac de pari certitudine sunt reliqua loca Scripturę, à nobis adducta.

925 Vt autem nunc redeam ad quod in responsione pro ea formanda dicebant hæretici, nimirum Apostolum non posse absolutè de se ipso dicere, quòd sibi conscius non erat, qui de se alibi absolutè pronunciat, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrū, &c.* dico, quòd Apostolus certò sciebat ex reuelatione se esse vas electionis: sed hoc non sciebat aliundè; quoniam autem non omnibus fit talis reuelatio, loquitur de se ipso præcisa reuelatione, transfigurando eos, quibus non fit similis reuelatio, ad se ipsum præcisa reuelatione, vt ex ipso discerent, quid possit quisque cognoscere de se: & nemo inflètur superbia, iudicando se meliorem esse aliis: & ideò post adducta, statim subiungit, *Hæc autem, fratres, transfiguraui in me, & Apollo propter vos: vt in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio.*

926 Tandem aliis tum Pauli, tum Diui Petri sententiis idem error confoditur: primus namque ad Philippenses 2. sic habet, *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*: operari autem sequitur ad fidem, nemo quippe conatur operari bene pro adipiscenda salute, sine fide promissæ salutis: si autem per fidem quisque debet indubitatò credere se fore ex meritis Christi saluandū, quomodò posset deinde in subsequēti operari ex fide componi metus, & tremor de salute? Secundus verò in sua secunda epistola cap. 1. docet, *Quapropter magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: si enim præcipitur nobis, vt per opera, supponentia fidem, certitudinem adipiscamur nostræ vocationis, & electionis; ergo ad talia opera non supponitur indubitata fides de nostra salute in Christo. Et ne respondeant hæretici isti per operari intelligi fidem: legant quibus prædicta verba annectuntur in epistola Petri, sic namque promittitur, *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestram virtutem: in virtute autem scientiā: in scientia autem amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim, si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent*, ait, non verò vos constituet, quasi sola fides id præstet, *in Domini nostri Iesu Christi cognitione*: atque ad hæc subiungit, *Quapropter magis satagite, vt per bona opera*, non per bonum opus solius fidei, *certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Addo, quòd, si, iuxtà horum hæreticorum figmentum, fides de salute in Christo debet esse firma, & indubitata, quomodò stabit illud Pauli, *cum metu, & tremore vestram salutem operamini*, quando per eos sola fides operatur salutē, ipsam apprehendendo? componi ne possunt istæ tenebræ cum luce Euangelicæ veritatis?

827 Reprobatur secundò ex Augustino idē error, & quidem primò ex explicatione Psalmi 50. super illa verba, *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*: in quæ verba ait, *Quæ occulta? quæ incerta? Quia*, respondet, *Deus ignoscit, & talibus: nihil tam occultum, nihil tam incertum*. Sed statim occurrunt, dicentes, loqui de incertitudine relatè ad opera, non relatè ad fidem, veniam ipsam indubitabiliter apprehendētem, iuxtà infallibilitatē promissionis Dei. Ita ne sufficit respondere, prout libet, & verba tam fidi Scripturæ Interpetris, vt Augustinum conclamatis, ad vestrum peruersum sensum, quia ita vobis placet, accōmodare? legatis versipelles, & fraudolenti, quid subiungat Sanctus Doctor, *Ad hoc, inquit; tam incertum Niniuitæ pœnitentiam egerunt: dixerunt enim, quis nouit, si Deus flectat in melius sententiam suam, & misereatur? incertum erat, cùm dicitur, quis nouit: de incerto pœnitentiam egerunt, & certam misericordiā meruerunt*. Et deindè, *Sed quia peccata magna erant Niniuitarum, dixerunt, quis nouit? hoc incertum patefecerat Deus seruo suo Dauid*, (ad verba Psalmi redit,) *cùm enim dixisset stante, & arguente se Propheta, peccaui, statim audiuit à Propheta, idest à spiritu Dei qui erat in Propheta, dimissum est tibi peccatum tuum*. Videtis ne, quòd peccatorum Dauidis remissio dicitur incerta, & non patefacta illi per fidem: sed tunc illi patefacta à Deo fuisse, cùm dixit spiritus, qui erat in Propheta, dimissum est tibi peccatum tuū? si namque ante hæc verba iam per fidem erat Dauid certus de remissione suorum peccatorum; non ergo tunc incertum hoc illi erat, nec tunc spiritus, existens in Propheta, illi id ipsum patefecit, quod opponitur expresse verbis Augustini. Secundò ex libro de perfectione iustitiæ, in quo sic scribit, *Quantalibet iustitia præditus sit homo, timere debet, ne aliquid occultum lateat*. Si ergo fide iustificatur homo indubitata, & hęc cùm timore non cohæret, quomodò, *Quantalibet*

libet iustitia præditus sit homo, timere debet, ne quid lateat? Numquid latentium non acquiritur per veram fidem remissio, aut aliquis fidei potest esse defectus in illo, de quo dicitur, *Quantalibet iustitia præditus sit, &c.* & hæc, quia summè clara, sufficiant ex Augustino.

928 Reprobatur tertiò idem error ratione Theologica: etenim, nisi hæretici inextricabilibus inuolucris implicentur, concedere debent, quòd fides, vt fides, est actus intellectus, distinctus ab actibus spei, & charitatis: intellectus autem omni veritati propositæ potest assentire, etiam si eã non amet: vt cùm quis cognoscit malum esse malum, & non propterea amat malũ, vt malum: cùm item cognoscit melius esse amare Deum super omnia, quam illecebras mundi, & adhuc magis his, quàm Deo adhæret, quia hæc magis illum delectant; ergo, si dum hic, & nunc quis peccat, e. g: odio prosequens proximum, cogitet simul Scripturam verè proponere, quòd obseruanti præcepta, vel etiam iuxtà falsum horum hæreticorũ dogma, credenti Deo, fiat remissio peccatorum, potest per intellectum assentire: nihil enim intellectum prohibere valet, ne veritati propositæ assensum præbeat; ergo fides ista Deo promittenti, stat cum actuali auersione creaturæ rationalis à Deo; numquid ergo dum hic, & nunc peccat, simul & semel remissionem peccati apprehendit?

§. DECIMVS SEPTIMVS.

Hæreticorum argumenta adducuntur, & profligantur.

929 OBijciunt Lutherani, & Caluinistæ primò ita: per Scripturam docemur firmitatem promissorum gratiæ haberi ex fide: sed non alia, nisi qua firmiter credimus iisdem promissis de recipienda gratia, & remissione peccatorum in Christo; ergo ex fide illa speciali, &c. Probant maiorem ex illo ad Romanos 4. *Ideò ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio.*

930 Respondeo maiorem argumenti nititi æquiuocationi: minorem verò esse inadæquatam: & consequentiam continere chimæram. Maior quippe confundit firmitatem promittentis Dei in obseruando promissa, cum firmitate promissarij in eo, quòd hic, & nunc credat se ea apprehendere. Prima se tenet ex parte Dei, qui non potest mutari: & perfectionem dicit in Deo. Secunda se tenet ex parte hominis, seu promissarij: qui, cùm possit, & de facto non semel non ponat conditiones, requisitas in promissario à Deo promittente, nempe bona opera: vel non etiam, qualem debet, fidem, sicut faciunt omnes hæretici: non nisi temerè pro certo credit se acceptur ũ fore promissa. Locus ergo adductus ex epistola ad Romanos non est de firmitate nostri assensus erga promissa, sed de stabilitate promissorum Dei erga opera illa, quibus fuit facta promissio: non enim dicitur in præcitato loco, ideò ex fide, vt hæc sit firma erga promissa: sed econtra, *Ideò ex fide*, quæ præueniente gratia fit, sicut & reliqua subsequentia opera bona, *vt secundùm gratiam*, nẽpe Christi, & non secũdùm opera legis Moysis, carnaliter intellectæ, *firma sit promissio* ipsa Dei. Sicut namque, si Princeps promitteret Duci militiæ propriæ, illi gratiosè collatæ, præmium grãde, si hostem eiusdem occideret: non nisi occisione hostis firma staret voluntas Principis de præmio illo: cæterùm ridiculè à Principe idem præmium quis exigeret per hoc, quod ex gratia in ipsius agro, vel vinea laborauerit, cui labori non tale, sed valde inferius præmium promissum supponitur: atque simili prætendenti bene diceretur, si tuo labori debitum esset tale præmium, abolita esset promissio, dum ex debito, non ex gratia deberet præmium cõferri. Pari modo Deus legem contulit Hebræis per Moysen, plura continentem in exteriori quadam obseruantia signa, & figuras interioris spiritus, operaturi ex fide Christi, tunc temporis venturi: cuius legis obseruantiæ proportionatum promisit præmium, nempe obseruantiæ spirituali, quadem habuerunt Prophetæ, & Sancti Patres veteris Testamenti, æternæ vitæ præmia; obseruantiæ verò carnali, quoad legem carnaliter intellectam, præmia temporalia: & quoniam, paucis exceptis, reliqui Hebræi legem dumtaxat carnaliter, & quoad occidentem litteram intelligebant, atque carnaliter, & secundùm exteriores cæremonias obseruabant, vt patet ex epistola Apostoli ad Romanos toto cap. 2. & probatum ex Augustino numero 836. & hoc nihilominùs non obstante, prætendebant legem Euangelij, atque illius æterna promissa esse illis debita ratione legis, sub qua viuebant: ideò hoc exprobrans Apostolus, di-

cit loco citato, quòd promissio fidei in nostro Patre Abraham, qui iustificatus fuit ex fide consummata, secundùm quam promiserat Deus, quòd benedicerentur in ipso per Christum omnes gentes, quæ in eum fide consummata, & perfecta crediderint, non est promissio facta obseruantiæ carnalis legis, quæ est ex libero arbitrio, operante naturaliter ob finem naturalem: sed promissio gratiæ, dandæ per Christum: atque ita nulli est debita, sed gratis datur, cui Deo placuerit dare. Ecce euidenter totam hanc doctrinam, contentam in verborum contextu, *Non enim per legem*, ait præcitato loco Apostolus, *promissio Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei: si enim, qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio: lex enim*, vt porè carnaliter, & non secundùm spiritum intellecta, *iram operatur: vbi enim non est lex, nec prauaricatio: ideò ex fide*, quæ nō nisi gratia, præueniente, & hominem spiritualiter eleuante, fit, *vt secundùm gratiam*, & non ex naturali legis obseruantia, quæ iram operatur, *firma sit promissio omni semini: non ei, qui ex lege est solùm*, quasi indè debita *sed ei, qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum*, per fidem Christi, ei promissi: *non, enim, qui filij carnis, hi filij Dei: sed, qui filij sunt promissionis, extimãtur in semine Abrahæ*, vt deindè habet cap. 9. Quod ergo in prædicto loco docet Apostolus, est, quòd promissa Dei sunt firma, & stabilia, sed ex fide Christi, secundùm gratiam data, nō ex lege Moysis: ex fide Christi adæquata, & consummata, non verò ex fide speciali relatè ad promissa tantùm: quandoquidem vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: nec potest fides in plures distingui, dum tota, & in omnibus non nisi eidem Deo loquenti, vero, & veraci nititur; ac propterea dixi, quòd minor argumenti, ab hæreticis facti, inadæquata est: quamuis etiam alio modo inadæquata dici debeat, quia nimirum fides quidem iustificat, non tamen sola, sed cùm cooperatur operibus.

931 Obijciunt secundò verba illa Pauli secunda ad Corinthios vltimo, *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate; an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis.* Ex quo loco ita arguunt: pro tam certo supponit in prædictis verbis Apostolus quemlibet Electum cognoscere suam fidem, & ex illa, si sit, vel nōn sit in gratia, vt Reprobum dicat, qui id ipsum non cognoscit: sed similis certitudo non aliunde potest haberi, nisi ex illa fide, singulis Electis speciali; ergo, &c.

932 Respondeo cum certitudine fidei non posse componi metum, & tremorem: cùm tamen Apostolus, vt supra ostendi, dicat, *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Certitudo ergo, & probatio alicuius rei multiplex est: alia infallibilis omnimodè, qualis primò est fidei diuinæ, & deindè scientiæ: alia moralis, quantùm sufficit ad quietandum intellectum, vel etiam ad euitandam ignorantiam inuincibilem, & peccaminosam negligẽtiam: quo modo aliquis reuera peccatum mortale in se habens, etiam si non recordetur post exactũ, & rationabile examen, quietat se, moraliter pro certo iudicans tale peccatum non habere: quamuis non ita se quietet, vt nō possit, aut non debeat timere de aliquo peccato, de quo non recordetur: si autem iste non curet conscientiam suam examinare, quantùm potest, & debet, iste in hoc actu signum daret reprobationis, sed non primus. De simili morali probatione locutum fuisse Apostolum loco ab hæreticis adducto, euidentissimum est: loquitur namque de ea probatione, qua quisque cauere debet, ne vel non curando, vel negligenter ignorando, peccet: ad quod sufficit prædicta certitudo moralis, vt scilicet in operando suam debitam adhibeat diligentiam, cum quo benè componitur ignorantia inuincibilis: loquitur namque in supra libato capite vltimo cohærenter ad ea, quæ dicit in fine capitis antecedentis, nimirum, *Timeo enim, ne fortè cùm venero, nō quales volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis; ne fortè contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos: ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, &c.* Conformiter, & consequenter ad hæc, scribit cap. vltimo, *Ecce tertiò hoc venio ad vos: prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens ijs, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam:* atque ad hunc finem subdit, *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate: an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis.* Eã ergo tẽtationem, & probationem in Corinthijs requirebat, si erant in fide perfecta, & consummata, sicut etiam, si in ijsdem erat Christus, quæ requiritur pro directione morũ, & conscientiæ: ad quam, vt patet ex modò dictis, sufficit certitudo moralis cognitionis pro euitanda negligentia, & desidia, quæ, quantùm est ex se, signum esset Reprobationis.

933 Ob-

933 Obiciunt tertiò illud primæ ad Corinthios 2. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui à Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Ex quo loco, dicunt hæretici, pater per Apostolũ eos, qui spiritu Dei aguntur, per eumdem addiscere, quæ ipsis à Deo donata sunt: atqui gratia, & remissio peccatorum sunt etiam dona data à Deo: ergo per eumdem spiritum, per quem quis credit, addiscit dona, quæ media tali fide acquirit.

934 Respondeo præfata verba Apostoli in alio valde diuerso sensũ dici, quàm accipiantur, vel finguntur accipi ab hæreticis: nam Apostolus loquitur de Dei donis, datis in promissione: non verò de actuali donatione: cùm enim Dei voluntas sit immutabilis: & relatè ad Deum, cuius æternitas comprehendit omne tempus, non detur præteritum, & futurum, quidquid ex parte sua semel dare voluit, iam ex parte eiusdem datum est: si autem non accipimus, defectus nostrum est, nolentium recipere, dum non cooperamur gratiæ: non Dei, incommutabiliter dantis ex parte sua, supposito, quòd promisit. Sensus ergo legitimus præscriptorum verborum Apostoli iste est. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui à Deo est, vt sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis* in promissione, seu quæ nobis promisit, non quidem absoluiè, sed, si diligeremus eum: hoc autem nos scire per fidem verissimum est: sed non per fidem specialem, qua singuli credant spiritui Dei, loquenti singillatim singulis, vt somniant hæretici: sed loquenti per Scripturam simul, & semel omnibus, dum per Scripturam, dictatam à Spiritu Sancto, proponuntur omnibus diuina promissa. Hunc autem esse sensum prædictorum verborum, & non, quem peruersè impingunt hæretici, euidenter indicat contextus, qui talis est, *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam predestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostrã, quam nemo Principum huius sæculi cognouit: sed sicut scriptum est, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus,* Videant ne hæretici, quid vsque modò loquatur Apostolus, sapientiam nempe illam, quam præparauit in gloriam nostram, & nemo principium huius sæculi agnouit: Et de ea, secũdùm quòd præparauit, asserit præparasse *ijs, qui diligunt illum*: non ijs, qui credunt præcisè. Quoniam autem Dei volũtatem nemo scit, nisi Deus ipse, & cui voluerit ideo: Deus manifestare, subiungit, *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum: spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei: quis enim hominis scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita, & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei*: hæc autem de spiritu Dei in mysterio loquitur contra Arianos, vt indè significaret spiritum Dei esse Deum ipsum, dum scit, quæ sunt in ipso Deo; ac consequenter suum testimonium esse summè infallibile. His autem, quæ, vt constat, sunt de donis, *quæ præparauit Deus*, non absoluiè, sed in promissis, *ijs, qui diligunt illum*, annexuit, *Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*, medio spiritu, quem accepimus per gratiam in baptismate: ergo loquitur de scientia, seu fide donorũ, quę nobis præparauit in promissis, non de fide actualis receptionis gratiæ, & remissionis peccatorum, vt peruertere volunt hæretici.

935 Obijciunt item quartò ex eodem Apostolo illud ad Romanos 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, (Abba) pater: ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Ex quo loco iactanter glaciat Bucerus se Catholicos conuincere, duplici modo arguẽdo. Primò, quia Apostolus docet, quòd spiritus, quem accipimus per gratiam, nõ est spiritus seruitutis, & timoris: sed spiritus adoptionis filiorum, expellens timorẽ, & dans filialem securitatem clamandi ad Deum Patrem: atqui timor ibi excluditur, vbi est certitudo; ergo iusti, excludentes hunc timorem, certi sunt de eorum adoptione, & non aliunde, nisi ex certitudine fidei. Secundò, quia idem Apostolus docet, quòd ipse Spiritus Sanctus testimoniũ reddit Electis, & Iustificatis; quòd sint filij Dei: sed Spiritui Sancto loquenti tenemur credere fide diuina, ergo.

936 Respondeo valde ridiculam esse Buceri iactantiam, dum nec cognoscit, quid probaret suum argumentum, quando rectè procederet: si enim spiritus acceptus expellit timorem, & ipse testimonium reddit, quòd sumus filij; supponitur ergo priùs acceptio spiritus, & iustificatio, & deindè spiritu accepto testificante, excutimus timorem, & credimus iam esse Dei filios; nõ ergo fides ista, de qua procedit argumentum, iustificat, sed subsequitur ad iustificationem. Rursus, si à filijs adoptiuis Dei excluditur omnis timor, quid est, quòd idem Apostolus supracitatus, ait, *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini?* Quid illud Psalmi 33. *Timete Dominum omnes Sancti eius?* Et infra, *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos?* Quid il-

la verba Christi Lucæ 12. *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidũt corpus: & post hæc non habent ampliùs quid faciant: ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete?* Nonne satis deplorabile est, quòd reperiantur homines, conclamantes Scripturam Sacram, & deindè negligant audire Apostolos, Prophetas, Christum ipsum loquentem, vt audiant Antichristos obloquentes?

937 Ad primum ergo Buceri futile argumentum dico duos esse timores: vnum seruilem eorum, qui timent Deum propter pœnam cruciatus æterni comminari: alius est filialis, qui etiam est duplex vnus perfectus, natus ex amore filij erga patrem, quem amans, timet ei displicere: alius imperfectus, & inchoatus, non nascens ex amore, sed tendens initiatiuè, & inchoatè ad illũ: e.g: cùm duo sunt amici, vterque ex amore cauet alteri displicere: cùm vero duo non sunt amici, sed vellent amicitiam inire, etiã vterq; satagit euitare, quidquid cognouerit posse alteri displicere: primus est timor filiationis, tamquam ex causa: secũdus tamquam tendentia, licèt imperfecta, ad filiationem, vt ad finem. Locus autem adductus in argumento probat, quòd per spiritum gratiæ excluditur timor seruilis, & concupiscentialis, vt operentur iusti ex amore Dei, & non ex proprijs concupiscẽtijs; non verò timor filialis, secundũ quem etiam clamamus, (Abba) pater: & timore corripimur semper, ne aliquid in nobis sit, quo Deum offendamus.

938 Vbi obiter nota, qualis sit attritio, quę cum Sacramento Pœnitentiæ disponit ad gratiam: & qualis nõ sufficiat: adhuc nãq; timor ipse seruilis aliquando bonus est, & Dei donum, licèt possit aliàs esse malus. Est quidem malus, quando precisè est timor pœnarum secundùm se, præscindendo à quo prouenire debeant istæ pœnæ: hic enim timor ad nihil disponeret, nisi ad amorem proprij boni: & ita esset omnimodè concupiscentialis. At si timentur pœnæ, vt infligendæ a Deo, iste timor bonus est, & ad charitatem disponit: si enim bonus non esset, non præciperetur à Christo replicatò Lucæ 12. *Timete eum, qui postquã occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Vbi patet præcipi nobis a Christo Domino timere Deum, prout potestatem habentem mittere in gehennam. Legatur Augustinus tom. 10. serm. 18. de verbis Apostoli, in quo loco sic scribit: *Modò, cùm dicis, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? malè times? vanè times? nõ audeo: quandoquidem ipse Dominus, ablato timore, subiecit timorem: & ait, vbi dixit, nolite timere eos, qui corpus occidunt, & posteà non habent, quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem, & corpus, & animam mittere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit; & repetendo verbum, comminationem ingeminauerit, dicturus ego tũ, malè times ista? Non dicam: planè time: nihil melius times: nihil est, quod magis timere debes.* Et videas ex his, quæ subiungit, vndè sit bonus iste timor, nimirum, quia, *Timor iste, quo gehennam times, & ideò mala non facis, continet te: custodiat timor iste, dum non facis timendo, & veniet charitas.* Vnde autem veniet charitas, idem Sanctus Doctor explicat epistola 120. cap. 18. dum ait, *Initium autem sapientiæ timor Domini, & timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: proindè præmissus timor in cor nostrum, pellit indè consuetudinem malorum operum, & seruat charitati locum.* Quare? quia, vt Sanctus Doctor docet in explicatione Psalmi 127. super illa verba, *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Cùm per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus.* Iste ergo seruilis timor (talis est enim, qui præcedit, & deindè pellitur à charitate,) refrænans peccatorum putredinem, atque indè disponens ad amorem iustitiæ, & dulcedinem Dei, quamuis se solo non iustificet, quia tamen disponit ad iustificationem, bonus est, & cor timentis ordinat ad charitatem: & ideò adiunctus meritis Christi in Sacramento, iuuat, vt cum illo iustificet, & introducatur statim gratia, quæ est semen charitatis perfectæ, excutiens deindè timorem seruilem, & ducens perfectiorem, nempe filialem, qui est *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi*, iuxtà Psalmum 18. Sed non ita, nec quidem in Sacramento iuuat ille timor seruilis pœnarum secundùm se præcisè, quo pacto nec Deum, nec iustitiam, sed solummodò concupiscentiale bonum dulcescere facit. Neque obstat cõtra hanc doctrinã, quod solet ab aliquibus obijci, nimirum, quòd, si iste timor non dicit implicitè ordinem aliquem ad charitatem, sed esset purus timor seruilis, qui ita timeret non detestaretur peccatum secundùm se, sed respectu ad pœnas: atque ita, si iudicaret, vel Deum non visurum suum peccatum, vel non puniturum, peccatum non detestaretur: ergo detestatur illud,

illud, non absolutè, sed relatè ad pœnas præcisè. Non obstat, inquam: nam in primis ridiculum est asserere, quòd aliquid imperfectius, qualis est attritio, contineat perfectius in virtute, qualis est ordo ad charitatem. Deindè directè argumentum eneruo: chimæricus est enim conceptus, quo quis vellet concipere aliquem dolentem de peccato ob timorem pœnæ infligẽdæ à Deo, & credere Deum ipsum peccatum non videre: semel autem, quòd de peccato ob prædictum timorem dolet, omnem rationem peccati, secundùm quòd in se malum est, odio habet: quia omnis ratio peccati meritoria est pœnæ, infligendæ à Deo: hic ergo, & nunc totaliter per talem timorem peccatum ille odit, & omnem malam voluntatem, etiam implicitè detestatur, quia talis voluntas etiam est meritoria pœnæ: quid autem esset, si non esset pœna, Deus scit, & non facit ad rem, nam non est actù malum id, quod esset, & non est, sed solùm quod actù est. An non hoc totum tangit Augustinus in præcitato loco de verbis Apostoli? Legas quid subiungat, postquam dicit, *Planè time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas: sed interrogo te*, inquit, *si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam conuinceret in iudicio illius, faceres? Tu te vide, non enim potes ad verba omnia mea respondere; inspice te ipsum, faceres? si faceres; ergo pœnam times, charitatem non dum habes, seruiliter times, formido est mali, non dum delectatio boni: sed time*, addit, *vt ista formido custodiat te, vt perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, & ideò mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animo interiore, non finit: est quidam custos timor, quasi pædagogus legis, littera est minans, non dum gratia iuuans*, nempe ipse solus, *custodiat tamen timor iste, dum non facis timendo: & veniet charitas*. Vides ne de quo timore loquitur Augustinus, nimirum de illo, qui si non esset, homo peccaret, & nihilominus de hoc asserit, quòd custodiendo disponit ad charitatem?

939 Ad secundum Buceri argumentum dico Spiritum Sanctum, qui per gratiam supponitur in eo, à quo excluditur timor seruilis, testimonium eidem reddere, quòd sit filius Dei, nec sonitu vocis, nec interna cognitione infusa, quæ sit formalis locutio, qualiter locutus est Prophetis; sed per opera ipsa gratiæ; quia enim his quodammodò significat sui præsentiam, dicitur per eadem testimonium reddere suę præsentiæ; hoc ipsum autem significat non infallibili certitudine, sed morali, per hoc, quòd charitas, per Spiritum Sanctum infusa, facit operari ex amore, non ex timore seruili: datque animæ quandam interiorem suauitatem, secundùm quam accensa in spem futurorum, vilescunt illi omnes mundi voluptates, cupitque ab his dissolui, & esse cum Christo: hæc sanè permaximum signum sunt indubitantis in eo Spiritus Sancti; sed hinc, non fide obscura aliquid credentes, meremur, vt indè sanctificemur, qualis est error horum hæreticorum: sed est experimentalis quędam cognitio præsuppositæ iam gratiæ, & Spiritus Sancti præsentiæ: nec talis est, vt qui eam habet, omninò certus sit, quòd amore dignus sit, & non potiùs debeat cum metu, & tremore suam salutem satagere operari: cum metu, inquam, & tremore filiali, vel non amittendi, quod possidet: vel perueniendi ad quod tendit, sciens præsertim, quòd sæpè Diabolus transfigurat se in Angelum lucis, &, vt incautos fallat, etiam ipse solet in suo genere similes excitare animi lætitias, & securitates, prout defacto facit cum istis, & omnibus hæreticis, quos securos tenet, & sperantes in septa Infernali. Rursus multoties Deus ipse suos Electos ad tempus relinquit, priuãdo similibus spiritualibus lætitijs: vel vt ardentius ad sui bonitatem conclament: vel ad Electorum ipsorum humilitatem: propter has autem subalternãtes varietates, quis non videt sæpè timere Electos de statu, in quo reperiuntur.

940 Obijciunt quintò alia verba eiusdem Apostoli, etiam ex præcitato loco ad Romanos 8. illa nimirum, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus Electos Dei? Deus, qui iustificat, quis est, qui condemnet?* Ex quibus verbis ita arguit Bucerus: nihil ex Apostolo potest accusare, & condemnare Dei Electos, quos ipse iustificat; ergo neque præcedens, si fuerit mala vita, neque conscientiæ timor poterunt eos apud se ipsos accusare, vel condemnare, ne omninò certi sint de propria iustificatione. Pari modo arguit idem versutus hæreticus ex illis alijs eiusdem capitis verbis, *Quis nos separabit à charitate Dei? tribulatio, an angustia, an fames, &c?* Vbi deuotos aduocat auditores, vt reflectant, quanta certitudine eos affici asserat Apostolus, qui in Dei gratia reperiuntur, quòd dicat nulla prorsus aduersitate posse ab eis separari Dei amorem, quo ipsos diligit.

941 Ref-

941 Respondeo, & ad primum dico saltum facere Bucerum à re prout in se, ad cognitionem eiusdem ab homine in hac vita, quasi homo in hac vita certò cognoscat omnia, prout sunt in se. Quis negabit, quòd in re, si Deus est pro nobis, nihil valebit contra nos: & quòd in re nihil erit accusandum cõtra Dei Electos: sicut quòd, quem ipse iustificat, nullus condemnare potest? Sed quis sciat, quærimus, si Deus sit pro ipso, quòd sit Electus, quòd à Deo sit iustificatus: quid enim refert, quòd aliquis obtinuerit peccatorum remissionem, & nesciat: benè verò sciat se peccasse? cognitio certè peccati eum turbabit: & ignorantia remissionis non subleuabit. Aliud ergo est, quomodò res sint in se, aliud quomodò cognoscantur: timor autem, vel securitas nascuntur à cognitione, & nõ à rebus in se ipsis. Quòd si dicat quis ex hæreticis Apostolum in præfato loco non loqui res secundùm se, sed vt sciantur; ergo certitudinem rerum intendit ingerere in mente fidelium. Insurgo ad hominem; si quilibet per hæreticos istos speciali, & propria fide diuina certus est de his, quæ docet Apostolus, quid iste prætendit? certitudinem ingerere supra certitudinem fidei diuinæ? Dico ergo Apostolum nobis indicare assistentiam Dei ex parte sua erga nos indefectibilem, vt nos adhortetur ad indefessam perseuerantiam ex parte nostra, scientes, quòd, si nos non deficimus, numquam Deus nobis defecturus erit: sed an nos deficiamus, vel defecturi erimus, quoad futurum, nemo scit: quoad præsens nõ semper scimus, cùm etiam sint peccata ex ignorantia crassa: Dominus tamen nouit, qui sunt eius: & qui numquam, vel saltè finaliter non deficient.

942 Ad secundum dico ridiculum esse sensum, quem tribuit Bucerus Apostoli verbis: quæ enim connexio esse potest cum amore Dei erga nos, vt perseueret, vel non perseueret: imò potiùs, vt tollant ipsum, vel non tollant tribulatio nostra, angustia, fames, vel periculum, &c? est autem aliqua cõnexio inter amorem nostrum erga Deum cum supradictis: nam illa facilè possunt incutere, vel timorem, vel impatientiam, & desperationem, nisi amor Dei sit fortis, & robustus, qui omnia præfata aduersantia superet. Sensus ergo verborum Pauli est, quòd diligentes Deum, sicut diligebat Apostolus, præfata aduersantia nõ valent amouere nos à tali amore. Sed quidquid sit de hoc, certissimũ est, prout certũ dicit esse Apostolus his subsequentibus verbis, *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque substantia, &c. poterit nos separare à charitate Dei*: in eodem sensu, ad quem ista subnectit, nimirum, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* charitas ergo perfecta, quæ foras mittit timorem, hoc totum facit: sed nemo scit certò, an hanc habeat charitatem, nisi modo, quo supra; & legãt in eodem capite Apostolum peruersi hæretici, cùm ait, *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. ipse ergo spiritus facit nos orare, facit nos postulare, reddit nos inseparabiles à charitate Dei: sed an ita operemur, sicut oportet, nos nescimus. Addo ex dictis, quòd in his verbis Apostoli certitudo supponit charitatem: certum enim se dicit esse non posse separari *à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*: non certum, quòd charitatẽ quis sit recepturus per fidem. Quid ergo ex his locis prætendunt hæretici, vt probẽt per fidem specialem certum quemlibet fieri fide ipsa diuina, quòd recipiat hic, & nunc gratiam, & remissionem peccatorum?

943 Obijciunt sextò aliqua alia loca, cõfundẽdo fidem cũ fiducia, quæ est spes, & actus voluntatis, non fides, quæ est actus intellectus; afferunt ergo illum ad Ephesios 3. *In quo habemus fiduciam, & accessum per fidem eius*. Et illum primæ Ioannis 3. *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. His autem deindè admiscent alium locum, qui benè potest intelligi etiam de fide, vt hinc confundant fidẽ cum fiducia, illum nimirum Iacobi primo, *Qui indiget sapientia, postulet à Deo in fide, nihil hæsitans: & dabitur ei*.

944 Respondeo prima duo loca esse de spe, supponente fidem: nullus namque sperat in eo, quem non credit: non verò esse de fide; an autem spes debeat excludere omnẽ timorem, non est hic locus agendi: breuiter tamen dicam, quòd sperans duos habet respectus in sperando, alterum ad Deum promittentem, qui tum in Matthæi, tum Marci, tum Ioannis Euangelio nos alloquens, ait, quòd quæcumque orantes petierimus, credere debemus, quòd accipiemus: & ex hoc capite spes debet esse firmissima, vtpotè fundata in fide promissorum Dei; alterum ad meritum, seu statum, in quo apud Deum reperitur sperans: non enim promissa præfata Dei facta sunt cunctis, sed iustis, & amicis suis: *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit*, habemus ex Euangelio Ioannis

nis cap. 9. Et rursus Iacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis*. Quoniam autem nec Sancti sciunt, an amore digni sint, hinc timor non solùm potest, sed etiam nasci debet, ne temerè, & audaciter speremus: propterea enim ait Apostolus supracitatus, *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Debemus ergo firmè sperare in Dei bonitate, & pietate: sed simul debemus timere ex parte nostra, ne in nobis aliquid sit, quod diuinam pietatem impediat: vt indè pro viribus curemus conscientiam emũdare nostrã: & peccata, si quæ agnouerimus, detestari: cùm verò nihil inuenerimus, quod nos in nobis ipsis accuset, ex toto debemus remitti Deo, pietatẽ impetrando de occultis peccatis, si quæ forsã incurrerimus.

945 Quòd si pertinaciter prætendant hæretici præfata duo loca esse de fide, non de spe, dico, quòd etiam hoc admisso, nihil indè sequitur: nam fides debet esse conformis, & non aliena à promissis Dei; cùm ergo, vt probatum est, Deus non cunctis, sed iustis promittat eos exaudire, si inuocauerint ipsum, debet homo firmiter fide diuina credere, quòd Deus accipit illos, quorum cor non potest reprehendere eos: cæterùm, quia nemo scit, an sit apud Deum dignus amore, non potest ex parte sua credere fide diuina, nisi peculiaris intercedat reuelatio, (quæ non nisi paucis conceditur,) quòd recipiat id, quod poscit: atque ita solutus manet tertius locus.

946 Instãt hìc, contra Catholicam veritatẽ exclamantes hæretici, quòd ista Catholicorum doctrina infelices reddit, ac iugiter inquietos, qui eam amplectuntur, dũ séper eos vult debere esse dubiosos, & incertos de sua salute: ex quo in articulo mortis permaximè tali timore crescente, veluti indubitatò singulis ingeretur desperatio: quãdo Christus pro salute nostra tanta passus est, vsque ad ignominiosam mortem Crucis.

947 Respondeo verè fideles nolle esse securos, & quietos, dormiendo in falsis filiorũ Diaboli pollicitationibus, quando sciunt Diabolum ipsum totis viribus vigilare, atque incumbere, vt præcipuè in hora mortis eos incautè securos, ac dormiẽtes inueniat: sed curare potiùs audire Christũ Lucæ 12. dicentem, *Beati serui, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes*. Ac rursus, *Et vos estote parati: quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. Securitas autem illa, quam prædicant Lutherani, & Caluinistæ, segnes, & dormientes in se ipsis reddit homines, quos sequaces habet, dum non eorum operũ meritis, sed dumtaxat fide, & fiducia in Christum docent saluandos: timor autem, qui Catholicos premit, non est timor, aut dubietas de promissionibus Dei, aut de sufficientia meritorum Christi, siue de eiusdẽ pietate, & misericordia: sed ex parte propria, ne ipsi obicem ponant diuinæ miserationi, atque ideò diligentiam, & vigilantiam in ipsis ingenerat, vt propriam conscientiam mundare satagant, & deindè Dei bonitati se remittant: isti autem trementes, & metuentes in se ipsis, ac simul in Christũ fidentes, suam ipsorum salutem ex Apostolo, Deo adiuuante, operabuntur: qui verò nihil curantes de proprijs operibus, sed fidentes solùm, ac sperãtes in meritis Christi, tutè, ac securè viuunt, vt eadem securitate moriantur, agnoscent quando eis nõ iuuabit, quòd panis cœlestis filiorum non datur canibus, nec margaritæ porcis: & quòd felicitas, quã hìc habere satagebant, æternã illis parturiet, ac sũmã infelicitatẽ.

948 Duæ præterea hìc in hac materia se offerunt enodandæ difficultates. Vna est, quòd adultus, qui dum baptizatur, nullo se mortali crimine irretitum agnoscit, fide certus est se in baptismo gratiam recipere. Secunda, quòd, qui martyrium pro defensione fidei suscipit, scit ex verbis Christi neminẽ maiorem charitatẽ posse habere se, qui animã sua dat pro Christi amore; ergo saltẽ aliquãdo potest quis esse certus, adhuc certitudine fidei, de sua iustificatione.

949 Ad primum tamen respondeo, non indè, quòd aliquis non se agnoscit reum criminis, certum posse esse, quòd talis in se sit, dicente Psalmista, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*. Relinquo, quòd nec vllus certè potest scire intentionem ministri, conferentis baptisma, sine qua baptisma non confertur validè. Ad secundum dico neminẽ posse esse certum, si in martyrio duraturus sit vsque ad mortem: & quamuis experiatur de facto aliqua pati pro Christo, nescit tamen, si illa sufficiant ad verã charitẽ, quousque animam suã fortiter det pro Christo. Adde nec etiã scire si pro Christo ea patiatur, & nõ potiùs alio fine: adhuc enim Hebræi, Gentiles, & Hæretici inuẽti sunt, qui etiam mortem pro eorum falsis dogmatibus subiere, hi tamen veram non habentes fidem, nec charitatẽ erga Deũ habere potuerũt: vndè alio motiuo, quàm charitatis in Deum, mortẽ subiere: cùm ergo etiã fidelibus possit inimicus Diabolus similia subministrare motiua, Deus solus nouit, qui sũt eius, & qui vero motiuo charitatis mortẽ subeunt: non homines, etiã ille ipse, qui mortem subit. Et hæc in præsenti sufficiant contra Lutheranos, & Caluinistas.

§. DECIMVS OCTAVVS.

Ianſenij errores, præſentem ſpectantes materiam, referuntur.

950 Dixi numero 673. Ianſenium taliter antecedentem, atque gratuitam Dei Prædeſtinationem in ordine ad homines Electos poſt lapſum Adæ aſſeruiſſe, vt ſimpliciter non diſcedat à pluribus Lutheri, & Caluini erroribus, quamuis non in tot, in quot illi, lapſus fuerit: probaui nãque numero 663. nec Caluinum, nec Lutherum negaſſe in hominibus poſt lapſum libertatem à coactione: ſed vtrumque explicitis verbis eam admiſiſſe: quia tamen hanc libertatem à coactione habent etiam belluæ, quæ dum comedunt, vel bibunt, ſicut & quandocumque ex ſeipſis ſe mouent, appetitu, & interiori inclinatione ea faciunt, non violenter, & reluctantes, nec propterea belluæ dicuntur liberè operari: ideò Lutherus, (qui cum Caluino, ſimilem ſe fecit, iuxtà Regium Vatem, iumentis inſipientibus, concedendo dumtaxat libertatem à coactione in homine poſt lapſum, & negando libertatem à neceſſitate, quæ ſola reuera eſt ſimpliciter libertas,) aſſeruit liberum arbitrium poſt Adæ peccatum eſſe in homine rem de ſolo titulo, imò ſimpliciter figmentum in rebus, ſeu titulum ſine re: quamuis autem Ianſenius in ſimilia non proruperit verba, ſicut etiã nec prorupit Caluinus: in re tamen non aliam admiſit in homine poſt lapſum libertatem, niſi à coactione: & negauit omninò ſiue ad malè, ſiue ad bene operandum, libertatem à neceſſitate; ergo in re non diſceſſit in hoc à ſenſu Lutheri, & Caluini.

951 Quòd autem Ianſenius libertatem indifferentiæ, ſeu à neceſſitate inficiatus fuerit in hominibus poſt lapſum, & ſolùm in iiſdem admiſerit libertatem à coactione, quãuis in Adamo ante peccatum vtramque adſtruxerit, euidenter apparet: tum ex argumentis infra afferendis, quibus neceſſitatẽ ad vnum in hominibus poſt lapſum probare contendit: tum alijs locis, quibus id ipſum docet, qualis eſt ille in libro ſexto de Gratia Chriſti cap. 6. dum dicit, *Duplex neceſſitas ex Auguſtino, coactionis, & ſimplex, ſeu voluntaria; illa, non hæc repugnat libertati.* Et ille alius eiuſdem libri cap. vltimo. *Nec voluntatem, id eſt volitionem futuram eſſe liberã, & in poteſtate voluntatis, vllam immutabilitatis, vel quocumque vocis nomine ſignificatam: ſed ſolam coactionis neceſſitatem ei repugnare.* Et ne quis credat eum loqui de libertate voluntatis ſecundùm ſe, ſecundùm quam numquam poteſt cogi, benè verò poteſt neceſſitari: non autem loqui de libertate ad merendum, vel demerendum, legatur in libro 7. de Gratia Chriſti, in quo ſic habet, *Hactenus declarauimus generalem libertatis rationem, à qua dictum eſt liberum arbitrium, commune bonis, & malis, in eo ſitam eſſe, quòd immunis ſit à neceſſitate coactionis.* Ergo admittit rationem bonitatis, & malitiæ in ſola libertate à coactione. Et libro antecedenti cap. 26. *Opus*, inquit, *eſſe laude, vel vituperio dignum: meritorium, vel demeritorium ex hoc, quòd eſt voluntarium, ſpontaneum, non coactum: tamet ſi ſit determinatum à d vnũ:* voluntarium autem, ſpontaneum, & non coactum ſunt ſynonima: nam quod eſt à voluntate neceſſitata, eſt voluntarium, ſpontaneum, & non coactum.

952 Quinque autem, ſecundùm præfatam abominabilem doctrinam reperiuntur In Ianſenij libris diſperſæ propoſitiones, quæ delatæ ad Sanctam Sedem, fuerunt primò ex parte damnatæ ab Innocentio X. & deindè omnes ab Alexandro VII, quarum.

953 Prima explicitis verbis fuit relata, atq; damnata, ſecundùm quę docetur à Ianſenio lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 13. vbi habet, *Hæc igitur omnia pleniſſimè planiſſimè demonſtrant nihil eſſe in doctrina S. Auguſtini certius, ac fundatius, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus, non tantùm infidelibus, excæcatis, obſtinatis: ſed fidelibus quoque, ac iuſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſſe quoque gratiam Dei, qua poſſibilia fiant.*

954 Secunda eſt, quòd, *Dei interiori gratiæ numquam reſiſtitur*, quæ propoſitio licet nõ his verbis fuerit tradita à Ianſenio, continetur tamen formaliſſimè in alijs, in quibus omnem aliam gratiam, præter neceſſitantem, negat: atque ita negat gratiam interiorem, quæ dat quidem poſſe, ſed talem, cui voluntas creata reſiſtat: imò ſimilem Chriſti gratiam vocat monſtrum, aut hæreſim Semipelagianam: patet autem totum hoc ex eius doctrina: nam libro 2. de Gratia Chriſti cap. 27. poſt plurima, quæ conſtruit pro gratia efficaci ex Auguſtino, obijcit ita ſibi, *Reſpondebit fortaſſis aliquis, magis in Scholaſticorum ſcriptis, quàm Auguſtini reuoluendis exercitatus, hæc omnia, quæ produximus, eum de gratia tantùm efficaci tradidiſſe: nihil verò impedire, quin aliæ nonnullæ gratiæ per hominis voluntatẽ effectu careant.* Nõne iſtę eſſet in-

interiores gratiæ, quibus resisteretur, & ideò effectu carerent? Sed vide quomodò huic responsioni occurrit, *Nihil verius*, inquit, *dici posse, quàm, quòd omnia, quæ hactenus protulimus, de gratia efficaci Augustinus dixerit, atque intellexerit: cuius rei causa est, quòd nullam agnouit aliā actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit, nisi regulas omnes fundamentales, quibus innixus, naturam gratiæ medicinalis tradidit, & explicuerit, vellet interimere*. Id ipsum docuerat cap. 24. his verbis, *Hoc laqueo stringi se sentientes Recentiores, per portam patentissimam gratiæ sufficientis exeunt: quām omnibus hominibus ad præcepta facienda Deum impertiri, nono profectò, & primis gratiæ defensoribus inaudito dogmate, constituunt*. Gratiam ergo interiorem sufficientem, cui per hominis voluntatem resistatur, nouum Recentiorum, atque inauditum apud primos gratiæ defensores, dogma asseuerat; & taliter, quòd eam, quę ita sufficientem Thomistæ asserunt, vt ex se connexa sit cum carentia operis boni, mōstrum, atque monstruosam vocet libro 3. de Gratia Christi cap. 3. his verbis. *Quàm monstruosa sit gratia sufficiens, prout à Recentioribus explicatur*. Et deindè, *Iam verò quid monstruosius proferri potest, &c*. Rursus, *Itaque illud à Recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adiuuante nullum vnquam opus factum est, aut fiet vnquam, si est verum, distinctumque à gratia efficaci membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodò peccatis faciendis, maioriq; damnationi accersendæ seruiens: ideoque lapsis hominibus citra Dei inuidiam damnandis excogitatum*: illam verò, quam docent plures Neoterici, nimirum, vt talē det posse, qua operetur voluntas creata, si velit suo arbitrio operari: non operetur, si nolit, ita vt ex parte gratiæ nihil deficiat, Semipelagianum dogma vocet libro 2. item de Gratia Christi cap. 12. sic scribens, *Nec enim aliud est, aut erit vnquam, aut esse potest, nisi sufficiens adiutorium, quod submittit fasces humanæ voluntatis arbitrio, vt eius operatio, & cessatio à libertatis humanæ nutu tota religetur: quid enim isto modo tribuit, nisi sufficientem volendi, operandique potestatem, cui libertatis nutus impulsum afferat? Hoc libertati tribuerunt Massilienses, vt eo adiuta, saltem crederet voluntas prostrata, si vellet: Hoc tribuunt Neoterici, vt per illud, & credat, & speret, & diligat, omnesque superet tentationes, si similiter velit. Vtri modestiùs de arbitrij potestate, religiosiùs de gratiæ medicinalis necessitate disseruerint, non est difficile, abstrusumque iudicare*.

955 Tertia propositio est, *Ad merendum, & demerendum in natura lapsa non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit à coactione*. Neque item ista sub his explicitis verbis fuit à Iansenio tradita, sed sub aliis, idem tamē significantibus, nimirum sub illis, quæ paulò ante retulimus: tum ex libro de Gratia Christi, *Hactenus declarauimus generalē libertatis rationem, qua dictum est liberum arbitriū commune bonis, ac malis, in eo sitam esse, quòd immunis sit à necessitate coactionis*. Vbi patet liberum arbitrium ad bonum, & ad malū in eo constituere, quòd sit liberum à coactione: tum ex libro 6. cap. 24. *Opus esse laude, vel vituperio dignum: meritorium, vel demeritorium ex hoc, quòd est voluntarium, spōtaneum, non coactum*. Tum tandem, quia, negans gratiam sufficientem, sine qua simul & efficaci, nihil potest homo operari benè, admittit, vt cogitur ex Scriptura, peccata in iis, qui, non potentes benè operari, necessitantur ad malum. Et ecōtra docens, ac probans gratiam efficacem necessitare ad bona opera, quæ sunt meritoria mercedis, iam admittit meritum, & demeritum in iis, in quibus non aliā adstruit libertatem, nisi à coactione.

956 Quarta propositio est, *Admiserunt Semipelagiani gratiæ interioris præuenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: in hoc erant hæretici, quòd dicebant talem gratiam esse, cui possit voluntas resistere, vel obtemperare*. Licèt autē, nec his, explicitis verbis id ipsum docuerit Iansenius, docuit tamen nō semel aliis similibus: lib. namque 2. de Gratia Christi cap. 12. ita habet, *Sicut antea concurrente sanitatis adiutorio, hoc est Adami, uel Angelico sufficienti, & congruo, uoluntas humana faciebat, ut fieret; hoc igitur modo quia Massilienses eum gratiæ præsentis adiutorio putabant hominē per naturalem primæ integritatis reliquias posse credere, posse orare, ac desiderare Deū, tamquam gratiæ medicinalis destructores, & liberi arbitrij presūptores merita, censuræ seueritate dānati sunt*. Ecce quomodò dat Massiliēsibus, quòd admiserint gratiam, qualem habuerunt sufficientem, & congruā Angeli, & Adā ante peccatū: sed indè fuisse damnatos, quia talem admittebant, qua volūtas humana posset, si vellet, non qua necessitaretur ad operandum. Et rursus circa finem capitis, vt supra notaui, *Nec enim aliud est*, ait, *aut erit vnquam, aut esse potest, nisi sufficiens adiutorium, quod submittit fasces humanæ voluntatis arbitrio, vt eius operatio, & cessatio à libertatis humanæ nutu tota religetur. Quid enim isto modo tribuet, nisi sufficientem volendi, operandique potestatem, cui libertatis nutus impulsum afferat? Hoc libertati tribuerunt Massilienses, vt eo adiuta, saltem crederet voluntas prostrata, si vellet, &c*. Vbi, vt patet, do-

cet Massilienses admisisse gratiam sufficiētem, etiam ad fidem. Huius autem gratiæ sufficientis genus deindè reprobare, tāquam euacuatiuū vitiū peccati originalis, & meritorū Christi, patet ex his, quæ habet cap. 27. nimirū, *Quisquis tā alia diuina gratia adiutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deferant, si velint: & in quibus permaneant, si velint: cum quibus, tamquam sufficientibus, operentur, si velint: nihil aliud imprudens facit, nisi, vt originalis peccati vires euacuet, illæsas liberi arbitrij vires esse, Christum frustra venisse, & gratis mortuum esse persuadeat.*

957 Quinta propositio est subsequens, nempe, *Semipelagianum est dicere Christum esse mortuum pro omnibus omninò hominibus.* Hanc autem propositionem docuit Iansenius in paralello, seu statera, vt vocat, 38. his verbis, quæ contra reliquos Theologos habet, *Commendant beneficia Christi, mortem, passionem, baptismum, & similia remotiora salutis adipiscendæ remedia pro omnibus omninò hominibus, nullo excepto, exhibita esse: quod intelligūt, non tantùm quoad sufficientiam, quod nemini in Catholica fide dubium esse potest: sed etiam quātum ad aliam efficaciam: ex qua quædam propinquiores gratiæ ad omnes omninò homines, quantūcumque Barbaros, fluant. Id ipsum eodem sensu Massilienses strenuissimè, veluti basim erroris sui, sollicitè inculcando, commendabant: nam apud Prosperum iterum, iterumque dicunt pro vniuerso humano genere mortuum esse Dominum nostrum Iesum Christum, & neminem prorsus à Redemptione Sanguinis eius exceptum, &c.* Ex quo loco euidentissimè patet se sentire Christi passionem, & mortem esse quidem ex se sufficientes pro Redemptione omniū omninò hominum, sed non fuisse ita de facto pro omnibus omninò exhibitas, quòd indè omnibus aliquę propinquiores gratię, quibus possint saluari, profluāt: ęstimās hoc ipsum esse basim erroris Semipelagianorū.

958 Hic vnum animaduersum volo, quàm malè nimirum se gerant aliqui, qui toto conatu curant Iansenium eximere à prælibata Summorum Pontificum censura, asserendo prædictas quinque propositiones non fuisse per Iansenium prolatas, vel defensas: sed illi nescio à quibus impositas: quid namque est hoc, nisi velle, vt subsistat sub alijs verbis pestifera ista doctrina, serpatque, & radices dilatet in hominum cordibus: & damnata dumtaxar permaneant verba illa, quæ delata, atque damnata fuerīt à Sancta Sede, quasi hæc, nō doctrinā, sed verba damnauerit? Ego sanè nolo per hanc meam monitionem veluti dānatum concludere Iansenium, quem scio protestatum in suis operibus, quòd illa Sāctæ Sedis iudicio, licèt terminis non modicè elatis, submiserit: sed solùm vellem, vt nemo doctrinam iam ex Iansenio adductā immunem sibi, vel alijs persuadeat à prædictorum Summorum Pontificum censura: sic namque locus dabitur, quòd errores contra fidem robur acquirant, & frustraneæ remaneant legitimę Summorum Pontificum medicinales censuræ. Vt ergo præ recensitos Iansenii errores suo ordine profligare pro viribus satagam, sit.

§. DECIMVS NONVS.

Iansenij assertū de sola libertate à coactione in hominibus post lapsum nouis obtunditur motiuis, tergiuersationesque propelluntur.

959 PRobato iam, vt probaui in principio antecedentis Paragraphi, quòd Iansenius in asserto libertatis humanę post Adæ lapsum ex toto conueniat cum erroribus Lutheri, & Caluini, damnatis per Cōcilium Tridentinum de Iustificatione Sess. 6. cap. 5. illis verbis, *Vt qui per peccatum à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suā ipsorum iustificationem, eidem gratiæ, liberè assentiendo, disponantur: neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest;* vbi indè probat Concilium hominem liberè agere, quia ita agit, vt potuerit non agere, inspirationem abijciendo, ac consequenter de gratia, cui homo cooperatur, agit: non de alia, cui non cooperatur, si indè probat agere, quia potest illam & abijcere; hæc ergo, cui cooperatur homo, quæque proindè efficax est, non illum necessitat, si ab eodem abijci potest. Similiter, ex illis verbis Canonis quarti, *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiā se disponat, ac præparet: neque posse dissentire, si velit, &c. anathema sit.* Quod totum etiā prædefinitum fuerat per Concilium Senonense, in quo, decreto 14. statuitur, quòd, *Auxilium Dei trahentis tale est, vt possit resisti:* vbi, cùm Concilium vtatur verbo illo, *trahentis*, quo Christus in Euangelio designat gratiam efficacem, dum ait, *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, euidens est, quòd etiam per idem Concilium gra-

næ efficaci poteſt reſiſti; probato, inquam, quòd Ianſenij doctrina eadem eſt quoad hoc punctum libertatis hominis lapſi, ac doctrina iam dânata Lutheri,& Caluini:ſequitur ęquè damnatum eſſe eiuſdē Ianſenii aſſertū de neceſſitate hominis in operãdo, admiſſa ſola libertate à coactione: cùm præcipnè nullam aliam gratiam Christi cõfiteatur defacto ſufficientem dumtaxat Ianſenius; de qua ergo gratia explicabit idē Ianſenius dictorum Cõciliorum definitiones, quòd homo à Deo motus, & excitatus ita operatur, vt poſſit gratiam abijcere: & quòd gratiæ Dei trahenti poſſit reſiſti, quando præſertim Concilium Tridentinū Lutherum, & Caluinum damnauit, qui de gratia interiori, & efficaci, non de alia exteriori aſſerebant neceſſitari per eam hominem ad opus, ad quod mouet? q[illegible]

960 Præuidit profectò Ianſenius identitatē ſuæ doctrinę in aſſerto ſolius libertatis à coactione, cum aſſerto Lutheri, & Caluini: quapropter, vt quoquo modo cenſurã anathematis euitare curaret, aſſerit libro 8. de Gratia Christi cap. 2. Caluinum nec damnatum fuiſſe, nec erraſſe in eo, quòd non niſi libertatem à coactione admiſerit in hominibus poſt lapſum: ſed in eo, quòd negauerit in iiſdem boni æquè, ac mali electionem, quam ipſe, nec in homine neceſſitato ad vnum, negat.

961 Sed ohe abominabilis, ac deploranda intellectuum hominum luxuries, eo dumtaxat tendens, vt dummodò magiſtri, prurientis auribus, nomen acquiratur, nec in materia de fide Scriptura, & Concilia, tamquam directiua veritatis, æſtimentur: ſed totis procuretur viribus, ea ita explicare, vt ſaltem apud homines, cenſura euitari valeat! Numquid quæſo ſufficit aliquid confingere, vel proprio marte cogitare, vt poſſit dici ita loqui Scripturam, ita decretare Concilium, quando in his nullum eſt indicium, nullum verbum id ſignificans, imò totum contrarium? fidelium eſt ne hoc, venantium veritatem ex Scriptura, & Concilijs: an chimærizantiū propria phantaſia? Inueniat autem Ianſenius, aut Aſſeclæ, vel vnicum verbum in Concilio Tridentino, damnãte Lutherum, & Caluinū, per quod anathematizetur Caluinus dūtaxat ſecūdùm ea verba, ſecundùm quæ dixerat, quòd homo per originale deperdidit boni æquè, ac mali electionē. Certè, ſi totum Concilium deuoluant, hoc non inuenient: non quia ſecundùm ſenſum Caluini non fuerint damnata, ſed quia illa verba ſunt valde æquiuoca, & multiplicem poſſunt habere ſenſum, adhuc apud Catholicos: quis enim neſciat, quòd adiutus gratia efficaci non eſt æquè propēſus ad malum, ac ad bonum, cùm gratia talis ſuperet omnes motus concupiſcentiales? & econtra adiutus pura gratia ſufficiēti plus trahitur à cupiditatibus ad malum, quàm gratia auxiliante ad bonum? Poſsūt item habere alium ſenſum Catholicum, nimirum quòd homo per originale deperdidit facultatem ad bonum, & ſolam retinuit ad malum, niſi nouiter gratuitò adiuuetur. Senſus tamen Caluini non fuit vllus ex dictis, ſed ſecundùm propoſitum errorem, ſecundùm quem aſſerit per originale perdidiſſe hominem etiam radicalem libertatem, & poſſe ſe vertere, ſeu determinare ad vtrumlibet: cùm autem hic error, & propoſitio Caluini ſecundùm hunc ſenſum aſſerta, ſit eadem, ac negatio libertatis, ſeu aſſertio neceſſitatis ad vnum, ideò Concilium anathematiząs negationem libertatis, prout importantis poſſe vtrumlibet, vt patet ex dictis, anathematizauit etiam negationem electionis: aſſerere autem quòd damnauerit Caluinum dumtaxat, prout negauit in homine lapſo rationem electionis, de qua nulla in Concilio fit mentio: non verò damnauerit negationem libertatis ad vtrumlibet, de qua ſolummodò sūt verba iam adducta, hoc certè eſt ſomniare de ſenſu Concilii, nō veritatē in illo venari.

962 Vrgeo: nam, an voluntas neceſſitata ad vnum poſſit dici eligere illud; vel non, eſt quæſtio de nomine, non de re: in qua non ſolùm omnes Theologi Catholici, duce Angelico, verùm omnes, quotquot ſunt homines, numquam dicunt eligere, niſi cùm ex pluribus quis ſe applicat potius ad vnum, quàm ad aliud; quid ergo? vsū iſtum vocis, communem omnibus, damnauit Concilium, quando nomina ſignificant ad placitum? quis ita inſanit, vt hæc dicat? Si ergo Caluinus noluit vocari boni æquè, ac mali electionem, vbi non eſt vtriuslibet eligibilitas, ſed determinatio ad vnum, quoad vſum nominis, communē omnibus, damnatus fuiſſet, non quoad rē: quod eſt pluſquam ridiculum aſſertum. Inſto iterum: quandoquidem Caluinus non negauit vel ſolius boni electionem, vel ſolius mali, ſed vtriuslibet, nimirum, boni æquè, ac mali electionem: neque hāc negauit ſucceſſiuè, vt noluerit eſſe in homine facultatem eligendi nunc bonum, nunc malum: cùm non negauerit, etiam reſpectu eiuſdem hominis, quòd nunc peccet, auerſus à Deo: nunc obtineat remiſſionem, ad illum per fidem conuerſus, ſperans, & amans; quando ergo negauit in ho-

homine post lapsum boni æquè, ac mali electionem, illam negauit, quam asseruerat fuisse in Adamo ante peccatum lib. 1. cap. 15. numero 8. *Potuit igitur Adam stare, si vellet, quando nonnisi propria voluntate cecidit: sed quia in vtramque partem flexibilis erat eius voluntas, nec data erat ad perseuerandum constantia, ideò tam facilè prolapsus est: libera tamen fuit electio boni, & mali, &c.* Videntne Iansenistæ, quid per nomen electionis intelligebat Caluinus, negando in hominibus post originale rationem electionis, nimirum determinationem propriæ voluntatis ad vnum ex ijs, ad quæ Adam erat flexibilis? an non id ipsum expressè negat, negando electionem in hominibus post lapsum eodem libro 2. cap. 3. num. 10. cùm ait, *Voluntatem mouet, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, vt nostræ postea sit electionis motioni aut attemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo*. Nonne euidens est quid neget in his verbis, negando electionem? quòd scilicet nostræ voluntatis sit motioni, aut attemperare, aut refragari. Quid autem diuersitatis, nisi somniando, potuit Iansenius videre in illis alijs verbis eiusdem libri cap. 2. num. 7. *Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè, ac mali electionem: sed quia malè voluntate agit, non coactione?* Constat ergo luce Solis clarius, quòd Caluinus negãdo in hominibus post originale rationem electionis, hoc negauit, quod est voluntatem, à Deo motam, talē esse, vt ad ipsam pertineat determinare se ad obtemperandum, vel refragandum. Huiusmodi autem electionis rationem negat etiam Iansenius; ergo, si Conciliū anathematizauit Caluini sensum, anathematizauit pari modo Iāsenij, quoad hoc punctū, doctrinam.

963 Non adhuc tamen forsan intellectu pacatus Iansenius super his, quæ vsque modò dicta sunt ex eius sensu circa solam libertatem à coactione, & rationem electionis, aliam insidauit excogitare viam, vt quoquo modo cum necessitate ad vnum aliquam componeret indifferentiam: nec modum inueniens in ordine ad opera bona, quasi ex superabūdāti doctrina, quamdam indifferentiam arbitrij composuit in ordine ad opera mala lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 22. dicens, quòd, & si non possit homo post originale vitare sine gratia medicinali, quæ per ipsum non est, nisi efficax, omne peccatum: potest tamen eligere hoc peccatum præ illo, v. g. vitare furtum, se applicando luxuriæ: & hoc in præceptis negatiuis: in positiuis autem, in quibus carentia operis præcepti est mala, & opus præceptum est impossibile sine gratia, ait, datur etiam indifferentia voluntatis in hoc, quòd etiam potest nō poni opus, vel poni ex affectu concupiscentiali: vt, dū præcipitur amor Dei, potest quis ipsum non amare, vel ipsum amare, tamquam conseruatorem sui esse, aut retributorem bonorum temporalium: quæ indifferentiæ iam saluant rationem electionis, & libertatem à necessitate ad vnum determinatē.

964 Verùm hic labor Iansenij non solùm nihil facit ad rem, cùm nō saluet rationem libertatis, & electionis in ordine ad merēdum, vel demerendum, qualis requiritur per Scripturam, & Concilia: sed etiam est omninò vanus, insubsistens, & futilis: inprimis namque non credam, quòd Iansenius peccatum agnoscit in operibus hominis, quæ fiunt ab ipso, tamquam natura substantiali præcisè, independenter à cognitione, & voluntate, cùm videam ipsum libro 2. de Gratia Saluatoris Augustino, Prospero, & Hilario attribuere subsequentem circa libertatē hominis doctrinam, *Hanc*, inquit, *tantam, tamque tranquillam arbitrij libertatem, boníque cuiusque faciendi possibilitatem peccato primi hominis perijsse profitentur: non quia perijt illud libertatis adiutorium, vel quia opera sunt supernaturalia: sed quia concupiscentia in visceribus voluntatis, & per hoc libertatis, inspersa est, qua liberum arbitrium in creaturis, tamquam grauissimo pondere, deprimitur.* Id ergo, quod per Ianseniū hominem necessitat ad peccatum, est concupiscentia, inspersa in visceribus, non naturæ præcisè, sed voluntatis, qua hæc, tamquam grauissimo pondere, deprimitur. Voluntas autem non concupiscit, nec tendit ad incognita: sed ad id, quod ei repræsentatur per intellectum. Sic autem nunc argumentor contra Iansenium: aut enim ipse supponit, cùm præfatam tuetur indifferentiam, homini repræsentari duo obiecta mala, vel vnum: si vnum, cessat excogitata indifferentia, quando concupiscentia grauiter dumtaxat ponderat in vnum: si duo, iterum peto, aut nimirum supponit illa æquè repræsentari, vt delectabilia, taliter quòd concupiscentia æquè ponderet ad ea duo obiecta: aut inæqualiter, ita quòd concupiscentia plus ad vnum, quàm ad aliud ponderet? Si primum, stante doctrina Iansenij, necessitabitur voluntas ad suspensionem actus, atque ita erit necessitas suspensionis actus; non indifferentia. Si enim Iansenius ex Augustino in expositione capitis quinti epistolæ ad Galatas dicente, *Quod amplius nos delectat, secundùm* id

id operemur necesse est, scribit lib. 4. de Gratia Christi cap. 7. §. Et ista quidem, *Quia id, quod amplius nos delectat; etiam amplius velimus, & diligamus necesse est: tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò delectamur ardentiùs: quod autem magis volumus, ac diligimus, secundum id operemur, necesse est.* Debet etiam, si legit expositionem sequentis capitis, fateri cum Augustino, *Si ex aduerso existant duo, praeceptum iustitiae, & consuetudo carnalis: & vtrumque diligitur, id sectabimur, quod amplius dilexerimus: si tandem vtrumque diligitur, nihil eorum sectabimur, sed aut timore inuiti trahemur in alterutram partem: aut si vtrumque etiam aequaliter timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu delectionis, & timoris alternante quassati.* Ille ergo inconsideratus Augustini commentator, qui illum loquentem secundum communem hominum vsum de necessitate, & coactione morali, vult explicare, proprio marte, de necessitate, & coactione physica, debet etiam consequenter admittere, quòd numquam homo peccat, nisi plus concupiscentia ponderet ad vnum: & nisi ita ponderet, non trahat ad opus, sed suspensum hominem relinquat; & consequenter debet fateri, quòd tunc se applicat ad vnum peccatum prae alio, quando ad illud magis ponderat concupiscentia: tunc autem fatetur necessitari ad vnum, non indifferentem relinqui; vbi ergo, & quando erit indifferentia, quam tanto sudore excogitauit, nisi concedat maiorem concupiscentiae ponderationem non inducere necessitatem? sed, si hoc concedit, caecus prorsus erit, si non videat eodem modo neque necessitatem inducere motum gratiae, vi cuius id sectabimur, quod prae pondere concupiscentiali, magis dilexerimus: atque hoc modo in omni opere siue bono, siue malo, indifferentiam à necessitate seruabit homo post lapsum originalem.

965 His addo, quòd, etiam si vera esset excogitata doctrina Iansenij de indifferentia ad hoc, vel illud peccatum, cum necessitate ad peccandum vt sic, ridiculum esset dicere peccaturum fore hominem illum, si non valens ab altero abstinere, eligeret tamen minus potiùs, quàm maius malum; in hoc enim casu valeret illa proclamata regula, ex duobus malis, minus est eligendum. Quid? non legit Iansenius? aut caecis oculis peruoluit librum Augustini de Correctione, & Gratia, vt non animaduerterit, quae de Angelo, & homine, etiam in prima conditione cap. 11. dicat? nimirum, *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini quamprimùm facti sunt, defuisset: quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset permanere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent?* An non tunc homo, & Angelus liberi fuissent ad hoc, vel illud peccatum? non indè tamen sua culpa cecidissent, si adiutorium defuisset, sine quo permanere non valuissent? Numquid forsan dicet Iansenius, quòd nunc poena peccati est, si tale adiutorium deficeret? Quid indè? poena peccati, effectus peccati est, non nouum peccatum, nisi noua sit libertas, in qua fundatur peccatum; si ergo illa libertas ad hoc, vel illud peccatum cum necessitate ad cadendum, non fuisset sufficiens in statu naturae integrae, nec sufficeret nunc in statu naturae lapsae: nisi adhuc Iansenius haeresim Lutheri, & Caluini, secundum quam asserunt actus ipsos concupiscentiae, praecedentes deliberationem voluntatis, quia effectus sunt peccati originalis, esse etiam peccata, contra quos clarissimus Augustini loca num. 775. amplecti velit.

966 Haec ergo, ac reliqua, quę ex Scriptura, & Augustino adduxi paragrapho 5. & etiam 6. contra Lutheranos, & Caluinistas, probando in hominibus post originale libertatem à necessitate, euidentissimè etiam praefocant doctrinam Iansenij, identicam quoad hoc punctum, cum haeresi damnata praedictorum haereticorum. Sed quoniam Iansenius, & eius Asseclae non negant, vt impudenter faciunt Caluinistae, & Lutherani, aliorum Sanctorum Patrum sensum, imò aliquas ex his extorquere satagunt authoritates in sui fauorem, addere propterea hic censui plurimorum Sanctorum Patrum, qui de hac materia scripsere, sensum, quo Iansenij, & Iansenistarum dogma in hac materia profundiùs eradicem.

967 Primò, vt nos doceat, quid de hac materia sentiat, aduoco Diuum Hieronymum, & quidem, vt ante omnia instruat, per quid differamus omnes à bestiis in ratione libertatis. Hic ergo in Epistola ad Damasum; *Liberum*, inquit, *arbitrium dedit Deus homini, vt viueret vnusquisque, non ex imperio Dei, sed obsequio suo, idest non necessitate, sed ex voluntate, vt virtus haberet locum, & à caeteris animantibus distaremus: dum ad exemplum Dei permissum est nobis facere, quod velimus.* Ergo, ex Diuo Hieronymo, si ex necessitate operaremur, virtus haberet locum: nec à caeteris animantibus distaremus, eò quòd, sicut ipsa, solùm non coactè operaremur: & ex imperio Dei, non verò indifferenter, sicut Deus ipse, possemus facere quidquid vellemus. Explicet etiam idem Sanctus Doctor quid importet, id liberum

-berum arbitrium: aliud namque est dicere liberum, quod tantùm importat carentiã alicuius in oppositum dominantis: aliud verò arbitrium, quod dicit sententiam definitiuam vnius ex pluribus, vndè ortum ducit substantiuum nomẽ arbiter, & adiectiuum illud arbitrarius a. um. Videat ergo Iansenius, videant Iansenistæ vbi præcisè locus detur libero arbitrio ex prædicto Sancto Doctore lib. 3. Dialogorum contra Pelagium, *In nostra*, inquit, *est positum potestate vel peccare, vel non peccare, vt liberum seruetur arbitriũ.* Non ergo seruatur liberũ arbitrium, vbi non est potestas, ad vtrũlibet. Rursus Apostolũ exponẽs in epistola ad Galat. ita loquitur in expositione cap. 5. *Galatas*, inquit, *accusauerat quare nõ obedierint veritati, ostendens in eorum arbitrio positum obedire, vel non obedire.* De non obedientibus loquitur, quibus per Ianseniũ nulla supponeretur gratia, dans saltem posse obedire, quomodo ergo starẽt verba Hieronymi, *Ostẽdẽs in eorum arbitrio positũ obedire, vel non obedire.*

968 Secundò aduoco Damascenum, vt de eodem puncto nos doceat. Hic ergo lib. 2. Fidei Orthodoxę cap. 26. sic habet, *Hæc igitur arbitraria, ac nobis libera sunt, quæ in vtramque partem æquè contingere possunt, veluti moueri, & non moueri: impetum facere, vel non facere: appetere, quæ minimè necessaria sunt, & non appetere: mentiri, & non mentiri: tribuere, & non tribuere, cæteraque huiusmodi, in quibus, & virtutis, & vitij munus versatur: horum enim libera penes nos est potestas.* Capite insuper 27. distinguit hominem à cæteris animantibus ita, *Rationis*, inquit, *expertia non sunt liberi arbitrij potestate donata: nam ducuntur magis à natura, quàm ducãt; quapropter non contradicunt, resistuntue naturali appetitui: sed simul atque quidpiam appetiuerint, impetu feruntur ad prosecutionem.* Quid? violentiam, aut coactionem patiuntur animalia in his, ad quę interiori appetitu, & impetu naturæ feruntur, cùm potiùs coactio sit motus ab exteriori agente, nõ conferẽte passo? quomodò ergo, si libertas illa est, qua agens agit liberũ à coactione, indè probat Damascenus animalia nõ esse libertate donata, vndè potiùs conuincitur libertas? an potiùs nõ de hac libertate loquitur, sed de illa, quę & posse dicit appetitui occurrere, atq; illi posse cõtradicere, siue resistere, quod non habent animalia, quæ ducuntur, non ducunt appetitũ naturæ: & ideò non sunt libera, sicut homo, de quo Sanctus Doctor ita subsequitur, *Verùm homo, rationalis cùm sit, ducit magis naturam, quàm ducatur: quapropter appetens vbi quidpiam velit, possibilitatẽ habet refrænare appetitũ, aut ipsum sequi.*

969 Tertiò aduoco Diuum Bernardum super Cantica cap. 7. serm. 81. vbi, *Arbitrij*, inquit, *libertas hæc est planè diuinum quidpiam, præfulgens in anima, tamquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem, & malum: nec non inter vitam, & mortem: & nihilominùs inter lucem, & tenebras: & cognitio, & optio eligendi: & si qua sunt alia, quæ similiter circa animæ habitum sese è regione respicere videntur: nihilominùs inter ipsa censorius quidam, arbiter hic animæ oculus, dijudicat, & discernit: sicut arbiter in discernendo, ita in agendo liber: vndè eò liberũ nominatur arbitrium, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Indè homo ad promerendum potens: omne etenim, quod fuerit bonum, malumue, quodquidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur.* Vident ne vndè homo ad promerendum potens? quia nimirum bonum, malumue, quod facit, ita facit, vt etiam liberum eidem sit non facere; vbi ergo est ad faciendum necessitas, quæ excludit libertatem ad non facere, cessat ratio promerendi.

970 Quartò aduoco Diuum Anselmum in libro de Concordia circa finem septimæ columnæ, vbi loquens de aliquo, qui terreatur minis mortis, nisi mentiatur, ita habet, *Videmus nunc in eius esse arbitrio, an deserat vitam pro rectitudine voluntatis, an rectitudinem pro vita. Nempe sola voluntas determinat sibi, quid teneat: nec aliquid facit vis necessitatis, vbi operatur electio sola voluntatis: at cui non est deserendi rectitudinem voluntatis, quam habet, necessitas, palam est, quia non deest seruandi potestas, siue libertas, &c.* Sola, inquit, volũtas sibi determinat quid teneat, nec aliquid facit vis necessitatis, vbi operatur sola electio voluntatis

971 Quintò Diuum Prosperum, qui libro 2. de Vocatione gentium cap. 28. sic loquitur, *Qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, vt etiam à perseueraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat.* Et deindè, *Licèt innumeris Sanctis suis donet virtutem perseuerandi vsque in finem diuina protectio, à nullis tamen aufert, quòd ipsis repugnet ex ipsis, atque conatibus semper inter se velle, & nolle decertent: vt quamuis auxilio Dei steterint, tamen quia in se habent, vndè caderent, ipsorum sit meritum, quòd steterunt.*

972 Sextò Chrisostomum, Epiphanium, & Basilium. Quorum primus homilia secũda de Lazaro, ita habet, *Perspicuum est, quòd in nobis situm est, vel obtemperare, vel non obtemperare Diaboli insidijs, neque vllam necessitatem, neque tyrannidem patiamur ab illo.* Et homilia 9. in Ioannem, *Quidnam, ait, ma-*

ius

ius supplicium esse potest, quàm si in eorum potestate sit arbitrio filios Dei fieri, & nolint: sed spõte sua tanta nobilitate, tanto honore indignos efficiant? Secundus verò in libro primo aduersus hæreses cap. 16. loquens contra Iudæos, eò quòd fatum adstruebant, sic loquitur, *Extrema autem eorum dementia, ac non vulgaris stultitia, quòd, cùm resurrectionem confiteantur, & iudicium iustum decernant, fatum esse dicunt: quomodò enim potest iudicium esse, & fatum, quando propterea, quòd possint peccare, & non peccare, ab alio peccatorum supplicia sumantur, alius verò laudem ferat rectè factorum, & in hoc vtriusque differentia terminata sit?* Et tertius tandem in illud Isaiæ 14. *Semen reprobum præpara filio, &c.* ita scribit, *Ex suo ipsius proposito, & libera voluntate vnusquisque esse potest semen sanctum aut certè in diuersum abire.*

973 Septimò Gregorium Nyssenum, Athanasium, Cyprianum, & Irenæum; ex quibus primus libro septimo Philosophiæ cap. 1. sic habet, *Si nullius actionis ita est principium homo, vt in ipsius potestate sit eam facere, aut non facere, ex superfluo habet, vndè consultet: ad quid enim vtetur consilio, nullius existens actionis Dominus? optimum autem & omnium, quæ sunt in homine, pretiosissimum superfluum dicere, quàm maximè vtique erit incõueniens.* Et cap. 3. *Omnis, ait, qui consultat, quasi in eius potestate existẽte electione de operibus cõsultat, vt quod per consiliũ decernitur, eligat: & eligens, faciat. Necesse est igitur eum, qui consultat, Dominum esse actionis: si non enim fuerit Dominus actionum, ex superfluo habet consultare, &c.* Secundus verò tom. 1. in oratione contra Idola, *Quæ cùm, inquit, liberũ sui ius, arbitriumque intueatur, & sensit se in vtramque partem corporis membris vti posse, tu ad ea, quæ sunt, tum ad ea, quæ non sunt; ea autem, quæ sunt appello bona; quæ non sunt mala, &c.* Tertius in libro 1. Epistolarum tertia ad Cornelium super illud Ioannis, *Numquid & vos vultis abire*, sic scribit, *Seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus sibimetipse, vel mortem appetit, vel salutem.* Quartus autem lib. 4. aduersus hæreses capit. 9. *Homo, ait, rationalis, & secundùm hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat: quapropter & iustè condamnabitur.* Et infra, *Qui operantur bonum, gloriam, & honorem percipient: quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud: hi autem, qui illud non operantur iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cùm possint operari illud.*

974 Octauò adduco Iustinum Martyrem in Apologia ad Senatum Romanũ, vbi, *Quoniam à principio, ait, tàm Angelorum genus, quàm hominum iudicij sui, ac voluntatis Deus effecit, iure pro ijs, quæ scelerate fecerint, pœnas in æterno igne soluent; omnium verò, qui generati sunt, hæc natura est, vitium, atque virtutem accipere posse: neque enim quidquam horum laude dignum esset, nisi vtramque in partem conuertere, & quasi flectere se possent.* Necnon Clementem, Diui Petri discipulum, in sua epistola tertia, quæ habetur tomo primo Conciliorum, ita scribentem, *Si quis sanè audiens sermonem veri Prophetæ*, nempe Christi, *velit recipere, aut nolit amplecti onus eius, habet in sua potestate: liberi enim sumus arbitrij.* Et infra, *Nunc autem, quia liberum est animo, in quam velit partem, declinare iudicium suum, & quam probauerit, eligere viam, constat euidenter in esse hominibus arbitrij libertatem.* Atque etiam ipsummet Diuum Petrum, relatum ab eodem Clemẽte lib. 3. recognitionum, scito enim per Apostolum, quòd Simon Magus docebat nihil esse in nostra potestate, sed omnia fatali necessitate euenire, his ei restitit verbis, *Hoc si teneatur, conuulsa sunt omnia, frustrà erit studiũ sectandi meliora: sed & Iudices seculi frustrà legibus præsunt, & puniũt eos, qui malè agunt: non enim in sua potestate habuerunt, vt non peccarent. Ego igitur dico*, subiungit, *sui esse arbitrij hominem.* Et infra, *Arbitrij potestas est sensus animæ, habens virtutem, qua possit, ad quos velit actus, inclinari.* Vbi non solùm excludit Apostolus necessitatem fati, verùm etiam explicat, non esse dignũ pœna eum, qui dum malè ageret, non haberet in potestate non malè agere; necnon in quo consistat libertas arbitrij, nimirum in habere virtutem determinandi se ad hos præ illis actibus, quos posset, definit: quod dico, ne Iansenistæ paucis se obtegant, quòd reprobat Apostolus solùm necessitatem fati, non verò necessitatem ortam ex gratia, vel concupiscentia, insperſa visceribus voluntatis.

975 Vltimò tãdem tam numeroso Sanctorum Patrum cœtui adiungo Angelicum Doctorẽ, ex quo innumerabilia possem adducere loca: sufficiant nihilominus volo tria, quæ à fundamentis errorem Iansenij cõminuunt, destruuntq; Primus sit ex quæstione 2. de Potentia art. 3. vbi ita discurrit, *Volũtas, in quãtùm voluntas, cùm sit libera, ad vtrũlibet se habet: potest enim voluntas agere, vel non agere: sic, vel sic facere: velle, vel non velle: & si respectu alicuius hoc volũtati nõ conueniat, hoc accidit voluntati, non in quantùm voluntas est: sed ex inclinatione naturali, prout scilicet quæ-*

 dam

dam natura est. Quod totum longo, eodemque euidentissimo discursu probat. Et idē docet quæst. 22. de Verit. art. 5. in corpore: vbi duplicem necessitatem distinguit, aliā nimirum coactionis, & hanc probat omnimodè implicare voluntati, cujus omnis actus est inclinatio: aliam ab indifferentia, & hanc probat conuenire quidem voluntati, sed in ordine præcisè ad suum vitimum finem in genere, eique competere, non quà voluntas, quo pacto est liberi arbitrij, sed quà quędam natura est etiam ipsa voluntas: deindè verò in articulo septimo quærens, num aliquis mereatur, volendo illud, quod de necessitate appetit, respondet; (& iste sit secundus locus contra errorem Iansenij,) *Dicendum, quòd aliquis volendo id, quod naturaliter vult, quodāmodò meretur, & quodammodò non:* (Notēt Iansenistæ, vbi talem doceat Angelicus mereri, & vbi non:) *Ad cuius euidentiam,* prosequitur, *sciendum est, quòd differenter est aliquid prouisum homini, & cæteris animalibus, tam secundùm corpus, quàm secundùm animam. Alijs enim animalibus, &c. sed homini inditus est appetitus vltimi finis sui in communi, vt scilicet appetat naturaliter se esse cōpletum in bonitate: sed in quo ista completio consistat, vtrum in virtutibus, vel scientijs, vel delectabilibus, vel huiusmodi alijs, non est ei determinatum à natura; quando ergo ex propria ratione, adiutus diuina gratia, apprehendit aliquod speciale bonum, vt suam beatitudinem, in quo verè sua beatitudo consistit, tunc meretur: nō in hoc, quòd appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit: sed ex hoc, quòd appetit hoc speciale, quod nō naturaliter appetit.* Voluntati ergo, cui repugnat ex Angelico coactio, & dumtaxat in ordine ad finem in genere potest necessitari necessitate ab indifferentia, non aliàs ex eodem potest competere ratio meriti in ordine ad finem bonū, nisi secundùm quòd operatur liberè, appetendo finem specialem bonum: non verò secundùm quòd operatur necessariò, & naturaliter, appetendo finem in communi; vndè ergo haberi posset ratio meriti per Iansenistas, in quorum errore voluntas sēper operaretur ex necessitate, & numquam ex libertate indifferentiæ? Tertius tandem locus sit ex quæstione 6. de Malo articulo vnico, vbi quærens, num homo habeat liberam electionem actuum, aut ex necessitate eligat, respondet, *Dicendum, quòd quidam posuerunt, quòd voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquod eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur: non enim omne necessarium est violentum, sed solùm id, cuius principium est extra: vndè & motus naturales inueniuntur aliqui necessarij, non tamen violenti; violentum enim repugnat naturali, sicut & voluntario: quia vtriusque principium est intra: violenti autem principium extra.* Nōne hæc est explicita doctrina Iansenij? sed legant Iansenistæ, qualē de illa ferat sententiam Angelicus Doctor, *Hæc opinio,* subdit, *est heretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium, & demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod euitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones: quia non solùm contrariatur fidei, sed subuertit omnia principia Philosophiæ moralis: si enim nō sit liberū aliquid in nobis, sed ex necessitate mouemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, laus, & vituperium; circa quæ moralis Philosophia consistit.*

976 Video tamen in his omnibus adhuc fabularum amatores tegumen inquirere posse, vt à fulgentissimis veritatis radijs se contegant ex Iansenio libro 8. de Gratia Christi cap. 4. & cap. 20. ex quibus locis triplex distinctio exhiberi potest tum locis adductis ex Scriptura, & Augustino contra Lutherum, & Caluinum: tum locis adductis atque additis ex Concilijs, & Sanctis Patribus contra Iansenium. Possunt namque, Iāsenij imbuti doctrina, dicere, quòd ex Scriptura, Concilijs, & Patribus non aliud colligitur, nisi quòd liberum arbitrium debeat habere potestatem ad opposita; siue ad vtramque partem: hoc autem tripliciter saluari in doctrina Iansenij. Primò quidem dicendo, quòd liberum arbitrium, adhuc necessitatum ad vnum, habet simultaneitatē potentiæ ad opposita, in quantum, dum est ad vnum, adhuc est potentia ad aliud: licèt non habeat potestatem simultaneitatis, vt possit coniungere vnum, & aliud oppositum. Secundò dicendo, quòd liberum arbitrium est potestas ad opposita in sensu diuiso, vt possit ex se necessitari ad vnum, vel aliud: non verò in sensu composito, vt necessitatum ad vnum, possit componere cum illo aliud. Tertiò asserēdo, quòd liberum arbitrium dicit potestatem ad plura, tamquam magis illud extēdentia, vt nimirum sit maius liberum arbitrium, non tamquam constituentia, vel partes liberi arbitrij, itaut nō sit essentialiter liberum, dum ad vnum tantùm non coactè tendit.

977 Tota hæc, ad argumentorum quoquo modo, vel deludendam, vel effugiendam euidentiam composita doctrina, confusionibus, & æquiuocis plena, legitur apud Iāsenium locis citatis: in primo namque

loco

loco ita habet. *In libero arbitrio, quantumcumque per gratiam preparato, imò determinato, & actu operante reperitur simultas potentiæ ad operandum, & non operandum: non potentia simultatis, vt videlicet simul agat, & non agat: & potentia dissentiendi non repugnat excitationi gratiæ, sed dissensus repugnat. Quemadmodum, cùm paries albus verè dicitur posse esse niger, non hoc significatur, quòd albedine permanente, simul in eo nigredo reperiri possit: sed quòd simul cum albedine sit in eo potentia, vt fiat niger. Hac sola distinctione*, subiungit, *solui, atque dissipari posse quidquid ei potest obijci.* Nimirum concedēdo libero arbitrio simultaneitatem potestatis ad actus oppositos, & negando eidem potestatem simultaneitatis. In secundo autem loco pro sēsu diuiso, & composito ita habet, *Nec eo sensu, quo Scholastici putant, quasi fieri possit, vt arbitrium siue gratia, siue peccati delectatione imbuatur, vtrumlibet velit, siue bonum, siue malum: sed quòd possit bonum facere, aut malum, non in sensu composito, sed in sensu diuiso. Nimirum, quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium sub gratiæ delectatione, efficaciter eam mouente, positum est: imò quo etiam actum voluntatis bonum facit, est in eadem voluntate potestas illud nō faciendi: non quòd cessatio ab actu, quem tunc elicit, aut actuale peccatum, cùm gratiæ delectantis influxu consistere possit, quod sensus compositus postularet: sed quia cessandi, & peccandi potestas cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio coniungi potest. Sic ergo quantacumque gratiæ suauitate capiatur, potest non agere id, ad quod rapitur, quia veram non agendi potestatem, etiam sub gratia rapiente, retinet: quamuis fieri nequeat, vt ipsa non actio cum gratia operatione in eadem simul voluntate copuletur. Et eodem modo verum est illud Concilij Tridentini Sess. 6. cap. 5. Homo recipiens inspirationem, illam abijcere potest. Et Canone 4. Liberum arbitrium, à Deo motum, potest dissentire, si velit.* Ac tandem in eodem loco paulò ante relata pro tertia adstruenda distinctione, ita scribit, nempe, *Agnitam fuisse Augustino sub gratia, & ante gratiam indifferentiam contrarietatis, & contradictionis quodā sensu, non tamen tamquam libertatem, aut partem eius.* Si ergo præfatæ indifferentię, nec partes sunt constitutiuæ libertatis per Iansenium, solùm pertinebunt ad eam extendendam in plura obiecta.

978 Sed ista Iansenij figmēta nihil ipsū iuuant, quo minùs non conuincatur prorsus alienus à Scripturæ, & Augustini doctrinæ veritate: & communionem identitatis habere cum Lutheri, & Caluini hæresi damnata. In primis ergo somnium est, quòd ex Scriptura, atque Augustino, sicut ex Concilijs, & alijs Sanctis Patribus nō aliud colligitur, nisi quòd liberum arbitrium debeat habere potestatem ad opposita, sumpta potestate pro sola potentia, & excluso dominio agendi: nec enim Lutherus, nec Caluinus, nec vllus alius vmquam dixit voluntatem raptam à gratia deperdere entitatem voluntatis, secundùm quam est ex se viua potentia ad actus obiecti delectabilis: sed solùm dixerunt, quòd per peccatum deperdidit dominium agendi, optionem, & vim eligendi, ideòque necessitate trahi, vel concupiscentia dominante ad malum, vel gratia rapiente ad bonum; & indè dixerunt se habere, tamquam exanimatum instrumentum, operans determinatum ab alio, vt videre est in omnibus ijs, quæ adduximus ex Caluino, & Luthero: & aliàs afferant Iansenistæ, vel vnum horum hæreticorum locum, in quo negent potentiam voluntatis entitatiuam, & remotam ad malum, cùm rapitur à gratia ad ad bonum.

979 Rursus: si sola potentia ad opposita, cum carentia coactionis, esset constitutiuū libertatis, numquid animalia, cùm non comedunt, deperdunt ipsum posse comedere, cùm non ambulant, amittunt vim motiuam, cùm non operantur dormiendo, spoliantur vi operatiua? aut ista ab extrinseco patiuntur, reluctante, & recalcitrante natura? sunt ergo & animalia in suo genere libera, sunt & capacia meriti, vel demeriti. Et in homine ipso, ita ne cæcutiunt Iansenistæ, vt non discernant non eadem potestate, & dominio posse se mouere, vel cohibere à vegetando, phantasiando, & temperamento isto, vel illo, & similibus: ac mouere se potest ad volendū, amandum, vel odio habendum? An eodem modo sui arbitros faciunt pedes, manus, & oculos, quia ad opposita moueri possunt, sicut eorumdem arbitra est voluntas, quæ eadem, & mouere, vel non mouere, sicut voluerit, potest? Nonne vidēt aliud esse posse plura præcisè; aliud in his pluribus dominari, & optionem, seu electionem per se ipsam voluntatem habere: & primum competere brutis, non secundum, quod dumtaxat conuenit creaturæ rationali; & nec in omnibus, sed dumtaxat in iis, in quibus liberum est ipsis operari? Recolantur autem omnia Scripturæ loca, & Augustini, quæ contra Lutherū, & Caluinum pro defensione libertatis attulimus: recolantur verba supra adducta Tridentini, & Senonensis Concilii, sicut, & authoritates aliorum Sanctorum Patrum,

 & cla-

& clarescet, quòd in illis non agitur de solo posse ad opposita, sed de potestate, & & dominio creaturæ rationalis in iisdem. Numquid iterum hic referre debeo? legatur in suis locis.

981 Adducam dumtaxat Concilij Tridentini verba iterum in examen, vt ex hoc appareat insanitas responsionũ Iansenij. Decernit Concilium loco citato supra, quòd, *Qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur, &c. quippe qui & illam abijcere potest.* Explicat Iansenius verba hæc Concilij, vt videre est supra num. 977. quòd, *Eodem modo verum est illud Concilij Tridentini Sess. 6. cap. 5. Homo recipiens inspirationem, illam abijcere potest.* Trutinemus nunc quæso, quomodò loquatur Iansenius: sic namque prælocutus fuerat, *Nec eo sensu, quo Scholastici putant, quasi fieri possit, vt arbitriũ, siue gratia, siue peccati delectatione imbuatur, vtrumlibet velit, siue bonum, siue malum: sed quòd possit bonum facere, aut malum, non in sensu composito, sed in sensu diuiso.* Notent nũc lectores quis per Iansenium sit sensus compositus, & qualis diuisus, *Nimirum*, subdit, *quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium sub gratia delectatione efficaciter mouente, positum est: imò quo etiam actum voluntatis bonum facit, est in eadem voluntate potestas illud non faciendi, non quòd cessatio ab actu, quem tunc elicit, aut actuale peccatum cũ gratiæ delectantis influxu consistere possit, quod sensus compositus postularet: sed quia cessandi, & peccandi potestas, cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio coniungi potest.* Et deindè, *Sic ergo voluntas quantacumque gratiæ suauitate capiatur, potest non agere id, ad quod rapitur, quia veram non agendi potestatem, etiam sub gratia rapiente, retinet: quamuis fieri nequeat, vt ipsa non actio cum gratiæ operatione in eadem simul voluntate copuletur.* Et ad hæc subiungit explicationem prædictam verborum Concilij, quasi dicat, *Homo recipiens inspirationem, illam abijcere potest:* in sensu diuiso, non in sensu composito. Potestne videri maior stoliditas contradictionis in paucis verbis? Tota a Iansenio præiacta doctrina in eo sita est, quòd homo sub gratiæ suauitate retinet, & non amittit posse non agere, quod ex se habet independenter à gratia, qui est sensus diuisus à gratia, & hominis potentis secundùm se; sed non inde potest cessare ab actione, aut peccatũ cõponere cum gratia premouente efficaciter: numquid autem Concilium solùm definit hominem sub gratia posse non agere, quo pacto quoquo modo locum habere forsan posset distinctio Iansenij? non ita loquitur, sed quòd homo receptam gratiam ipsam abijcere potest: non potest autem homo gratiam, quam non habet, abijcere, sed quam habet: atqui in eadem doctrina Iansenij homo sub gratia non habet posse non operari, prout sub gratia, qui esset sensus compositus: sed solùm retinet posse non operari, secundùm se, gratia non mouente, quatenus illud posse ante gratiam non operari, retinet cum gratia, licèt non sit reducibile ad actum non operandi, prout sub gratia, sed separatum, & diuisum à gratia; ergo non est posse gratiam, iam mouentem, amittere, vel abijcere, dum, prout gratiam supponit, non potest esse cessatio ab opere: sed posse sine gratia non operari, quod est posse non habere gratiam, non verò posse eam habitam abijcere.

982 Vrgeo ex communibus principijs, & ipsiusmet Iansenij; potentia eo modo dicitur, quo ipsi est compossibilis operatio: eo verò modo, quo ipsi est incompossibilis operatio, non dicitur potentia, sed impotentia: atque ita ex verbis Iansenij numero antecedenti citatis habetur, *Nec eo sensu, quo Scholastici putant, quasi fieri possit, vt arbitriũ, siue gratia, siue peccati delectatione imbuatur, vtrumlibet velit, siue bonum, siue malum: sed quòd possit bonum facere, aut malum, non in sensu composito, sed in sensu diuiso.* Licèt ergo ex Iansenio ipso liberum arbitriũ ex se sit potentia ad vtrumlibet in sensu diuiso, quia diuisim singula ex oppositis componi possunt cum libero arbitrio; in sensu tamẽ composito non dicitur posse, sed non posse, quia effectus non sunt simul componibiles cum libero arbitrio: atqui vbi gratia non est, & in sensu diuiso ab illa, abijci nõ potest, quod namque abijci posse dicitur, supponitur esse; vbi verò est, & in sensu composito cum illa, atque in suppositione, quòd est, implicat per Iansenium dissensus, vel cessatio operis, quæ componatur cum suppositione gratiæ; ergo numquam verum esset illud Tridentini Concilij, quòd homo recipiens gratiam, possit eam abijcere, vel eidem dissentire: sed solummodò, quòd homo habens gratiam, retinet posse nõ operari in sensu diuiso, & si gratiam non habeat.

983 Atque hinc clarescat volo, quàm ludicrè se gerat Iansenius; trãsferendo sensum compositum, & diuisum, desumptum ab exercitio ipso libertatis, ad sensum cõpositum, & diuisum antecedentem ad libertatem. Vera est distinctio sensus compositi,

positi, & diuisi, quando agitur de potentia, præciso exercitio libertatis, & de impotentia nata ab ipso exercitio: verum namque est, quòd homo, dum sedet, non potest non sedere, & adhuc liberè sedet; quia videlicet impotentia non sedendi oritur ex sessione: sessio autem exercitium est voluntatis; illam propria determinatione imperantis: atque ita impotentia sedendi exercitium est libertatis, & ideò libertati non obest: at verò, si impotentia aliunde est, quàm à libertate, puta, si aliquis non se liberè occluserit in domo, ex quo impediatur ab auditione missæ, sed eo dormiente, alius domum seris clauserit, iam hæc impotentia non nascitur ex aliquo exercitio libertatis: & post hæc voluntas non retinet rationem optionis, vel electionis; ergo libertas omninò impeditur, & euacuatur. Et eodem modo, si redditus impotens cessare ab opere, non à proprio libertatis exercitio, sed à gratia, omninò libertate priuaretur: & nec sola simultas potentiæ, nisi ex se sit determinabilis, & dominium habeat actus: nec potentia præcisa in sensu diuiso, nisi impossibilitas in sensu cōposito sit ex exercitio liberi arbitrij, vllatenus saluant libertatem; ac multò minùs non saluat tertia Iansenij distinctio, cùm omnes authoritates adductæ probēt non esse locū libertati, vbi non est potestas, & dominium ad plura; ergo pluralitas ista essentialiter pertinet ad libertatem, & non se habet, tamquam illius pura extensio: atque ita constat omnes tres Iansenij responsiones non esse, nisi figmenta.

984 Obijcit tamen, his non obstantibus, primò Iansenius aliqua verba Concilij Arausicani, & alia non parùm similia Papæ Cœlestini: ex primo nimirum haberi, *Quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum possit*: ex secundo verò in epistola ad Episcopos Galliæ ita, *In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatē perdidisse*: Ex quibus infert Iansenius perdidisse per peccatum Adę hominem indifferentiam naturalem ad omne opus bonū, sicut oportet: ac solum consequenter posse deindè benè operari ex gratia, non ex propria libertate indifferentiæ.

985 Respondeo, Conciliū loqui de homine præcisa gratia Christi Redēptoris eo modo, quo omnes Catholici contra Pelagianos, & Semipelagianos dicimus, genus humanum contrahens originale, perdidisse per illud omne donum gratuitum, etiam iustitiam originalem, qua soporante omnes concupiscentias, & cupiditates naturales, poterat homo tum naturaliter, tū supernaturaliter credere in Deum, ipsumque diligere, suos nimirum actus ordinando semper ad Deum, vel vt authorem naturæ, vel vt authorem supernaturalem, non impeditus proprijs concupiscentijs, quibus natura semper trahitur ad sibimet bonum, & vtile: deperdita autem per originale peccatum iustitia ista, ac expergefactis concupiscentijs, quis non videt, *Quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea*, nisi sanante idem liberum arbitriū gratia Christi Redemptoris, *aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum possit*, prout loquitur prærecensitum Concilium? transferre autem ad materiam, de qua nunc agimus, hunc locum, qui est de facultate, etiam naturali, ante peccatum originale tradita homini à Deo, cùm ipsū fecit in omnibus rectum, nescio quomodò non erubescat Iansenius, qui se fidum Augustini sectatorem iactat, & apud eumdem legit, tum libro de Spiritu, & Anima cap. 48. tum libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. *Postquam verò seductione Serpentis per Euam cecidit, natura bonum perdidit, pariter & vigorem: non tamen electionē, ne non esset suum, quòd euitaret peccatum, nec merito indulgeretur, quòd non arbitrio deluisset*, & cætera omnia, quæ ex Augustino adduxi à numero 736. vsque ad 746. Et eodem modo loquitur Cœlestinus Papa, nimirum quòd homo per originale omnem prorsus naturalem facultatem perdidit ad bonum, tum in intellectu, cuius cognitio non mouet ad amorem, nisi rerum concupiscibilium: tum in voluntate, quæ tota, quanta est, concupiscentijs seruit: sed non perdidit propterea vim præcisam electiuā, quæ essentiale constitutiuum est voluntatis, secundùm quam, recuperatis viribus ad bona supernaturalia per gratiam Christi Redēptoris, nostrū est, quod euitamus peccatum, nostroque merito indulgetur liberi arbitrij: non ita tamen nostrum, vt non sit magis gratiæ, imò simpliciter huius, nō illius, vt millies ex Scriptura, & Augustino dixi.

986 Obijcit secundò plurima loca, quæ cōgerit ex Augustino, & Prospero, eò tendēs, vt curet probare hos Sanctos Patres Pelagianis restitisse, eosdemque sæpè oppugnasse in hoc, quòd in hominibus post lapsum admittebant libertatem indifferentiæ ad bonum, vel ad malum; ergo, infert Iansenius, hæc libertas Indifferentiæ est hæresis Pelagiana. Plura sunt loca, quæ ad

hunc

hunc finem congerit Iansenius, & valde superfluum esset hic referre, cùm præcipuè nullus reperiatur, qui de libertate sit, restituta per gratiam Redemptoris: sed dũtaxat de libertate, quam confingebat intacta post Adæ peccatum Pelagius, negans peccatum Adæ alijs, quàm ipsi obfuisse. Quare sufficiet ostendere vniuersaliter ex Augustino numquam inter ipsum fuisse dissentionem, quoad substantiam huius libertatis indifferentiæ, sed solùm circa requisita ad huiusmodi libertatem; ex quo euidens fiet, ruere totam congeriem locorum, quam construit ex Augustino, & Prospero Iansenius.

986 Respondeo ergo quales fuerint errores Pelagij me insinuasse a numero 293. vsque ad 316. inclusiuè, & vt materiam præsentem, quantùm sat est, hic de nouo recenseam, dico numquam Augustinum, siue Prosperum Pelagianos reprehendisse, tantùm abest, vt impugnauerint, in eo, quòd libertatem indifferentiæ admittebãt, imò in hoc fatetur cum illis conuenire, & cõmune esse vtrisque dogma: illud autem, in quo ipsos oppugnabant, in eo situm esse, quòd hanc indifferentiam tum ad malum, tum etiam ad bonum, docebant habere homines post peccatum Adæ per vires naturales, & absque intrinseco supernaturali auxilio Redemptoris, dicentes, quòd peccatum Adæ nulli obfuit, quòminus omnes nascantur innocentes, & cum eodem posse libertatis, cum quo fuit conditus Adã. Quòd enim somnians dicat Iansenius Pelagianos admisisse gratiam sufficientem, & dumtaxat negasse gratiam efficacem, iam in loco mox citato euidentissimè ostendi, non aliam gratiam admisisse, nisi legis, & doctrinæ, & naturalis cognitionis, causatæ, vel à lectura eiusdem, vel à prædicatore, aut alio extrinsecùs docente. Et quidem numquid Augustinum non legit Iansenius in libro 2. de Nuptijs, & Concupiscentia cap. 3. vt aduertere potuerit, quòd conquerenti de Augustino Pelagio his verbis, *Si quis, aut liberum in hominibus arbitriũ, aut Deum esse nascentium conditorem, dixerit, Celestianus, & Pelagianus vocatur*, ita Sãctus Doctor respondet, atq; refutat, *Non est ita, vt loqueris, quicumque ista dixisti, non ita multum falleris, vel fallere meditaris; non liberum negamus arbitrium, &c. liberum itaq; in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem vtrique dicimus: non hinc estis Celestiani, & Pelagiani*, videamus ergo, in quo, vel quibus eos vocari dicat Celestianos, & Pelagianos, *Liberum autem*, subiungit, *quemquam esse ad agendum bonum sine adiutorio Dei, & non erui paruulos à potestate tenebrarũ, & sic trãsferri in Regnũ Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani, & Pelagiani; quid obtẽdis cõmunis dogmatis tegmen, vt operias proprium crimen?* Poterat ne clariùs ostendere Augustinus commune libertatis indifferẽtiæ dogma, etiam cum Pelagianis: & differentiam in eo, quòd hanc libertatem ad bonũ adstruebant sine gratia Redemptoris?

987 Instat Iansenius ex Augustino in supplemento, (quod alio nomine vocatur opus imperfectum,) lib. 1. cap. 44. vbi obijcienti Iuliano Pelagiano definitionem peccati, quam tradiderat Sanctus Doctor in libro de duabus Animabus, nimirum, *Peccatum est voluntas admittendi, vel retinendi, quod iustitia vetat, & vndè liberum est abstinere: quamquam, si liberum non est, nec voluntas dici potest*, respondet idem Augustinus, *Hic peccatum definitum est, quod tantũmodò peccatũ est, non quod etiam pœna peccati.* Ex quo infert Iansenius; ergo definitio peccati per indifferentiam voluntatis conuenit dumtaxat peccato Adæ, quod nullius alterius peccati fuit pœna: non verò peccatis post originale, quæ ex Apostolo permittuntur à Deo reprobis in pœnã originalis.

988 Respondeo me numquam satis mirari, quòd audeant plures, sicut sæpè, alios Theologos spernens, inculcat Iansenius, fidos se lectores, & sectatores Augustini iactare, quando non eius sanam inquirunt doctrinam: sed proprij, ac luxuriantis ingenij laruas statuere prætendunt: nihil aliud ex Augustino curando, nisi verba discerpere, quæ ita discerpta aliquem eorum doctrinæ apparentiæ fucum afferre videantur. Iansenius ergo, qui in loco ab ipso citato legit apud Augustinum, *Hic peccatum definitum est, quòd tantummodò peccatum est, non quod etiam pœna peccati*, nonne etiam legit in capite 45. immediatè subsequenti, quod obiicienti etiam Iuliano plurima Scripturæ loca, nimirum, *Deus fecit hominem, & dimisit eum in manu consilij sui: posuit, ante eum vitam, & mortem, aquam, & ignem, quod placuerit ei, dabitur illi*, & alia similia, ita respondet, *Hæc testimonia propter illam voluntatem dicta sunt, in qua quisque id, quod vult, agit; ut si non habetur, ab eo poscatur, qui in nobis operatur & velle?* respectu ergo cuiusque, gratia auxiliante Redemptoris, admittit Sanctus Doctor posse liberè, & quod vult agere. Rursus nonne legit cap. 47. vbi postquam distinguit tria, peccatum scilicet, pœnam peccati, & tertium, quod simul sit peccatũ, & pœna peccati, & dicit, quòd per prædictam definitionẽ definiuit peccatũ

catum, non pœnam peccati, nec, quod vtramque includit rationem, subiungit, *Habent autem tria ista genera etiam species suas, de quibus nunc longum est disputare. Horum sanè trium generum, si requirantur exempla primi generis, in Adam sine vllo modo quæstionis occurrit. Multa quippe sunt, quæ agunt homines mala, quibus eis liberum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depuratus astabat.* In primo ergo genere, in quo includit Augustinus peccatū Adæ, cui liberū fuit omnimodè ab eo abstinere, etiam, quoad hanc libertatem abstinendi fatetur includi multa hominum peccata, licèt in pœnam originalis sint permissa, & quoad hoc spectent ad tertium genus: de his nihilominus nullatenus curauit Augustinus agere cum Iuliano, cum quo tota lis erat in præfato libro, & quinque alijs subsequentibus de peccato originali generis humani, quod negabat Iulianus Pelagianus, & propugnabat Augustinus. Probare intendebat ille errorem suum ex eo, quòd non potest esse peccatum, vbi non est peccantis propria voluntas, cui liberum sit abstinere, hoc ipsum ex præallata definitione Augustini comprobare procurans: & Augustinus respondet, quòd quando iam dictam tradidit peccati definitionem, non attendit ad omne genus peccati, sed ad primam radicem, & originē illius, vt probaret contra Manichæos caussam peccati non esse malam naturam, sed voluntatem liberam, liberè amplectendo malum, dum potest ab illo abstinere; & quoniam hæc voluntatis libertas maximè fuit in Adamo, cùm primum peccauit, comedendo pomum prohibitum: ideò dicit, quòd illa definitione definiuit præcipue peccatum Adæ, quando illam tradidit, nihil curando de modis, quibus cætera peccata contrahuntur, cùm non opus fuerit tunc agere disputando contra Manichæos, qui malam naturam ab intrinseco, & per se ipsam ab alia similiter ex se bona distinguebant, nisi de prima radice, vnde ortum habet omne peccatum in hominibus. An non totum hoc in loco citato à Iansenio docet Augustinus, quamuis ille sileat; sic enim ibi habet Augustinus, *Hic peccatum definitum est, quod tantummodò peccatum est, non quod etiam pœna peccati; de hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur, quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum.* Contra ergo Manichæos loquenti Augustino sufficiebat definire primam peccati originem in Adamo: & ideò in cap. 47. dicit, *Ipse est Adam, quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cùm dicerem, &c.* Cæterum qualiter contrahatur originale, qualiter actuale personale tunc non curabat inquirere; sicut, vt probaui ex eodem Augustino supra num. 986. nec vnquam cum Pelagianis litem habuit de libertate indifferentiæ ad peccatum personale hominum post lapsum: sed eos dumtaxat oppugnauit, quia libertatem ad bonum volebant in hominibus naturalem, sine gratia Redēptoris: & negabant homines nasci in peccato originali, ad quod non habent libertatem physicè propriam: probante Augustino, quòd ad hoc peccatum sufficit libertas capitis, quæ moraliter est libertas mēbrorum, de quo suo loco satis locutus sū; & quòd ad bonum nihil est liberum arbitrium sine Dei gratia auxiliante, & eleuante intrinsecùs. Ad quid ergo Iansenius verba Augustini ex proprio loco discerpta in alium conatur transferre sensum.

989 Obijcit tertiò alia loca Augustini, quibus iste asserit hominibus post lapsum originalem inesse quidem ex se libertatem ad malum, sed non ad bonum, nisi priùs sanetur gratia Redemptoris. Ex quibus locis ita arguit Iansenius: homo post lapsum, adhuc sine gratia, est ex Augustino liber ad malum, & ad peccandum: sed hoc modo non potest esse liber, nisi libertate à coactione; ergo hæc sufficit ad peccandum. Minorem probat, quia sine gratia non potest bonum; ergo necessitatur ad malum; ergo, dum dicitur remanere liber, erit dūtaxat liber à coactione.

990 Respondeo certissimum esse Augustinum pluries docere sine gratia reperiri in homine libertatem ad peccandum: sed cum hoc etiam docet, vt probaui contra Lutherum, & Caluinum, Deum non præcipere nobis, quæ non possumus: stat etiā illud, quod adstruit lib. de Correctione, & Gratia cap. 11. *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quamprimùm facti sūt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Vbi ergo caditur, quia adiutorium deficit, sine quo nullus potest non cadere, sine culpa caditur. Quando ergo Augustinus docet hominibus destitutis Dei gratia inesse liberum arbitrium ad peccandum, non debent verba ista crassa minerua, & ita litteraliter accipi, vt & Catholicæ, & eiusdem Augustini doctrinæ opponantur: sed secundùm multiplicem verum sensum, quem possunt simpliciter habere. Primò

nam;

namque verum simpliciter est hominem sine vlla prorsus gratia posse peccare, etiam imputabiliter, quando necessitatus ad duo mala, & liber ad vtrumlibet, eligeret maius malum, contra illud commune adagium, ex duobus malis minus est eligendū: sic namque eligens maius, conuincitur nō necessitate, sed libertate ferri ad malum. Secundò verum etiam simpliciter est hominem posse peccare sine gratia, in quantùm necessitati posset addere libertatem: sicut si quis gauderet de tali necessitate, potens non gaudere, quo pacto videtur loqui Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. in illis verbis: *Nam liberum arbitrium vsque adeò in peccatore non periit, vt per illud peccent, maximè omnes, qui cum delectatione peccant: & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet.* Tertiò verificantur eadem loca Augustini de libertate ad malum, vel ad peccatum sine gratia, præcisiuè loquendo, nō negatiuè, in quantùm potentia ad malum, & peccandum non est à gratia, quæ dat potentiam ad bonum: sed à natura voluntatis defectibilis: non verò, quia peccet imputabiliter homo, non amplectendo bonum, quod non potest ad eum prorsus modum, quo in lib. 4. Supplementi cap. 134. explicans illud Ioannis, *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, quia semen eius in ipso manet*, ita habet, *secundùm hoc semen quisque non peccat, quia, & si peccat, vt homo, habet tamen alterum semen.* Ita ergo sine gratia homo est liber ad peccandum, in quantùm non per semen gratiæ peccat, sed per semen naturæ defectibilis: non quia peccet, quando destitutus gratia, non potest non amplecti malum. Quartò possunt eadem Augustini verba esse vera loquendo de gratia, quæ dat posse efficax, de qua ferè semper loquitur, cùm hæreticos impugnat, qui opera bona de facto admittebant per solas vires liberi arbitrij; contra quos loquēdo, dicit, quòd sine gratia efficaci potest homo efficaciter peccare: non verò operari exercitè bonum, licèt non impotentia physica, sed morali. Quintò tandem possunt verificari verba Augustini sumpto nomine mali, & peccati, non pro noua ratione culpæ imputabilis, sed pro eo, quod est pœna peccati, & quod ex se incitat ad peccatum: sicut ex eodem Augustino contra Lutheranos, & Caluinistas probari vocari etiam ab Apostolo peccata concupiscentias antecuolantes liberum arbitrium voluntatis, non quia ipsæ peccata, sed quia pœnæ peccati sunt, & ad peccatum inducunt, nisi resistatur.

991 Cæterùm quòd, si homo omni gratia destitueretur, semper peccaret, quidquid etiam necessitate amplecteretur: vel per solam libertatem amplectendi hoc, aut illud, ridiculum est: quis enim ita insaniet, vt dicat posse Deum sub peccato præcipere homini, vt in nullo singulari loco sit, neque hic, neque alibi, & indè istum obligari, quia liber est vt sit hic, vel alibi? posset ergo Deus homini lapso, & sine gratia præcipere abstinentiam ab vno: quia liber esset ab liuēdi ab hoc: sed non, vt abstineat ab omnibus, nisi gratia vires tribuat, quibus ab omnibus posset abstinere. Propter hoc numquam potui intelligere, quomodò stet necessitas peccandi venialiter, seu impotentia abstinendi ab omni veniali per solam libertatem ad singula, si impotentia ista physica, & non moralis tantummodò adstruatur. Quid namque ad peccandum confert, si homo potest, aut hoc, aut illud vitare determinatè peccatum, dū omnia physicè euitare non posset? Esset certè sicut homo potens non esse hic, vel alibi, cui præcipiatur, vt nullibi determinatè sit.

992 Objicit quartò doctrinā Augustini, qua ego vsus sum à numero 201. vsque ad 235. nimirum per quam distinguit in libro de Correctione, & Gratia cap. 10. & 11. gratiam datam Adamo, & Angelis in prima eorum conditione ab ea, quæ datur Electis post casum originalem: docendo, quòd illa dabat solùm posse, relinquendò libero arbitrio, vt eligat, quod maluerit: & indè in illis libero arbitrio fore tribuendum siue demeritum, siue meritum operis: quę verò datur Electis post originale non solùm dat posse, sed ipsa, non liberum arbitriū, discernit Electos à Reprobis, dans illis & velle, & perficere. Ex qua doctrina infert Iansenius, ergo in Electis post originale per Augustinū gratia ita determinat opus bonum, vt vi illius homo non possit non ita operari: ergo necessariò, licèt non coactè, operatur: econtra argui potest de relicto à tali gratia, qui, hoc stante, non potest non operari malè; ergo tota libertas in homine actū operante est solùm à coactione, non ab indifferentia.

993 Hoc sanè argumentum, stante doctrina Thomistarum de decretis prædeterminatiuis Dei, & Physica prædeterminatione voluntatis creatæ ad omne opus, est ita validum, & forte, vt, & si Thomistæ non eo conuincantur, quòd doctrinæ Iansenij cedant, ad minùs tamen numquam poterunt quoquo modo suadere, non dico cōuincere, ne vocent simpliciter necessitatē modum istum operandi hominū post lapsum

sum, determinatione, & infallibilitate aliundè, quàm à libero arbitrio operante, prouenientibus: si enim hoc ipsum est imperceptibile omnibus Catholicis, adstruentibus scientiam mediam, quomodò secũdùm eadem principia expugnari poterunt dogmata Iansenistarum, in iisdem fundata? quapropter, vt principia hæc Iansenij, quę ex Augustini doctrina stabilire conatur, funditus ex eodem ruant, & cum ipso Iansenio omnis via, quam indè carpere etiam possent Lutherani, & Caluinistæ.

994 Respondeo argumento ex dictis num. 117. & à numero 238. vsque ad 242. & alibi sæpè; per Augustinum pari modo gratiam mouere voluntatem, necnon facere benè operari, cùm superat eius motus illum, quem præbet concupiscentia: ac mouere istam ad malum, & trahere ad peccatum, cùm eius tractio, & delectatio excedit motum gratiæ: videantur pro huius rei euidentia, quæ ex Augustino affero num. 241. ac propterea, sicut opera bona tribui debent gratiæ: ita tum Scriptura, tum Augustinus mala tribuunt, vel vincenti cõcupiscentiæ, vel Diabolo, tales concupiscentias excitanti, vt probo numero 264. & alibi. Hoc autem supposito, ex Angelico Doctore quæst. 6. de malo articul. vnico, tum in corpore, tum in responsione ad septimum, atque experientia ipsa conuincitur, quòd homo, nec gratiæ, nec concupiscentiæ motibus potest necessariò, imò nec omnimodè, & physicè infallibiliter moueri: quia nimirum cùm potentia voluntatis sit vniuersalis, & talis, vt non nisi in Deo clarè viso possit eius appetitus satiari, & experientia omnibus ostendat in nullo obiecto creato, nec etiam in Deo per fidem, vel scientiam abstractiuè proposito, quietari appetitum voluntatis: hinc fit, quòd omnis alia motus suauitas, siue dulcedo, quæ est infra dulcedinem visionis beatæ, trahit quidem, mouet, incitat in suo genere: sed, non explendo trahibilitatẽ voluntatis, non potest trahere ipsã, infallibilitando, vel necessitando ad se: sicut facit visio beata, appetitus, & trahibilitatis voluntatis expletiua: & ideò remanet in voluntatis dominio, vt cuicumque alteri suauitati, præter illam visionis beatæ, se accommodet, vel non: quamuis ordinariè, & regulariter illi motioni se accommodet, quæ alteri præponderat, vt patet ex Augustino loco mox citato num. 241. & hæc vocatur moralis necessitas, illa videlicèt, cui, & si possit resisti, rarò tamen, aut numquam resistitur. Quia tamen non obstante tota explicata libertate voluntatis, hæc ordinariè operatur secundùm quòd magis trahitur, non operatura ordinariè, si minùs traheretur, quis hic nõ videt, quòd illi potiori iure tribui debet opus, quæ potior causa est, vt opus fit? Cùm ergo in Adamo, & Angelis, vtpotè creatis à Deo rectis, nulla fuerit concupiscentia repugnans legi mentis, nullumque luctamen in operando fuerit incundum, gratia illis data solùm dabat posse, non alicuius opponentis victoriam: & ita potior operis ratio fuit liberum arbitrium, non gratia in operantibus benè: sicut nec concupiscentia in operantibus malè: atq; hinc libero arbitrio potiori iure exercitium operis in illis tribuit Augustinus; Electi verò, qui post originale sentiunt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis, nisi per Redemptorem Christum tribuatur eis gratia vincens legem carnis, nũquam operabuntur benè, quamuis cum quacumque gratia mouente, & eos erigẽte ad Deum, possent benè operari; hinc fit, quòd eorum bona opera potiori iure tribuenda sunt gratiæ, quàm libero arbitrio.

995 Legatur Augustinus lib. de Correctione, & Gratia, quem citat Iansenius cap. 11. *Quid ergo*, ait, *Adam non habuit Dei gratiã? imò verò habuit magnam, sed disparem: ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat, &c. Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cùm dicunt, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem: atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes*, (notet Iansenius verba ista Augustini, laborantes dicit, ac periclitantes,) *dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt: ille verò nulla tali rixa à se ipso aduersus se ipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur: proindè, & si non interim latiore nunc, potentiore gratia indigent isti, &c.* Habent ne Iansenistæ quid opponant contra hanc doctrinam, fundatã ex toto in Augustino, Angelico Doctore, & ratione? Aut quidquam tam difficile intellectu cõtinet, quòd quoquo modo difficultate pressi eam relinquere cogãtur, vt ad abruptas Lutheri, & Caluini semitas diuertere, etiã stando naturali discursui, satiùs iudicent?

996 Instat nihilominùs Iansenius futiliori argumento ita. Opponentibus Pelagianis Augustino, quòd Prædestinatione effica-

ci Dei obtunderetur liberum arbitrium, iste indè respondet non obtundi, quia non cogit inuitum, licèt indeclinabiliter, & inuincibiliter faciat operari; ergo nostra antecedens responsio non subsistit: quandoquidem admittit Augustinus Prædestinationi Dei efficaci non posse voluntatem creatam non cooperari: & solùm libertatem illæsam saluat ex eo, quòd non cogitur eadem Prædestinatione inuitus.

997 Respondeo me iam explicasse numero 274. & 276. quot modis benè stat absque vlla physica necessitate, quòd Dei Prædestinatio inuincibiliter, & insuperabiliter faciat benè operari. Videantur, quæ ibi dico. Pro nunc cum Iansenio, qui quando sibi placet, verba Augustini litteraliter, & discerptim sumit, disputandum mihi remanet: si enim, quia Augustinus dicit, quòd indè Prædestinatio libertatem hominis nō offendit, quia non cogit inuitum, hinc præcisè licitum est Iansenio arguere solam libertatem Augustinum docuisse à rigorosa coactione, absque comparatione, & relatione ad totam reliquam Augustini doctrinam, quid ergo? contradicit sibi Augustinus, cum tomo 10. sermone 2. de verbis Apostoli, & signanter in illa, *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, ita loquitur, *Non dixit, duxerit, sed traxerit, ista violentia cordi fit, non carni*? Admittit ergo, quòd Pater, quos ad Filium vocat, violentat? nec ergo libertatem admittit à coactione. Quid dices, Iansen, quòd veniat hic nomine violentiæ? nonne dices venire quamdam latam, non strictam violentiam, nempe moralem? Pari modo loquitur Sanctus Doctor in eodem tomo sermone 20. de Sanctis, dum ait, loquens de mente humana, *Sed cùm cœperit cogitare vltimi diei necessitatem, ac futuri iudicij pondus, incitata, & stimulata, vel spe præmij, vel timore supplicij, voluntarium bellum indicit passionibus, & vim facit pristinis suis desiderijs, & violenter vincere ipsa contendit: non enim sine violentia fieri potest, vt de abundantia, & delicijs ad famem, & sitim, ad abstinentiam, & crucem transeat, &c.* Cùm item lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 13. loquens de Electis, ait, *Eisque tanta iustitia donatur, vt cùm Adam consenserit ad peccatum suadenti, non cedant isti, etiam cogenti.*

998 Nomen ergo coactionis multipliciter sumitur vulgò: & quidem tum pro physica, tum pro morali. Pro physica quidem etiam dupliciter sumitur, aliquando rigorosè, pro motu extrinsecè proueniente, non conferente passo, quo pacto violenter cruciantur damnati. Aliquando non ita rigorosè, sed pro sola necessitate, non conferente libertate, quo modo arguens Augustinus lib. contra Secundinum Manichæum cap. 18. sic ait, *Si habet in potestate consentire, vel non consentire, non ergo nulla consentit; quæso ergo, vndè habet istam consensionem malam, nulla contraria cogente natura?* Manichæi autem necessitatem naturæ, non coactionem docebant, duas namque asserebant, vnam malam, ex se propensam, & necessitatam ad mala: aliam bonam, ex se propensam, & necessitatam ad bona: cùm ergo Augustinus potestatem ad vtrumlibet probat, & nullam esse cogentem naturam, Manichæos oppugnans, idem intelligit per tò, *Nulla contraria cogente natura*, ac nulla contraria necessitante natura. Et eodem modo loquitur Augustinus (qui, vt probauimus, omnem necessitatem, eosdem Manichæos oppugnans, à libero excludit arbitrio,) cùm dicit Prædestinationem ideò nō obtundere libertatē, quia non cogit inuitum: quia nimirum non necessitat voluntatem, vt ad opus non conferat liberum arbitrium, quà liberum, à se determinandum: contra namque Semipelagianos loquitur, qui necessitatem, non coactionem arguebant ex præcedenti efficaci Dei Prædestinatione, vt videre est in epistolis Prosperi, & Hilarij. Pro morali item coactione adhuc dupliciter sumitur: vno modo strictè in linea morali, pro motione nimirum ita vehementi, vt, & si physicè indifferens relinquat arbitrium, numquam tamen, vel rarò ei resistat: & hoc pacto sumit violentiam Augustinus duobus primis iam adductis locis, sicut cùm etiam in explicando Psalmum 63. ait de Pilato, *Sed si reus, qui fecit vel inuitus: illi innocentes, qui coegerunt, vt faceres?* atque alijs in locis. Alio modo sumi solet latiori modo in eadem linea, pro vehementi scilicet impulsu, quamuis ei resistatur, & effectum non sortiatur, quo pacto docet in vltimo loco ex tribus supracitatis, cùm de Electis asserit, quòd non cedant, etiam Diabolo cogenti. Hæc si ex Augustino considerasset Iansenius, non fuisset sanè lapsus in tam perniciosam doctrinam de libertate dumtaxat à coactione.

999 Obijcit adhuc quintò Iansenius aliam doctrinam Augustini, sic arguendo: obijcientibus sibi Pelagianis, prout refert lib. de Gratia Christi cap. 7. quasi Sāctus Doctor indè eos oppugnasset, tamquam gratiæ diuinæ destructores, quià assererent, *Eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem*: huic obiecto respondens deindè cap. 25. sic habet, *Desinat, inquam, ista*

ista dicere, non solùm enim Deus posse nostrum donauit, atque adiuuat: sed etiam velle, & operari operatur in nobis: nō quia nos nō volumus, aut nō agimus: sed quia sine ipsius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus; ergo, inquit Iansenius, conuiciantibus Pelagianis Augustinum, quasi sentiret gratiam in nobis sine nobis perficere sanctitatem, non respondet voluntatem adhuc seipsam determinare ad opus: sed dumtaxat, quòd etiam voluntas vult, & agit, & non se habet, vt purum subiectū patiens; ergo in voluntate nihil aliud agnoscit respectu operis boni, nisi concursum gratiæ, & concursum voluntatis, quod est esse liberū à coactione.

1000 Respondeo me non posse determinatè iudicium ferre, si ex versutia, an potiùs ex inaduertentia ista composuerit Iansenius, qua si non legerit contextus verborum, tum antecedentium, tum subsequentium ad mox deducta, vt potuerit discernere, quòd verba allata sunt conclusio opposita errori Pelagij, non relatè ad ea, quæ affert Iansenius ex cap. 7. sed ad alia, quæ refert Augustinus cap. 4. & deindè per plura subsequentia capita impugnat; hæc ergo sunt verba, quæ prædicto capite refert ex Pelagio Augustinus, *Nos*, inquit, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur: primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus; primum illud, idest posse, ad Deum propriè pertinet, quod creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est velle, & esse ad hominem referenda sunt, quia de arbitrij fōte descendūt, &c.* Et quoniā Pelagius pluries subdolè gratiam, adiuuantem posse, professus est se admittere: Augustinus semper in subsequentibus capitibus probat non admisisse veram gratiam adiuuantem, & concurrentem ad effectum: sed puram extrinsecam propositionem obiecti per legem, & doctrinam. Et deindè caput 25. adductum à Iansenio, inchoat his verbis, *Desinat itaq; iam Pelagius, & se ipsum, & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium vnum, idest propter possibilitatem bonæ voluntatis, atque operis: sed etiā propter voluntatem, & operationem bonam erga nos gratia Dei prædicanda est*. Et deindè, *Desinat dicere, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donauit: quòd verò benè, vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est*. Et ad hęc subiungit; quæ discerpta à proprio sensu affert Iansenius, asserendo, & posse, & operari Dei esse, non ita tamen, vt non sit etiam nostrum: ad hoc aduertens, ne videretur negare liberum arbitrium per talia verba. Sed demus Iansenio per præfata verba voluisse Augustinum simul respondere conuicio, ipsi à Pelagianis attributo cap. 7. nonne adhuc ridiculum est argumentum Iansenij: si enim conuicium Pelagianorū non continet, quòd Augustinus negaret præcisè liberum arbitrium ab indifferentia, sed quòd sola gratia perficeret in nobis sine nobis sanctitatem, quomodò debebat respondere, quòd voluntatis est determinare se ipsam, cùm ad reprobandum conuicium non aliud fuerit requisitum, quàm dicere, quòd gratia perficit quidē in nobis opus; sed nō sine nobis. Addo quòd idē per Augustinum, sicut & per Angelicum Doctorem est velle, ac liberè operari: & quòd non est operatio voluntatis, quà voluntas est, sed quà natura, quando de necessitate operatur, vt probaui numero 741. Dicens ergo Augustinus, *Non quia nos non volumus*, idem significauit, ac si dixisset, non quia nos nō operamus liberè, nos ipsos per nosmetipsos determinando.

1001 Obijcit item sextò etiam ex Augustino in expositione epistolę ad Galatas, vbi in explicatione capitis quinti, & sexti docet, quòd quando voluntas magis trahitur ad vnum, quàm ad aliud, necessariò amplectitur id, ad quod magis siue amore, siue timore propellitur: si verò æquè trahitur, nihil potest operari: in capite namque 5. habet, *Quod enim ampliùs nos delectat, secundùm id operemur, necesse est*. In capite verò 6. ita, *Si tantummodò vtrumque diligitur, nihil eorum sectabimur: sed, aut timore inuiti trahemur in alterutram partem: aut si vtrūque etiam æqualiter timebimus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis, & timoris alternante quassati*. Ergo, infert Iansenius; non datur ex mente Augustini volūtati creatæ locus, vbi operetur libertate indifferentiæ, & non ex necessitate.

1002 Proponit sibi hoc argumentum soluēdum Pater Maygnan in sua Sacra Philosophia cap. 24. propos. 9. numero 25. & respondet Augustinum per id, quod nos magis delectat, intelligere non delectationem indeliberatam, antecedentem consensum voluntatis, sed ipsum velle voluntatis; ad quod certū est necessariò sequi operationē, quam voluntas magis vult, stante efficaci voluntatis determinatione.

1003 Verùm hoc non est soluere argumentum, sed ansam dare Iansenistis, vt eorum errorem magnificiant, cernentes, quòd argumenta, ex Augustino desumpta, deludūtur, non soluuntur. Quis namque rectè asserere potest, quòd voluntas duo opposita æquè simul liberè amare, vel timere

possit; vt loquitur Augustinus: possunt quidem ex duobus principijs esse in voluntate duo æquales motus ad opposita, sed quòd ipsa æquè liberè ad opposita se moueat, ridiculum est. An non considerauit Maygnan, quòd istam delectationem explicans Augustinus in cap. 5. loquens de illa, quam tribuit iustitia, ait, *Regnant autem ista bona, si tantùm delectant, vt ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruant*: numquid periculum, aut potentia ruendi in peccati consensum esse potest, quando voluntas iam supponitur determinata ad bonum, vt adhuc teneri indigeat ne ruat? an potiùs talis dumtaxat datur potentia, cùm delectat tentatio, & simul gratia præueniens ante voluntatis consensum ad vnum? Exemplo præterea, quod affert Augustinus, euidens est, quòd loquatur de delectatione incitante ad consensũ, non de delectatione consensus; ait enim, *Vt v. g. occurrit forma speciosæ feminæ, & mouet ad delectationem fornicationis: sed, si plus delectat pulchritudo illa intima, & sincera speciet castitatis per gratiam, quæ est in fide Christi, secundùm hanc viuimus, & secundùm hanc operamur.* Vbi apparet, quòd, sicut non agitur de delectatione consensus fornicationis, sed de incitãte: ita nec agitur de delectatione cõsẽsus, sed de forma intentionali castitatis, mouente plus, quam forma mulieris, media gratia præueniente: secundùm hanc enim viuimus in Christo, non secũdùm consensum ad bonum: hic namque est forma, per quam, non secundùm quã, in Christo viuimus.

1004 Respondeo ergo argumento, quòd Augustinus in præcitato loco sumit nomen necessitatis pro necessitate morali, non pro physica; eodem namque modo, quo quis dicitur cogi, vel trahi inuitus, dicitur etiã communiter necessitari, vt patet explicitè ex Anselmo Dialogo de libero arbitrio capit. 6. *Namque vsu dicimus*, inquit, *nos non posse aliquid, non quia nobis est impossibile, sed quia sine difficultate non possumus*, Et deindè subiungenti Discipulo, *Non tamen possumus dissimulare quamdam impotentiam esse in eadem voluntate, quam ferè omnes experimur, quando violentia tentationis superamur*, respondet, *Hoc itaque modo puto te posse videre, quomodò conueniat posse voluntatis, quam ratio veritatis asserit, & impotentia, quam humanitas nostra sentit: sicut enim difficultas nequaquam voluntatis interimit libertatem: ita illa impotentia, quam nõ ob aliud in voluntate dicimus esse, nisi quia non potest tenere suã rectitudinem sine difficultate, &c.* Augustinus ergo, sicut nomen coactionis, & violentiæ nunc sumit vno, nunc alio modo: nunc strictè, cum ita opus est loqui: nunc latè, conformando se vsui cõmuni: ita nomen necessitatis, cùm opus fuit strictè loqui contra negantes libertatẽ, sũpsit strictè, vt probaui num. 739. sicut cùm, contra Faustum Manichæum disserens, ait lib. 2. cap. 5. *Nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bené, vel malè viuitur, propter iudicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Aliàs verò, cùm non opus fuit loqui strictè, vsus est nomine necessitatis, secundùm vulgarem modum loquendi, latè, pro necessitate morali.

1005 Instat nihilominus Iansenius item ex Augustino hoc modo: duas Sanctus Doctor distinguens necessitates, alteram coactionis, ab indifferentia alterã, primam asserit obesse libero arbitrio, non secundam; ergo tota data responsio ruit. Antecedens probat duplici Augustini doctrina. Prima quidem, quam tradit lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 10. in quo loco ita discurrit, *Vndè nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici, laborauerunt causas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent: atque in his, quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates: ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati: si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiam, si nolumus, efficit, quod potest, sicut est necessitas mortis*, (Ecce, ait Iansenius, necessitatem à coactione, quæ adhuc est nobis nolentibus, quam à libero arbitrio excludit Augustinus, dum subdit,) *manifestum est voluntates nostras, quibus rectè, vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse, &c. Si autem illa definitur necessitas, secundùm quã dicimus, necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat*, (Nonne hæc, replicat Iansenius, est necessitas simpliciter, de qua est disputatio? sed audiamus quid de hac docet Augustinus,) *nescio, inquit, cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Et vt videas, quæ exempla subiungit, reassumit Iansenius, vt non dubites loqui de necessitate physica, non de morali; *Neque enim*, ait, *& vitam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse est Deum semper viuere, & cuncta præscire: sicut nec potestas eius minuitur, cùm dicitur mori, fallique non posse.* Secũda doctrina desumitur à Iansenio ex libro 3. de libero arbitrio cap. 3. vbi Augustinus, referens duo subsequentia argumenta in idem incidentia, nimirum, *Si præscius est Deus peccaturum hominem, necesse est peccet: si autem necesse est, non ergo est in peccante voluntatis arbitrium,*

bitrium, sed potiùs ineuitabilis, & fixa necessitas. Et deindè, *Si præsciuit Deus voluntatem meam, quoniam nihil aliter potest fieri, quàm præsciuit, necesse est, vt velim, quod ille præsciuit: si autem necesse est, non iam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est*: ita respondet. *O stultitiam singularem. Quomodò ergo non potest aliud fieri, quàm præsciuit Deus, si voluntas non erit, quàm voluntatem futuram ille præsciuit. Si enim necesse est, vt velit, vndè volet, cùm voluntas non erit: non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi cùm nobis, quod volumus deest: dum autem volumus, si ipsa voluntas deest nobis, non vtique volumus: quod si fieri non potest, vt dum volumus, non velimus, adest vtique voluntas volentibus: nec aliud est in potestate, nisi quod volentibus adest. Porrò quia est in potestate, libera est nobis. Non igitur per eius præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præscientia non fallitur, affuturam mihi esse præsciuit.* Et explicans deindè cap. 4. quare ista necessitas non obest libertati voluntatis, ait, *Imò verò fatemur, & ad eius præscientiam pertinere, ne quid eum lateat futurorum: & ad iustitiam, vt peccatum, quia voluntate committitur, ita iudicio eius impune non fiat, sicut præscientia nõ cogitur fieri.* Constat ergo, concludit Iansenius, hanc non esse necessitatem moralem, sed physicam, quæ oritur ex Dei præscientia, etiam metaphysicè infallibili: sed indè voluntatis libertatẽ non offendi, quia per eam non cogitur voluntas.

1006 Respondeo negando antecedens. Ad cuius duplicem probationem, desumptam ex duplici Augustini doctrina, dico in neutro loco Sanctum Doctorem distinguere duplicem necessitatem illam, à Iansenio sõniatam: sed in primo loco duntaxat distinguere necessitatem antecedentem à necessitate subsequenti, atque ex suppositione liberi arbitrij: & de prima docere, quòd libertatem adimat, non sic alia. In secundo loco pari modo probat necessitate subsequenti non lædi libertatem voluntatis: vt autem hoc totum ex contextu verborum euidenter ostendam, singula loca diuisim examinabo.

1007 In primo ergo loco agit Augustinus contra Stoicos, & Ciceronem, qui, vt refert capite antecedenti ad citatum, negabant in Deo præscientiam futurorum, nobis liberorum, delusi hoc argumento. *Si præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura esse præscita sunt: & si hoc ordine venient, certus est ordo rerum præscienti Deo: & si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum: non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua efficiens causa præcesserit: si autem certus est ordo causarum, quo fit omne, quod fit, fato sunt omnia, quæ fiunt; quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis, &c. Hæc ergo ne consequantur indigna, & absurda, & perniciosa rebus humanis, non vult*, ait Augustinus loquens de Cicerone, *esse præscientiam futurorum, &c.* Huic ergo argumẽto respondens eodem capite Sanctus Doctor, dicit, *Non est autem consequens, vt, si Deo certus est omnium ordo causarum, ideò nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio: & ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, eiusq; præscientia continetur, quoniã & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt: atque ita, qui omnes rerum causas præsciuit, profectò in eis causis, etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit.* Et versus finem, *Quapropter*, inquit, *& voluntates nostræ tantum valent, quantùm Deus eas valere voluit, atque præsciuit: & ideò quidquid valent, certissimè valent, & quod facturæ sunt ipsæ, omninò facturæ sunt, quia valituras, atque facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest.* Notãdum ergo in his verbis non indè reddi futura opera libera, quia vi præscientiæ indefectibilis redduntur indefectibiliter, siue necessariò futura: sed quoniam Deus indefectibili voluntate voluit ab æterno certum causarum, tantùm valiturarum, ordinem: & in eodem ordine voluit causas liberas, videndo causas, quæ suo tempore erant determinatè operaturæ, vidit etiam id, quòd erant operaturæ; & quoniã sua cognitione non fallitur, id vidit, quod erãt determinatè operaturæ, non aliud, nec solam indifferentiam ad operari vtrumlibet: facta autem suppositione, quòd ita essent determinatè operaturæ, atque vt ita determinatè operaturæ præuisæ, quis non videt, quòd non possunt deindè in tempore non ita operari; sicut non potest quilibet, dum sedet, non sedere?

1008 De hac autem necessitate loquens, ac discursum cõtra eosdem Stoicos prosequẽs, dicit, *Vndè nec illa necessitas formidanda est, &c.* quasi indè necessum sit, prout faciebant Stoici, & Cicero, causas rerum ita distinguere, quòd liberæ omni subtraherentur necessitati, etiam necessitati veritatis cognitionis diuinæ. Et vt explicet, quæ necessitas sit libertati opposita, quæque amicabili fœdere componibilis, excludit necessitatem, quæ non oritur ex nostra libertate; vtpotè quæ, non stans in nostra potestate, & dominio eam habendi, vel non habendi, dum necessitat ad vnum, dominium voluntatis deijcit. Nec obest, quòd

t.

afferr

affert exemplum de necessitate mortis, quę adhuc violenta est: eo namque vtitur ad explicandam præcisam independentiam à nostro arbitrio, pro qua explicanda non ita obuia sunt exempla, quæ solam independentiam absque violentia explicent; nec namque fatum qui admittunt, ex Dei dispositione dispositum, asserunt hominem violentare in actus amoris, & cõplacentiæ, sed dumtaxat necessitare; & tamen Augustinus, tamquam Deo indignum, & destructiuum libertatis in eodem libro cap. 1. oppugnat. Omnis ergo necessitas, siue sit simplex, siue violentiæ excluditur per Augustinum, tamquam destructiua libertatis per illa verba adducta in argumẽto, *Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, manifestum est voluntates nostras, quibus rectè, uel perperam uiuitur, sub tali necessitate non esse*: non enim est potestas, vbi non est indifferentiæ ad vtrumlibet dominium. De ea verò necessitate, quæ ex suppositione exercitij libertatis, iam præuisæ, ortum ducit, asserit, quòd non per hoc, quòd verè dicitur, necesse est, vt ita sit, vel vt ita fiat, supposito, quòd taliter facienda fuit præuisa, indè detrimentum vllum patitur liberum arbitrium. Et quidem nõ animaduertit, aut non animaduertisse videri vult Iansenius ad illa Augustini verba, quæ forsan non adducit, ne eius astutia detegatur, nimirum, *Sicut etiam, cùm dicimus, necesse est esse, ut cùm nolumus, liberò nelimus arbitrio, & uerùm procul dubiò dicimus; & non ideò ipsum liberum arbitrium necessitati subijcimus, quæ adimit libertatem*. Quid est, quod necessum sit, vt dum volumus, libero velimus arbitrio? nõne idem, ac si diceremus, necesse est, vt dum sedemus, sedeamus? Et illa alia versus finem capitis, *Neque enim ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit: imò ideò non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatũ, non fortunã, non aliquid aliud: sed ipsum peccaturũ esse præsciuit: qui, si nolit, omninò non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit*. Non ergo ex præscientia infallibilitas futuritionis peccati, sed qualis fuerit futura operatio hominis, (quia quod iam vi voluntatis futurum est, non potest non esse ita futurum,) vt talis cognitione diuina, quæ falli non potest, cognita ab æterno fuit. Ad quid autem exempla hæc de necessitate ex suppositione, si non de hac, sed de antecedenti locutus fuisset Augustinus? Neque alterius necessitatis sunt exempla, quæ affert de necessitate vitæ Dei, & impotentia moriendi, vel se fallendi; numquid namque de vita necessaria, quæ in Deo præcedit ipsum velle, intelligi vult Augustinum Iansenius, quod sit libera Deo? hoc certè non dicet; loquitur ergo Augustinus de vita præscientiæ liberæ, sequente ad velle: hanc autem in Deo non esse aliàs necessariam, nisi dumtaxat ex suppositione, nemo sui compos inficiabitur. Pari modo indè Deus mori non potest, quia omnipotens est, si enim mori posset, non supponeretur omnipotens, qui talem defectum à se abijcere non posset. Nec esset summè verus, si falli valeret; ergo omnes istæ sunt necessitates ex suppositione, quæ potentiam supponunt exercitam; tantùm abest, vt potentiam destruant: & ideò similis necessitas, arbitrium supponens exercitum in actum libertatis, libertatem non lædit.

1009 In secundo etiam loco eamdem discutere difficultatem, quomodò scilicet Dei præscientia infallibilis, operis voluntatis humanæ futuri non auferat libertatem, euidens est: Ita enim caput inchoat, *Certè enim hoc te mouet, & hoc miraris, quomodò non sint contraria, & repugnantia, vt Deus præscius sit omnium futurorum, & nos non necessitate, sed voluntate peccemus, &c.* Remanet mihi ostendendum, quòd difficultatem enodet Augustinus per hoc, quòd ita sit necessitas ex suppositione, non antecedens vllum libertatis creatæ. Hoc autem conuinco exemplis, quibus id explicat Augustinus: in primis namque ita arguit, *Dic mihi, si potes, qualem sis habiturus cras voluntatem, vtrũ peccandi, an rectè faciendi?* & respondente discipulo, *Nescio*, subiungit Augustinus, *Quid? Deum itidem nescire hoc putas?* & replicante illo, *Nullo modo id putauerim*, infert Sanctus Doctor, *Si ergò voluntatem tuam crastrinam nouit, & omnium hominum, siue qui sunt, siue qui futuri sunt, futuras præuidet voluntates, multò magis præuidet, quid de iustis, impijsque facturus sit.* Et concedente discipulo illatum assertum, instat Augustinus, *Nonne igitur caues, ne tibi dicatur, etiam ipsum, quæcumque facturus est, non voluntate, sed necessitate facturũ, si omnia, quorum Deus præscius est, necessitate fiunt, non voluntate?* Numquid autem Iansenius negabit Deum necessitate consequenti facturum, quòd præscit se voluisse faciendum? aut dicet necessitatem coactionis hac instantia intulisse in Deo ratione præscientiæ infallibilis ab intrinseco, & non ab extrinseco, qualis est necessitas coactionis? cauendam igitur docet necessitatem purè antecedentem ad velle liberum Dei. Sed quorsum ista de necessitate subsequenti, pro cõuincendo, quòd necessitas antecedens, ni-

si

-sitit coactiua, libertatem non aufert? Rursus quia discipulus non adhuc difficultatis solutionem percallebat, atque dicebat, *Sed tamen fateor, non dum video, quomodò non aduersentur hæc duo, præscientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitriū: nam & iustum Deū necesse est fateamur, & præscium: sed scire vellem, qua iustitia puniat quæ necesse est fieri?* Augustinus ita de nouo arguit, *Vndè tibi videtur aduersum esse liberum arbitrium præscientiæ Dei, quia præscientia est, an quia Dei præscientia est?* Cui ille, *Quia Dei potiùs:* tunc Augustinus, *Quid ergo, si tu præscires peccaturum esse aliquem, non esset necesse, vt peccaret?* Et conuictus discipulus, ait, *Imò necesse esset, vt peccaret, non enim aliter esset præscientia, nisi certa præscirem. Non igitur*, concludit Augustinus, *quia Dei præscientia est, necesse est fieri, quæ præsciuerit: sed tantummodò, quia præscientia est, quæ si non certa cognoscit, vtique nulla est.* Et ille, *Consentio*, inquit, *sed quorsum ista?* Tunc Augustinus, *Quia, ni fallor, non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires: neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamuis sine dubio peccaturus esset, non enim aliter id futurum esse præscires. Sicut itaque non sibi aduersantur hæc duo, vt præscientia tua noueris, quod alius sua voluntate facturus est: ita Deus neminem ad peccandum cogens, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt.* Nūquid autem hic propriè nomen coactionis sumptum fuisse ab Augustino dicere audebit Iansenius, cùm scientia nostra, si esset de futuro peccato alterius, omninò illud futurum supponeret, & nullum influxum haberet? an verò iterum difficultatem implicatam relinquit Augustinus, vtens exēplo necessitatis subsequentis ad probandū, quòd necessitas antecedens libertatem non lædat, quando illa supponit iam libertatem, & ideo non potest eam auferre: at antecedens non supponit, & præcisam inducit necessitatem? sed cessent tergiuersationes ex ijs, quæ subdit Augustinus: ait enim, *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.* Memoria namque nostra de præteritis indè conuincitur non cogere ad memorata, quia ea supponit: & indè pari passu præscientia non cogit faciēda, quæ præsciuntur, quia futura iam esse supponit. Quod ipsemet Augustinus clariùs explicat, dicens, *Et sicut tu quædam, quæ fecisti, meministi, nec tamen, quæ meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse author est, præscit: nec tamen omnium, quæ præscit, ipse author est.* Indè ergo præscientiæ infallibilitas nō obstat libertati, quia non sua infallibilitate reddit infallibiliter futura, quæ præscit, cùm plura infallibiliter præsciat, quæ ipsa nullatenus facit: sed ideò infallibiliter præscit, quia aliunde sunt futura; & ex suppositione, quòd talia sunt, non possunt non ita esse: ac propterea conuincit Augustinus hanc scientiæ infallibilitatem libertatem non offendere, quia aliūde, nempe ex libero arbitrio, supponit futura: non ipsa necessitat, vt sint futura.

1010 Aliqua tamen adhuc restant examinanda verba Augustini ex eodem loco, quæ maiorem habent difficultatem, nimirum, quia ad probandum, quod Dei præscientia libertatem non adimit à rebus præscitis, inter alia vtitur hoc discursu, loquens de Deo; *Numquid neminem beatum facit?* Et respondenti discipulo, *Facit verò*, subiungit, *tunc vtique facit, quando ille fit*: atque replicante illo; *Etiam*, subdit Augustinus; *Iam ergo præscit hodiè, quid post annum facturus est?* Et ille, *semper hoc præsciuit*. Cui Augustinus, *Dic quæso, num tu creatura illius non es? aut tua beatitudo non in te fiet?* Tūc discipulus, *Imò & creatura eius sum, & in me fiet, quòd beatus ero.* Et Augustinus, *Nō ergo voluntate, sed necessitate in te fiet beatitudo tua, Deo faciente? tu ergo inuitus beatus es?* Certum est autem beatitudinem non esse nobis liberam libertate ab indifferentia, sed solùm à coactione; ergo Augustinus nō aliud probare intendit, nisi libertatem à coactione. Adde, quòd replicante discipulo, *Voluntas illius mihi est necessitas: si enim mihi esset potestas, vt essem beatus, iam profectò essem: volo enim etiam nunc, & non sum, quia non ego, sed ille me beatum facit.* Augustinus post aliqua respondet, *Nam & de beatitudine quod dixisti, non abs teipso beatum fieri, ita dixisti, quasi hoc ego negauerim. Sed dico, cùm futurus beatus es, non te inuitum, sed volentem futurum.* Quasi concludat, quòd licèt beatitudo ipsa non sit libera, quia nō à nobis, sed à Deo habemus: voluntas tamen, & complacentia de beatitudine, nobis libera est; quia non est nobis violenta: non obstante, quòd necessariò de ea cōplaceamus.

1011 Respondeo tamen ex verbis, quæ ad præscripta intermediant, patere quid in præfato discursu probet Augustinus: non enim loquitur de complacentia beatitudinis, necessariò sequente ad beatitudinem: sed de voluntate antecedente, quam dixerat discipulus nunc habere, & non propterea esse beatum, quæ certò libera est: cùm enim ita respondisset discipulus, non statim ea, quæ referuntur in argumento, subiun-

git

git Augustinus, *Sed, optimè de te veritas clamat: nō enim possum aliud sentire esse in potestate nostra, quàm quod, cū volumus facimus: quapropter nihil tā in nostra potestate, quā ipsa voluntas est, &c.* Et deindè, *Sicut autē volūtatē beatitudinis, cùm esse cœperis beatus, nō tibi aufert præscientia Dei, quæ hodie de tua futura beatitudine certa est: sic etiam, &c.* Dicendo autem, *Non tibi aufert, cùm esse cœperis beatus*, de voluntate loquitur, quæ iam supponitur ad inceptionem beatitudinis, non de ea, quæ subsequitur, & nō est in nostra potestate, vt habeamus: sed eā tradet beatitudo, quæ nō est in nostra potestate, vt concesserat Augustinus. Paritas ergo Augustini in eo stat, quòd, sicut futura beatitudo, quæ iam infallibiliter erit, non facit, quòd voluntas tua de illa, quam nunc habes, non sit libera: quia supponitur, non causatur à certitudine beatitudinis: ita præscientia de eadem voluntate, licèt infallibiliter certissima, non aufert ab ea libertatem, quam non causat scientia, vt infallibilis, sed supponit futuram vi liberi arbitrii. Vndè, cùm dicit Sāctus Doctor, *Sed dico, cùm futurus es beatus, non te inuitum, sed volentem futurum*, solùm vult significare, non indè fieri necessariam voluntatem tuam, quam nunc habes, quia infallibile est obiectum eius præscitum: sed adhuc liberè nunc vis, aut etiam nunc voles, quod infallibiliter futurū deindè erit.

1012 Cæterum, qui ista tanta industria animaduertit Iansenius, quia quoad voces aliquid conferre videbantur ipsius præconcepto figmento: cur non eadem attentione reuoluit principium libri: dum, percontante discipulo, *Vndè motus existat, quo ipsa voluntas auertitur à communi, atque incommutabili bono: & ad propria, vel aliena, vel infima, atque omnia commutabilia conuertitur bona: quia, si ita est, vt naturalem habeat istū motum, iam necessitate ad hæc conuertitur, neq; vlla culpa deprehendi potest, vbi natura, necessitasque dominatur:* In quo quæstio certè nō de necessitate coactionis percontatur, cùm agat de necessitate naturali, & ab intrinseco: sed de pura necessitate ab indifferentia: Augustinus respondet, *Si natura, vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo modo potest. Tu verò esse culpabilē ita firmissimè tenes, vt dubitationem de hac re tam certa, etiam irridendam putaueris. Cur ergo tibi, vel affirmandum, vel certè cum aliqua dubitatione dicēdum visum est, quod perspicuè falsum esse conuincis? dixisti enim, si ita data est voluntas libera, vt naturalem habeat istum motum, iam necessitate ad hæc conuertitur: neque vlla culpa deprehendi potest, vbi natura, necessitasque dominatur.* Quid est Iansenii, *Si ita data est voluntas libera, vt naturalem habeat istum motum, &c.*? Quæ libertas voluntatis est ista cum necessitate naturali motus? nonne libertas à coactione, & non à necessitate: quæ, si talis est, ait discipulus, nulla culpa deprehendi potest? Sed relegant Iansenistæ, quid ad hæc dicat Augustinus, *Nullo modo*, inquit, *dubitare debuisti non esse ita datam, quādo istum motum culpabilem esse non dubitas.* Et videant, quomodò istum animi motum explicet Augustinus, *Negas*, inquit discipulo, *motum, quo mouetur lapis, motum esse lapidis? neque enim illum dico motum, quo eum nos mouemus: vel aliqua vi aliena mouetur, velut cùm in Cœlum iacitur: sed eum, quo ad terram nutu suo vergit, & cadit.* Nonne per hæc motum vult lapidis accipi naturalem, prout diuersum à coacto, & violento? sed legant, quid discipulo subiungat, ita respondenti, *Non equidem nego motum, quo, vt ita dicis, inclinatur, & ima petit, motum esse lapidis, sed naturalem: si autem hoc modo etiā illum motum habet anima, profectò etiam ipse naturalis est: nec ex eo, quòd naturaliter mouetur, rectè vituperari potest: quia etiam si ad perniciem mouetur, naturæ tamen suæ necessitate compellitur. Porrò quia istum motum non dubitamus esse culpabilem omnimodò, negandum est esse naturalem: & ideò non est similis illi motui, quo naturaliter mouetur lapis*; discipulo, inquam, ita discurrenti respōdet Augustinus, *Credo meminisse te in prima disputatione satis esse compertum, nulla re fieri mentem seruam libidinis, nisi propria voluntate: nam neq; à superiore, neque ab æquali eam posse ad hoc dedecus cogi, quia iniustum est: neq; ab inferiore, quia non potest. Restat igitur, vt eius sit potiùs iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam à Creatore cōuertit. Qui motus,* (Notent Iansenistæ,) *si culpæ deputatur, vndè qui dubitat irrisione dignus tibi visus est, non est vtiq; naturalis, sed voluntarius:* & ne hic tergiuersationem quærant, explicando non esse naturalem, hoc est à natura, sed à voluntate, legant Augustinum ipsum se explicantem, *In eoque*, subiungit, *similis est illi motui, quo deorsum versus lapis fertur, quòd sicut iste proprius est lapidis*, in quantùm, vt paulò antè dixerat, non à nobis, neque vi aliena mouetur: sed nutu proprio ad terram vergit, & cadit, quod idem est, ac non est violentus, *sic ille animi*: in hoc ergo similes facit motum lapidis nutu proprio, & motum animi, quòd ambo non sunt violenti. Audiant autem, & mente audiant deindè Iansenistæ, in quo Sanctus Doctor facit dissimiles, *verumtamen*, subsequitur, *in eo dissimilis, quòd in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferiùs: animus verò,*

dum

dum vult, non ita mouetur, vt superioribus desertis, inferiora diligat; hinc est, quòd lapidem si quis dicat peccare, quòd pondere suo tendit in infima, non dicam ipso lapide stolidior, sed profectò demens iudicatur. Qui ergo dicit animũ ineuitabili pondere suarum concupiscentiarum tendere ad infima, nonne similem rationem tendendi ad infima ponit in animo, ac in lapide; dum ergo in hoc peccare asseuerat, stolidus, ac demens ex Augustino iudicandus est.

1013 Scio, quòd possunt hîc, sicut faciunt alibi, Ianseniſtæ dicere, quòd hæc vera sunt ex Augustino de arbitrio voluntatis, prout primò dato à Deo, quòd nimirum non peccaret, si ita necessitatum ad infima primò à Deo datum fuisset: at si culpa sua id euenit in genere humano, hoc sufficit ad culpam.

1014 Sed contra: si sine præcedenti demerito similis esset data à Deo necessitas ad malum, nulla esset culpa voluntarii operãti ex tali necessitate; ergo, cùm operari necessariò bonum, prout est dogma Iansenii in hominibus post lapsum, non sit in præmium antecedentis meriti libertatis, præcipuè cùm conuertitur peccator, sed solùm sit à Deo, nullum erit meritum benè operandi; quando ergo isti dabitur gloria, vt merces, si numquam operabitur benè, nisi à Deo necessitatus? Rursus, si talis necessitas esset primò data à Deo ante aliam culpam excusaret à culpa; ergo ex se talis conuersio ad infima, vt necessaria præcisè, nõ inducit culpam, sed eam inducit vi anterioris culpæ, in cuius pœnam datur; cùm ergo culpa, vi cuius talis est in pœnam data necessitas, etiam ad primum actum malum, non sit, nisi originalis, non aliã malitiam etiam in operibus proprijs contrahent homines, nisi originalem, & vi voluntatis capitis, quæ non est punibilis, nisi pœna negatiua, non verò positiua cruciatu ignis. Insuper, si sola libertas à coactione data primò à Deo nõ sufficit ad culpam, sed requiritur libertas ab indifferentia; vbi ergo non multiplicatur ratio formalis libertatis ab indifferentia, nec poterit multiplicari ratio culpæ, vel bonæ operationis: at necessitas operandi, data in pœnam originalis, destruit, tantùm abest, vt multiplicet libertatem indifferentiæ; ergo destrueret, tantùm abest, vt multiplicare posset culpam.

1015 Obijcit septimò pariter ex Augustino Iansenius, ita discurrens: per Sanctũ Doctorem ratio voluntarij, & liberi, sicut potestatis, dominij, & electionis sunt intrinsecæ, essentiales, & inseparabiles ab actibus voluntatis; itaut implicet esse in volũtate actum volendi, aut nolendi, & iste non sit voluntarius, liber, ex potestate, dominio, & electione voluntatis; ergo, infert Iansenius, vndecumque sit in voluntate illius actus, per hoc, quòd ex se est actus inclinationis, & non coactio, est formalissimè liber, siue de cætero sit idem actus à voluntate necessitata, siue non necessitata, quod est quid extrinsecum actui. Antecedens probat Iansenius pluribus Augustini locis: in quibus docet definitionem libertatis, potestatis, & dominij in hoc sitã esse, quòd, cùm volumus, facimus: atqui licèt actus imperatus per actum reflexũ possit dici fieri, & esse vi actus imperantis, primus tamen actus voluntatis, siue sit imperans, siue pura volitio non potest dici esse, vel fieri vi alterius actus liberi, ne detur processus in infinitum; ergo hic per se ipsum est à volũtate liberè, & per se ipsũ est in potestate, & dominio voluntatis; ergo siue fiat à voluntate, aliunde determinata: siue necessitata, semper erit per se ipsum liber ex dominio, & potestate voluntatis. Maior autem, in qua aliqua potest, iuxtà somnium Iansenij, esse difficultas, probatur ab eodem tum ex libro de Spiritu, & Littera cap. 3. vbi habet Sanctus Doctor, *Quid igitur vltra quærimus: quandoquidem hãc dicimus potestatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi: vndè hoc quisq; in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult, non facit:* tũ ex libro 3. de libero arbitrio cap. 3. *Nonenim*, inquit, *possum aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod, cùm volumus facimus; quapropter nihil iam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est; ea enim prorsus, nullo interuallo, mox, vt volumus, præstò est.* Et deindè, *Non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi quod nobis, cùm volumus, deest: dũ autem volumus, si ipsa voluntas deest nobis, non vtiq; volumus: quòd si fieri non potest, ut dũ volumus, non uelimus, adest utiq, uoluntas uolentibus: nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest: voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò, quia est in nostra potestate, libera est nobis, &c.* Et tandem lib. 5. de Ciuit. Dei capit. 10. *Multa facimus*, inquit, *quæ si nollemus, non vtique faceremus, quò primitùs pertinet & ipsum velle; nam si volumus, est; si nolumus, non est; non enim vellemus, si nollemus.*

1016 Respondeo non ordinariam colligi ex hoc argumento Iansenij stultitiam, dũ, vt suo aliquam ex Augustino tribuat errori apparentiam, ludicram non curat reddere eiusdem Sancti Doctoris doctrinam: si namque sensus verborum Augustini, per Ian-

Iansenium iam adductorum, esset formalis, vt prætendit Iansenius, ex duplici capite conuinceretur ridiculus. Primò quidem, quia libertatem, & potestatem voluntatis per id explicaret, quod non tam belluis, sed etiam rebus inanimatis est commune: siquidem, si in hoc est voluntatis potestas, quia dum vult, vult & non potest ipsum velle non esse velle, numquid animalia dum vident, possunt non videre, aut dum appetunt, non appetere? vel lapis dum mouetur, non moueri, & ignis dum agit, non agere? si ergo hoc est esse in potestate alicuius, quòd, dum vult, facit, vt ipsum velle per se ipsum sit velle, erit ergo in potestate ignis agere, licèt non sit in eius potestate velle: erit in animalium dominio appetere, licèt non velle? Quid somniat, quid confingit Iansenius? Secundò in sensu formali essent ridicula verba Augustini, dicentis, si volumus, præstò est volitio, quasi ideò præstò sit volitio, quia volumus; potiùs namque contrarium dicendum esset, si est volitio, præstò volumus. Quia namque volitio est in nobis, sumus volentes, non econtra, quia volumus, est volitio, quid ergo? tam stultè locutum fuisse Augustinum credit Iansenius? si ita credidit, stultum se, non Augustinum fecit.

1017 Ex verbis ergo ipsis Sapientissimi Doctoris constat ipsum locutum fuisse in sensu actiuo, non formali: in primo namque loco habet, *Vndè hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult, non facit*: voluntas ergo debet esse ratio faciendi, non forma reddens facientem: & hoc eodem modo semper, quòd de potestate volendi agit, intelligit de potestate faciendi velle, non de potestate subiectiua euadendi volens, si est velle. Et cùm dicit de voluntate, *si volumus est, si nolumus non est*; illud, *si volumus*, &, *si nolumus*, ponit, vt causam actiuam, non vt formam: cæteræ autem particulæ, *est*, &, *non est*, effectum indicant voluntatis productum, aut non productum vi volitionis, aut nolitionis: in quo sensu, ita propria sunt voluntatis verba Augustini, vt de nullo alio, nisi de sola voluntate, libera ab omni necessitate, dici possint.

1018 Clarissima erit cuique hæc doctrina, si ea, quæ dixi à numero 465. vsque ad 476. in memoriam reuocentur, ex ibi enim dictis, & euidenter, ni fallor, probatis, constat voluntatem tam diuinam, quàm humanam libertatem seruare, non in eo, quòd recipiat, vel non recipiat actum: sed in eo, quòd indifferens ad producendum, vel non producendum, se ad vnum ex his actiuè per se ipsam determinat: quæ actiua determinatio, non est effectus, sed quid se tenens ex parte causæ, indistinctum à causa, & nihil addens, nisi purum respectum actiuum immutantis, non verò immutati. Iuxtà autem hanc doctrinam duplex velle, aut nolle distinguitur in volùntate, alterum purè actiuum, se tenens ex parte voluntatis, vt causæ, & consistit in illa determinatione, quam ex se habet voluntas, vt producat in se velle, vel non producat: siue vt producat, in se nolle, aut non producat: hæc enim determinatio, quia voluntatis est, & tendit ad effectum volitionis, aut nolitionis, etiam participatiuè tum à causa, tum ab effectu dicitur velle, vel nolle, sed purè actiuè, non formaliter; & dicitur similiter complacentia, aut non complacentia; nam interrogatus quis, quare id velit, & amet, & illud nolit, & odio habeat, non respondet amo, quia amo, & odio habeo, quia odio habeo: sed causam assignat anteriorem, amo illud, quia placet, & illud non amo, quia non mihi placet: & in his responsionibus puram libertatem arbitrij, se ad vnum præ alio determinantis, respicimus. Vocamus ergo complacentiam volendi determinationem liberam ad velle: & non complacentiam determinationem liberam ad nolle. Determinatio ergo actiua voluntatis ad producendum in se actum volitionis, dicitur etiam complacentia, & velle voluntatis actiuum: determinatio verò pariter actiua ad producendum in se ipsa nolle, vel ad non producendum velle, dicitur non complacentia, & nolle voluntatis actiuum: atqui, cùm ista determinatio sit actuale exercitium actiuum voluntatis, implicat etiam diuinitùs, vt sit exercitium illud producendi, & non sit productum, vt communis est omnium sententia; benè ergo, & verissimè stat, quòd, dum actiuè volumus, præstò adest, & implicat non solùm non esse, sed etiam concipi, quòd nõ sit volitio, quæ est effectus: dum item actiuè nolumus, implicat etiam concipi, quòd non sit nolitio, quæ fit illius effectus: Et hoc est, quòd in omnibus præfatis locis docet Augustinus, tamquam proprium solius voluntatis, & constitutiuum potestatis, & dominij, nimirum in eo sitam esse hanc potestatẽ, & dominium, quòd si voluntas actiuè vult, facit: si actiuè non vult, non facit, etiam ipsummet actum voluntatis rectum producendum: cùm per hoc distinguatur causa necessaria à libera, quod necessaria per se ipsam, inseparabiliter à propria

propria

pria entitate, est determinata ad vnum, nō per modum actualitatis exercitij, sed per modum potentiæ, determinatè exigentis in sua linea, quæ potest à Deo impediri: & ideò non valet indispensabiliter, si ignis est, calefacit, quia adhuc potest Deus non cōcurrere, & esse ignis, absque eo, quòd calefaciat: Potentia verò libera ex se est indifferens in ratione potentiæ, & separabilis a determinatione ad vnum: vndè determinatio actiua ad vnū se habet ex parte exercitij actiui, non ex parte potentiæ: & æquiualet exercitio ignis, non potentiæ: vndè, & si non sit verum dicere, si ignis est, calefacit, verum tamen est inseparabiliter dicere, si ignis agit, calefacit; hoc ergo eodem modo verum est: si voluntas est determinata ad velle, vult: si ad nolle, non vult: quia ista determinatio est actuale exercitium actiuum, supponens etiam Deū, tamquam priorem, & intimiorem causam, determinatum ad eumdem effectum. Ex quo euidenter concluditur veritas omniū locorum Augustini, quòd nihil aliud est potestas voluntatis, quàm cùm actiuè vult, aut non vult per sui actiuam determinationem, præstò habere etiam in se, quod vult: nec esse impedibilem, aliàs non esset determinata vltimò per actiuum velle, sed solùm exigitiue, sicut ignis, quo pacto nō esset actiua volitio, sed potiùs potētia voluntatis. Numquid hæc doctrinā confusam continent, aut captu difficilem, & non potiùs euidentem? Vt quid ergo Iansenius loca Augustini secundùm eam, iam euidētia, vult de sensu formali intelligere, vt reddat ridicula, & nihil explicantia? Ad argumentum ergo in forma nego antecedens. Ad probationem verò concedo maiorem, si sensus sit actiuus: nego verò, si sensus sit formalis. Pari modo distinguo secundam partem minoris, negando scilicet actum imperantem, qui producitur, nō fieri vi alterius actus actiui: cōcedēdo verò primum actū non fieri à voluntate: neq; enim fit per se ipsum, neque per alium actum, cùm nihil superaddat voluntati eius determinatio actiua ex parte sui, sed dumtaxat ex parte producti, vt videre est in numero supra citato.

1019 Sed demus Iansenio Augustinum locutum fuisse in sensu formali in omnibus supradictis locis, taliter, quòd senserit intrinsecam, & identificatam esse actui voluntatis rationem liberi, dominij, & potestatis: atq; quòd actus rectus sit per semetipsum determinatio libera voluntatis, quid nisi insulsè, & inconsideratè potuit Iansenius inferre semper operaturam voluntatē eodem modo liberè, ex potestate, & dominio per hoc, quòd non coactè sit actura, quamuis de cætero operetur ex necessitate, quasi animalia coactè comedant, appetant, & lapis coactè descendat deorsum versus, aut etiā ista liberè ex dominio, & potestate operentur? Nonne potiùs se ostendit ita immaturè in suis sensibus processisse, quòd non animaduertit etiam Deum posse se solo producere, quidquid cum creatura simul producit, non tamen agendo eadem actione, qua agit concurrendo simul cum creatura: cùm enim hæc sit actualitas tum Dei, tum creaturæ, non potest existere, & non esse vtriusque actualitas? pari ergo modo, supposito, quòd ipsum velle productum voluntatis sit ratione sui exercitium libertatis, potestatis, & dominij creaturæ, quo voluntas se ipsam per se ipsam determinat, numquam potest procedere à voluntate determinata, vel necessitata aliundè: nam ita dum existeret, non determinaret voluntatem, quam supponeret iam determinatam: sed aliud esset illud velle, aut nolle, quod procederet à voluntate, ita necessitata. Quòd si velint scire Iansenistæ, quodnam esset hoc velle, legant Augustinum, & Angelicum Doctorem, quos affero num. 741. non enim propriè est velle, sed potiùs cupiditas, quæ ad bonum bona est, & potest à Deo infundi, qualis est pia inclinatio voluntatis ad bonum, habita per gratiam, præuenientem libertatē: si ad malū, mala est, non malitia morali, sed physica, trahens tamen ad moralem, & talis est cupiditas, & concupiscentia carnis. Id autem, quod ex præfatis Sanctis Doctoribus propriè est velle, & operatio voluntatis, quā voluntas est, dicitur quando procedit à voluntate, vt se ipsam per se ipsam determinante ad vnum: & quo verum est dicere, quòd, si vult, aut non vult, ex potestate, & dominio id facit.

1020 Obijcit octauò etiam ex eodem Sāncto Doctore ita: quia Augustinus difficile captu putat, quomodò componatur efficacia diuinæ gratiæ cum libertate arbitrij voluntatis, vt docet tum libro de Gratia Christi cap. 47. tum libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 14. tum tandem lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 18. ex quibus solùm, quæ habet vltimo loco, breuitatis gratia, adducam, *Ipsa etiam ratio*, ait, *quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, vt liberū arbitrium auferre videamur: rursus, ne sic asseramus liberum arbitrium, vt superba impietate ingrati Deo iudicemur*. Atqui, subsumit Iansenius, si gratia relinqueret arbitrium

indifferens ad vtrumlibet, facillimè appareret, quomodò ambo amico fœdere copularentur; ergo ex mente Augustini similis voluntatis indifferentia vacat.

1021 Respondeo hoc argumentum esse inter reliqua ridiculosius: quid namque magis clarum experientia cuique notum est, quàm actus tum concupiscentiales, tum amoris in Deum, esse nobis suaues, & ab intrinseco: non ingratos, & violentos ab extrinseco? si ergo per carentiam coactionis posset saluari libertas, nihil magis esset clarum, quàm gratiam libertatem nullatenus lędere: difficultatem tamen haberet Iansenius insuperabilem ad saluandū, quomodò bestiæ non essent in operando liberę, sicut homines, cùm neque ipsæ coactè operentur. Dico ergo non esse difficultatem in componenda gratia efficaci cum libero arbitrio, supposito quòd hoc sit, ac remaneat indifferens: sed difficultas non parua est in explicando, quomodò remaneat liberum arbitrium indifferens, supposita gratia efficaci: legant Augustinum, si adhuc non legerint, Iansenistæ in libro 2. contra litteras Petil. cap. 84. *Si tibi*, inquit, *proponam quæstionem, quomodò Deus Pater attrahat ad filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficillimè soluturus es: quomodò enim attrahit, si dimittit, vt quis, quod voluerit, eligat?* nonne ista est libertas indifferentiæ, in qua creauit Deus Adam, cùm dicitur dimissus fuisse in manu consilii sui? Sed numquid hanc forsan, propter difficultatem, inficiatus est Augustinus? legant, quid subiungat, *Sed tamen*, inquit, *vtrumque verum est: sed hoc penetrare pauci valent*. Non ait esse impenetrabile, sed quod pauci penetrare possunt; difficultas ergo in eo sita est, quomodò gratia ita trahat, vt faciat operari, & nihilominùs liberum arbitrium adhuc illi possit resistere, & non operari? quæ difficultas eò magis crescit, quò hæc gratia diuinam Prædestinationem gloriæ, tamquam finem præuolitum, supponit in Electis: hæc sanè, nisi præscientia præcedat, reddit imperceptibile, quomodò possit relinquere prædestinatum in manu consilii sui; quid ergo mirum, si id ipsum pauci penetrent?

1022 Obiicit nonò ex epistola Hilarii ad Augustinum, scribentis contra Massilienses Semipelagianos: in ea namque, inter alia refert, quòd stomacassent Augustinū Semipelagiani; quia diuiserit donum perseuerantiæ, datū Adamo, ab eo, quod datur Electis post originale, ex eo, quòd illud dabat posse perseuerare, vel non perseuerare indifferenter: istud verò det ineuitabili necessitate determinatè perseuerare. Ecce, ait Iansenius, verba Hilarii, *Deindè molestè ferunt ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perseuerantiam, non qua fieret, vt perseueraret, sed sine qua liberum arbitrium perseuerare non posset: Nunc verò Sanctis, in Regnū per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseuerantiæ detur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur. His verbis Sanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi: si enim, aiunt, ita Adam adiutus est, ut & stare possit in iustitia, & à iustitia declinare: & nunc ita Sancti iuuantur, ut declinare non possint, si quidem eam acceperunt volendi perseuerantiam, ut aliud uelle non possint: uel sic quidam deseruntur, ut, aut nec accedant, aut, si accesserint, & recedant: ad illam uoluntatem pertinuisse dicunt exhortationis, uel comminationis utilitatem, quæ & persistendi, & desistendi obtinebat potestatem: non ad hanc, cui nolle iustitiam ineuitabili necessitate coniunctum sit.* Hanc autem perseuerandi necessitatem ex doctrina Augustini respuentes, dicebāt ipsi, vt idem Hilarius refert, *Quidquid libet donatum sit prædestinatis, id posse, & amittere, & retinere propria uoluntate*: quod est esse liberum libertate indifferentiæ ad perseuerandum, vel non perseuerandum; ergo, infert Iansenius, libertas indifferentię in Electis post peccatum error est Semipelagianorum, oppugnatus ab Augustino, tantùm abest, vt sit doctrina Catholica, & ab Augustino propugnata.

1023 Respondeo hanc eamdem obiectionē me retulisse num. 345. & soluisse in subsequenti. Videantur, quæ ibi dico, superfluum namque est iterum eadem repetere. Addam nunc dumtaxat, quòd id ipsum est, quod retuli mox in responsione antecedentis argumenti ex Augustino, *Si tibi proponam, quomodò Deus Pater attrahat ad filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficilè soluturus es, &c.* De his namq; ait lib. 18. de Ciuitate Dei capit. 11. *Quos enim præsciuit, & prędestinauit conformes fieri imaginis filii sui, ex eis pertire nullus potest*: sed numquid propterea non dimittūtur isti in eorum libero arbitrio? non ita certè locutus est Augustinus, sed ait, *Vtrūque uerū est, sed hoc penetrare pauci valent*: quia non omnes considerant, quæ alibi docet Augustinus, vt notaui numero 149. nimirum quòd, *In sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omninò nec aliud quidquam est, quàm prædestinare*. Et, *Cuius miseretur, sic eum uocat, quomodò scit ei congruere, ut uocantem non respuat*. Quos ergo prædestinauit perseuerā-

dos,

dos, ita prædestinauit, quomodò nouit eis congruere, quòd donum perseuerantiæ non respuerent: supposita autem ista præscientia, quæ falli, mutarique non potest, quis non videt ineuitabiliter eos fore perseueraturos? at, sicut præscientia non affert, sed supponit necessitatem, ortam ex suppositione futuritionis operis: ita nec ista ineuitabilitas futuræ perseuerantiæ.

1024 Obijcit decimò ex Angelico Doctore ita. Necessitas ab indifferentia cum carētia coactionis per Angelicum non solùm componitur cum libertate, prout expressè docet quæstione decima articul. 2. ad quintum his verbis, *Naturalis necessitas, secundùm quòd voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, vt felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt Augustinus docet in quinto de Ciuitate Dei: libertas enim voluntatis violentia, vel coactioni opponitur: vndè voluntas liberè appetit felicitatem, licèt necessariò appetat illam: sic autem & Deus sua voluntate liberè amat se ipsum; licèt de necessitate amet*: verùm etiā cum ratione meriti, aut demeriti, prout adstruit in 3. dist. 12. quæst. 2. artic. 1. ad tertium, vbi sic loquitur, *Impotentia coactionis, quæ opponitur voluntario, tollit rationē meriti; non impotentia, quæ est ex perfectione in bonitate, vel malitia: quia hoc voluntariū non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad vnum*. Et item in 3. distinct. 18. quæst. 1. art. 2. ad quintum. *Dicendum*, inquit, *quòd etiam si esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, siue meriti: quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actû sui Dominus*. Ergo, inquit Iansenius, mea doctrina, tamquam Mecœnatem, habet Angelicum Doctorem, tantùm abest, quòd opponatur fidei.

1025 Respondeo ex dictis numero 975. patere qualē extimet Angelicus Doctor Iansenij doctrinam: censet namque hæreticā, ac auferentem omnem rationem meriti, vel demeriti. Quid ergo versutia Iansenio iuuare potest, qua verba quædam à proprio distorta sensu, in medium adducere satagit, vt suæ doctrinæ fœditatem contegat, quasi nullus possit Angelicum Doctorem in fonte perlegere. Numquam ergo vel libertatem arbitrij, quæ simpliciter libertas est: vel rationem meriti, & demeriti cum necessitate ab indifferētia, aut eum sola libertate à coactione cōponere cogitauit Angelicus Doctor: sed dumtaxat cum carentia coactionis exposuit in primo loco libertatem à coactione, seu opus voluntatis præcisè: ad meritum autem & demeritum semper libertatem requirit ab indifferentia. Vndè.

1026 Ad primum locum, adductum à Iansenio dico, quòd, si ipse voluisset, potuisset benè comprehendere, quòd inibi Diuus Thomas agit, an Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, & concludit, quòd ita. Obtecerat autem huic conclusioni, quòd Spiritus Sanctus procedit necessariò, & naturaliter: sed voluntas est principium liberum; ergo non potest procedere per voluntatem. Cui argumento ex alibi dictis, secundùm quæ docet non esse de essentia voluntatis, vt omnis eius actus sit liber ab indifferentia: quandoquidem ad vltimum finem in genere procedit necessariò, & naturaliter: dumtaxat autem voluntati essentiale est, vt omnis eius actus sit spontaneus, & liber à coactione, eò quòd omnis eius actus est inclinatio ad aliquod obiectum, vt probat prima parte quæst. 82. artic. 1. in corpore, respondet, quòd necessitas naturalis ad finem, sicut necessitatur ad felicitatem voluntas, non opponitur ipsi, sed sola necessitas coactionis: atque ita, cùm Deus ipse sit finis suę voluntatis, non proptérea, quòd necessariò amat se ipsum, nō erit hic actus voluntatis, mediante quo procedens Spiritus Sanctus, dicatur procedere per voluntatem.

1027 Ad secundum dico agere ibi Angelicum de confirmatione in bono, & obstinatione in malo, sicut agit quæst. 24. de Veritate ab articulo 9. & docere neminem in via posse ita in bono confirmari, vel obstinari in malo, vt necessitetur ad bonum, aut ad malum simpliciter: quoniam ita confirmatus esset coactus ad vnum, sumpta coactione non ita strictè, pro sola nimirum necessitate simpliciter: posse verò alio modo confirmari in bono perfectione gratiæ, & custodia diuinæ prouidētiæ tali, quòd numquam cadat: vel habituali malitia ita obstinari in malo, vt numquam resipiscat; quæ confirmatio, & obstinatio possunt quidem dici impotentiæ ad oppositum, sed nō tales, quæ liberum arbitrium, & rationem meriti, vel demeriti tollant: eò quòd cōfirmatio perfectio est ad bonum, sed non aufert posse ad oppositum: & pariter talis habitualis malitia voluntatem ponit firmatam ex suis actibus liberis ad vnum, sed non taliter, vt auferat posse simpliciter resipisci.

1028 Ad tertium dico loqui ibi Angelicū de libertate Christi Domini, vt cuius liberè pro nobis passus, & mortuus fuit, & huiusmodi libertatem probat in eo fuisse. Contra hoc autem retulerat argumētum, quòd

In

In naturalibus non meremur propter hoc, quòd sunt determinata ad vnum: sed liberum arbitriũ in Christo erat determinatum ad bonum, ergo, &c. Vbi Angelicus non negat maiorem argumenti, quæ non procedit de necessitate coactionis, sed de necessitate naturali: at totus est in explicando quomodò in Christo non erat par necessitas: vndè primò respondet, *Dicendum, quòd liberum arbitrium Christi non fuit determinatum ad vnum secundùm numerum, sed ad vnum secundùm genus, scilicet ad bonum, quia ad malum non potest: sed tamen hoc potest facere, & non facere.* Hanc responsionem non memorat Iansenius, qui videt per eam explicitè suffocari eius errorem. Quoniam autem Angelicus animaduertit posse adhuc sibi instari Christum non potuisse nõ diligere Deũ: respondit secundò, *Quòd etiam si esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest: tamen ex hoc non amittit libertatem à necessitate, aut rationem laudis, siue meriti, quia in illud non coactè, sed spontè tendit*, hoc est, non omninò determinatus, sed cũ aliqua alia indifferentia tendit, *& ita est actu sui Dñs*: dominium autem liberi arbitrij ex Angelico lib. 1. cõtra Gentiles cap. 68. ita describitur, *Dominium, quod habet voluntas in suos actus, per quod in eius est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem ad vnum.* Vt ergo in Christo, determinato ad vnum in ordine ad diligendum Deum, stet libertas meritoria, & dominium in diligendo Deũ, sicut asserit Angelicus, debet cũ ista determinatione ad diligendum, componi indifferẽtia diligendi hoc, vel illo modo: secundùm autẽ modũ Deũ numericè amandi, duplex esse potuit, & de facto fuit libertas in Christo: vna per quã liber fuit, vt Deũ voluerit efficaciter amandũ ab his Electis potiùs, quàm ab alijs hominibus, quos elegit. Altera, per quam Deum cognoscens, non solùm cognitione intuitiua, à qua liber non erat abstinendi, sed etiam cognitione abstractiua ex operibus Dei, quæ etiam incitabat ad amorem Opificis, sicut poterat liberè ad hæc ponderanda applicari, vel non: ita liber erat ad hunc specialem amorem habẽdum, vel non; secundùm quem sensum dicitur Lucæ secundo, quòd, *Iesus proficiebat sapientia, & gratia apud Deum, & homines.*

1029 Obijcit vndecimò ex Anselmo Dialogo de libero arbitrio cap. 1. vbi habet, *Nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas*; ergo ex Anselmo stat libertas cũ impotentia ad malum; ergo si Christo fuit e. g. præceptum moriendi à Patre impositũ, stetit libertas in Christo ad velle mori cum impotentia ad oppositum; atqui hæc non est libertas indifferentiæ ad opposita, sed à sola coactione; ergo ad merendum, prout meritus est Christus, moriendo, sufficit sola libertas à coactione: & pari modo sufficiet ad demerendum.

1030 Respondeo ex Angelico tum suprà adducto, tum in prima parte quæst 62. art. 8. ad tertium verissimum esse posse peccare, nec libertatem esse, nec partem libertatis, & hoc ex duplici capite. Primò quidem, quia tota libertas tum contradictionis, tum contrarietatis stat essentialiter in sola indifferentia ad eligendum, vel non eligendũ: siue ad eligendum hoc, aut illud bonum: ac consequenter nec posse peccare est libertas constituta, nec pars illius, sed potiùs extensio libertatis. Secundò, quia posse peccare est defectus potentiæ, non ratio potentiæ: est enim capacitas defectiua, vt in eligendo voluntas possit deflectere à recto ordine: libertas autem est perfectio creaturæ rationalis, atque ita posse peccare est defectus libertatis, non libertas, nec illius pars: & cõsequẽter non datur culpa, vbi non datur indifferentiæ libertas, in qua voluntas deficere possit. Ad argumẽtum ergo concedo posse peccare non esse libertatem, nec partem libertatis, quia libertas est indifferentia eligendi, vel non eligendi medium ad finem: siue eligendi hoc, aut illud: & sine hac indifferentia non datur libertas meritoria, vel demeritoria. In Christo autem fuit hæc tota libertas in ordine ad eligendum, vel non eligendum; & ad eligendum hoc, vel illud: vndè in casu præcepti determinati pluribus modis Christus fuit liber, aut scilicet moriẽdi tardè, vel citò: aut reflexè gaudendi, siue non gaudendi de præcepto: aut tandẽ quia liber erat obtinendi dispensationem præcepti, iuxtà quod ore proprio dixit, *Numquid non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.* Quod alibi relinquo disputandum. Hoc vnum sufficiat, quòd omnes Theologi saluant in Christo libertatem indifferentiæ.

1031 Obijcit duodecimò ex sententia Scoti, & sequacium, qui admittunt perfectã rationem libertatis tum in amore Dei, quo producitur Spiritus Sanctus, tum in amore, quem habent de Deo Beati, quamuis ambo sint actus necessarij: & hoc quia ista necessitas non ortum habet ab aliqua differentia intranea voluntatis, quæ, vt talis, petit esse indifferens: sed ab aliquo prædicato, vel qualitate extranea, ergo pari modo, inquit Iansenius, nec obstat merito, vel

vel demerito voluntatis necessitas extranea orta siue à gratia, siue à concupiscentia: quæ non pertinent ad essentialem lineam voluntatis, sed sunt vel qualitas, vel prædicatum extraneum: ac proindè, subiungit, tãtùm abest, vt mea doctrina scrupulosa sit, quòd talem, ac tantam habet, eamdem fulcientem, Scotistarum scholam.

1032 Respondeo vanè Iansenium pro fulciẽda diruta, non tam ruente, sua, veritati Catholicæ aduersante, sententia, doctrinas quærere à Scotistarum mente circa essentiale constitutiuum libertatis per differentiam intraneam, vel extraneam: nec enim Lutheros, & Caluinus, dum libertatem in homine post lapsum negabant, lineam voluntatis negabant: sed deperdidisse dicebant organicam potentiarum dispositionẽ, quæ non est voluntas, sed quid extra lineã voluntatis, aliàs non admisissent amorem Dei, & spem, quæ comites asserebant fidei promissorum. Aliud ergo est quærere vtrũ dicenda sit essentialiter libera voluntas per hoc, quòd ex conceptu suo tendere potest ad omne bonum, & à se ad nullum est specialiter determinata, prout sufficere ad essentialem libertatem dicunt Scotistæ: aliud verò, an iste præcisus conceptus libertatis sufficiat ad meritum, & demeritum? imò ex hoc ipso potius euacuatur ratio meriti, vel demeriti: si enim voluntas ex proprio conceptu indifferens est ad vtrumlibet; & non ab ipsa, sed ab aliquo extraneo est determinatio operis; non ergo voluntati, sed illi, vi cuius est potiùs hoc opus præ alio, imputanda est positio huius operis præ alio, siue boni, siue mali; ergo imputabilitas bonitatis operis, vel malitiæ, in qua consistit ratio meriti, vel demeriti, lõgè abesset à voluntate. Atque ita, nec Scotus, nec Scotistæ vnquam somniarunt hãc præcisam rationem libertatis sufficere ad meritum, vel demeritum, qui, ne per voluntatem efficacem Dei nostra voluntas prædeterminaretur ad opera, & euacuaretur libertas, prærequisita ad meritum, & demeritum, decreta prædefinitiua Dei excluserunt, & admittunt dumtaxat condefinitiua, ac concomitantia.

1033 Obiicit tandem Iansenius plura, quæ appellat absurda, necessariò connexa cum asserto libertatis indifferentiæ pro saluanda ratione meriti, vel demeriti in homine, post lapsum. Si, inquit, ad meritum requiritur libertas indifferentiæ in voluntate; ergo gratia efficax, quæ voluntatem ipsam determinat ad vnum, rationem meriti euacuat: si enim hæc ideò est efficax, quia facit operari; ergo ex se extrahit voluntatẽ hominis ab indifferentia ad operandum, vel non operandum. Et eodem modo arguit de concupiscentia in malè operantibus; ac etiam de habitibus acquisitis, qui hominem trahunt ad opus, nisi aliunde impediantur, ab aliquo nimirum fortiùs trahente. Rursus, si libertas, inquit, indifferentiæ est fundamentum meriti, vel demeriti; ergo, quò maior est indifferentia, eò maius est meritum, vel demeritum: & econtra, quò voluntas magis ad vnum trahitur, eò decrescit ratio meriti, vel demeriti; ergo, infert, maior gratia, à Deo donata homini, maius erit infortunium, vtpotè magis in nobis minuens rationẽ meriti: quod nemo nõ videt esse absurdissimũ.

1034 Respondeo ridiculum esse exemplum Lancis, quod affert Iansenius in his adstruẽdis, arguens à pari, quòd statim hæc põdere validiori ex altera parte premitur, illuc declinat: non credo enim non expertum fuisse in se ipso, quòd omnes iugiter experiuntur siue benè; siue malè operantes: non enim, qui hinc gratia, illinc cõcupiscentia mouẽtur, indiuisibili tẽporis in alterã ferũtur partem, sed paulatim: hæc est namque differentia inter agens necessariò, & agens liberè, quòd illud non est à se determinandũ, sed vel est determinatũ, vel ab alio expectat determinari: & determinatione posita, nihil potest vlteriùs expectare, vt prorũpat in opus: at verò agens liberũ indifferens est ex se: & per se ipsum ex consilio rationis, & collatione obiectorum propositorum, determinandum; & ideò non est eius indifferentia, sicut illa Lancis, qua extra propositum vtitur Iansenius. Ad primum ergo, quod vocat absurdum, tria continens exempla, dico ex dictis sanè absurdum esse, si talis adstruatur gratia efficax, quę ita voluntatem determinet, vt nullum relinquat voluntati creatæ locum ad se per ipsam determinandã: sed gratiã ita efficacem nec Thomistæ admittunt: nõ erit tamen absurdum, si dicatur gratiam quidem ex se efficacẽ esse, & trahere ad opus, non quidem voluntatem physicè determinando, sed moraliter, tamdiu nimirum supra oppositos motus trahendo, & mulcendo liberum arbitrium, quòusque cedat, se accommodando actioni illius ex propria determinatione: agendo tamen non per puras vires naturæ, sed prout eleuatum, & supernaturalizatum: ac pari modo proportionaliter dicendũ est trahi eãdẽ voluntatẽ à cõcupiscentia in actus malos, & ab habitibus acquisitis, siue in bonũ, siue in malũ. Ad secundũ dico, quòd, sicut tractio maior, non aufert simpliciter libertatem

tem physicè, quæ consistit indiuisibiliter in posse vtrumlibet, sed auget, vel minuit in alio genere: ita nec aufert, quòd opus intẽsius sit à libertate physica, & augeat simpliciter rationem meriti: quamuis, si maior esset libertas æquilibrii, maior etiam esset ratio meriti in his, qui steterunt, ratione libertatis in æquilibrio, quàm sint, cæteris paribus, meritoriæ, aut demeritoriæ actiones bonæ, vel malæ hominum post lapsum.

§. VIGESIMVS.

Reliquæ propositiones Iansenij profligantur, vbi præcipuè necessitas ostenditur gratiæ sufficientis.

1035 PRima Iansenij propositio in eo sita est, quòd sint quædam præcepta, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excœcatis, & obstinatis, sed etiam fidelibus, iustis volentibus, & conantibus, sint, secundùm præsentes, quas habent vires, impossibilia, & quòd desit eis gratia, qua possibilia fiant. Hoc autem specialiter fũdat in eo, quòd non admittit, nisi gratiã efficacem, necessitantem ad opus bonum: gratiam verò præcisè sufficientem, cui voluntas creata resistat, putat aut monstrum, aut damnatam, tamquam doctrinam Semipelagianam: atque ita, qui non benè operatur, ideò non operatur, quia nullam habet gratiam, qua possit implere hic, & nunc præceptum: & ideò obseruantiam illius putat hic, & nunc etiam illi, qui erat iustus, & deindè nõ obseruat præceptũ, impossibilem. Probato ergo, quòd Deus nulli denegat gratiam suam, saltem sufficientem, dum ab illo exigit obseruantiã præcepti, ruit funditus prima Iansenij propositio.

1036 Secunda ergo eiusdem Iansenij propositio consistens in eo, quòd gratiæ interiori Dei, datæ hominibus per Christum Redemptorem, numquam resistatur, propterea, quòd nulla alia datur per Christi merita gratia, nisi efficax, est nobis hic impugnanda, & profliganda; quo exhibito iuer non dum prima iam relata propositio, verùm etiam quarta, in qua asserit, quòd admiserint Semipelagiani necessitatẽ gratiæ Christi ad singulos actus, etiam fidei: sed ideò fuerunt damnati, vt hæretici, quia admittebant non necessitantem, sed talem, cui possit resisti, vel obtemperari. Ruet etiam quinta, in qua adstruit Christi passionem, & mortem non taliter exhibitam à Christo fuisse pro salute omnium, & singulorum hominum, quòd vi voluntatis Dei, & Christi Redemptoris dentur singulis hominibus proxima remedia gratiæ, saltem sufficientis, qua proximè saluari possint, si velint: sed dumtaxat quoad sufficientiam remotam, quatenus merita Christi sufficientia ex se sunt ad saluandum omnes, si Christus voluisset: quæ tamen defacto non applicauit, nisi pro solis Electis, exclusis cæteris. Omnes ergo istæ quatuor propositiones ita inter se sunt annexæ, vt expugnata secunda insuperabiliter expugnatæ remaneant cæteræ. Sola tertia cum his cõnexionem non habet veluti ex consequenti, sed potiùs in ipsa radicantur cæteræ. Si namque ad merendum, vel demerendum defacto non requiritur per Iansenium, imò non datur in hominibus post lapsum, nisi libertas à coactione; ergo defacto non daretur gratia sufficiens, cui resisti possit, hoc enim modo daretur libertas indifferentiæ, secundùm quam homo posset cooperari gratiæ, & non cooperaretur. Vndè in tertia propositione, tamquam in mala radice, vitiantur reliquæ quatuor propositiones Iansenii: atque ita profligata iam tertia in toto paragrapho antecedenti, sufficientissimè in ea remanerent expugnatæ reliquæ. Volo nihilominùs non pauca addere in hoc paragrapho contra secũdam propositionem, sicut etiam aliqua contra reliquas. Vt tamen clariora fiant, quæ contra secundam Iansenij propositionem dicam.

1037 Prænoto primò qualis sit, vel debeat esse obseruantia præceptorum Dei, ad quã requirunt Catholici Theologi necessitatẽ gratiæ siue efficacis, siue sufficientis in singulis actibus. Dupliciter namque plurima Dei præcepta videntur posse obseruari: vno modo materialiter ex parte præcisè rei præceptæ, vel prohibitæ: non tamen ex recto, & ordinato fine, sed vel amore concupiscentiali rerum temporalium, vel timore pœnarum secundùm se præcisè, nullo habito respectu ad Deum iratũ, atque ad illius absentiam: quo pacto plurima præcepta legis obseruabant, & obseruant defacto Hebræi: vel etiam alio fine naturali, sicut obseruantia castitatis ex auaritia, vel vanagloria, & alijs similibus motiuis. Et hæc ob-

obseruantia praua, & mala est ex inordinato fine, vt contra Iulianum Pelagianum, qui similes obseruantias ipsi obijciebat in infidelibus pro excludenda necessitate gratiæ, probat Augustinus in libro 4. cap. 3. ex ijs, quos contra eumdem scripsit. Ad similem ergo prauam præceptorum Dei materialem obseruantiam nulli dubium est nō requiri Dei gratiam, cuius effectus esse non potest, nisi bonus: nec Deus in suis præceptis potest hanc malam à nobis exigere obseruantiam, qui iniquitatem odit, non præcipit, aut exigit. Alia est autem præceptorum obseruantia formalis, quando nimirum non solùm fit, quod præcipitur, verùm etiam ex recto fine, cum ordine nimirùm ad Deum, siue per amorē, siue saltem per timorem disponentem ad charitatem, eo modo, quo loquitur Tridentinum Sess. 6. Can. 1. & 3. quòd scilicet seruetur præceptum, sicut oportet, vt homo disponatur ad salutem; & secundùm quòd dicitur in Scriptura, *Præparate corda vestra Domino*. Porrò ad huiusmodi præceptorum obseruantiam requirunt Catholici necessitatem gratiæ siue efficacis, siue sufficientis, vt benè operans mereri possit: & demereri, qui gratiæ non cooperatur. Et quidem in hominibus post lapsum duplicem requirunt gratiam: aliam nimirum præuenientem, seu vocantem, & excitantem, atque sanantem: aliam verò adiuuantem, & cooperantem, seu vires potentiæ eleuantem: vt docet Angelicus prima secundæ quæst. 109. artic. 2. his verbis; *Sic igitur virtute gratuita, superaddita virtuti naturæ, indiget homo in statu naturæ integræ quantùm ad vnum, scilicet ad operandum, vel volendum bonum supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ quantùm ad duo, scilicet vt sanetur, & vlteriùs, vt bonum supernaturale virtutis operetur*. Et ratio patet ex sæpè dictis, quia nimirum homo in statu naturæ integræ per donū iustitiæ originalis, (quod licèt non sit debitum naturæ, computatur tamen inter dona naturalia, eò quòd non eleuabat hominem ad Deum, sicut facit nunc gratia præueniens, sed præcisè sopo-rabat cōcupiscentias, & cupiditates naturæ, quibus trahitur ad se,) sanus erat ad Deū amādū, & seruāda præcepta vi liberi arbitrij, & naturaliter: vt autē potuerit supernaturaliter eadē præstare, alio indigēbat auxilio eleuāte, & dāte vires: nunc autē premitur homo concupiscentijs, & cupiditatibus, ipsum trahentibus ad se ipsum: & nisi aliquo alio auxilio trahatur extra se per oppositas inclinationes ad Deum, numquam posset cum sola gratia adiuuante non operari secundùm cupiditates; ac propterea, vltra auxilium cooperans, & dans ei vires ad actus supernaturales; indiget alio, sanante eius infirmitatem, excitante nimirum, & aduocante, atque inclinationibus oppositis ad Deum ducente. Vndè Augustinus lib. de Correct. & Gratia cap. 11. *Quid ergo?* inquit, *Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille non opus habebat illo adiutorio, quod implorant isti, cùm dicunt, video aliam legē in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c.* Eò quòd, *Ille nulla tali rixa à se ipso aduersus se ipsum tentatus, atque turbatus, in illo Beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.*

1038 Prænoto secundò vtramque hanc gratiam, quæ supernaturalis est, non solùm quoad modū, verùm etiā quoad substantiā, prout probaui numero 296 quamque Catholici necessariam esse dicunt ad singulos actus bonos eliciendos, etiam fidei primordialis, ac ad actus quærendi, petendi, pulsandi contra Pelagianos, & Semipelagianos, non ita requiri, quasi in omnibus hominibus, etiam infidelibus, & barbaris detur in omni tempore, & actualiter gratia, tum præueniens, tum cooperans ad proximè elicere quemlibet actum bonum, itaut de infideli hic, & nunc dici valeat, quòd habeat in se gratiam sufficientem, dantem proximum posse ad amandum Deum, & seruanda omnia alia præcepta: hæc namque gratia infideli, & impotenti sine fide placere Deo, omninò superfluè daretur: sed sufficentia gratiæ, quā dari ab ijsdem Catholicis propugnatur in omnibus proc-sus hominibus, dum sunt in via, talis est, qua liberum arbitrium possit per eam aliquid efficere, quo mediante valeat, reliqua, quæ non habet, obtinere, e. g. infideli dari gratiam, saltem sufficientem, vt possit credere, & credendo acquirere gratiam, qua possit quærere, petere, & pulsare: ac quærendo, petendo, & pulsando alias acquirere gratias, quibus reliqua omnia valeat adimplere præcepta, iuxtà modum, quo loquitur Tridentinum Sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non iubet: sed, iubēdo, monet & facere, quod possis, & petere, quod nō possis, & adiuuat, vt possis.* Quo modo etiā locutus est Augustinus lib. de Natura, & Gratia cap. 43. Sicut namque liber est homo ad ambulandum, non voluntate, sed pedibus, in quantùm liberè potest vti pedibus: liber est etiam claudus, potens baculo ambulare, ad ambulandum, quia in suo posse habet baculum sibi applicare: ita liber, & potens simpliciter actù est infidelis ad amandum Deum, licèt gratia careat

careat pro eliciendo tali amore, ex eo, quòd per solam gratiam ad posse credere, potest, credendo, acquirere posse petere, & petẽdo acquirere posse Deum amare. Quapropter cautè legendi, atque intelligendi sunt illi Doctores Catholici, qui dicunt aliquos homines peruersos, & obstinatos priuari à Deo in pœnam, etiam gratia sufficienti: non enim intelligendi sunt de omni gratia, vt nec possint petere, quærere, & pulsare: sic enim impossibilitarentur omninò ad obseruantiam præceptorum, & non peccarent, ea non obseruãdo: sed dumtaxat intelligi debent de priuatione proximioris gratiæ, requisitæ ad obseruantiã præceptorum. An autem etiam hoc benè dicatur, vel non, aliò remittitur disputandum. His præhabitis.

1039 Obruitur secunda Iansenij propositio, probando dari in omnibus prorsus hominibus, etiam barbaris, & infidelibus gratiã sufficientem modo explicato in secunda adnotatione, primò ijs locis, quibus in paragrapho 5. probaui contra Lutherum, & Caluinum adesse in omnibus hominibus post lapsum libertatem ad bonum, & ad malum, sed ad bonum non esse liberos, nisi gratia Redemptoris: cùm autem non omnes benè operentur, necesse erit consequenter dicere in non operantibus gratiã talem esse, quòd, quamuis ea possint benè operari, ipsi tamen resistant. Ex quibus aliqua dũtaxat repetã, quæ clariora videntur, qualis est ille Ecclesiastici 15. *Non dixeris, per Deum abest: quæ enim odit ne feceris, non dicas, ille me implanauit*. Hæc namque homini labenti post originale dicuntur: si autem huic, negato posse, à Deo imponitur præceptum, quis non videt, quòd per Deum, non dato posse, quod ab eo dumtaxat dari valet, abest actus præceptus: & non vi hominis labentis, à quo non potest vitari lapsus? Ille item Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum*. Si autem Israeli, se perdenti, nullum Deus præbet auxilium, quo potuerit non se perdere, non esset, de quo auxilio possent præfata verba intelligi. Illa item loca Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non, vt conuertatur, & viuat*? Et infra, *Quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus? reuertamini, & viuite*. Et cap. 33. *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur à via sua, & viuat*. Vbi est aduertendum, quòd non est sermo de homine ante casum, & voluntate Dei, vt non cadat, sed de homine iam lapso, & voluntate Dei, vt conuertatur: implicat autem voluntas Dei actualis de obiecto impossibili, cùm Dei voluntas sit ex se immutatiua sui obiecti; si ergo nihil Deus peccatori, impotenti se conuertere, tribuit, quo possit se conuertere, non posset stare similis voluntas in Deo, qua dici valeat velle, vt impius se conuertat, & viuat. Rursus, si daretur talis in Deo voluntas, non esset voluntas sincera, sed delusiua: vellet nãque nostram conuersionem, quando hæc esset nobis impossibilis. Et quamuis hæc loca possint allegoricè intelligi de Israele, per fidem Christi, & peccatoribus liberatis à Christo. Hoc id ipsum nihilominùs vrget: nam ista verba dicta sunt Populo Hebræorum; nisi autem ille potuisset fieri populus Israel per fidem in Christum, deceptoriè locutus fuisset Prophera nomine Domini, cui loquebatur. Hæc autem de Deo, etiam cogitare, est blasphemia; ergo. Talis est etiam locus ille Isaiæ 5. dicentis de vinea Domini Sabaoth, *Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Vbi nõ esse sermonẽ de domo Israel in Adã, ceci videtur: nã in Adã omnes homines fuerunt eodẽ modo, & nulla erat specialis electio huius populi, qui dici potuerit præ alio vinea Dñi; ergo sermo est de populo electo in Abraham, vel in Iacob, post lapsum originale; si ergo huic populo non dederat Deus nec gratiam efficacem, qua benè operaretur; nec sufficientem, qua posset, quomodò expectabat fructus vuæ à labruscis, quibus impossibilis erat talis fructus? cui quæso rationalis videri potest talis expectatio? Et ille Matthæi 23. *Ierusalem Ierusalem, &c. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti*; si autem Deus nec gratia efficaci, nec inefficaci congregare voluit, vbi erit ipsum velle congregare? an congregari poterant filij Ierusalem sub Christi alas absq; vlla eiusdem Christi gratia, vt potuerit stare tale velle, nullam prorsus conferendo gratiam? nemo sanè id dicet, nisi Pelagianum, vel Semipelagianũ velit agnosci.

1040 Obruitur secundò ijs etiam Scripturæ locis, quibus §. 12. probaui Deum non præcipere hominibus impossibilia: cùm ergo præcepta Dei omnibus, & singulis hominibus sint imposita, etiam barbaris, & infidelibus, & præcipuè præcepta naturalia, nec ista possint debitè obseruari sine gratia Redemptoris, necesse erit ad hoc, vt omnes obligent, quòd omnibus subministrentur per Deum vires, saltem in radice, per gratiam siue efficacem, siue inefficacem,

cem, modo explicato num. 1037. Ex locis autem inibi adductis dumtaxat hic trãsferam illũ Deuteronom. 30. reliquis expliciticrem, vbi de præcepto dilectionis Dei loquens Moyses suo populo, habet, *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non supra te est, neque procul positum, nec in Cœlo situm, vt possis dicere, quis nostrum valet in Cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, &c. neque trans mare positum, vt causeris, & dicas, quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsq; deferre, &c. sed iuxtà te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illũ.* Quibus in verbis patet cõ totũ tendere Moysis intẽtum, vt ora claudat iis, qui dicunt tale præceptum non posse seruare, & indè cauſare sibi excusationem de inobseruantia. Cùm ergo, si sine gratia, etiam sufficienti, darentur aliqui, non solùm hoc, verùm etiam omne præceptum fieret eis impossibile, atq; redderentur defacto verè impotẽtes ad illorum obseruantiam, euidẽter colligitur, quòd per præfata verba cauetur hęretis ista Iansenii, qua asserit non dari hominibus omnibus, quibus impositum est præceptum, saltem gratiam sufficientem, qua omnes possint illud seruare.

1041 Quibus addẽda est præfacta paulò ante Concilii Tridentini definitio ex Seſſ. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non iubet; sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat, vt possis.* Ex quo, prout notauì numero 1037. euidenter patet omnibus, etiam barbaris, & infidelibus dari per Christum, saltem gratiam sufficientem, qua mediante in potestate habeant credere, quod iam possunt, & per hoc petere, quod non possunt, vt ad illud Deus adiuuet ita, quòd possint; alias Deus impossibilia illis omninodè præciperet: nisi maiori barbarismo, & insania velit Iansenius Deum præcepta sua tradere solùm Electis, quibus dat posse operari: atque ita totam euacuet Scripturam, quæ plena vndequaq; est minis, & questibus contra infideles, & malè operantes.

1042 Respondet his inuerecunda fronte Iansenius lib. 3. de Gratia Saluatoris capit. 13. distinguendo quatuor possibilitatis genera ad operari benè, his verbis, *Primò*, inquit, *remotissimè per solam liberi arbitrij flexibilem qualitatem ad bonum, & malum, quæ potestas in natura nudæ liberi arbitrij constituta est; Secundò paulò propinquiùs, dicimur posse benè viuere, omnibusque tentationibus resistere, & peccata cauere per fidem; quamuis dilectione Dei, & actuali Dei adiutorio, internisque viribus voluntatis careamus: nam quamuis fides ista omnia per se nullo modo possit; quia tamen est semen orationis, per quam impetrare solemus, hinc per ipsam fidem ista posse dicimur. Tertiò dicimur multò pleniùs, propinquiùsque posse per charitatem, per quam homo iustificatur. Quartò completissimè dicimur posse, quando Sancti Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, vt non nudè possit, sed etiam velit.* Post quæ respondendo argumẽto iam facto dicit, *Præcepta Dei esse homini possibilia: etenim, si iam iustificatus est, habet charitatem, seu bonam voluntatem, per quam Deum diligere, & totam legem adimplere possit; plenitudo enim legis est dilectio. Si autem fidelis quidem, sed non dum iustificatus est, habet aliquid bonæ voluntatis, quatenus credit: nam vbi est initium fidei, est initium bonæ, hoc est piæ voluntatis. Quòd si etiam fide Christi caret, habet liberum voluntatis arbitrium, per quod vti carni titillãti, ita & Spiritui illuminanti consentire: vti peccare, ita & rectè viuere potest. Quocumq; verò possibilitatis modo ex illis tribus, quos iam diximus, homo possit præcepta Dei facere, & si alio modo facere non possit, satis est, vt, si non fecerit, sit inexcusabilis,*

1043 Ex quibus patet, quòd loquens de nõ benè operante, & potente operari vno ex tribus prioribus modis, etiam per præcisã flexibilitatem liberi arbitrij, quam vocat remotissimum posse, asserit inexcusabilem esse illum, qui habens nudam præfatam arbitrii libertatem, absque vllo prorsùs auxilio eleuante, & adiuuante, actù non benè operatur. Et de hoc posse; dicit, sufficienter intelligi loca Sacræ Scripturæ, & Concilii.

1044 Ego certè ex dictis non dubito quodlibet ex vltimis tribus generibus possibilitatis, primo excepto, sufficere ad potestatem liberi arbitrii, vt faciat, iuxtà Concilium, homo id, quod potest, & petat, quod non potest, eò quòd Deus non negabit adiuuare, vt possit. Sed displicet sanè non posse præsentialiter Iansenium interrogare, si se in continuo peccato mortali agnoscebat, dum non dispensabat pauperibus, & egentibus suæ Diœcesis tertiam partem bonorum omnium Ecclesiasticorum, etiã eorum, quæ non habebat, nec poterat habere, cùm ad hoc non deficiebat ipsi flexibilitas pura arbitrij. Nec enim respondere potuisset, quòd habuerit voluntatem id faciendi: nam habenti actuales prouentus non præcipitur nuda voluntas, qua nõ subuenitur pauperi, verùm etiam voluntas efficax, ponens effectum; cur ergo ipsi Iansenio in casu sufficeret voluntas inefficax, & vacua, nisi quia non haberet proximum posse, licèt non deficeret tota remota possibilitas ad voluntatem efficacem positiuã

effectus? concedat ergo, quòd hæc non sufficit ad culpandum hominem, quando deficit alia possibilitas proximior.

1045 Vrgeo ex verbis Concilij: nam Concilium, explicans quomodò Deus non præcipiat impossibilia, distinguit aliqua, quæ nunc possumus, & alia, quæ non possumus, sed obtinere, petendo, valemus posse, & facultatem; ergo agnoscit non sufficere illam solam flexibilitatem voluntatis: non enim, quod iam supponimus habere, petimus à Deo, vt ipso adiuuante possimus, sed auxilium illud, quod volũtatem eleuat, & facultatem ei supernaturalem tribuit, vt possimus benè operari. Nec enim hanc remotam flexibilitatem, indistinctam ab entitate voluntatis, negabant Lutherus, & Caluinus, contra quos est prædicta definitio Concilij: sed ex necessitate concupiscentiarum, quas extimabant peccata, asserebant post peccatũ Adæ esse homini impossibilem obseruantiã præceptorum Dei, vt videre est §. 14. atqui in homine sine gratia efficaci eamdem impossibilitatem ex necessitate ponderis concupiscentiarum adstruit Iansenius; ergo remanet cum ijsdem per Concilium Tridentinum damnata saltem eius doctrina.

1046 Insurgo ex ratione naturali, cuilibet patente: quia peccatum, sicut & meritũ, consistit in actione moraliter, & prudenter alicui imputabili, tamquam causæ, vt talis actio fiat: non enim aliunde irrationabilibus nihil est imputabile, tamquam meritum, nisi quia, quæ agunt, vel non agunt, ita sunt illi aliundè determinata, vt non vi illorum, sed aliundè sit determinatio actionis: atqui stante nuda flexibilitate voluntatis, adhuc si ista, per impossibile, totum conatum adhiberet, totas suas diffunderet vires, non per hoc opus præceptum poneretur, cùm effectus non sit ponibilis vi causæ inadæquatæ; imò nec ipsum conatum potest voluntas creata adhibere, vt vi sua sit, eò quòd actio inadæquata est impossibilis, cùm actio sit ipsa positio effectus: & sicut implicat poni effectum per actionẽ inadæquatã, ita implicat poni ipsã actionem inadæquatam; ergo stante sola flexibilitate voluntatis, nec carentia operis præcepti, nec carentia conatus voluntatis sunt vllo modo imputabiles eidem voluntati.

1047 Obruitur tertiò alijs specialibus Scripturæ locis, eamdem propositionem Iansenij radicitùs euellentibus: qualis est ille Ioannis primo, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*. Vbi agitur de vita in Deo, quæ per Christũ datur mortuis in delictis: & de lumine spiritus illuminante, & excutiente tenebras peccatorum; de quibus paulò ante dixerat, *Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*: de hac autem luce ita, illuminante, non dicitur, quòd solos Electos illuminet, sed omnem hominem, venientem in hunc mundũ; ergo omnibus tribuit lumen gratiæ siue efficacis, siue inefficacis, qua viuere possint in Christo: vt qui non ita viuunt, deficiant, quia tenebræ ipsæ nolunt exhibitum lumen comprehendere, non quia à Christo non illuminentur defacto: cùm non dicatur, quòd Christus possit, & sit sufficiens illuminare, sed quòd actù, & de præsenti *illuminat omnem hominem, venientẽ in hunc mundum*. Rursus eiusdem Ioannis 3. habemus, *Misit Deus Filium suum in mũdum, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*; & cap. 12. *Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum: non enim veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum*. Et quidem loqui de iudicio finali euidens est ex ijs, quæ subiunguntur, *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum: sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die*. De non operante, & iudicando est sermo: de audiente, & non custodiente Christi doctrinam, nec eam accipiente. Dicant nunc Iansenius, & sequaces, quid est, quòd dicitur tales non fore iudicandos à Christo in nouissimo die, cùm in Symbolo habeamus, *Qui venturus est iudicare viuos, & mortuos*? nisi quia, vt verba ipsa indicant Ioãnis, per ea non excluditur à Christo iudicium, sed intentio iudicandi, eò quòd carnem assumpsit, non intentione aliquos saluandi, & alios iudicandi: sed saluandi omnes per suam passionem, & mortem. Quòd si aliqui remedia exhibita pro eorũ saluatione respuant, ipsi se indicandos exhibent, non Christus eos propria voluntate à saluatione exclusit: eo modo, quo Medicus ægrotum non interimit, nec moriturum relinquit, cui pro salute opportuna præbet medicamenta: sed, si ægrotus ea excipere respuit, ipse se interimit, qui præcepta Medici seruare non vult. Et idem Ioannes in sua prima epistola cap. secundo. *Sed, si quis peccauerit*, inquit, *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum: ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*. His addo ex Apostolo, quod habet in prima ad Timotheum 2. *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Et vt appareat, quod ita de omnibus ex parte

re Dei loquatur, vt neminem excludat, cõſiderandum eſt motiuum, vndè id afferat: præmiſerat namque, *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt:* numquid autem omnes iſti ſunt Electi? aut Eccleſia verba hæc accipit pro ſolis Electis, vt non indifferenter, & pro Hebræis, & pro Schiſmaticis, & Hæreticis oret, quia, prout ſubiungit Apoſtolus, *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, &c.* Si ergo Dei voluntas ſaluandi ad ſolos Electos extenderetur, dũ indè aſſerit Apoſtolus bonum eſſe pro omnibus orare, quia id acceptum eſt Deo, volenti omnes homines ſaluos fieri, ſolùm Deo acceptum eſſet orari pro Electis, & pro illis ſolùm eſſet orandum: quòd aduerſatur monitioni Pauli, & vſui torius Eccleſiæ Catholicæ. Obſtruat tandem Ianſenij, & ſequacium ora idem Apoſtolus in ſua epiſtola ſecunda ad Corinthios cap. 5. illis verbis, *Charitas enim vrget nos, extimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Neſcio, ſi Ianſenius, aut eius Aſſeclæ hunc Apoſtoli diſcurſum conſiderarunt, ſecundùm quem infert, omnes homines eſſe mortuos in delictis defacto ex eo, quòd pro omnibus defacto mortuus eſt Chriſtus: ſi enim Chriſti mors nihil defacto confert aliquibus ad vitam, ſed dumtaxat ſufficientiam habet cõferendi, prout confingit Ianſenius, impertinens omninò eſſet Apoſtoli conſequẽtia: quis enim tam ſtolidus eſt, vt ex hoc antecedenti, Deus virtutem habet nunc me reſuſcitandi; inferat, ergo nunc ego ſum mortuus? benè autem diſcurritur ita, Deus reſuſcitauit Lazarũ; ergo Lazarus erat mortuus: pari ergo modo benè ſtat, Chriſtus defacto mortuus eſt pro omnibus, vt omnibus defacto remedia tribuat ad vitam acquirendam; ergo omnes mortui ſunt: ſed non valet, Chriſtus mortuus ſufficientiam habet omnibus vitam tribuere; ergo omnes mortui ſunt: ſed ad ſummum valeret; ergo omnes poſſunt mori. Si ergo Apoſtolus infert actualem omnium mortẽ ex eo, quòd pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ſupponit defacto omnes iuuare mortem Chriſti ad illorum vitam, ſaltẽ quoad ſufficientiam auxiliorum.

1048 Reſpondet his omnibus Ianſenius, curãs, non veritatem venari, ſed non videri ſilens, quòd Auguſtinus eumdem, quem nos Apoſtoli ex prima ad Timotheum 2. adducimus locum ad probandum Deum velle omnes homines ſaluos fieri, tribuẽdo omnibus, ſaltem gratiam ſufficientem, ſibi obiectum à Semipelagianis explicat in libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. & alibi non ſemel, de generibus ſingulorũ, vt ſolet dici: non de ſingulis generum, prout nos eidem Ianſenio explicandum fore proponimus, hoc eſt, quòd nomine totius mundi, vel omnium hominum in prædictis locis intelligitur, quòd Deus velit ſaluare ex omni conditione hominum, nõ verò ſingulos cuiuslibet conditionis: afferens exempla, quòd ſicut de magiſtro ſolo, docente in Ciuitate, benè dicimus, iſte omnes docet, non quia nemo ſit, quem non doceat, ſed quia omnis, qui diſcit, ab eo diſcit: & de ingredientibus in Eccleſiam per vnicam ianuam etiam dicimus, per hãc ianuam omnes ingrediuntur, non quia nemo ſit, qui non ingrediatur, ſed quia omnes, qui ingrediuntur, per eam intrãt: ita ait Auguſtinus, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, non quia neminem dãnet, ſed quia omnes, qui ſaluantur, nonniſi ſua volnntate ſaluantur. Ac eodẽ modo, aſſerit Ianſenius, ex eodem Auguſtino poſſunt, imò debent explicari cætera Scripturæ loca, quibus dicitur, quòd Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & quòd illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hũc mũdũ.

1049 Sed differamus pro nunc inquirere, quid ſibi voluerit Auguſtinus in explicando Apoſtoli verba, *Qui vult omnes homines ſaluos fieri, &c.* modo, quo præfertur: à Ianſeniſtis percontor, ſi conſequentiã illã Apoſtoli, *Ergo omnes mortui ſunt*, dicant eſſe de generibus ſingulorum, an de ſingulis generum? certè non dicent, quòd peccatũ Adæ ſolùm infecerat ex omni conditione aliquos, & non ſingulos homines; ſi autem Deus pro generibus ſingulorum dumtaxat actũ mortuus eſt, & non pro ſingulis generum, non valeret conſequentia mortis, niſi ad genera ſingulorum; ſi ergo Apoſtolus illam conſeqnentiã infert de ſingulis generum, in eo loquente infallibili ſapientia, taceant linguæ, loquentes mendacia. Rurſus, ſi Deus dumtaxat venit in mundum, vt ſaluificet mundum quoad genera ſingulorum, & non quoad ſingulos generum; cæteros ergo venit, vt iudicet, aut ſaltem non venit, vt ſaluificet; non ergo benè, tamquam cauſa non iudicandi reſpuentem verba Chriſti, dicitur, quòd Chriſtus venerit, vt ſaluificet mundum: alii namque eſſent, quos non Chriſtus, ſed eius ſermo iudicabit in nouiſſimo die, vt dicitur in præcitato cap. 12. alij, de quibus verificaretur, quòd venit, vt ſaluet.

Quis

Quis autem ita insanit, vt non videat, nō esse bonam hanc causalem, non veni, vt iudicem hos, quia veni saluare alios: potuisset namque venire ad aliquos saluãdos, & ad iudicandos alios: bona est autem causalis cadens supra eosdē, nimirū nō veni, vt iudicem hos, quia veni, vt ipsosmet saluem. Considerent ergo Iansenistæ præcitata verba Euangelij Ioannis, vbi dicitur, *Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum: non enim*, subiungitur, *veni, ut iudicem mundū, sed vt saluificem mundum*: & agnoscant, quòd assignatur, tamquam causa carentiæ iudicij, quòd venerit Christus, vt saluificet mundum.

1050. Accedo iam nunc ad perscrutandum, quid voluerit, & in quo sensu locum præcensitum Apostoli explicauerit Augustinus de generibus singulorum, & non de singulis generum: quod, si diligenter fecisset Iansenius, nō in talia defluxisset abrupta; loquar autē priùs de explicatione, quam tradit in libro de Prædestinatione Sanctorum, & deindè ostendam eodem modo locutum fuisse in alijs. Euidens autem est & Iansenistis, & omnibus, quòd librum de Prędestinatione Sanctorum, sicut & illum de bono perseuerantiæ, scripserit Sanctus Doctor contra Semipelagianos, respondēdo epistolis Prosperi, & Hilarij. Præcipuus autem Semipelagianorum error in eo erat, quòd volebant ad fidem, & inuocationem Dei, petendo, quærendo, & pulsando, nō præcedere gratiam Christi, facientem credere, petere, quærere, & pulsare: sed id haberi defacto per naturalē arbitrij facultatem: imò potiùs gratiam deindè ad operandum dari ex merito naturali fidei, & inuocationis Dei; & hoc inter alia indè adstruebant, quia ita dicendo non vacillat illud Apostoli, *Qui vult omnes homines saluos fieri, &c.* prout vacillare credebant, si diuina Prædestinatio gratiæ Electorum diceretur præcedere omne opus bonum, etiā fidei, &c. cùm ista non sit pro omnibus hominibus: at verò, si diceretur, quòd Deus neminem specialiter prædestinauerit: sed omnes, qui priùs credidissent, & ipsū inuocassent, sicut omnes poterant indifferenter credere, & inuocare iuxtà falsam Semipelagianorum doctrinā, ita, dicebant, indifferenter subsisteret, quòd, *Deus vult omnes homines saluos fieri, &c.* Ecce verba Prosperi in sua epistola referentis id, quod consequenter ad eorum falsam doctrinam dicebant Semipelagiani, *Nec vacillare illud*, nimirum iuxtà eorum assertū, *quòd, Deus omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*. Et clariùs apud Hilarium, *Indè est, quòd & illud pariter non accipiunt, vt eligendorum, reijciendorumque esse definitum numerum velint; atque illius sententiæ expositionem, non eam, quæ à te est deprompta, suscipiunt, idest, vt nonnisi omnes homines saluos fieri velit: & non eos tantùm, qui ad Sanctorum numerum pertinent, sed omnes omninò, vt nullus habeatur exceptus*. Quia ergo tota lis inter Augustinum, & Semipelagianos in eo consistebat, quod Sanctus Doctor propugnabat omuem actum bonum, etiam fidei, & inuocationis esse ex speciali Prædestinatione gratiæ Dei his præ alijs: & huic speciali Prędestinationi obijciebāt Semipelagiani locū Apostoli, docētis indifferēter Deū velle omnes homines saluos fieri: per quæ verba communia videtur excludi specialis Prædestinatio, respondet Augustinus obiectioni, quòd etiam illa verba, quæ alibi, vt probabo deindè, idem Augustinus explicauerat respectu omnium hominum, cum distributione accommoda, & hæc non sufficerat Semipelagianis, sed volebant indifferenter intelligenda de omnibus, sicut sonabant; respondet, inquam, quòd illa eadem verba non excludunt Prędestinationem specialem Electorum, sed benè quadrant huic speciali Prædestinationi, si intelligantur, nō de singulis generum, sed de generibus singulorum: non excludendo per hoc distributionem accommodam, iuxtà probatum legitimum sensum Apostoli; non ergo prædicta explicatio Augustini excludit Prædestinationem accommodam gratiæ respectu omnium, siue efficacis Electis, siue inefficacis reliquis: sed duntaxat voluit ostendere, quod adhuc, si æquè de omnibus velimus intelligere, verificantur de omnibus generibus singulorum, & non de omnibus, & singulis generum. Et quoniam quando alibi eadem explicationem tribuit, contra Pelagianos loquitur, qui etiam volebant à natura esse opera bona, & non à speciali gratia Dei, & Augustinus propugnabat istam specialē gratiam, videns, quòd isti eamdem obiectionem poterant facere, eodem modo explicauit pluries Sanctus Doctor prærecēsita verba.

1051 Cæterùm, quòd alibi eadem ipsa verba extenderit, præintellecta distributione accommoda, ad singulos generum, euidenter ostendo: libro enim de Spiritu, & Littera cap. 33. sic loquitur, *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes, iustissimè iudicentur*. Non ergo duntaxat vult saluos fieri, qui libero arbitrio

trio vtuntur in bonum: sed etiam, qui in malum, vt vtrique iustè iudicentur siue digni præmio, siue digni pœna. Et iuxtà hunc sensum subdit: *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio nō credunt: nec ideò tamē eā vincunt, verùm se ipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in supplicijs potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt.* Videt credo Ianseniftæ, quòd de infidelibus est sermo, nō prout peccātibus in Adamo, sed propria volūtate non credēdo Euangelio. Quid ergo est, quod de istis dicit Augustinus, quòd contra voluntatē Dei faciunt, non credendo Euangelio? nōne de voluntate agit, secundùm quam dixerat, *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri*? Alias namque quo magno, & summo bono, non credendo, se fraudarent, si iam per originale omne ius perdiderunt ad beatitudinem, & Deus post originale nullam voluntatem habuit illos saluos fieri? atq; quā misericordiā in donis, non credentes, contempserunt, qui post originale nullum misericordiæ donum, nec quidem inefficax habuerunt? Sed obmutescāt tandem, atque se ipsos corrigant Ianseniftæ, dum exemplū legunt, quod ad prædicta explicanda subiungit S. Doctor. *Qui enim,* inquit, *dicit verbi gratia: volo, vt hi omnes serui mei operentur in vinea, & post laborem, requiescētes, epulentur, itaut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat: videtur quidē, quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si è pistrinum, contemnens, effugerit, quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.* Nonnè euidens hoc exēplo, & verbis Augustini est, quòd de iisdē de quibus dicit, *Volo, vt omnes serui mei operētur in vinea, & post laborem, requiescentes, epulentur*: de iisdem omnibus subsequitur, *Videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere, &c.* cùm ad hæc præmittat, *itaut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat*? quisquis eorum, inquit, non quisquis ex aliis. Vult ergo, ex Augustino, Deus omnes homines saluos fieri, non tamen omnes efficaciter, sed potius cum distributione accommoda, non excludendo, quin aliqui ex his, hoc contemnētes, se ipsos epulis cœlestis conuiuij fraudent, atque malis pœnalibus implicent.

1052 Ego certè numquam possum ad sufficientiam mirari, quòd, qui volunt in præsenti materia fidi, præ cæteris, discipuli Augustini videri, eos non pudeat id Sancto Doctori impingere, quod attributum ipsi à Pelagianis respuit, & falsò sibi imputari ostendit. Legatur in tomo 7, circa finem, liber, in quo sexdecim articulis falsò Sācto Doctori à Pelagianis impositis, respondet, & in secundo videbitur, quòd hunc ipsi attribuebant, *Quòd Deus nolit omnes saluare, etiamsi omnes saluari velint.* Vbi imprimis distinguit Sanctus Doctor speciale voluntatem Dei, volentis alios præ aliis efficaciter saluare, his verbis, *Cùm veritas dicat, si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quantò magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus se: quomodò fieri potest, vt Deus, qui etiam illos saluat, de quibus dici nō potest, quòd saluari velint, nolit aliquos saluare, qui etiam saluari velint, nisi aliqua causa existat: de quibus, quamuis sint nobis incognoscibiles, ita tamen iudicat, de quo dici non potest aliter eum quidquam facere debuisse, quàm fecerit?* Venit deindè ad aliam voluntatem vniuersalem, diuersam à prædicta speciali, quam extendit ad omnes, sic loquens, atq; articulo respondēs sibi falsò à nolentibus inter has voluntates distinguere, imposito, *Remota tamen ergo hac discretione, quam diuina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet, sincerissimè credendum est, atque profitendum Deū velle, vt omnes homines salui fiant; si quidem Apostolus, cuius ista est sententia, sollicitè præcipit, quod in omnibus Ecclesijs pijssimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur.* Ecce argumentum à me supra factum circa textum Apostoli prima ad Timotheum 2. Vndè autem Reprobi, Deo volente eos saluari, pereant, discant ex eodem Augustino Ianseniftæ, ita subiungente, *Ex quibus, quòd multi pereunt, pereuntium,* inquit, *est meritum: quòd multi saluantur, saluantis est donum,* eos nimirum præ aliis gratia speciali volentis saluare. Si ad hæc sanè reflecterēt Ianseniftæ, timerent, crederem, ne communionem incurrant cum Pelagianis, tribuendo tanto Sanctæ Ecclesiæ Doctori tam peruersum articulum, quòd Deus non omnes, & singulos hominum velit saluare: sed omnia dumtaxat genera singulorum, quādo Apostolus, vt idem Augustinus animaduertit, non præcipit orandum tantùm pro generibus singulorum, verùm etiam pro singulis generum, eò quòd, *Hoc bonum est, & acceptum coram Saluatore,* & indè acceptum, quia, *Vult omnes homines saluos fieri.*

1053 Rursus, legant, si vsque adeò non legerint: aut, si cursim caput 13. libri de Prædestinatione, & gratia peruoluerint, maiori peruoluāt attentione Ianseniftæ, atque ad illa reflectant verba, *Alios à ventura ira dono gratuitæ vocationis absoluit,* hæc san gratuita vocatio, qua à ventura ira absoluuntur

uuntur Electi, gratia dubio procul omni est efficax: *alios*, subiungit, *derelinquēs, ad æqualitatis iudicium reseruauit*, de his cum Iansenistis pugnamus, an Deus voluerit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Cogitent ergo quid de his dicat Augustinus, *Nulli tamen*, ait, *agnoscendæ veritatis facultatem abstulit*. Vident ne, quòd illum eumdem locum, quem alibi explicat de generibus singulorum, nunc prædicat de singulis generum? An dicent Iansenistæ, quòd de facultate remotissima agit Augustinus in hoc loco, quasi Pelagiani, contra quos loquitur, somniauerint vnquā Deum auferre ab hominibus voluntatem, in qua consistit potentia remotissima? Legant attentiùs à principio capitis, & agnoscent, vndè peccent, qui derelicti dicuntur à Deo, *Sed nec hoc quidem sufficit*, ait, *ad pœnam, vt pars illa deterior, melioribus repugnaret cordis affectibus, nisi etiam plerumque superaret, in captiuitatem duceret, possideret*. Meliores, quos vocat cordis affectus, gratia sunt, sed quia superatur à parte deteriori concupiscentiali, ideò sufficiens est, nō efficax. Legant eumdem Augustinū paulò ante in cap. 12. quid in illa verba Apostoli, *Velle adiacet mihi perficere autem non inuenio*, dicat, *quamuis & ipsum velle*, ait, *non ex nobis, sed donum Dei est*: sed quoniam non est velle efficax, ideò superatur à cōcupiscentialibus desiderijs, prout loquitur lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. *Gratia verò Dei*, inquit, *semper est bona, & per hanc fit, vt sit homo bonæ uoluntatis, qui priùs fuit uoluntatis malæ: per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, vt possit implere diuina mandata, quæ voluerit, cùm ualde, perfectèq; uoluerit; ad hoc enim ualet, quod scriptum est, si uolueris, conseruabis mandata; ut homo, qui uoluerit, & non potuerit, non dum se plenè uelle cognoscat, & oret, ut habeat tantam uoluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata*. Contra Pelagianos ergo loquens lib. de Prædestinatione, & Gratia, qui volebant homines per solum liberum arbitrium nō tantùm remotè, sed etiam proximè absq; vllo intrinseco supernaturali auxilio gratiæ posse saluari, asserit per solum gratuitæ vocationis donum absolui ab ira ventura Electos: reliquos verò in iudicium reseruati: non quia ipsis denegetur facultas benè operandi per gratiam, sed quia non datur illis gratia fortis, & affluens, sicut Electis: & ideò ad prædicta subiungit, *Et ita plenitudo diuinæ præscientiæ, in alios manante iustitia, in alios gratia profluente*, inquit, *completa est*, non præcisè manante.

1054 Obruitur præterea idem Iansenij error pluribus alijs Augustini euidentissimis locis, quorum primus sit, quem supra tetigimus ex libro 1. de Genesi contra Manichæos cap. 3. *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibiliū rerū, & temporalium se ad eius seruanda præcepta conuertunt: quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat, venientem in hunc mundum*. Vbi, postquam distinguit primùm eos, quos lumē Spiritus Sancti cibo cœlestis alimenti in Christo pascit per fidem, & opera, pergit ad omnem hominem, venientem in hunc mundum, & de his non dicit, quòd pascit, sed quòd ita illuminat, vt possint, si velint, & Deo credere, & Dei præcepta seruare. Sciunt autem Iansenistæ, quæ gratia sit ex Augustino cap. 12. lib. de Correct. & Gratia, per quam datur homini posse operari, si velit, nimirum illa, qualis fuit in Adam ante peccatum, & distinguitur ab illa, per quam etiā datur velle, & perficere. Quem locum refert deindè Sanctus Doctor in libro 1. Retractationum capitu. & notent Iansenistæ, vndè id peragat, ne nimirum, eò quòd dixerat omnes homines posse, si velint, crediderint Pelagiani sibi fauisse, qui posse ponebant in natura omnibus communi, *Non existiment*, ait, *noui hæretici Pelagiani secundùm eos esse dictū: verum est enim omninò omnes homines hoc posse, si velint: sed præparatur voluntas à Domino: & tantùm augetur munere charitatis*, non quidem vt velint, non vt opus perficiant, cùm de omnibus hominibus loquatur, sed, *vt possint*, inquit. Numqnid recursum habuit ad genera singulorum? non ita, sed de omnibus omninò hominibus ratificat, non tamen sine gratia intrinsecùs auxiliante, & præparante voluntatem, ac dante eidem posse.

1055 Secundò ex præcitato libro, in quo ad sexdecim articulos, falsò sibi impositos à Pelagianis, respondet: in primo namque articulo attribuebant præfati hæretici Augustino, quasi docuerit, *Quòd Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum redemptione sit passus*. Iam verò, quod illi falsò ex malitia attribuebant Sācto Doctori, Iansenius, & Asseclæ eidem impingūt, tamquam propriam illius sententiam. Sed vtrosque falsarios conuincit Augustinus, ita respondens, *Quòd ergo ad magnitudinem, & potentiam pretij; & quod ad vnam pertinent causam generis humani*, *Sanguis Christi redemptio est totius mundi*. Quænam est causa vna generis humani, nonne peccatum,

in quo omnes peccauerunt, & tota fuit misera natura humana? hanc ergo causam communem non solùm Sanguis Christi ex Augustino, vt sentit Iansenius, ratione magnitudinis, & potentiæ prætii, posuit ex se esse, sed defacto extitit redēptio totius generis humani, nec solùm hanc omnium causam potuit ratione sufficientiæ suscipere, sed defacto suscepit: subiungit namque Augustinus. *Cùm itaque per vnam omnium naturam*, nimirum quam assumpsit humanam, *à Domino nostro in ueritate susceptam redempti omnes rectè dicuntur; non tamen omnes captiuitate sint eruti: redemptionis proprietas haud dubium pœnes illos est, de quibus Princeps huius mundi missus est foras, &c.* Pro omnibus ergo defacto causam suscepit: & omnibus ui huius susceptionis aliquid defacto, quo dicantur redempti, tribuitur: sed non omnibus tribuitur proprietas redemptionis, & quoad effectum, cùm non omnes defacto à captiuitate sint eruti: ergo alijs tribuitur redemptio quoad posse, quæ propriè, & simpliciter passiuè potiùs est posse redimi, quam redemptio: licèt actiuè, & ex parte Dei non deficiat, sed sit actualis redemptio: alijs verò tribuitur redemptio quoad effectum, qui defacto à captiuitate liberantur, ex Sancto Doctore.

1056 Tertio ex articulo 15. quem iidem attribuebant, & responso Augustini: imponebant namque Sancto Doctori, quasi adstrueret, *Quòd, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, postquam ceciderunt, sic à Deo dispensantur, ne possint, uel uelint per pœnitentiā liberari.* Quibus in verbis, vt patet, non agitur de impotentia ante, sed post peccatum: nec Augustino attribuebant, quasi docuerit Deum à peccātibus Reprobis auferre voluntatem, & potentiā remotissimā, de qua non erat inter eos lis: sed ideò prædicta attribuebant, quia Augustinus negabat voluntatem solam sine gratia posse benè operari: & quia peccatum demeretur priuationem gratiæ, ideò in doctrina Augustini præfatum includi articulum asserebant. Hunc autem articulum fortiùs Augustino attribuit Iansenius, dicens Reprobis negari defacto omne posse, ortum ex gratia, & præcipuè infidelibus, in quibus non admittit, nisi solam, atque nudam flexibilitatem voluntatis; sed vtrosque tāquam Conuiciatores refutat Augustinus, dicens, *Non ueraciter, nec sapienter hoc dicitur: qui enim à fide, & Sanctitate exciderunt, sicut uoluntate prolapsi sunt, ita uoluntate non surgunt: & dominatum concupiscentiarum, quibus succubuerunt, sponte patiuntur.* Quid est, *uoluntate non surgunt*, & *sponte patiuntur*? Numquid voluntatem à coactione intelliget etiam hic Iansenius? An non considerat, quòd non carentiam voluntatis, non carentiam sponranei attribuebant Pelagiani Augustino: sed necessitatem standi in peccato propter impotentiā ad resurgendū ex defectu gratiæ, dantis posse? Vt quid ergo producitur ab Augustino, *Non ueraciter, nec sapienter hoc dicitur*, si in eo, quòd Augustinus oppugnat, nulla dissentio erat cum Pelagianis; nec id abijsdem ipsi attribuebatur? Nonne hinc clarè conspiciendum datur Iansenio idem per Augustinum esse voluntarium, ac liberum, & spontaneum? hoc ergo est, quòd dicit, non veraciter, nec sapienter dici, quòd, qui ceciderunt, ita à Deo dispensentur, ac gratia priuentur, vt posse non habeant ad resurgēdum: sed dici debere non resurgere, quia liberè se submittunt dominatui concupiscentiarum, respuentes, & abicientes gratiam excitantem. Quod totum clariùs deindè paucis concludit dicens, *Nemini autē Deus correctionis adimit viam: nec quemquam boni possibilitate dispoliat: quia qui se à Deo auertit, ipse, & velle quod bonum est, & posse sibi subsulit*: vtpotè quia, cùm gratia excitans sit qualitas transiens, tendens ad opus bonum, statim ac respuitur per consensum ad malum, deficit: quamuis Deus stans ad ostium, & pulsans, non desinat, cùm opus est, nouis stimulis gratiæ pulsare hominum corda, siue efficaciter, siue inefficaciter, vt ei placet.

1057 His accedat volo Prosperi, fidi Augustini Asseclæ, & consulentis semper in his materijs Augustini doctrinam, authoritas. Ille ergo in libro 1. de Vocatione Gentium cap. 26. ita habet, *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: quæ opitulatio*, subiungit, *per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitia: quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Omnibus ergo datur explicata perprius à Prospero gratiæ opitulatio, & non omnibus dūtaxat generibus singulorum, sed etiam singulis generum, quia non est solummodò gratia Electorum, quæ facit operari: sed alia, quæ ob aliquorum nequitiam respuitur, & efficax non est: alia quæ efficax ita est, vt & voluntas humana se accommodet.

1058 Obruitur tandem Iansenij error ex Angelico Doctore, cuius authoritatem nō solùm non floccipendit, verùm etiam sæpè ea vtitur, vt supra videre est. Hic ergo Sanctus Doctor in quarto Sententiarum dist. 17. quæst. 1. artic. 1. ita de Gratia vocationis discurrit, *Dicendum, quòd vocatio est duplex: quædam externa, & quæ fit per prædicatorem, & hæc non est iustificatio, sed disponit ad eam; quædam verò interior, & hæc quandoque quidem non pertingit ad finem suum, ex vocati defectu.* Nonne ista, quæ non ex se defectum inducit operis, sed ex malitia vocati, gratia est ex se sufficiens, carens opere, non ex se, sed libertate vocati? & *hæc vocatio*, subiungit, *non est eadem, ac iustificatio, sed uia ad illam*: nullatenus autē esset via, si non tribueret sufficiens posse perueniendi ad Iustificationem. Datur ergo ex Angelico gratia in hominibus, quæ ex defectu vocati non sortitur suum finem, ad differentiam gratiæ efficacis, quam tertiò loco idem Sanctus Doctor adstruit dicens, *quandoque pertingit ad finem, quando scilicet aliquis audit uocantē, & uenit ad Christū, ut dicitur Ioannis 6. omnis, qui audit à Patre, & didicit, uenit ad me. Et hæc uocatio idem est, ac iustificatio*, nimirum actiua; quæ facit, vt homo iustè viuat. Rursus prima secundæ quæst. 106. articul. 2. ad secundum, *Dicendum*, inquit, *quòd gratia noui Testamenti, & si adiuuet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit: hoc enim pertinet ad statum gloriæ; & ideò, si quis post acceptam gratiam noui Testamenti peccauerit, maiori pœna est dignus, tanquam maioribus beneficijs ingratus, & auxilio sibi dato non utens; nec tamen propter hoc lex noua iram operatur, quia quantùm est de se sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Non poterat sanè gratiam sufficientem in eo, qui peccat, & tali auxilio gratiæ non vtitur, clarioribus explicare verbis Doctor Angelicus.

1059 Ex dictis autem in hoc Paragrapho vsque modò non solùm manet inconcussè stabilitum non vnam esse duntaxat gratiā medicinalem Christi, quæ confertur hominibus post originalem lapsum: sed aliā efficacem, quæ secum trahit opus: aliam verò inefficacem, non coniunctam cum opere: non quidem defectu sui, sed defectu hominis, eam suscipientis, qui voluntate propria ipsam respuit, & sponte se subijcit concupiscētiarum dominatui: quo expugnata manet secunda Iansenij propositio, secundùm quam negat genus gratiæ medicinalis sufficientis, & cui resistat liberum hominis arbitrium: verùm etiam & obrutæ reliquæ omnes damnatæ propositiones eiusdem.

1060 Prima quidem relata numero 953. in qua asserit esse præcepta quædam, etiam relatè ad homines iustos, volentes, & se conantes, obseruatu impossibilia secundùm præsentes, quas habent vires, obruta manet non tam ex his, quæ contra Lutherum, & Caluinum, similem tuentium errorem, dixi §. 12. verùm etiam ex dictis in hoc tū ex Concilio Tridentino, tum impugnando Iansenij aufugia, vt videre est à numero 961. De tertia autem propositione nihil hic specialiter dictum est: sed radicitus eā conuulsi duobus paragraphis antecedentibus; probando non sufficere ad merendū & demerendum libertatē à sola coactione, qua nec bruta carent, nec Lutherus, & Caluinus eā negarunt: sed omninò requiri libertatem à necessitate, seu indifferentiæ.

1061 Quarta item propositio quòd, admiserint Semipelagiani gratiam sufficientem etiam ad initium fidei: & quòd in eo fuerint hæretici, quia talem docuerint, cui voluntas possit resistere, vel obtemperare, obruta itē manet, dum ostensum est Catholicam esse veritatem pluribus talem tribui medicinalem Christi gratiam, cui defectu propriæ malitiæ resistunt, & respuūt. In quibus autem capitibus errauerint Semipelagiani coniunxi quæst. prima. §. 8. per totum: vbi, præcipuè numero 332. probaui non aliam eos admisisse gratiam, nisi gratuitam creationem naturæ rationalis, & extrinsecam propositionem legis, atque doctrinæ in ordine ad fidem, & petere, quærere, pulsare: non verò gratiam supernaturaliter infusam, eleuantem naturā ad statum, quoad substantiam supernaturalem, qualem requirunt Catholici: quāuis hanc deindè in ordine ad reliqua opera præcepta, non tam admittant supernaturalem, sed etiam necessitantem: videantur, quæ dico in prædicto §.

1062 Quinta propositio, quòd Semipelagianum sit dicere Christum esse mortuum pro omnibus omninò hominibus, expugnata etiam manet num. 1048. in quo probatum est stabilissimam esse. Apostoli doctrinam hoc modo esse Christum pro toto genere humano mortuum: atque ita inconcussam, vt indè inferat Apostolus omnes homines mortuos fuisse in primo Adā, quia pro omnibus mortuus est secundus Adam Christus. Sed, si Iansenius non se iactat satis versatum in peruoluenda Sacra Scriptura, cur saltem non reflectit ad doctrinam Augustini, cuius audacter potiùs, quam verè vult credi curiosissimum inuestigatorem

ftigatorem? fi enim fincero animo Auguftinum legiffet, animaduertiffet procul dubio ad ea, quæ habet lib. 6. contra Iulianum cap. 1. quem negantem peccatum originale, atque indè paruulos innocentes nafci, & abfque vlla culpa affirmantem, iifdem Apoftoli verbis præfocat dicens, *Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? numquid eos, qui de corpore exierunt? quis ita defipiat, vt hoc fapiat? eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus mortuus eft Chriftus, quo modo alibi dicit, & vos, cùm effetis mortui in delictis, & præputio carnis veftræ, viuificauit cum illo. Ac per hoc vnus inquit pro omnibus mortuus eft; ergo omnes mortui funt, oftendens fieri non potuiffe, vt moreretur, nifi pro mortuis; ex hoc enim probauit omnes mortuos effe, quia pro omnibus mortuus eft. Accipe, falubre eft, nolo moriaris, vnus pro omnibus mortuus eft; ergo omnes mortui funt. Vide, quia cōfequens effe uoluit, ut intelligātur omnes mortui, fi pro omnibus mortuus eft.* Quid dicitis Ianfeniftæ? eft ne confequēs ex fola virtute, & fufficiētia medicinæ ad fanandos lāguores, inferre, ergo actū funt lāgores, quafi meritū Chrifti nō etiā fufficiat ad fanādos alios, & alios innumeros homines, fi creandi depēdenter ab Adamo forēt, qui tamen nec creati funt, nec cōfequenter vnquā erunt infirmi? Nō ergo arguitur exiftētia morbi ex fola fufficientia medicinæ: arguitur verò benè morbi exiftētia ex actuali medicinæ applicatione: nō eft enim ex ore Chrifti opus valentibus Medicus, fed malè habētibus: cōfequens autē vult effe Apoftolus, & Auguftinus omnes de facto effe homines mortuos, ex eo, quia pro omnibus mortuus eft Chriftus; ergo nō quia eius mors fufficiēs eft ex fe omnes fanare, fed quia pro omnibus applicata eft: non autem omnibus quoad effectum exhibitæ fanitatis; ergo quoad poffe fanari omnes, fi velint.

1063 Hæc dixerim ad euidenter oppugnandam quinque prædictarum propofitionum hæreticā falfitatem tum ex Scriptura, tum ex fenfu Auguftini, (cuius inaniter fidum fequacem fe iactat Ianfenius) tum ex alijs Sanctis Patribus. Cæterùm non tam fufficientiffimè, verùm etiam infallibili, eodemque omninò indefectibili iudicio oportet Catholicis damnatas fateri quinque iam enarratas Ianfenij propofitiones, cùm illas damnauerint, vt fupra tetigi, Summi Ecclefiæ Apices Innocentius Decimus, & Alexander Septimus; nec enim ad fimiles damnandas, prout expedit, propofitiones, neceffe eft intercedat alicuius vniuerfalis Synodi decretum, aut iudicium: ita vt quòd minoris fit infallibilitatis fola Summi Pontificis, decretantis ex Cathedra, authoritas, quàm fit cuiufcumque æcumenicæ, & legitimæ vniuerfalis Synodi indefectibilitas: vt erroneè clamitant aliqui Ianfenij Affeclæ: cùm potiùs nō aliam Concilia habeant in materijs fidei iudicij infallibilitatem, nifi quam participant ab eodē Ecclefiæ vifibilis capite, eius nomine, & vice iudicantia in fimilibus cafibus.

1064 Quod vt conuincā tū Scripturæ, tū etiā eorumdē Conciliorū fententia, ac tandē Auguftini, cui adhærere ifti fe iactant, authoritate: hos ita infulsè, imò & fcelestè oblatrantes ad cap. 15. Actorum animaduertēdū aduoco: vbi dubiū per eos, qui de hærefi Pharifæorū conuerfi ad fidē fuerāt, in eadē fide exortū; an nimirū, qui ex gentibus ad fidē veniebāt, oporteret circūcidi, & Moyfis legē feruare, refertur illis verbis, *Surrexerunt autē quidā de hærefi Pharifæorum, qui crediderūt, dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque feruare legem Moyfis.* Pro quo exorto dubio Concilio inito per Apoftolos, & Seniores, vt ibidem habetur, non ait Petrus, Apoftolorum Princeps: videte fratres, vel videamus fratres, neque quibufcumque alijs verbis fenfum aliorum requifiuit: fed ita definitè locutus eft: *Viri fratres, uos fcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbū Euangelij, & credere.* Non agebatur ibi, cui incumberet prædicare explicitos Euangelij articulos gentibus; fed de exorto cum gentibus, venientibus ad fidem, dubio: hoc vnquam inter Apoftolos Petrus fuit delegatus ad euangelizandum gentibus, fed Paulus; quid ergo eft, *Quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere?* Nonne illud Chrifti Confratribus intimauit, *Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerfus confirma fratres tuos?* Non ergo fratrum, non Conciliorum ex fe, fed per conueffionem Petri, atque fuorum in authoritate Succefforū ad vnū firmæ funt in materijs fidei Conciliorum fententiæ, qua remota Conciliabula, non Concilia funt: cæterùm folo Petro docente, nec prævio vllo ab alijs Apoftolis, & Senioribus habito fenfu; quòd, *Qui nouit corda Deus, teftimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, ficut & nobis, & nihil difcreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum fuper ceruices difcipulorum, quod neque Patres noftri, neque nos portare potuimus?* tacuit omnis multitudo, agnofcentes non effe vltra ab alijs inquirendum, vbi infallibilis Apoftolici culminis iudicium protulit authoritas: quamuis decernente hac non excludatur, vt poffint alij rem ip-

sam definitam explicitiùs, aut ex effectibus proprijs, & miraculorum confirmatione: aut locis Scripturæ ostendere: prout de facto faciunt Scholastici, etiam circa articulos Symboli. Et propterea, post auditum Petrum, cui omnes adhærentes, tacuerunt, refertur, quòd *Audiebant Barnabam, & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa, & prodigia in gentibus per eos*: & quòd responderit Iacobus, dicens: *Viri fratres, audite me: Simon narrauit, &c. Et huic concordāt verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & reædificabo Tabernaculum Dauid, quòd decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum, &c.*

1065. Secundò consideranda adduco, quæ referuntur in secundo tomo Epistolarum Augustini de Concilio Carthaginensi, simul & Mileuitano cum Innocentio, tunc temporis Ecclesiæ Clauum tenente, circa Pelagianæ hæresis damnationem. Primū namque Concilium, vt videre est in epistola 90. post quam vnanimi Episcoporum sensu censuit errores Pelagij esse damnandos, prout constat in illis verbis, *Pelagiū, & Celestinum authores nefarij prorsus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris aduertimus*, non eos propria authoritate damnauit, sed ad Innocentium scripserunt Concilij Patres subsequentibus verbis, *Si ergo Pelagius Episcopalibus gestis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tua Venerationi visus fuerit absolutus, error tamen ipse, & impietas, quæ tam multos Assertores habet, per diuersa dispersos, etiam authoritate Apostolicæ Sedis anathematizanda est*. Et ne dicant Iansenistæ hoc ipsum fecisse Concilium, vt per Sanctam Sedem vbique locorum nota fieret præfata Concilij sententia, videant in subsequenti epistola, quid inter alia rescripserit Innocentius, *In requirendis*, inquit, *de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ vestræ Religionis vigorem non minùs nūc in consulendo, quàm antea, cùm pronunciaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendū approbastis esse iudicium, scientes*, (audiant, & sileant Iansenistæ,) *quid Apostolicæ Sedi, cùm omnes, hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis huius emersit, quem sequentes tam mala iam damnare nouimus, quam probare laudanda. Vel id verò quòd Patrum instituta Sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia, vt quidquid de disiunctis, remotisque Prouincijs ageretur, nō priùs ducerent finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perueniret, vbi tota huius authoritate, iusta, quæ fuerit, pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, vt, velut de natali suo fonte, aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorrupta manarent, quid præcipere, quos abluere, quos, velut in cœno inemūdabili, sordidatos, mūdis digna corporibus vnda vitaret, &c.* Concilium insuper Mileuitanum, vt videre est in epistola 92. scribens in eadem materia ad eumdem Pontificem, post multa sic concludit, *Hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis Ecclesiæ, Carthaginensis Prouinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus.* Cui Pontifex in sua subsequenti Epistola, *Diligenter ergo, & congruè Apostolico consulitis honori, honori, inquam illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecùs, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam. Verum hæc missa facio: neque enim hoc vestram credo latere prudentiam: qui id etiam actione firmastis, nisi scientes, quòd per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse.* Vident ne Iansenistæ, ex quo tempore, nimirum Augustini, & Hieronymi, tamquam à principio Ecclesiæ incorrupto vsu firmatum asseri, quod nihil vnquam, præcipuè in materia fidei, adhuc per Concilia recipiebatur definitum, nisi per Apostolicę Sedis iudicium manasset recipiendum.

1066 Tertiò, his accedat Augustini authoritas tum exemplo, tum doctrina. Exemplo quidem, dum duos, quos contra Pelagianos scripserat libros, mittens ad Bonifacium Summum Pontificem, ita illi se submittit, prout videre est libro 1. cap. 1. *Hæc ergo, quæ istis duabus epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tua potissimùm dirigere Sanctitatem, tam discenda, quàm examinānda, & vbi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui.* Doctrina id ipsum stabilit lib. 4. ad eumdem Bonifacium cap. vltimo, dum ait, *Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando, nisi congregatione Synodi*

damnata sit, cùm potiùs rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas talis necessitas extiterit, multóque sint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt: atque indè per cæteras terras deuitãda innotescere potuerunt. Quis hinc non videat quantùm longè à mente Augustini diuagentur; qui asserunt hæreticas propositiones non posse, nisi per Concilium æcumenicum iure damnari; quando Augustinus non solùm id respuit, verùm etiam asserit multò plures esse similes hæreses, quæ absque vlla Synodi congregatione, vbi ortũ habuerunt, statim per simplicem Pontificum definitionem damnatæ sunt? Iure ergo dãnatæ, & vt tales anathematizandæ, atque ab omnibus Catholicis euitandæ sunt quinque iam relatæ Iansenij propositiones.

1067 Neque etiam, (vt aliquid diffusiùs de Summi Pontificis infallibilitate occasionaliter hic dicam,) audiendi sunt, qui asserunt ipsum esse quidem se solo infallibilẽ, dum loquitur, & definit ex Cathedra, hoc est, quatenus Pontifex, & caput Ecclesiæ visibilis: sed quoniam etiam ipse est homo peculiaris, potens circa similes materias de fide iudicare, & sententiam ferre, vt Doctor: atque sub hac ratione sit fallibilis non minùs, ac cæteri Doctores: indè, vt obligentur fideles ad credendum fide diuina, quæ per Sũmos Põtifices definiũtur, necesse est, vt prȩhabeãt euidentiã credibilitatis, siue iudiciũ prudẽs, quòd locuti sint ex Cathedra, nõ sententiã protulerint, vt peculiares Doctores: ad hoc autẽ, subiungunt, nõ sufficit, quòd ipsi iudicium ferant præuio etiam aliorum maturo consilio, & quòd res proponant, vt credendas de fide: quandoquidem, aiunt, experientia compertũ habetur Stephanum Pontificem, vigesimum sextum ab Apostolo Petro, hoc modo procedendo, & definiendo, errasse in materia fidei: cùm enim excita fuisset in illius tempore dissentio inter Episcopos Africanos, asserentibus pluribus, præsertim Cypriano, deindè Martyre, quòd baptizati ab hæreticis, venĩẽtes ad Ecclesiam Catholicam, deberent omnes rebaptizari, imò simpliciter baptizari, quia putabant nullum fore baptisma, datum ab iis, qui extra Ecclesiam Catholicam per hæresim, vel schisma viuerent: atque sensum suum, sibique adhærentium, Stephano per epistolam aperuisset Sanctus Cyprianus: ille, eidem Cypriano rescribens, inter alia supra materiam hæc habet, *Si quis ergo à quacũque hæresi venerit ad nos, nihil innouetur, nisi quod traditum est*; vt videre est in tom. 1. Conciliorũ, dum de vita eiusdẽ Stephani agitur: cùm tñ nõ omnes hęretici validè baptizẽt.

1068 Neque dici potest, replicant, quòd tunc temporis nulla extabat hæresis in materia de Trinitate, vel Incarnatione, atq; ita omnes hęretici validè baptizabant. Nõ inquam, dici potest, quia eodem tempore, vt notat Baronius in vita eiusdem Stephani, vigebat hæresis Antiphrygum, qui asserebant Montanum, ipsorum caput, esse Spiritum Sanctum, ac consequenter baptizantes in nomine Trinitatis, baptizabant in nomine Montani, & nulliter; ideòque, qui ex Antiphrygis venissent ad Ecclesiam Catholicam debebant rebaptizari, siue potiùs simpliciter baptizari; ergo Stephanus definiendo indiscriminatim, vt supra, quòd nihil innouetur, si quis à quacumq; hęresi venisset ad Ecclesiã, errauit.

1069 His adiungunt, quòd olim cùm celebrata fuerit quędam Synodus, & quidem authoritate Summi Pontificis, atque adeò legitima, eã nihilominùs integra quędam Natio noluit recipere: & non propterea fuerunt, vel decretati, vel putati hæretici; ergo, inferunt, nec determinatio legitimi Concilij sola est sufficiens ratio, vt aliquid sit fide diuina credendum; ergo multò minùs sola definitio Summi Pontificis.

1070 Arguũt insuper pro eodem stabiliendo asserto ita: quamuis Summus Pontifex sit, vt decernens, & definiens ex Cathedra, infallibilis, quia tamen, vt particularis homo est fallibilis, adhuc ea, in quibus non errat in se ipso, definiendo, potest ex propria voluntate, secundùm quam potest fallere, aliter rem ex peculiari fine proponere, quàm in se ipso sentiat; ergo extrinseca propositio definitiua Summi Põtificis non potest esse sufficiens ratio, vt fideles habeant iudicium prudens, quòd res proposita sit fide diuina credenda.

1071 Quapropter isti, vt simul videantur & Summi Pontificis infallibilitati, & fideliũ quieti, atque indemnitati consulere, dicũt, quòd tunc ijdem fideles obligantur ad res, per Summos Pontifices definitas, fide diuina credendum, quando maior pars Ecclesiæ Catholicæ definitiones acceptat: cũ enim, inquiunt, Christus in Euangelio promiserit, quòd portæ inferi non præualebunt aduersus totam Ecclesiam Catholicam, hinc firmissimè tenendum est, numquam se permissurum, vt tota eius Ecclesia errorem acceptet in fide; ergo non aliundè, nisi ex simili maioris partis Ecclesiæ acceptatione possunt fideles prudenter iudicare, quando Summus Pontifex locutus sit ex Cathedra, non verò vt peculiaris Doctor.

1072 Non sunt, inquam, qui in materia tam scrupulosa ita discurrunt, vllo prorsùs modo audiendi: sed toto conatu à fidelibus Christianis respuendi: isti namque infallibilitatem Summi Pontificis, quam ore ostentant fateri, in re simpliciter negant contra doctrinam Catholicam, supra probatam. Totã insuper Ecclesiam Catholicã doctrinis, varijs ab huius sensu, commaculare procurant. Et tandem ordinem corporis mistici omninò subuertunt. Singula ostendam, manibusque contrectanda exhibebo.

1073 Primum ergo, quòd isti ore dumtaxat infallibillitatem Summi Pontificis profiteantur; sic ostendo. Ad confirmandos Christi fideles in articulis fidei, nouiter explicatis, nõ sufficit in horum sensu, quòd Pontifex ad eos se conuertat: eò quia potest conuerti, vel inutiliter ex ignorantia, putans loqui ex Cathedra, cùm non ita loquatur: vel fictitiè ex praua voluntate: atque, vt Christi fideles circa eadem mysteria solidentur, præter Dei concursum, dantis intrinsecùs incrementum, debent secũdùm maiorem partem manuteneri, ne amplectantur à Sũmo Pontefice definita, quibuscumque verbis ea definiat, nisi quando verè reuelata definit; ergo per istos ostendi tacitùs procuratur, quòd omninò superfluũ, & impertinens sit infallibilitas Summi Pontificis; ergo, dum hanc oretenus profitentur, eam volunt ostendere, saltem tacitùs, omninò superfluam, & vt talem inficiandam. Hæc secunda consequentia, crederem, quòd cuilibet sanæ mentis euidens sit ex prima. Probatur ergo prima cõsequentia: nam, si non habetur in Ecclesia Catholica regula vlla vniuersalis, quòd Pontifex, sub aliquibus specialibus verbis loquens, semper loquatur ex Cathedra, sed possit, quibuscumque verbis loquatur, fallibiliter loqui; atque, vt fideles solidentur, indigent specialiter duci à Spiritu Sancto; ne acceptando Pontificis definitionẽ, errent; pari ergo modo possent, posita omnimoda fallibilitate Pontificis, per Spiritum Sãctũ duci, ne res definitas acceptẽt, vt reuelatas, nisi quando verè res sunt reuelatæ; imò hoc modo minuerentur miracula, & illo modo multiplicarentur: quãdoquidem per illustrationem Spiritus Sancti de re reuelata sufficientissimè illuminarentur fideles: quando iuxta sensum aduersariorum, deberent Christi fideles, & illuminari, ne errent in acceptanda definitione Summi Pontificis, & præterea, ne errẽt in iudicio credibilitatis obiecti; cùm ergo iuxta sensum communem, non sint multiplicanda miracula sine necessitate, iam isti tacitùs in suo discursu ostendere volunt omninò superfluere in materia fidei infallibilitatem Pontificis in definiendo; atque adeò reducere volunt Ecclesiam Catholicam quoad materiam fidei, sicut Synagogam Hebræorum sine capite, & directore, siue sine Sacerdote, vt cuilibet liceat credere, quæcumque sibi credenda persuadet.

1074 Vrgeo: nam si per istos, vt maior pars Ecclesiæ prudenter iudicet Pontificem loquutum fuisse ex Cathedra nullo alio extrinseco motiuo humano modo duceretur: sed dumtaxat per Spiritum Sanctum intrinsecùs manutenentem ipsam, ne tota Ecclesia deficiat: par, atque æqualis esset manutentio, si eam Spiritus Sanctus duceret, ne erret, acceptando reuelata, quæ Summus Pontifex, omnimodè fallibilis, proponeret, vt reuelata, & credenda; ergo requiri aliud iudicium, quòd hic, & nunc Pontifex loquutus sit ex Cathedra, esset requirere aliquid superfluũ: aut saltem qui ita discurreret, nõ imprudẽter, sed rationabiliter procederet; ergo qui rem in præsenti materia ita componunt, in Ecclesiam Catholicam aliquod introducere volunt, vt detur deindè locus alijs, quòd aliquando tandem infallibilitas Summi Pontificis, tamquam quid omninò superfluũ pro nouis articulis explicitè credendis, rationabili motiuo negari valeat.

1075 Quo ad secundum, quòd videlicet Aduersariorum doctrina, si subsisteret, totam commacularet Ecclesiam Catholicã, indè patet, quia aliquando maior pars illius definitionem factam in materia fidei tũ per Pontifices, tum per Concilia, non acceptauit, quæ tamen deindè ab vniuersali Ecclesia fuerunt acceptata. An non legerunt isti, quid scribat Sanctus Damasus, vt refertur in prima Lectione secundi nocturni sui diei festi, scilicet, *Et ingemiscens orbis terrarum sẽ Arianum esse miratus est.* Rursus, si Stephanus, prout Aduersarij prætendunt, rescribens Cypriano, errauit; cùm ergo deindè omnes Episcopi, prius contradicentes, definitioni Stephani adhæserunt, tota prorsus Ecclesia errauit in fide. Negabunt forsan, quòd omnes deindè adhæserint? Legant Diuum Hieronymum scribẽtem aduersus Luciferanos, qui de hac materia sic habet: *Conatus est,* (de Cypriano loquitur) *contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcircò hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ Vrbis Episcopum, qui à Beato Petro 26. fuit, super hac re Africanam Synodum direxit: Sed conatus eius frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi,*

pi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerăt, ad antiquam consuetudinem reuoluti nouum emisere decretum. Cernunt ne Aduersarij antiquam consuetudinem, quam pro fundamento opponebat Cypriano Stephanus, & ille censebat abusum, vt videre quisq; potest tum in epistola Cypriani, tum in alia Firmiliani apud primum tomum Conciliorum, dum agitur de vita præfati Pontificis. Id ipsum etiam legere poterant apud Baronium sub anno Christi 259. dum refert Eusebium ita scribentem ex litteris Dionysij Episcopi Alexandrini, qui sensui Cypriani priùs adhæserat, *Cyprianus Ecclesiæ Carthaginensis Pastor, primus inter homines eius ætatis, non aliter, quàm per lauacrum baptismatis hæreticos erroris maculis ablutos, in Ecclesiă admittendos existimauit. Verùm Stephanus nihil noui, aut alieni à traditione, ab Apostolorum temporibus deriuata, moliendum arbitratus, hac de re animo vehementer commotus est. Dionysius igitur, vbi longum sermonem cum Stephano per litteras de hac controuersia contulit, tandem declarat, quo pacto perturbationis fluctibus sedatis, omnes vbique Ecclesiæ, nouatiat peruersa Nouati hæresis prauitate repudiata, pacem inter se reconciliassent:* quod iterum, atque iterum repetit Eusebius, referens etiam Episcopos, qui, eadem Nouati hæresi repudiata, pacem cum Stephano reconciliarunt. Vocatur autem prædicta hæresis de rebaptizădo, Nouatiana: quia Nouatus tũc temporis eam inuexit.

1076 Sed vt quid ad tempora, tam remota pro Aduersarijs refutandis recursum facio, cum præ oculis defactò habeamus hæreses Lutheri, & Caluini, maiorem partẽ Ecclesiæ infecisse, imò defacto inficere: eas namque infectas scimus totã ferè Angliã, Scotiam, Irlandiam, Olandiam, Daniam, Sueciam, Hungariam, & maiorem partẽ Germaniæ, quando Ecclesia Catholica nõ ita latè patet.

1077 Vrgeo nam promissio Christi, quòd portæ Inferi non præualebunt aduersùs Ecclesiam Catholicam, non minùs verificari debet successiuè, quàm simul: nec enim vnquam successiuè totam Catholicam Ecclesiam portæ Inferi debellare poterunt; quòd ergo post prędictam Christi promissionem potuit Deus portis Inferi successiuè permittere, poterat & simul: atqui permisit Deus successiuè, vt Ecclesia Catholica, quæ priùs expansa erat per omnes partes terræ, nũc sit ferè in angulo orbis restricta; ergo etiam poterat Deus, & defacto poterit permittere post Christi promissionem, vt maior pars deficiat à fide simul; atque adeò Aduersariorum discursus immobilitatem fidei Ecclesiæ Catholicæ in principio collocat, non solùm labili, sed quod & lapsum fuisse experientia comprobamus.

1078 Ratione etiam Aduersariorum discursum refello: nam de ipsa maiori parte Ecclesiæ quomodò ducenda sit à Spiritu Sancto, vt definitionẽ Pontificis discernat, si sit, vel non sit ex Cathedra prolata, Aduersarios percontor: an nimirũ sine vllo motiuo, sed veluti cæcè, Spiritu Sancto intrinsecùs trahente, debeat iudicium proferre: an potiùs speciali intrinseca reuelatione. Si primum, iudicium esset imprudens, & contra rationem; nec posset esse liberum, cùm non habeat voluntas, vndè tale iudicium imperet. Si secundum, vltraquàm quòd iam hæreticis lata aperiretur via, vt possint ad exemplum Ecclesiæ Catholicæ dicere se alias reuelationes habere intrinsecùs, quàm haberent subditi Pontificis: arguo præterea ita, quia ex promissione Christi non habemus, quòd portæ inferi non præualebũt aduersus maiorem partẽ Ecclesiæ, sed quòd non præualebunt aduersus eam; ergo nemo in conscientia posset obligari, vt adhæreat maiori parti Ecclesiæ: sed possent aliqui legitimè in conscientia se excusare, non acceptando definitionem Pontificis, approbatam à maiori parte Ecclesiæ: quia quòd debeat esse maior, vel minor pars Ecclesiæ acceptantis, vel non acceptantis, sententia dũtaxat probabilis doceret, (si probabilis dici posset Aduersariorum discursus,) & à sententia probabili inculpabiliter discedi potest.

1079 Ad hominem tandem Aduersariorũ sensum obtundo: quandoquidem materia, de qua agimus præcipuum fundamentum fidei circa mysteria, nouiter explicata, continet: imò articulum fidei, num nimirum fide diuina credere debeamus Pontifici vniuersali regula, dum sub aliquibus specialibus verbis definit; ergo si vera esset doctrina Aduersariorum, quòd in dubijs fidei standum esset maiori parti Ecclesiæ; cùm iam defacto tota ferè Ecclesia Pontificis definitionibus se subiciat, tamquam infallibilis, semper quòd sub aliquibus determinatis verbis definit: & non nisi pauci innouatores volunt recursum habendum fore ad maiorem partem Ecclesiæ acceptãtem; ergo Aduersariorum doctrina se ipsã per se ipsam suffocat.

1080 Quo ad tertium tandem ex tribus, quę probaturum promisi, nempe quòd Aduersariorum sensus subuertit rationem capitis corporis mixti in Ecclesia visibili, euidenter

denter conuinco: nam Aduersariorum doctrina non solùm ponit, quòd aliquando membra viuant vita spirituali fidei independēter à capite: sed etiam ponit, quòd caput viiam spiritualem emendicet à mēbris: quandoquidem, cùm etiam Pontifex credere teneatur mysteria, nouiter explicata, & hæc non constet esse prudenter credibilia, nisi acceptetur à maiori parte Ecclesiæ; ergo Pontifex, qui est caput Ecclesiæ visibilis, dirigendus esset à maiori parte Ecclesiæ circa mysteria, nouiter explicata; non ergo Petrus conuersus ad fratres, esset eos confirmaturus, sed potiùs econtra; fratres ad Petrum conuersi, ipsum in fide solidare deberent: quòd est subuertere rationem capitis: & explicitè contra verba Christi supra citata.

1081 Ad adducta autem ab Aduersarijs in contrarium respondeo. Et ad primū dico, quòd, si in materia tantæ considerationis veritas ab ijsdem pio affectu inquireretur, & non potiùs nebulæ ad Ecclesiam Catholicam offuscandam, etiam si in loco supra citato non legerent Stephanum adæquatè se explicasse, censerent vel nullam cum iis, ad quos scribebat, fuisse necessitatem maioris explicationis: vel, quòd idem Pontifex in sua quidem epistola, quam sciunt iā nō extare, sufficientissimè se expressērit, quòd locutus fuerit non de omnibus simpliciter hæreticis: sed de omnibus, qui baptizarent in nomine verè Trinitatis, atq; iuxta ritum Catholicæ Ecclesiæ: sed conditionem hanc restrictiuam à Cypriano, & aliis, qui hanc materiam referunt, taceri: vel malitiosè ex odio, quod tunc temporis contra Pontificem fouebant, vt videre est in eorum epistolis apud Concilium loco supra citato: uel quia eorū fundamenta non ex defectu formæ baptismatis, sed ex scissione baptizantium ab vnione Ecclesiæ desumebantur, prout ex eorumdem epistolis infrà notabo. Quoniam autē alio fine libros reuoluunt, & fortè vt nouæ doctrinæ inuentores videantur, nec etiam curant, quæ præ oculis obuia habent: cùm enim in epistola Cypriani legerunt, *Si quis ergo à quacumque hæresi venerint ad nos, nihil innouetur, &c.* cur etiam non reflexerunt, vel nō reflexisse se fingunt ad illa verba, *Aut, si effectum baptismi maiestati nominis tribuunt, vt qui in nomine Iesu Christi vbicumque, & quomodocumque baptizantur, innouati, & sanctificati iudicentur?* Se explicauerat ergo Stephanus in sua epistola de conditione illa restrictiua, dummodò nimirum baptisma tribuatur sub nomine Iesu Christi, iuxta Apostolū ad Galatas primò, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*, nisi etiam Aduersarij velint, Apostolum in præfatis verbis errasse. Clariùs autem id ipsum reflectere poterant in epistola Firmiliani, qua Cypriano, qui priùs ad illū supra eadem materia contra Stephanum scripserat, respondit: inter alia namque hæc refert, epistolam Stephani oppugnās, *Illud quoque absurdum, quòd non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizauerit, eò quòd, qui baptizatus sit gratiam consequi potuerit inuocata Trinitate nominum Patris, Filij, & Spiritus Sancti.* Ex quibus verbis euidenter patet, quòd dissentio, apud Episcopos suborta, non erat circa defectum formæ baptismi, sed præcisè circa personam baptizātem, quam non fore curandam definit Pōtifex, dummodò baptismus conferatur in vero nomine Sanctissimæ Trinitatis: atque quòd, quicumque ab hæreticis hoc modo baptizati venirent ad Ecclesiam Catholicā, nihil cùm eis esset innouandum. An non hoc Catholicum est, vt meritò Episcopi, priùs contradicentes, Stephano deinde adhæserint, nouumque emiserint decretum?

1082 Et sanè quis sibi persuadere valet, vt tam Doctissimus vir, qualis fuit Cyprianus, sicut eius scripta indicant, tanta frustra moliri conatus fuerit, sicut asserit Hieronymus, ad oppugnandam epistolam responsiuam Stephani: & non aduerterit ipsam euidenter impugnare ex defectu formę in baptizantibus non in nomine veræ Trinitatis, prout baptizabant Montanistæ, si agnouisset, quòd Stephanus de baptizatis à quocumque hæretico, etiam errante in materia Trinitatis, locutus fuerit? Cùm ergo, prout in epistolis Cypriani, & Firmiliani videre est, isti non aliunde conati fuerint Stephanum impugnare, nisi ex scissione hæreticorum ab Ecclesia Catholica, putantes non posse filios spiritualiter mundos in vnitate Ecclesiæ generare, qui in immūditijs separati ab Ecclesia viuerent: quasi hic, vel ille, & non potiùs Christus principaliter baptizet, se habentibus illis, vt purè ministris, euidens cuique esse debet, quòd Stephanus nō locutus fuerit de quocumque hæretico baptizante, sed de illis, qui seruarent in exercitio baptismi veram formam, institutam à Christo: & ideò putauit non esse quærendum, quis sit ille, qui baptizat, dummodò baptizet inuocata Trinitate nominum Patris, Filij, & Spiritus Sancti, prout refertur in epistola Firmiliani.

1083 Ad secundum dico ridiculè opponi: si enim præcitata Synodus ab vna dumtaxat

Na-

Natione non fuit acceptata; benè verò à reliquis; ergo, iuxtà somniatam ab Aduersarijs doctrinam, iam quidquid in tali Synodo fuit definitum, ex Cathedra definitũ fuit; quòd ergo vnica Natio eam noluerit acceptare, numquid indè errauit Synodus, vel Pontifex? an potiùs Natio hæc, definitionem, à maiori parte Ecclesiæ acceptatam, non recipiendo? An forsan prætendunt Aduersarij, quòd errauerit Pontifex in fide per hoc, quòd talem Nationem à communione fideliũ non semouerit? Sed si hoc dicant, in primis respondeo aliud esse definire credenda, aliud punire non credẽtes. In primo casu Pontifex errare nõ potest, quidquid sit in secũdo. Addo, quòd, cùm agitur de integra Natione, magis cõsonum rationi est expectare resipiscentiæ tempus, quàm disruptè contra ipsã procedere. Argumentum nihilominùs in falsa fundatur suppositione: quandoquidem in prædicta Synodo nihil nouiter, fide credẽdũ, definitũ fuit, sed dũtaxat quædã condita fuerunt decreta pro fidelium corruptelis corrigendis, prout Aduersarij ipsi videre poterant, si voluissent; atque ita sumus extra casum.

1084 Ad tertium tandem respondeo, quòd ex argumento euidenter colligitur, quale sit Aduersariorum intentum: ex illo namque infertur, quòd etiam Pontifex, loquẽs ex Cathedra, possit errare: si enim ex libertate Pontificis loquentis inferunt Aduersarij, quòd possit decipere ex peculiari fine: cùm etiam semper liberè loquatur, dum loquitur, vel scribit, siue definit, iam tacitè innuere volunt Aduersarij, quòd semper potest errare, quomodocumque loquatur. Et sane numquid potuit Petrus, vel sui Successores ad suos fratres conuerti sine verbo, vel scripto, liberè peracto? aut Euangelium prædicare gentibus sine libertate? quid ergo est illud Christi ad Petrum, *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos?* Quid illud Actorum 15. *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere?* Dico ergo, quòd fallibilitas voluntatis, quam habet Pontifex, non est in ordine ad dirigendos fideles in fide, sed in ordine ad dirigendum se ipsum: & nec quidem in fide, sed in moribus: nam pro Petro, & eius Successoribus rogauit Christus, ne deficeret eorum fides: quamuis enim voluntatem habeant ex se defectibilem: hæc tamen ita præparatur à Domino, vt numquam deficiat in eis fides, pertinens ad iustitiam, quamuis possit deficere oris confessio, quæ distinctũ importat præceptum, pertinẽs ad salutẽ, prout de Marcello Martyre legitur: vndè Augustinus libro de Correctione, & Gratia cap. 8. *Quis ignorat*, ait, *fuisse perituram fidem Petri, &c. sed quia præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo non posset esse inanis oratio. Quandò rogauit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimã, & perseuerantissimam voluntatem?* Licèt ergo Pontifex sit ex se voluntate defectibilis: eius nihilominùs tum voluntas, tum intellectus, cùm conuertitur ad confirmandos suos fratres, possunt ita à Domino præparari, & ita defacto ex Christi promissione præparantur, vt numquam deficiant siue in definiendo, quæ fide credi debent: siue in proponendo fidelibus mysteria credenda.

1085 Concludo ex his circa ea, quæ Pontifex definit, & credẽda fidelibus proponit, non esse expectandum exitum acceptationis maioris partis Ecclesiæ, vt indè agnoscant fideles fuisse locutum ex Cathedra, & obligentur à Pontifice proposita credere; sed vniuersali lege eo ipso, quòd Pontifex non simpliciter scribit, vel loquitur, (quod esset se gerere vt peculiaris Doctor, suum sensum aperiens, non verò intendens Auditores, vel Lectores ad illud amplectendum obligare:) imò potiùs ea intentione procedit, vt quæ iudicat, credenda cæteris confratribus, tamquam mysteria fidei proponat, tenendũ nõ posse errare: atque adeò semper, quòd definitiuè aliquid fidelibus, vt fide credendum, proponit, quod est cõuerti, tamquam caput misticum ad confirmanda Ecclesiæ visibilis membra, ista obligatur ad ea fide credenda, non minùs, ac cætera mysteria, quæ per Euangelia, vel Apostolos habemus. Hæc est Catholica doctrina, prout ex adductis Scripturæ locis patet: opposita autem præcedens est Magistrorum, prurientium aliquorum auribus, ad fabulas conuersio, prout monet Apostolus secunda ad Corinthios 4. ad finem, vt adducant discipulos post se, ac proindè ab omnibus Catholicis respuenda.

1086 Restant modò aliquæ aliæ enodandæ propositiones Iansenij, relatæ supra numero 954. & ex tribus alijs sequentibus, in quibus aliquid asserit ex Augustino, quòd gratis somniat: & alia, tamquam absurda, subiungit, non intelligens quid dicat, nec contra quos loquatur. Primò ergo dicit, quòd Augustinus, præter gratiam efficacẽ, *Nullam agnouit aliam actualem Christi gratiã, nec agnoscere potuerit; nisi regulas omnes fundamentales,*

mentales, quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit, & explicauerit, vellet interimere. Quas regulas fundamentales gratiæ medicinalis sibi hic confingit Iansenius, tamquàm ex Augustino, nisi quia ex mala intelligentia errorum Pelagianorum, & Semipelagianorum, dum sibi persuasit hos admisisse gratiam sufficientem, siue ad omnia bona opera, siue ad initium fidei, & quærere, petere, pulsare, putauit quoad hanc gratiæ sufficientis admissionem fuisse ab Augustino impugnatos, atq; indè vult Augustinum non nisi gratiam medicinalem efficacem admisisse? hoc tamen de Pelagianis, & Semipelagianis Iansenisticum assertum esse purum figmentum satis euidenter ostendi quæst. prima §. 7. & 8. Adhuc tamen hoc permisso, & quòd Augustinus aliam gratiam præter putam sufficientem requisiuerit à præfatis hæreticis admitti, quid indè fundamentalis regulæ agnoscit Iansenius, vt non potuerit aliam gratiã in nõ operantibus admittere Augustinus? tantùm namque cæcutit, vt non videat nũmquam Augustinum impugnasse Pelagianos, & Semipelagianos, nisi quia illi ad velle, & operari non requirebant gratiam, sed ad posse; taliter vt deindè operatio tota esset à libero arbitrio, & non solùm principaliùs ab illo: Augustinus autem requirebat ab illis, vt faterentur, quòd & velle, & operari etiam sit, imò & principaliùs à gratia, quàm a libero arbitrio? requirebat ergo ad actuale bonum opus gratiam efficacem: non ad posse operari in non operantibus, secundùm quos adstruũt Catholici necessitatem gratiæ sufficientis.

1087 Dicit secundò, quòd Recentiores, gratiam sufficientem *Omnibus hominibus ad præcepta facienda Deum impertiri, nouo profectò, & primis gratiæ defensoribus inaudito dogmate, constituunt.* Ita oblatrat Iansenius: sed nec vnum, nisi Lutheranos, & Caluinistas poterit quoad hoc pro sui asserti tutela adducere, prout defacto nullum adducit; apud Sanctos Patres autem benè inueniet, quòd omnibus hominibus, vt probaui §. 18. insit, etiam post peccatum, liberum arbitriũ, quo possint benè, vel malè agere, vt, iuxtà opera, à Deo iustè iudicentur: atque quòd sine gratia Redemptoris nihil prorsus boni possit quisque efficere; cùm ergo ex his alij benè, alij malè operentur, necesse est in alijs gratiam fateri efficacem, in alijs inefficacem: quantuis quoad nominis diuersam impositionem, non omnes curauerint tales gratias distinguere.

1088 Dicit tertiò, quòd genus hoc gratiæ sufficientis, *Quo adiuuante nullum vnquam opus factum est, aut fiet vnquam, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solùmodò peccatis faciendis, maiorique damnationi accersendæ seruiens: ideòque lapsis hominibus citra Dei inuidiam damnandis excogitatum.* Ridicula certè propositio: non videtur Iansenio citra Dei inuidiam excogitatio necessitatis ad malum pro maiori accersẽda in Reprobis damnatione, & scrupulum patitur in admissione gratiæ sufficientis, qua possit homo, & malum, & maiorem cauere dãnationem: imò & simpliciter, si velit, prout in suo libero arbitrio stat, cauere. Potest ne crassior excogitari stultitia? Abigant quæso mentis laruas Iansenistæ, & manibus contrectent, quòd, si talis proponatur gratia sufficiens, quæ suscitet dormientem in cœno voluntatem, eamque eleuet, tale dando posse, quale habet homo integris omninò viribus, & mediocriter sitiens, vt pergat per duo, vel tria milliaria ad bibendũ: sicut nullatenus dici poterit huic vires omninò proximas deficere ad sibi extinguendã sitim: hac tamen nõ tam ardenter vrgente, libentiùs ipsam patitur, ne tam longum subeat iter pro ei occurrendo: ita iustitiam sitienti, ac viribus per Christi gratiam reintegrato, dum tamen vigor concupiscentiarum fortiùs vrget, dici nullatenus potest, quòd sufficientia deficiat ad benè operandum, sed quòd libentiùs se applicet concupiscentiarum motibus. Nũquid enim hic dicentem quemquam, quòd talis ita sitiens, & integer viribus poterat bibere, & noluit: tamquam monstrum dicentem taxarent Iansenistæ? an potiùs quilibet rationis compos statim discerneret hunc verè esse proximè potentem ad bibẽdum, posseque pro suo libitu iter aggredi necessarium: sed indè nolle, quia faciliùs se applicat ad fugiendum laborem itineris: non ita facturum, si, aut sitis esset ardentior, vel minor labor itineris? Pari ergo modo, fateatur quemlibet ex hominibus ita sanari per Christi gratiam, vt non solùm eleuetur ad opera iustitiæ, verùm etiam sitiat, media gratia præueniente, & excitante: & hinc cuilibet dari posse benè operari; non tamen nisi Electis conferri, vt vel ardenter sitiant iustitiam, vel non permittatur eos tentari supra id, quòd possunt: reliquos verò reintegrari viribus, darique etiam sitire iustitiam, at non reprimi in eis fortiores quosque concupiscẽtiarum motus: nonne quisque rationis compos discernet primis non solùm dari posse, sed etiam velle, & perficere, reliquis verò

dari

dari totam omninò, & adæquatam rationem potentiæ, & non monstruosam, vt chimerizat Iansenius, gratiæ sufficientiā: sed velle, & operari relinqui eis, non secundùm se, sed vt ita eleuatis; qui tamen se à còncupiscentijs vinci sinunt, eis libentiùs se applicando. Vndè ergo, nisi voluntariè, & quia nouitatis amatores, tam infestos veritati Catholicæ se exhibent Iansenius, & Iansenistæ?

1089 Dicit quartò, *Nec aliud est, aut erit vnquam, aut esse potest, nisi sufficiens adiutorium, quod submittit fasces humanæ voluntatis arbitrio, vt eius operatio, & cessatio ab libertatis humanæ nutu tota religetur, cui libertatis nutus impulsum afferat. Hoc libertati tribuerūt Massilienses, &c.* Quis hic Catholicus hominē, tam opposita confundentem, non irrideat? Idem ne est benè operari, ac à bono opere cessare, vt eodem modo vtrumque confusè inferat ex eodē principio Iansenius? Cessatio ab opere, quando præcipuè mala est, tota profectò ab humano est arbitrio: sed non ita bona operatio, pro qua duplici indiget gratia, trahente, & cooperante. Rursùs, si gratiam sufficientem monstrum vocat Iansenius, quia numquam coniungitur cum opere, quomodò deindè arguit hoc auxilium esse, quod fasces submittit humano arbitrio, vt operatio à nutu eius tota religetur? Et quòd hoc libertati tribuerunt Massilienses? Discernant Iansenistæ discernenda, & non omnia confusionibus implicent. Sufficiens ergo adiutorium ex Augustino libro de Correctione, & Gratia, vt probaui à numero 204. vsque ad 237. in prima dumtaxat hominis, & Angelorum conditione, quando voluit Deus ostēdere quid posset cum sui gratia liberum arbitrium, submisit eidem fasces ita, vt operatio, & cessatio operis ab ipso religentur: sed nec tota operatio, sicut tota cessatio: quandoquidem cessatio, cùm defectus sit, tota à creatura est: sed bona operatio sine Dei gratia, nec tunc potuit esse. Cæterùm post originale, in cuius pœnam insurrexerunt motus aduersantes concupiscentiæ, ex eodem Augustino loco citato cap. 12. *Si in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent, si vellent: nec Deus in eis operaretur, vt vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet, &c.* Et hic est defectus, qui totus est à voluntate, tentationibus interioribus adhuc infirma: licèt quoad posse sit reintegrata Dei adiutorio, *sine quo perseuerare non posset*, quod præstat gratia sufficiēs. Vt autem voluntas talibus, & tantis tentationibus non cedat, altiori, fortiorique auxilio, ei subueniatur opus est, non quidem, quod auferat à voluntate ipsa rationem determinandi se, & eligendi, *Ne non esset suum, quòd euitaret peccatum: nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset*, vt habet Augustinus tum lib. de Spiritu, & Anima cap. 48. tum libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. sed quo ita mulceatur, atque trahatur dulcedine ipsa voluntas, vt facilius reddatur ei accommodari gratiæ, quàm contrarijs concupiscentiæ motibus: quo modo plus sine proportione præstat ad bonum opus gratiæ impulsus, quam nutus liberi arbitrij: qui indè potiùs est, quia ad ipsum met impellit gratia, quàm ex præcisa indifferentia voluntatis, vt patet in exemplo sitientis ardenter, numero præcedenti relato. Hoc autem nullatenus admiserunt Semipelagiani, imò nec vllatenus gratiam sufficientem, cùm non admiserint ad fidem, & quærere, petere, pulsare, nisi gratuitam naturæ rationalis creationem, & auxilium exteriùs legis, atque doctrinæ, vt millies probaui: aut saltem ad posse dumtaxat admiserunt auxilia, non ad velle, & credere actualia.

1090 Dicit quintò, *Quisquis alia diuina gratia adiutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deserant, si velint: & in quibus permaneant, si velint: cum quibus, tamquam sufficientibus, operentur, si velint, nihil aliud imprudens facit, nisi vt originalis peccati vires euacuet, illæsas liberi arbitrij vires, Christum frustrà venisse, & gratis mortuum esse persuadeat.* O certè admiranda Iansenij per semetipsum præconcepta prudentia, sed apud alios execranda imprudentia, secundùm quam, vt sui ingenij luxuriæ potiùs, quàm vt veritati necessitatis aduentus, & mortis Christi consuleret, taliter peccato vult extinctum fuisse liberum arbitrium, vt totius humani generis sensui non puduerit è regione opponi, dignum mercede, vel pœna asserens, qui non aliàs operari potuerit, quàm de facto operatus sit, quasi nō legerit, vel spernat, quæ apud Augustinū reperit lib. de duabus Animabus contra Manichæos cap. 11. *Neminem vituperatione, supplicione dignum, qui aut id velit, quod institia velle non prohibet: aut id non faciat, quod facere non potest, cantant in Montibus Pastores, & in Theatris Poetæ, & Indocti in Circulis & Docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in Sacris Locis, & in Orbe Terrarum genus humanum.* Secundùm ergo doctrinam Catholicam dico, quòd peccatum originale non fuit destructiuum voluntatis

peccatis, cùm hæc potiùs dignam se reddiderit pœna: liberum autem arbitrium duo dicit, nimirum posse velle plura, in quo aliquatenus conuenit cum appetitu brutorum: & insuper in ijs, quæ potest, se ipsum ex se ipso determinare ad vnum præ alio, in quo essentialiter differt ab omni eo, quòd non est voluntas: hæc autem determinabilitas non distinguitur ab ipsa voluntate: sicut ab eadem non distinguitur posse velle bona sibi naturalia: solùm verò posse supernaturale, vel per dona indebita, est voluntati superadditum: vndè euidens fit, quòd per peccatum originale, nec determinabilitas à se; nec posse, voluntati identificatum, potuit deperdi, sed dumtaxat omne posse gratuitò datum, & indebitum naturæ: sine hoc sit supernaturale, siue inter limites naturæ: ac per consequēs restituto eidem voluntati per medicinalē Christi gratiam posse ad operari benè supernaturaliter, reintegratur voluntas in suo pristino arbitrio, vt operetur benè, si velit, vel gratiā respuat, si velit, &c. quamuis per hoc non tollatur, vt patet in exemplo de sitiente, quòd gratiæ efficaci non resistat, & cum gratia purè sufficienti numquā operetur: si autem vtraque gratia nonnisi Christi meritis nobis comparatur, quomodò infert Iansenius Christum frustrà venisse, & gratis mortuū esse? nonne cōuincitur inconsideratè similes intulisse consequētias?

1091 Dicit tandem sextò illud ipsum, quod communiter docetur, Christi nimirum mortem, passionem, baptismum, & similia salutis adipiscendæ remedia pro omnibus omninò hominibus, nullo excepto, exhibita esse, *Eodem sensu Massilienses strenuissime veluti basim erroris sui sollicitè inculcando, commendasse: nam apud Prosperum iterū, iterumque dicunt pro vniuerso humano genere mortuum esse Dominum nostrum Iesum Christū: & neminem prorsus à redemptione Sanguinis eius exceptum, &c.* Ludicrum sanè obiectum: non enim omne, quod ex Massiliensibus referunt Prosper, & Hilarius in suis epistolis ad Augustinum, erat ex toto hæreticum, aliàs hæreticum esset asserere Christum passum, & mortuum fuisse, quoniam etiā hoc ex Massiliensibus refertur in suis epistolis à prædictis Sanctis Patribus: debuisset potiùs Iansenius probare, quòd Massiliēses fuerint quoad præcitatū punctū ab Augustino impugnati: sed hoc non fecit, quia facere non potuit. Hæresis ergo Semipelagianorum non continebatur in præfatis verbis, quæ secundùm substantiā, rei significatæ referuntur à Iansenio: sed in ijs, quæ immediatè subduntur, *Vt quicū-que ad fidem, & baptismum accedere voluerint, salui esse possint: Qui autem crediturì sunt, quibus in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri, præscisse ante mundi constitutionem Deum, &c.* Videtis Iansenistæ, vbi horum hæreticorum continebatur error? non asserebant ita pro omnibus passum, ac mortuum fuisse Christum, quòd per eius merita collata dicatur fides, & voluntas quærendi, petendi, pulsandi: sed quòd omnia Christi beneficia fuerint promissa fidei naturali initiatiuæ, & præcedenti voluntati quærendi, petendi, pulsandi: quæ omnia putabant ab omnibus per naturæ æquales vires exhiberi posse; indè dicebant, *Vniuersis tamen hominibus propositionem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi sine exceptione esse propositam*: &c. *Ideòque omnem hominem ad credendum, & ad operandū diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehēdenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio sit parata.* Fidei ergo, & voluntariæ deuotioni paratam, & propositam volebant propositionem Sacramenti Sanguinis Christi: non verò, quòd etiam per eam detur credere, & voluntaria deuotio, ratione necessitatis gratiæ, præuenientis etiam ad hæc. Hoc autem modo fateri esse passum, & mortuum pro nobis Christum, hæresis est pestilentialis, euacuans Christi gratiam: si enim potuisset homo ex proprijs viribus, & absque præcedenti gratia Redemptoris, mereri gratiam ad opera apud Deum, credendo, & inuocando: ergo Christus gratis mortuus est. Non ita autem Catholici, contra quos inuehitur Iansenius, dicunt passum, & mortuum fuisse Christum pro omnibus: sed taliter, vt nonnisi Christi Redēptoris gratia possit homo, etiam initiatiuè credere: & Deum, prout expedit ad salutem, inuocare. Quo pacto, & Semipelagianorum, & simul Iansenistarum errores anathematizant, Sanctæ Matris Ecclesiæ sensui humiliter se subscribentes.

§. VIGESIMVS PRIMVS.

Iansenij obiectiones proponuntur, atque soluuntur.

1092 Obiicit Iansenius contra antecedētem communem Catholicorum doctrinā primò in libro 2. de Gratia Christi cap. 8. ita: gratia medicinalis Christi, quæ

quæ datur hominibus post lapsum, talis est, vt per eam Deus discernat iustos ab iniustis, perseuerantes à non perseuerantibus, & Prædestinatos à Reprobis: sed gratia, quæ ita discernit, ex se efficax est; ergo non datur alia medicinalis Christi gratia, quæ sit mēbrum distinctum ab efficaci. Probat autē maiorem Iansenius tum ex illo Apostoli prima ad Corinthios 4. quo sæpè vtitur Augustinus in commendationem gratiæ Christi; *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti, &c.* tum ex eodem Augustino epistola 106. vbi, loquens de operibus bonis, ea dicit esse per gratiam, à voluntate verò nostra, tamquam gratiam ipsam *Comitante, non ducente: pedissequa, nō præuia.*

1093 Respondeo breuiter ex millies dictis, distinguendo maiorem: gratia medicinalis Christi, quæ tantùm dat intrinsecum posse, sed non operari, distinguit iustos ab iniustis, nego: quæ non solùm dat posse, sed etiam operari, concedo maiorem. & concessa etiam minori, nego consequētiam. Allata autem loca tum Apostoli, tum Augustini sunt de iis, qui iam per opera bona sunt discreti à non operantibus, quod habetur per gratiam efficacem: non verò de omni gratia medicinali Christi, vt ex verbis ipsis patet.

1094 Instabis: gratia, quæ discernit, non potest esse, nisi efficax, & nonnisi gratia possunt iusti ab iniustis discerni; ergo vacat gratia sufficiens. Probatur consequentia: quia talis gratia ex se non discerneret, aliunde liberum arbitriū, nō potest se ab alio discernere; ergo talis gratia nec daret posse operari libero arbitrio: alias cū ea vnum liberum arbitriū posset se discernere, operādo ex libertate, ab alio, ex eadem libertate non operante.

1095 Respondeo, concedo primam partem antecedentis, & nego secundam. Non solùm enim per gratiam sufficientem accipiunt homines posse se discernere, accipiēdo per eam posse operari: verùm etiam nec ita gratia efficax operantem à non operante discernit, vt ipsa sola discernat, & nullatenus inter sese libera arbitria: quandoquidem nec Apostolus, nec Augustinus id docent: primus quidem tantùm excludit discretionem vnius ab alio, quasi dumtaxat ex nobis, & non etiam primò ex gratia: dicit namque post præcedēsita verba, *Si autē accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Secundus autem ducentem, & præuiam voluntatem discretiuam excludit, non verò cōcomitantem, & pedissequam. Gratia ergo efficax præueniens sua tractione speciali voluntatem quidem discernit operaturam à non operatura: sed quia non ita trahit, vt libertatem voluntatis euacuet, locum ipsi etiam relinquit, vt ipsa se discernat ab alia non operante. Pari modo, quia sufficiens non trahit secum, vel ex se carentiam operis, sed benè cum ipsa potest liberum arbitrium prorumpere in opus, nec etiam excludit vnum liberum arbitriū, operando, posse se ab alio non operante discernere: sed, sicut cum ea, ob infirmitatem contractam concupiscentiarum reluctantium, numquam operabitur ex sua libertate: ita numquam ex eadem libertate se discernet.

1096 Vrgebis: si liberum arbitrium, motū gratia efficaci, potest non consentire; ergo verum erit dicere, quòd vocatus ad fidem, & per talem vocationem discens, quid facere debeat, adhuc potest non credere: &, si credit, ideò credit, quia vult. Et cōtra, quòd, qui gratiam sufficientem habet, per eam sufficienter discit, quid facere debeat, &, si non credit, ideò non credit, quia non vult, non verò quia non didicerit. Sed hęc explicitè aduersantur doctrinæ Augustini, vt patet ex his, quæ tradit lib. de Gratia Christi cap. 14. vbi habet, *Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audiuit quidem, & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult, quod didicit: prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus: si enim, sicut veritas loquitur, omnis, qui didicit, venit: quisquis non venit, profectò non didicit.* Insuper ex iis, quæ docet in cap. 13. eiusdem libri, *Qui autem nouit quidem quid fieri debeat, & non dum facit, non dum à Deo didicit secundùm gratiam, sed secundùm legem: non secundùm spiritum, sed secundùm litteram.* Ac tandem ex iis, quæ tradit libro de Prędestinatione Sanctorum cap. 8. *Qui credunt prædicatore forinsecùs sonante, intus à Patre audiunt, & discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur, vt credant, istis nō datur.* Ex quibus locis præsertim duobus vltimis, ait Iansenius, explicitè patet ex Augustino in non credentibus nullum dari auxilium interius gratiæ, & secundùm spiritum: sed dumtaxat exterius, & secundùm legē, vel prædicatore extrinsecus sonante.

1097 Respondeo, sæpè me dixisse Augustinum, agentem de necessitate gratiæ, contra Pelagianos, vel Semipelagianos agere, quorum primi solam gratiam legis, & doctrinæ docebant necessariam ad omnia ope-

ra: vel; ne in isto puncto cum Iansenistis immoremur, gratiam necessariam volebāt ad posse voluntatis: ad velle & operari verò dicebant concurrere solas vires liberi arbitrij, vt ex eodem libro de gratia Christi cap. 14. constat, vbi, *Venire posse*, inquit, *in natura ponit Pelagius: vel etiam, vt modò dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam sentiat, qua ipsa, vt dicit, possibilitas adiuuatur: venire autem iam in voluntate, & opere est*, eo modo, quo retulerat cap. 5. *Scire quippe debemus, quòd nec voluntatem nostram, nec actionem diuino adiuuari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quā solam ex his tribus nos habere affirmat ex Deo: cætera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio*. Vnde, quæ affero numero 316. Pelagius ergo sentiebat volūtatem nostram adiuuari gratia, quatenus illuminatur à Deo, vel etiam per talem cognitionem inclinatur ad obiectum: sed ad velle deindè dicebat solas naturæ vires, cum quibus fuit producta, sufficere, & per eas defacto esse bonum velle, & operari. Semipelagiani verò id ipsum restringebāt ad solum credere, quęrere, petere, & pulsare: Augustinus autem, ipsos impugnans, non agit de gratia sufficiente, per quam natura etiam, vt eleuata, non agit: sed totus est ad probandum, quòd operatio bona à gratia sit, ac consequenter semper, per se loquendo, agit de necessitate gratiæ efficacis, vt sit opus bonum: quamuis aliquando incidenter aliquid tangat de gratia sufficiente, vt iam probatum est. Pelagium ergo in primo loco, citato à Iansenio, oppugnans, qui venire ponebat à sola voluntate, dicit Augustinus, quòd, *Qui non venerit, non de illo rectè dicitur, audiuit quidem; & didicit sibi esse veniendum*, eo modo, quo habemus ex Euangelio, *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*. quem locum deindè capite sequenti affert Augustinus contra Pelagium. *sed facere non vult, quòd didicit*, quasi solius voluntatis, sit siue facere, siue non facere, *Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam*, qua quis audit, & discit à Patre modo dicto, *docet Deus: si enim, sicut veritas loquitur: omnis, qui didicit, venit: quisquis non venit, profectò non didicit*, eo modo, quo debet esse gratia, vt sit actualis fides. Et pari modo loquitur Augustinus 2. loco, *Qui autem nouit quidem, quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundùm gratiam*, de qua dicitur, omnis, qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me, *sed secundùm legem: non secundùm spiritum*, qui actù viuificat, *sed secundùm litteram*: nempe secundùm aliam gratiam, quæ non ponit opus viuificans; sed, si opus aliquando ponitur, seruiliter ponitur ex fine, & motiuo temporali, sicut plurimas cæremonias seruabant Hebræi timore, vel amore rerum temporalium, vt ex Augustino in antecedentibus probaui. Ac eodem tandem sensu loquitur 3. loco, *Qui credunt prædicatore forinsecùs sonante, intus à Patre audiunt, & discunt*, gratia, à qua est fides, vt dictum est: *qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt*, simili gratia: & ideò, *illis datur, vt credant, istis non datur*.

1098 Sed iam video à Iansenistis posse mihi subiungi hæc voluntariè, & gratis esse excogitata ad eludendam vim argumenti, nō verò esse de mente Augustini. Vndè ne similis illis tergiuersandi relinquatur locus, vltra iam dicta de fine, quo Augustinus prefata omnia contra errorem Pelagianorum, & Semipelagianorum protulit, quorum error nonnisi probatione gratiæ efficacis expungi poterat: ipsos Iansenistas moneo, vt Augustinum legant in cap. 16. de Prædestinatione Sanctorum, vbi omnia, quę pro responsione ad obiectionem tradidi, in fōte reperient: ita namque ibi scribit, *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, vt faciat membra prædestinati Filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est: & gentes, quibus Christus crucifixus stultitia est: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens, ipsis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem, & Dei Sapientiam: sic enim ait, ipsis autem vocatis, vt illos ostenderet non vocatos; sciens esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt, quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*. Vident ne Iansenistæ ex Apostolo didicisse Augustinum, quòd illa dumtaxat sit dicenda simpliciter vocatio, qua secundùm propositum vocantur Electi ad certā positionem operum bonorum: illam verò, quæ non est secundùm propositum prępscientiæ, & Prædestinationis ad gloriam, quæcumque sit illa, posse dici non vocationem? Quid ergo mirum, si secundùm hanc regulam, vocat Augustinus non discentes à Patre secundùm gratiam, & spiritum, sed secundùm legem, & litteram: nec intus, sed exterius audientes, qui ita docentur, adhuc interius, vt ad filium

non veniant, vel non benè operentur?

1099 Obijcit secundò Iansenius locum Augustini, in quo præcipuè offendicula ponit incautis: sicut & alij eodē vtuntur pro obruenda ex eodem Sancto Doctore scientia media; sic ergo arguit: adstruentibus Pelagianis gratiam sufficientem, cuius sit eleuare liberum arbitrium ad posse, relinquendo voluntati, vt impulsum præbeat ad opus, Augustinus vocat ipsos Christianos nomine, non fide: ergo simile genus gratiæ sufficientis, quæ in homine post lapsum relinquat libero arbitrio determinationem operis, oppositum fidei putat Augustinus. Antecedens probat, ex præcitato lib. de Grat. Christi cap. 10. vbi, post quā ex doctrina Pelagij hæc refert verba, *Operatur in nobis velle, quod bonum est, velle quod Sanctum est*, nempe Deus, *dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne, quod bonum est*, hanc, quam, tamquam sufficientem, sed non determinantem opus, docebat Pelagius gratiam, respuit Augustinus, sic loquens, *Sed nos eam gratiam nolumus. Istam aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur, & speratur: nec solùm reuelatur Sapientia, verùm etiam & amatur: nec suadetur solùm omne, quod bonum est, verùm & persuadetur*: & clariùs gratiam sufficientem, omnibus communem oppugnans, & specialem Electorum inculcans, subiungit, *Non enim omnium est fides, qui audiunt per Scripturas Dominum Regnum Cælorum pollicētem: aut omnibus persuadetur, quibuscumque suadetur, vt veniant ad eum, qui dicit, venite ad me omnes, qui laboratis; quorum autem sit fides, & quibus persuadetur, vt ad eum veniant, satis ipse demonstrauit, vbi ait, nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eū: & paulò post, cùm de non credentibus loqueretur, dixi, inquit, vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verum etiam esse Christianus*.

1100 Respondeo hoc argumentum me adduxisse numero 301. & enodasse num. 309. propugnando scientiam mediam. Addo autem nunc contra Iansenistas, quòd, si dissentio inter Augustinum, & Pelagium fuisset aliquando in eo, quòd iste admisisset dumtaxat gratiam sufficientem, & non specialem efficacem, diuersam ab illa, vt propugnabat Augustinus, & quo ad hanc negationem taxasset Pelagium, tamquam Christianum nomine, non vera fide; quid est, quod ait Augustinus eodem libro de Gratia Christi cap. 47. *Si ergo consenserit nobis non solùm possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat benè; sed etiam voluntatem, & actionem, idest vt benè velimus, & benè agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando benè vult, & benè agit: si, dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem, & actionem diuinitùs adiuuari, vt sinè illo adiutorio nihil benè velimus, & agamus, eamque esse gratiam per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra iustitia iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, controuersiæ relinquetur*. Vbi, vt patet adiuuamen gratiæ requirit ad velle, & operari, præter adiuuari possibilitatem, vt nulla cum Pelagio restet circa adiutorium gratiæ dissentio, non verò requirit siue determinationem, siue necessitatem arbitrij, ab illa prouenientem? Quid illud cap. 6. *Sed, ne nihil de gratia dixisse videretur, adiunxit, quique ipsam possibilitatem gratia sua adiuuat semper auxilio, non ait, ipsam voluntatem, vel ipsam operationē: quòd si diceret, non aberrare à doctrina Apostolica videretur*? Quid 3. illud libri de gratia, & libero arbitrio cap. 6. in quo contra Pelagianos loquens, ait, *Si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia*? Sentit ergo, quòd, qui admittit ad velle, & operari, non solas vires naturales arbitrij, sed etiam gratuitum quodcumque donum gratiæ, à quo sit velle, & operari simul cum libero arbitrio, non esset reprobandus, quamuis modum hunc Augustinus ipse non approbet, vt verum. Quid tandem id, quòd habet tom. 10. circa finē in sermone, quem ad populum exhibuit contra Pelagianos, dum ita loquitur de Pelagio, *Illum nemo dicat absolutum esse ab Episcopis: absoluta est, sed confessio, quasi Correctio ipsa est absoluta: quia ea, quæ dixit antè Episcopos, Catholica videbantur: quæ autem scripsit in libris suis, Episcopi, qui absoluerunt, nescierunt*. Confessio ergo gratiæ, quā oretenus confessus fuerat Pelagius coram Episcopis, Catholica erat quo ad sonum verborum, nisi hæc subdola fuissent, quæque deindè explicabat in scriptis suis, nimirum de gratia legis, & doctrinæ, qua asserebat adiuuari posse, non verò velle, & operari, vt probo in loco mox citato in principio huius numeri; non ergo damnabatur Pelagius, quia non aliam admittebat

bat gratiam, nisi ex se sufficientem: sed quia hanc, quam verbis profiteri videbatur, subdolò profitebatur, negans deindè in suis scriptis, quæ verbis concedere videbatur coram Episcopis.

1101 In præcitato ergo loco, adducto à Iansenio in argumento; non solùm non reprobat Augustinus gratiam sufficientem respectu Reproborum, qui non operantur, sed neque sententiam eorum, qui relatè etiam ad Electos admittunt solam gratiam ex se sufficientem intrinsecam: dumtaxat autem damnat Pelagianos, qui gratiam, quæcumque fuerit, quam admittebant, nolebant esse necessariam ad velle, & operari, sed solùm ad adiuuandam possibilitatem potentiæ, exituræ deindè in opus tum voluntatis, tum actionis, per solas proprias, & naturales vires: & de hac gratia dicit Augustinus, *Sed tam gratiam nolumus, istam aliquando fateatur, qua futura gloriæ magnitudo, non solùm promittitur, verùm etiam creditur, &c.* quòd nimirum etiam fides ipsa, & opus sit ex gratia. Et idem dico de subsequentibus verbis: Ridiculum autem est id, in quo clariùs gratiam sufficientem, omnibus communem, refutari credit Iansenius: numquam enim Pelagiani dixerant, nec dicere, quòd experientia falsum comprobabant, poterant, nimirũ omnium esse fidem, *Qui audiunt per Scripturas Dominum Regnum Cælorũ pollicentem, &c.* vt in hoc eos impugnare voluerit Augustinus: sed vult Pelagianos monere, vt aliquando, puta in his, qui credunt, sperant, amant, & quibus persuadetur bonum, agnoscant, & fateãtur hæc omnia à gratia esse, *non enim,* subiungit, *omnium, est fides, qui audiunt per Scripturas, &c.* sed eorum, quos Pater traxit, & quibus ex gratia id actũ datur: semper inculcans, quòd velle, & operari non sit ex nobis sine gratia.

1102 Addo ex alibi dictis, quòd, etiam si Augustinus Pelagianos voluerit impugnare in eo, quòd gratiam æquè sufficientem admittebant in omnibus, vt deindè impulsus ad opus fiat à voluntate, numquid Augustinus similem gratiam refutat relatè ad omnes? ad summum in eo refutaret Pelagianos, quòd in operantibus de facto benè non admiserit specialem gratiam, facientẽ operari: sed, quòd hæc ita faciat operari, vt non relinquat in voluntate se ipsam determinare, modo quo ardenter sitiens, siti ipsa mouetur ad longum subeundum iter pro bibendo: & non ita ab ea determinatur vt non voluntate, & aliquo præuio consilio, atque mora se ipsum per se ipsum determinet, vndè probat Iansenius? Quid ergo ex præcitato loco, somnians, confingit pro negãda in hominibus post lapsum gratia sufficienre.

1103 Instabis: gratia medicinalis Christi talis est ex Augustino, vt omninò inferat effectum; ergo est efficax, & determinatiua voluntatis; & nulla Inefficax. Probatur antecedens: qui non est, ex Augustino, operans ex gratia, est seruiliter sub lege: atqui, vt aliquis sit seruiliter sub lege, non requirit gratiam; imò potiùs, ex eodem Augustino, peccat; ergo non aliam cognoscit gratiam, nisi efficacem, & determinatiuam voluntatis, vt ex codẽ loco, quo probabitur maior syllogismi, patebit: ostenditur autem maior ex prædicto libro de Gratia Christi cap. 13. vbi referens Augustinus illa verba Psalmi 118. *Suauis es Domine, & in tua suauitate doce me iustitiam tuam,* ita ait, *idest vt non formidine pænæ seruiliter cogar esse sub lege: sed libera charitate delecter esse cum lege: præceptum quidem liber facit, qui libens facit: & hoc modo quisquis discit, agit omninò quidquid agendum didicerit.*

1104 Respondeo ex iam dictis Augustinum in præcitato loco agere contra Pelagium, qui legem, & doctrinam dumtaxat requirebat, tamquam gratiam ad benè operandum, nec quidem tamquam necessariam, sed ad faciliùs operandum: & Augustinus probat, quòd lex, licèt sit ex Deo, non tamen volũtatem eleuat, vt operetur ex Deo, sed qui ex lege præcisè operatur, seruiliter, & timore pœnæ operatur, non verò ex amore Iustitiæ, vt facit operari gratia, voluntatem mouens. Agit ergo semper eodẽ fine de gratia efficaci, vt probet ex hac esse opus iustitiæ, & non ex lege, & doctrina: cæterùm non per hoc excludit in omnibus aliis non operantibus gratiam sufficientem. Quid autem sit, quod habens gratiã efficacem infallibiliter, vel omnino operabitur, iam alibi dixi sufficientissimè saluari, & conformiter ad Augustinum, & Angelicũ per infallibilitatem moralem, si sermo sit de gratia præcisè intrinseca: si autem addatur etiam gratia decreti diuini, extrinseci prædestinantis, gratia erit omninò infallibiliter positura effectum, nullatenus læso libero arbitrio per hoc, quòd tale decretum supponat scientiam mediam, & infallibilitatem adiũgit ordine intẽtionis, vt ferè continuò dicebam, agens de eadem scientia.

1105. Obijcit tertiò: Augustinus lib. de Correctione, & Gratia cap. 10. sic habet, *Saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum, Dominumque rerum omnium sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea*

ea priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deindè quid posset sua gratia beneficiū; ergo, sicut in prima conditione nulla gratia fuit specialiter efficax, vt ostenderetur sic in bono, & in malo liberum arbitrium: ita & nunc in nullo debet gratia esse, nisi efficax, vt ostendatur dumtaxat in iis, quibus datur, gratiæ beneficium.

1106 Respondeo, mirum esse, quòd non etiam inferat Iansenius omnibus per Christum dari gratiam efficacem, & saluari, vt in omnibus ostendatur gratiæ beneficium: sicut in prima conditione nullus fuit sine gratia sufficiente, cum qua ostendi potuisset, quid in omnibus valeret liberum arbitrium: Dico ergo cum eodem Augustino libro ipso citato à Iansenio cap. 12. quòd liberum arbitrium tum hominum, tum Angelorum tales habuit in prima sui conditione vires, nullis in eis existentibus aduersantibus concupiscentijs, *Vt dignæ tantæ bonitati, & benè viuendi facilitati perseuerādi committeretur arbitrium*: atque ita respectu omnium remisit Deus eidem libero arbitrio, vt perseueraret, si vellet, *Nunc verò posteaquam est illa magni peccati merito amissa libertas, si in tanta infirmitate huius ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei*, qualem habuit homo in prima conditione, concupiscentiis non obnoxius, *sine quo perseuerare non possent, manerent, si vellent, nec Deus* per gratiam præuenientem, sua suauitate obsistentem concupiscentijs, *in eis operaretur, vt vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet: & ideò perseuerare non possent*, si sine gratia præueniente, & sola gratia adiuuante, sicut Adā, relinquerentur, *quia deficientes infirmitate, nec vellēt: aut nō ita vellēt infirmitate volūtatis, vt possēt*, nisi maioribus donis eis subueniatur taliter, vt superatis concupiscentijs, *diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur* eorum voluntas. Hoc autem non facit Deus in omnibus hominibus, sed in ijs, quæ placuit facere vasa misericordiæ, vt magis eluceat eius gratia; nihilominùs, quia misericordia Dei quoad effectus excedit iudicium, non propter solum originale omnibus alijs, quos non elegit sua gratuita bonitate, denegat posse saluari, dum adhuc sunt in via: sed viribus sufficientibus munit, adhuc relinquens eorum libero arbitrio, in ijs, qui vti possunt, vel aliorum in ijs, qui proprio vti non possunt, vt saluentur: ostendendo dumtaxat quid possit gratiæ beneficium per eos, quos gratia elegit, relinquendo, vt ostendat in alijs suam iustitiam, siue remuneratiuam, si benè egerint; siue punitiuam, si malè, simul sciens quid operaturi erunt.

1107 Obijcit vltimo: si Deus omnibus hominibus, lapsis per originale, dat gratiā, saltem sufficientem; ergo etiam daret sufficientia remedia paruulis morituris ante vsum rationis, vt possint ab originali labe per baptismum liberari, cùm etiam pro istis dicatur mortuus Iesus Christus Dominus noster, vt contra Pelagianos sæpè inculcat Augustinus: atqui non omnibus paruulis præparauit Deus auxilia sufficientia, etiam per voluntatem alterius, perueniendi ad baptismum, cùm plures moriātur in ventre matris, nec valeant parentes, aut alij illum exhibere; ergo Christum mortuum esse pro omnibus, non infert in illis gratiam sufficientem.

1108 Respondeo negando Deum non præparasse paruulis, morituris in ventre matris, auxilia proximè sufficientia in radice, eo modo, quo omnibus adultis dicitur per Tridentinum, *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere, quòd possis, & petere, quod non possis, & adiuuat, vt possis*. Quāuis namque morientibus in ventre matris non possit hic, & nunc exhiberi baptisma, sicut infideles hic, & nunc non possunt Deum diligere, quia dilectio supponit fidem, eo tamen modo, quo isti possunt hic, & nunc proximè diligere, quia possunt credere, & auxilia petere ad Deum diligendū: ita poterant parentes infantis eiusdem immaturam mortem euitare, & ad baptisma deferre, si temperatè vixissent, & vires proprias naturales nō in alijs rebus debilitassēt; vel etiam potuissent benè operando obtinere à Deo vitam infantulis vsque ad tempus, quo potuerint baptizari. Iam ergo istis datur sufficientia liberandi se ab originali voluntate aliena, sicut voluntate aliena fuit culpa.

1109 Addo esse maximam differentiam inter morituros ante vsum rationis, & eos, qui vsuri sunt pro aliquo tempore ratione: nam isti, cùm non possint nec mereri, nec demereri propria voluntate, sed solo adstricti sint originali, sicut possunt propter solum originale puniri pœnis priuatiuis gratiæ, & gloriæ: ita nihil obesset, si nulla eis in pœnam originalis præberetur gratia: Isti verò peruenturi iam ad vitam actiuam, si omni gratia destituerentur, nō possent, nisi malum, & iuxtà concupiscētias, ad instar ferè brutorum, operari: & ita operando non redderentur digni pœna, vt patet supra ex Augustino; ergo in pœnam originalis potiùs relaxarētur impunè concupiscentiis, quod non esset punire, sed premio temporali præmiare.

1110 Adduci hinc possent à Iansenio omnia ea argumenta, quæ adduximus ex Thomistis contra scientiam mediam, ad probandum volūtatem nostram debere à Deo determinari, vt prima causa ad opus, & per eius præmotionem infallibilitari ad vnum; quidquid enim infallibilitatis in opere inferunt Thomistæ, Iansenius, qui infallibilitatem istam sine necessitate non poterat percipere, infert necessitatis; sed iam soluta sūt omnia suis in locis negatione omnis antecedentis infallibilitatis ad vsum libertatis; ergo hic nullatenus sunt de nouo recensenda. Quapropter sufficiant in præsenti materia, quæ acta sunt contra Iansenium, & sequaces.

§. VIGESIMVS SECVNDVS.

Prædestinationem absolutam Electorum ad gloriam fuisse defacto ante præuisam futuritionem meritorum stabilitur.

1111 TEmpus iam est, vt reiectis, quæ tū circa Dei prædestinātis gratiam, tum circa liberum, illi cooperans, creaturæ rationalis arbitrium conlinxere hæretici, præcipuè huius tempestatis, difficultatē, quam de Prædestinatione exagitamus, intra Catholicæ doctrinę limites enodemus; conuenientes namque Catholici in omnibus iis, quę de necessitate gratię Christi, & liberi arbitrii per eandem reintegrationem, iuxtà Scripturam, & Conciliorū definitiones, fateri debent, adhuc in diuersos diuiduntur sensus circa modū, quo defacto facta fuerit Prædestinatio; cùm enim in Prædestinatione creaturæ rationalis ad gloriā, tamquam præmiū, & coronam meritorū, requirantur etiam ex parte Dei gratuitò Prædestinantis plura, nempe gratia, qua homo, vel Angelus potuerit, benè operando opera supernaturalia, mereri præmiū, in qua gratia etiā includuntur exterius mouentia, vt sunt exempla bona, & carentia malorum, compressio item fortiorum tentationum, siue ab intrinseco concupiscentiarum, vbi non paruum locum habet dispositio humorum, parentes, ex quibus nascimur, locus natiuitatis, &c. siue ab extrinseco Dæmoniorum, & hominum iniquorum, &c. & præmium ipsū gloriæ, non ordinaria est inter Catholicos difficultas in decernendo, quid ex his duobus prius voluerit Electis Deus: non quidem prioritate temporis, cùm Dei voluntas omnis fuerit ab æterno, sed prioritate naturæ, ac causæ, siue rationis: an nimirū ex eo, quia voluit Deus illis dare beatitudinem sub titulo mercedis, & coronæ, ideò voluit, vt merita haberent, & inde, quia voluit, vt merita haberent, ideò prædestinauit illis gratiam, qua merita præfata haberent? Si enim hoc modo defacto processit Deus, iam prima gratia illius esset voluntas de gloria, & deindè de meritis, & tertia de auxiliis ad bene operandum. An verò non ita defacto processerit Deus, sed alio fine, quàm dandi iisdem gloriam, voluerit dare gratiam efficacem, saltem finalem, prout defacto sæpè in Reprobis vult gratiam efficacem, & opus meritoriū, & non ex fine, quia voluit efficaciter illis dare gloriam: quia tamen præuolita à Deo gratia efficaci prædicto alio fine, præuidet iam, quod isti operabuntur benè, & merebuntur præmium gloriæ, indè, vt talibus meritis præmiū rependat, vult illis gloriā, quo pacto gloria non esset prædestinata, nisi post præuisionem meritorum, & nullo modo ante horum præuisionem volita?

1112 Quatuor autem in hac difficultate apud Catholicos circumferūtur opiniones. Prima docet Prædestinationem Electorum ad gloriam fuisse defacto in Deo ante omnem præuisionem meritorum, seu operū bonorum tum pro statu absoluto, tum cōditionato. Ita communiter Thomistæ, & maior pars Scotistarum, negantium scientiam mediam. Secunda ex diametro oppositum tuetur, nimirum prædestinationē prædictam ad gloriam fuisse in Deo defacto, etiam ordine intentionis, post scientiam de futuritione absoluta meritorum. Ita ex Scotistis Faber, Epitomarius, Saxus, ac Poncius: ex Patribus verò Societatis Vasquez, Beccanus, Franciscus Amicus, vterque Turrianus, Lessius, ac Pennottus, cum aliis neutralibus. Tertia sententia mediat inter istas, asserēdo aliquos Electos, & specialissimo modo à Deo dilectos, qualis est Beatissima Virgo, Apostoli, & Euangelistæ, Ioannes Baptista, & alii, fuisse prædestinatos ante præuisa eorum merita, reliquos verò ex præuisione meritorum. Ita Nominales Okamus, Gabriel, & Catherinus, quibus se subscribit Maignā in sua prima parte Philos. sac. cap. 14. propos. 19. Quarta tandè sententia docet omnes Electos fuisse ad gloriam, tamquam ad

præ-

præmium, & coronam Prædestinatos ante præuisam absolutè futuritionem meritorũ, nullũ verò fuisse, imò nec potuisse prædestinari ante scientiã mediã; vndè ista sententia conuenit ex parte cum prima Thomistarum, & Scotistarum, prout asserit Prædestinationem ad gloriam præcedere scientiam absolutam meritorum: differt autem ab illa secundùm quòd vult non tam de facto, sed nec de possibili potuisse gloriam sub ratione coronæ, & mercedis prædestinari ante scientiam mediam. Mea autem sententia erit cum istis vltimis, quæ est cõmunis Patribus Societatis.

1113 Quia tamen nõ opus est hic repetere, quæ contra Thomistas, & Scotistas in toto præcedenti tractatu diximus, impugnando decreta Dei antecedentia, & efficacia, tamquam destructiua libertatis creatæ, nec erit nobis hic probandum Prædestinationem defacto non esse ante scientiã mediam; sed dumtaxar probabimus non fuisse post, sed ante scientiam absolutam de futuritione meritorum.

1114 Nec item erit nobis tempus terendũ in impugnanda tertia opinione; cùm enim simus in materia de libera voluntate Dei, quid videlicet, & quomodò gloriam, merita, & gratiam voluerit Electis, non potest vllus fieri Scrutator Consiliorum Dei, nisi secundùm quòd ipsemet Deus se nobis voluit notum fieri per Scripturam: constabit autem ex referendis de Scriptura in ea non fieri diuersitatem vnius Electi præ alio quoad modũ prædestinãdi ante, vel post præuisionem meritorum, sed dumtaxat quoad maiorem, vel minorem dilectionem Dei, quatenus alijs plura, alijs minora talenta dederit, secundùm quòd suis inscrutabilibus iudicijs disponere placuit: ac consequenter quòd alijs maiorem, alijs minorẽ voluerit gloriam; de cætero nec vestigium habemus, quòd aliis priùs, alijs post merita præuisa voluerit gloriam. Imò si ex speciali dilectione valet arguere voluntatẽ antecedentem saluandi, cùm nullus Electus saluetur præ Reprobo, nisi specialibus Dei donis illi præ hoc prouideatur, pro omni Electo valebit arguere, quòd talia specialia auxilia illis dentur ex speciali Dei dilectione, & amore eos saluandi.

1115 Nec tandem erit hic iterum cum Suario ineundum certamen, qui duo adstruit decreta de gloria danda Electis, aliud intẽtiuum, quo gloria fuerit à Deo intenta, præscindendo à ratione præmij, & coronæ: aliud executiuum eiusdem gloriæ sub ratione mercedis, atque coronæ: cùm hunc dicendi modũ iã impugnauerimus num. 588.

Solùm ergo contra eos erit agendum, qui propugnant Deum defacto Electos prædestinasse post eorum præuisa merita, vt absolutè futura. Vbi tamen aduerto non esse sermonem de Prædestinatione gloriæ animæ Christi, de qua certum est, quòd fuerit prædestinata ante omnem omninò præuisionem meriti: cùm enim numquam fuerit futura non vnita Verbo, nullum meritum futurum fuit in ea præuisum, nisi ex suppositione Deitatis, ac consequenter antecedenter ad omnem præuisionem meriti fuit Christi humanitas prædestinata Deificanda: ratione autem Deitatis, & vnionis hypostaticæ debetur ipsi, tamquam Filio naturali Patris, omne donum, cuius est capax; ergo fuit prædestinata ei gloria, nõ vi meritorum eius, sed vt debita ipsi ratione Prædestinationis vnionis hypostaticæ. Nec item sermo est de saluandis per baptisma paruulis, decidentibus ante vsum rationis, quibus gloria confertur præcisè ex Dei gratia, & voluntate, & nullo modo, vt corona, & merces, cùm numquam sint habituri merita. Difficultas ergo exagitãda remanet relatè ad eos, quibus tribuenda est gloria, vt corona, & merces meritorũ: vndè.

1116 Dico cum quarta sententia Deum defacto omnes Electos suos prædestinasse immediatè gratuitò ad gloriam, non motum ex præscientia meritorum: sed econtra, quia complacuit sibi eos eligere præ alijs saluandos, & facere vasa misericordiæ, indè voluisse, vt merita haberent, & ad hæc habenda prædestinasse illis gratiam efficacẽ, facientem benè operari, saltem finaliter. Ad eum modum, quo, cùm aliquis v. g. Pontifex ex speciali dilectione erga parentem, vel amicum, vult illi aliquam communicare dignitatem, ad quam defacto nõ habet sufficientia merita, ne det immeritò, procurat, vt ille sufficientem adipiscatur scientiam, dat etiam illi priùs inferiores dignitates, ac cætera curat habere merita, quibus proportionata reddatur superioris dignitatis collatio: in hoc nãq; casu prima voluntas Pontificis exaltandi parentem, vel amicum non nascitur ex præcognitis meritis huius, sed ex speciali dilectione in illum: imò, quia vult illum exaltare, indè curat, & adiuuat, vt sibi proportionata acquirat merita pro tali dignitate adipiscenda.

1117 Assertum hoc, cùm sit in materia de libera voluntate Dei, quæ, vt ostendi paragraphis secundo, & tertio, potuit esse, vel de Prædestinatione gloriæ ante præuisa merita, vel non minùs post præuisa merita,

ipræcipuè probandum est ex Sacra Scriptura, prout fit communiter: ad hūc tamen finem plura ex eadem Scriptura adduci solent inaniter loca, quòd etiam faciunt cōtrariæ opinionis propugnatores: cùm namque intentio finis, quæcumque efficacitate polleat, finem non ponat, nisi interpositione mediorum, requisitorum ad positionem eiusdem finis, in ipsissima finis intentione duo distinguenda sunt, nimirum & ordo mouentis agens ad volendum, & ordo agentis ad actiuè exequendum: ita sanitas mouet agens, vt velit medicinam, & deindè medicina executiuè producit sanitatem. Et in casu dicto Sanguis parentis, vel qualitates amici mouent Pontificem, vt velit illi dignitatem, & merita, sed deindè non confertur ab eodem volita dignitas, nisi post merita: & indè fit, vt finis, qui in genere causæ finalis mouet agens, vt velit media, ac consequenter est illorū causa: in genere deindè causæ efficientis, vel executiuæ fit effectus, & causatus à mediis: & in diuerso genere sit prior, & posterior respectu eorumdem meritorum: atque etiam ipsa volitio finis, vt intentiua, priùs fertur ad finem, quàm ad media denominatione desumpta ab obiectis: & deinde, vt executiua priùs exequitur media, quàm finem. Quoniam autem nomen ipsum Prædestinationis pluries in Scriptura sumitur pro intentione gloriæ, vt finis, vt non semel notaui: aliàs verò pro præparatione gratiæ efficacis, & aliorum mediorū, quo pacto definiuit eam Augustinus, dum ait, quod sit *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*: hinc fit, quòd loca illa Scripturæ, quibus adstruitur Prædestinatio antecedens ad præuisionem meritorum, facillimè explicentur ab Aduersariis de Prædestinatione gratiæ, de qua non est dubium apud Catholicos, quòd non fuerit ex præuisione meritorum, cùm ante gratiam, præcipuè primam, non possint dari merita: nisi loca Scripturæ talia sint, quę constet esse de Prædestinatione gloriæ, pręcedente pręscientiam meritorum: sicut de facto nos omnia loca, quæ adducuntur ab Aduersariis, ad probandum Prædestinationem glorię esse ex meritis, omni cum facilitate explicamus de ordine executionis, non intentionis. His ergo diligenter animaduersis.

1118 Probatur conclusio primò pluribus Scripturę locis, quę liber, maioris claritatis gratia, singillatim ita examinare, vt omnis tergiuersationibus pręcludatur locus. Primus ergo sit ex Sapientię 4. *Consummatus in breui; expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Qui locus meo iudicio euidenter insinuat Prædestinationem gloriæ antecedentem ad merita: in præfatis enim verbis euidens est nos edoceri indè Deum aliquibus, vel omnibus Electis properare mortem, illosque educere de hoc sæculo nequam, ne cadat: (quandoquidem, vt ibidem habetur, *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum*, quamuis adhuc, *sine malitia*:) quia *placita erat Deo anima illius*: hæc ergo complacentia Dei de illius anima assignatur, vt causa, vndè Deus properauit illi mortem, & eduxit de medio iniquitatum: de hac Dei efficaci complacentia, quæ transit ad talia opera, percontor, quod nam habeat obiectum? non enim potest esse pura complacentia de natura animæ, quæ Deum moueat ad dona supernaturalia, vt nimirum iustus conseruetur, & non cadat de sua iustitia: nam causa finalis non mouet ad media improportionata; necesse ergo est, vt sit complacentia de anima, ut iam supernaturalizata per aliquod donum, quod reddat illam proportionatum obiectum complacentiæ specialis, & supernaturalis; vel ergo sermo est de complacentia Dei erga animam habentem iam gratiam, & opera meritoria, quæ, ne, cadens, perdat, Deus illi properat mortem, ac de medio eripit iniquitatum: vel de complacentia animæ prout iam prædestinatæ ad gloriam, pro cuius executione properatur illi mors, & soluitur ab iis, quæ id possent impedire. Si hoc secundum iam habeo intentum. Si ergo probabo non posse dici primum, remanet inconcussè firmatum nostrum assertum: id autem sic ostēdo: nam cùm iustus dicitur rapi ex hoc mundo, quia placita erat Deo anima illius, vel hic raptus debetur illi ex præcedenti gratia, & opere bono, in quibus est: vel gratuitus, & pendens à sola Dei largitate, non à gratia iam existente in iusto, & meritis. Primùm dici non potest, quia aliàs cùm etiam Reprobi non semel sint in gratia, & operentur benè, deberetur eis cōseruatio gratiæ, & meriti: & Deus, non illos rapiens, operaretur iniustè. Si verò dicatur secundum; ergo talis Dei complacentia antecedit meritum gloriæ: cùm meritum gloriæ non sit, nisi meritum perseuerans finaliter, & hæc perseuerantia sit ex gratia rapiente iustum: vt autem ita antecedens debet esse de anima vt supernaturalizata; ergo de anima, vt eleuata ad gloriam,

1119 Respondere quis posset, quòd sicut gratia faciens operari benè, est volibilis in Reprobis aliquando ratione sui, vel ex alio fine, quàm dandi illis gloriam: ita potest à Deo ex alio fine, quàm ex fine gloriæ esse volita eiusdem conseruatio, atque ita ex tali complacentia de gratia, non debita, sed gratuita, potest Deus gratis alios rapere, ne eâ perdant, præciso fine gloriæ: alios non rapere.

1120 Contra est: nam quamuis tum gratia, tum eius conseruatio sit ex se à Deo volibilis præciso, modo dicto, fine gloriæ: ex contextu tamen verborum Scripturæ, iam allatæ, liquet non agi ibi de gratia præciso fine gloriæ, sed de gratia ipsa, vt ordinata ad finem gloriæ; ergo complacentia illa de gratia, antecedens, & causans meritum finale non præscindit, imò respicit gloriam, tamquam finem. Antecedens probo. quandoquidem prædictum caput quartum ita incipit, *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, &c. Cùm præsens est, imitantur illam; & desiderant eam, cùm se eduxerit; & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorũ certaminum præmium vincens, &c.* Non agitur ergo de casta generatione per gratiam secundùm se, vel præciso fine gloriæ, sed vt coronanda gloriæ præmio, & ad hæc subiungitur, *Iustus autem, si morte præoccupatus fuerit, &c.* Insuper conuerso deindè sermone ad Reprobos dicitur, *Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus*, de fine eiusdem raptus est sermo, ac de præmunitione per ipsum, quem Reprobi in hac vita non intelligunt, sed intelligent post mortem, & tunc dicent, *Nos insensati vitam illorum extimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Sors ergo inter Sanctos erat finis illius raptus. quem in hac vita non agnoscebant Reprobi, & indè Deus per raptum eos munierat, ne transuerterentur eorum sensus. Rursus dum dicitur. *Consũmatus in breui expleuit tempora multa*, euidẽter ostenditur, quòd non de gratia secundùm se, vel alio fine, quàm gloriæ, subditur, *placita enim erat Deo anima illius*: nam gratiæ conseruatio gratuita, & pendens à solo Deo, non habet, in quo potuerit consumere in breui tempora multa, sed solùm habet tempora in ordine ad magis, vel minùs merendum: vel in ordine potiùs, vt breuiori via perueniret ad finem gloriæ, qua longiori tempore caruisset, si non fuisset iustus immaturè raptus.

1121 Secundò idem ostenditur ex illo Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*: vbi Christus discipulos adhortabatur, ne timorẽ nõ habendi necessaria temporaliter, præponerent horum curam amori Regni cœlorum, vt patet ex his, quæ præcedunt: ita namque habetur, *Nolite quærere quid mãducetis, aut quid bibatis: hæc enim omnia gentes mundi quærunt: Pater autem vester scit, quoniam his indigetis: quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adycientur vobis*; & deindè subditur, *Nolite timere*, vt supra: siue tamen Christus præfatum timorem, siue timorem non consequendi gloriam voluerit excutere à discipulorum cordibus, euidẽs est, quòd timorem excutere voluerit, tamquam perniciosum fini consequendi gloriam: & cuius excussio medium est ad eius consecutionem: atqui ad hunc excutendũ timorem ponitur à Christo, tamquam causa motiua, complacentia Patris, quâ sibi complacuit dare eis Regnum; ergo hæc voluntas præcessit in Patre ad futuritionem mediorum: non præcessit autẽ ordine executionis; ergo ordine intentionis.

1122 Neque hic dici potest sermonem esse de voluntate promissoria: quandoquidem non loquitur Christus ad omnes, sed ad specialem, & pusillum gregem Electorum, vt distinctum, & separatum à gentibus mũdi, quæ quærunt temporalia; ergo non loquitur de voluntate promissoria, quæ se extendit ad omnes, sed de efficaci restricta ad solos Electos; & ideò indefinitè locutus est, nominando pusillum gregem, non autem signando eos, cum quibus loquebatur, inter quos erat Reprobus Iudas, & forsan alij.

1123 Tertio idem probatur ex illo Actorũ 13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Quibus in verbis significatur fides actualis, ordine executionis exercita, tamquam effectus præordinationis, seu anterioris ordinationis eorsidem fidelium ad vitam æternam, & consequenter ordinationis via intentionis, non via executionis, secundùm quam vita æterna subsequitur, non antecedit actualem fidem.

1124 Respondent aliqui primò in præfato loco nomine vitæ æternæ non intelligi gloriam, sed fidem, quæ dicitur vita æterna radicaliter quantùm est ex parte sui, nisi aliunde suo effectu frustretur; atqui ita sensum esse, Crediderunt, quotquot erant Prædestinati per gratiam ad credendum.

1125 Sed sensus iste est valdè alienus ab eo, quem, eadem verba explicans Augustinus in libro de Correct. & Grat. cap. 6. illis tribuit,

buit: ait namque, *Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseuerantiæ dono, quandoquidem qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit?* An etiam hìc dicent isti sermonem esse de radicali salute per fidem; sensus ergo esset, qui perseuerauerit vsque in finem, hic credet, quasi fides supponat perseuerantiam, & non potiùs perseuerantia supponat fidem: erit ne aliquis ita stolidus, qui hunc sensum præbere possit verbis Augustini? Rursus non potest fides dici vita æterna, nec radicaliter, nisi de facto causet vitam æternam: fides namque sine operibus mortua dicitur ab Apostolo; & non vita, licèt defectus sit operum non eiusdem fidei; non potest ergo fides dici vita æterna, nisi vt annexa cum gloria: atqui fides vt actualis, & via executionis, antecedit, non subsequitur vitam æternam; ergo dum dicitur fuisse, vt æterna præordinata, æternitatis denominationem habet ex præordinatione gloriæ, qua fides euadit æterna in effectu, licèt non in se: non verò ex executione gloriæ, quo modo fides, vt præcedens, non esset æterna.

1126 Respondent alij secundò, cum quibus Pater Maignan cap. 41. num. 13. in præfato loco agi de præordinatione gratiæ, præuisę habiturę effectum fidei, quę dicitur vita æterna causaliter, quatenus causat opera meritoria vitę æternę: & sensum esse, crediderunt, quotquot erant præordinati Dei voluntate habituri gratiam, præuisam cum opere meritorio vitæ æternæ. Et addit Maignan, quòd si præfata verba essent de preordinatione vitæ æternæ in se, sequerentur duo absurda: vnum est, quòd per illa reuelatum fuisset omnes, qui tunc crediderunt, fuisse Electos, quia præordinati fuerant in vitam æternam. Secundum est, quòd, nullus deindè ex illa gente in futurum crediderit, quoniam tùc crediderunt omnes, quotquot fuerant in vitam æternam preordinati.

1127 Contra est, tum ex dictis, quia nimirum ista explicatio est valde aliena à sensu Augustini. Et quia gratia etiam, vt habitura effectum temporalis est, non æterna, nisi vt coniuncta cum effectu gloriæ; si ergo, vt præordinata, dicitur ęterna, debuit preordinari cum effectu vitæ ęternę: tum etiam, quia pura præscientia obiecti, nisi præsupponat, vel ei saltem addatur voluntas dispositiua, non est ordinatio, sed cognitio ordinis iam suppositi; ergo nisi Deus preuoluerit efficaciter ordinem gratię ad opus, & operis ad ęternam vitam, non starent illa verba, *quotquot erant præordinati ad vitam æternam*: nec enim hic agitur de ordinatione inefficaci, cùm talis ordo fuerit respectu omnium: Deus namque vult omnes homines saluos fieri ordine inefficaci, & non eorum dumtaxat, qui tunc crediderunt; ergo in præfatis verbis sermo est de preordinatione efficaci, non verò de sola inefficaci. Hinc autem non sequuntur, quę à Patre Maignan inferuntur absurda: sicut namque commune dogma est Catholicorū contra Lutheranos, & Caluinistas, quòd quandocumque in Scriptura fit mentio de sola fide, tamquam saluante credentes, sermo est de fide viua, & consummata per opera, non autem de præcisa fide: ita in loco adducto per illam particulam, *crediderunt*, significantur fides viua, & consummata per perseuerantiam operum: qui autē ex illis, qui tunc crediderunt, habituri fuerint talem fidem consummatam, solus Deus nouit. Rursus præfata verba non appellabant super omnem gentem illam, sed dumtaxat super eos, qui aderant prædicationi Pauli: & de his dicitur, quòd crediderunt, quotquot erant preordinati ad vitam æternam, quòd verò respectu horum paucorum nullus alius deindè fide viua crediderit, præter eos, qui tunc crediderunt, nullum prorsus includit absurdum.

1128 Quartò ex illo ad Romanos 8. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit illos, & glorificauit.* Quę verba concludunt, ita euidenter Prædestinationem ad gloriam precedentem preuisionem meritorum, imò, & prædestinationem gratię: & deindè subsequi ordine executionis, vt mirer per ea non conuinci quemlibet Catholicum. Notanda in primis namque sunt illa verba, *quos præsciuit, & prædestinauit*: non enim pro tò, *præsciuit*, potest intelligi præcisa prescientia media, vt falsò vsurpant aliqui, quandoquidem falsum est, quòd quos Deus prȩsciuit scientia media benè operaturos, illis præordinauit, & predestinauit media, vt ita operentur: etenim, si in Tyro, & Sidone facta fuissent signa, quæ facta fuerant in Corozain, & Bethsaida, egissent vtique, vt habetur Matth. 11. magnos fructus pœnitentiæ, & tamen non fuerunt ita prædestinati. Nec enim potest quis dicere particulam illam, *quos*, esse restrictiuam non commensuratam toti suo antecedenti substantiuo, quasi sensus sit, *nam*, ex iis, *quos præsciuit, & prædestinauit, &c.* non verò, vt illos omnes, quos prȩsciuit, predestinauerit. Qui enim ita dicere auderet, conuinceretur

uinceretur extortor, nõ inquisitor veritatis Scripturę: pręfata namque verba his annectuntur, *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*: vt ergo ostenderet, quòd vocatis secundùm propositum, omnia cooperentur in bonum, & consequenter secundùm propositum efficax, & diuersũ ab illo proposito, secundùm quod Deus vult omnes homines saluos fieri, subiungit Apostolus, *nam quos præsciuit, & prædestinauit*: si autem sensus esset, nam ex illis, quos præsciuit, & prędestinauit: non ostenderet efficacitatem propositi, vi cuius omnia cooperentur in bonum, sed puram pręscientiam cooperationis omnium: tum quia, cùm secunda ad Timotheum 2. ait Apostolus, *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognouit Dominus, qui sunt eius*, per tò, *cognouit*, non significatur sola Dei scientia, sed scientia ex se practica includens voluntatem Prędestinationis, aliàs merita essent ex nobis, & non per gratiam. Cùm item ait ad Romanos 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*: in illo, *præsciuit*, includitur etiam Prædestinatio, ideò namque non repulit, quia prædestinauit; ergò cùm ait, *quos præsciuit, & prædestinauit*, de eadem præscientia loquitur: non de præscientia media, quæ ex se non est efficax. Rursus considerandus, atque inquirendus est sensus perfectus in prædictis verbis, ne quis dicat idem esse præsciuit, quòd prædestinauit, quasi duplici vocabulo significata fuerit prædestinatio gratiæ efficacis: nisi nãque aliud esset, *præsciuit*, aliud, & *prædestinauit*, sensus esset suspensus, & imperfectus: quoniam relatiuum, *quos*, supponit suum antecedens, & verba illa hunc includerent sensum, nã illos, quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: vbi, nisi antecedens, *illos*, sit passiuum verbi, *prædestinauit*, deberet expectare aliud verbum: est autem sensus perfectus huiusmodi, nam illos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, &c: quos ita præsciuit, seu in sua præscientia proposuerat fieri: prædestinare enim, vt sæpè dixi ex Augustino est præscientia, & præparatio mediorum ad finem intentum; ergo prædestinare aliquos, vt conformes fiant imaginis filij sui, est ordinare media, vt tales fiant, qui fuerunt ita præuisi, seu propositi fieri: & hic est ordo intentionis finis, & electionis mediorum: ad quem subiungit ordinẽ executionis in præfato loco Apostolus dicens, *Quos autẽ prædestinauit: hos, & vocauit: & quos vocauit, hos, & iustificauit: quos autẽ iustificauit illos, & glorificauit.*

1129 Ex his ergo, euidens fit hunc esse verborũ Apostoli verum, & germanum sensum: diligentibus Deum, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti, omnia cooperantur in bonum, *nam quos præsciuit*, hoc est proposuit saluandos, his secundùm propositum prædestinauit, seu præordinauit, atque elegit proportionata media, sicut loquitur idem Apostolus ad Ephesios primò, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesũ Christũ in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ*: vbi apparet Prædestinationẽ gratiæ adoptiuæ supponere propositum, cui conformatur: quos autem Deus proposuit saluandos, & ad hunc finem præordinauit media proportionata in electione in Christo ante mundi constitutionem, vocauit deindè in tempore vocatione proportionata proposito: & quos ita vocauit, in tempore iustificauit, fecit videlicet iustè operari, & quos ita operari fecit, tandem glorificauit, dedit nimirum gloriam, quam proposuerat in Christo ante mundi constitutionem dare. Audiatur Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 17. *Electi sunt itaque*, ait, *ante mundi constitutionẽ ea Prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit: Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinauit, impleuit*: ecce duos ordines, vnus intentionis, quo intenditur, sed non ponitur executio: alter executionis, quo id, quod fuit intentum, impletur, *Quos enim*, subsequitur, *prædestinauit, ipsos, & vocauit, illa scilicet vocatione secundùm propositum*: secundùm quod quæso propositum, gratiæ, an gloriæ? si gloriæ; ergo etiam ad vocationem, & multò magis ad meritorum præscientiã præcedit propositum gloriæ, cui conformetur vocatio: si gratiæ quid ergo? Reprobos non vocat Deus? aut non vocat secundùm, quod proposuit vocare? cùm ergo de vocatione speciali Electorum loquatur Augustinus, de qua dicit, *Non ergo alios, sed quos prædestinauit, ipsos & vocauit: nec alios, sed quos ita vocauit, ipsos, & iustificauit: nec alios, sed quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos, & glorificauit*, necesse, est, vt specialis vocatio Electorum aliquod speciale propositum supponat, nimirum efficax propositum gloriæ, quod non habet Deus respectu omnium, sicut respectu omnium habet efficax propositum dandi, saltem gratiam sufficientem ad benè operari: & huic speciali proposito dicatur, præ vocatione Reproborum, cõformis. Ex quo patet, quàm malè particulam

culam illam ; *præsciuit*, explicent aliqui de præscientia meritorum cum merita subsequantur, non præcedant Prædestinationē omnem gratuitam ; si ergo Apostolus indè probat omnia Electis cooperari in bonum, quia Deus eos priùs præsciuit, & indè prædestinauit, præscientia hæc antecedit cooperationem omnium in bonum ; ergo etiam præcedit præscientiam meritorū finalium, quæ supponunt concausas operantes in bonum, vt iam absolutè futuras vi Prædestinationis intentiuæ, ad quam deindè subsequitur ordo executionis vocātis, iustificantis, glorificantis

1130 Quintò tandem ex eodem Apostolo ad Romanos 9. vbi simul mentionem facit Apostolus de Reprobatione damnandorum propter peccatum per illa verba, *Quòd si Deus, volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt*, ait, non quæ perienda erunt, in *perditionem* ; & deindè de præparatione gratiæ, non alio fine proximo, nisi gloriæ, in illis verbis, *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*. Dum ergo Deus Prædestinatione sua misericorditer præparauit, gratiam suam subleuantem, de qua subiūgit, quod per eam *Vocauit non solùm ex Iudæis ; sed etiam ex Gentibus*, non eam præparauit alio fine, prescindendo à gloria, sed ex ipsomet fine gloriæ; cùm ergo intētio efficax finis sit causa, vt eligantur media, efficacia ad finem, euidens est ex Apostolo, quod propositum gloriæ, respectu quorum Deus miseretur, est ratio, & motiuū, præparandi, & prædestinandi iisdem defacto media apta, & efficacia, quibus certissimè liberentur, quicumq; liberantur, iuxtà Augustini phrasim.

1131 Probatur secundò eadem assertio ex sensu Augustini : & quidem iis dumtaxat locis, quæ, vt notaui numero 1099. explicitè sunt de Prædestinatione gloriæ, tamquam causantis merita, relictis omnibus aliis, quæ vel excludunt præcedentia merita naturalia, & extra propositum à propugnantibus nostram assertionem adducuntur ad excludendam præcedentiam meritorum ex gratia : vel facillimè possunt explicari de Prædestinatione sola gratiæ. Vt tamen efficaciam, atque euidentiam locorum, quæ adducam, non eludant Aduersarij, singillatim quemlibet eorum discutere, & examinare conabor.

1132 Primus ergo sit ex libro de fide ad Petrum cap. 3. vbi sic habet ; *Quia tales prædestinando præparauit, vt Regno digni essent, præparauit vtique secundùm propositum vocandos, vt obediant : præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & benè viuant ; præparauit etiam glorificandos, vt Christi cohæredes effecti, Regnum Cælorum sine fine possideant*. Vbi euidenter Augustinus non solùm exercitium omnis gratiæ, & meritorū docet habere pro fine Regnum Cœlorum, verùm etiam ipsam Prædestinationem, & præparationem gratiæ, dum ait, quia tales prædestinando præparauit, vt Regno digni essēt; voluntas autem finis præcedit electionem mediorum ; ergo voluntas dandi gloriam ex Augustino præcessit in Deo Prædestinationem, & præparationem mediorum, quibus Electi fierent tali gloria digni.

1133 Sed occurrunt Aduersarij dicentes nomine Regni Cœlorum, non intellexisse Augustinum ipsam gloriam, & Regnum in se, sed in semine, scilicet in gratia, quæ ius dat ad idem Regnum : & quia voluit tales fieri filios adoptiuos per suam gratiā habitualem, præparauit illis, & prædestinauit media, &c.

1134 Sed hanc respōsionem esse ex propria Aduersatiorum præcisa voluntate, non ex sensu Augustini præcitata verba indicant: illud namq; idē, quod cōcisis verbis adstruit Augustinus, dicens, *Quia tales prædestinando, præparauit, vt Regno digni essent*: clariùs deindè, & causalitatem finis in media, & horum causalitatem in finem simul ostendendo, explicat : sicut namque, cùm dicimus medicinam sumo, vt sanitatem acquiram, simul explicamus amorem sanitatis nos mouere ad medicinā, vi cuius deindè sanitatem acquiremus: ita easdem rationes causarum explicat Augustinus, cū ait, *Præparauit vtique secundùm propositum vocandos, vt obediant* : hic innuit primam præparationem gratiæ in ordine ad subijciēdam voluntatem rebus obscuris fidei : *præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & benè viuant* : & hic indicat totam præparationem gratiæ, etiam vsque ad finē, propter rectam fidem, & bona opera : *Præparauit etiam glorificandos, vt Christi cohæredes effecti, Regnum Cœlorum sine fine possideant*. Nōne gratia habitualis est filiatio adoptiua, per quam simus filij, & heredes, heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, dans filijs ius ad Regnum, sed non per eam præcisè possidemus Regnum ? Ecce ergo præparauit tandem Deus gratiam habitualem, vt cohæredes Christi effecti nō possideamus ipsam gratiam, quæ est ius ad Regnum : sed possideamus ipsam hereditatem gloriæ, sine fine duraturam. Vltimū autē in executione finis est, qui est primus in intentione. Relinquo hic, quod sæpè

dixi,

dixi, nimirum gratiam habitualem non esse ratione sui æternam, cùm defacto deperdatur per subsequens peccatum; nec potest dici regnum æternum, & multò minùs possessio æterni regni, nisi actù sit cum illo annexa: ergo, si opera bona habent pro fine gratiam istam, vt æternam promissionem regni, multò meliùs habent pro fine ipsum regnum gloriæ in se, tamquam præintentum à Deo, præparatè propter ipsum reliqua.

1135 Secundus autem locus fit ex libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 20. vbi, referens doctrinam quamdam, quam dederat in libro de Correctione, & Gratia cap. 14. quòd Deus nimirum inclinet hominũ voluntates, vt faciant quæcumque ipse voluerit, pro quo attulerat exemplum de immutatione, quam tribuerat voluntati Hebræorum, vt constituerent priùs Saulẽ, deindè Dauidem Regem: & quod Massilienses respondissent talia exempla de regnis temporalibus non esse ad propositum, vt probetur Deum inclinare corda hominum pro adipiscendo cœlesti regno: sic, talem responsionem refutans, ait, *Sed puto propter regnum Cœlorum, non propter regnum terrenum, esse dictum, inclina cor meum Deus in testimonia tua: à Domino gressus hominis dirigentur, &c. Audiant hæc, & alia quæcumque non dixi, quibus ostenditur Deus ad regnum etiam Cœlorum, & ad vitam æternam parare, & conuertere hominum voluntates.* Et deindè, *Cogitate autem quale sit, vt credamus ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum: & ad capessendum regnum Cœlorum homines operari voluntates suas:* sicut autem discurrẽs Augustinus exemplo regni terreni relatè ad Saulem, & Dauidem, de Deo agit inclinante corda Hebræorum, non propter alium, nisi propter finem dãdi illis terrena regna: & non in solo semine, vel iure, verùm etiam in actuali possessione ipsius regni in se: ita discurrens paritate de acquisitione regni cœlestis, de Deo agit inclinante, & parante corda hominum, nòn ex alio, sed ex fine ipso dandi iisdem, quibus tamen voluerit ex sua misericordia, regnum Cœlorum: & non in solo semine, & iure filiationis, verùm etiam in actuali possessione eiusdem regni in se: aliàs paritas Augustini non parum claudicaret: afferret namque exemplum de aliquo, quòd Deus intenderet, vt finem, propter quem inclinaret hominum voluntates, ad probandum, quòd etiam inclinat hominum voluntates ad id, quòd Deus non intendit, vt finem, sed ab eo præscindit.

1136 Tertius fit ex libro de Correctione, & Gratia cap. 7. *Illi ergo Electi, vt sæpè dictum est, qui secundùm propositum vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti: horum si quispiam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quispiam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus: Electi sunt autem ad regnandum cum Christo, non quomodò Electus est Iudas ad opus, cui congruebat.* Ex quo loco euidenter patet loqui Augustinũ de regno Cœlorum in se, & de vita æterna, non in solo semine gratiæ, sed etiam in se ipsa: de Electis namque non potest vniuersaliter dici, quòd nullus eorum perit de vita gratiæ, cùm plures ex Electis peccauerint, & gratiam aliquando amiserint. Nec, qui perit aliquando vita gratiæ, propterea potest dici filius perditionis, & non promissionis, nisi etiam perdat in æternum gloriam in se. Videant autem de qua morte loquatur Augustinus in prædictis verbis ex iis, quæ habet cap. 9. dum, tangens eadem relata sua verba, ait, *Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis*; ergo loquitur de morte perditionis, quæ dicit casum æternum à gloria, & nõ à sola gratia, præcisa gloria. Quod si dicant Aduersarii loqui Augustinum de Casu à gratia finali, qui est casus perditionis, qua morte nullus Electus perire potest. Ridiculè certè respõdebunt: nam petam ab ipsis, quare Electus perire potest à gratia anteriori, & non ita à gratia finali; cùm gratiæ habituales sint eiusdem rationis, imò eadem, quæ fuit antea, & perseuerat vsque ad mortem, dicatur deindè finalis: hæc autem poterat ab Electo deperdi ante mortem, sed non cùm fit finalis, nisi quia, vt finalis annexam habet gloriam, constituentem creaturam rationalem impeccabilem? tota ergo impotentia periendi nascitur ex voluntate Dei dandi gloriam, vel ex ipsa gloria annexa: vndè gratia finalis dicitur inamissibilis non ex se, sed ratione gloriæ annexæ. Redeo ergo nunc ad verba Augustini. Nemo ex Electis per Augustinũ perire potest, non solùm à vita gratiæ finalis, sed specialiter à vita gloriæ, vt si quis periret, falleretur Deus, vitio humano vinceretur Deus; ergo supponit ante præscientiam operum voluisse suis Electis vitam gloriæ. Patet consequentia: nam, si non supponeret talem voluntatem efficacem respectu Electorum, nõ sequeretur ex eorum morte falli, vel vinci Deum, sicut non id sequitur respectu Reproborum morientium, quibus non est talis vita præuolita.

1137 Obijcit sibi hunc locum, sed nimis siccè, Pater Vasquez, atque respondet agere Augustinum in eo de electione ad gratiam, quæ etiam dicitur regnum Cœlorũ & vita æterna in semine, siue in iure. Non verò de electione ad gloriam: quòd indè patet, ait, quia in toto illo capite agitur de electione ad gratiam.

1138 Sed, si hoc esset soluere argumenta, vt dicatur quidquid placuerit, iam actum esset de scientijs, & de quacumque stabili, ac solidissima doctrina. Quid ne solam rationem electionis sibi obtulit cõsiderandã in præfatis verbis Vasquez, quasi non alia protulerit verba Augustinus, nisi, *Illi ergo Electi, qui secundùm propositum vocati*: reliqua verò, *qui etiam prædestinati, atque præsciti: horum si quispiam perit, fallitur Deus, &c.* silentio prætereunda fore iudicauit? An indè id potius fecit, ne in primis appareat conformiter ad Apostolum loqui Sanctum Doctorem, distinguendo Prædestinationem, & electionem gratię à precedẽti præscientia, *nam quos præsciuit, & prædestinauit, &c.* atque ideò prædestinauerit, quia præsciuerit, *non enim repulit*, aut repellere deindè poterat, *Deus plebem suam, quam præsciuit*? Rursus quem latet sæpè prędestinatos aliquos periisse de vita gratiæ per peccatum: vt quid ergo ait Augustinus, *horum si quispiam perit, fallitur Deus, &c.* si de sola vita gratiæ loqueretur? an recursum habet Vasquez ad gratiam finalem, quasi quòd ista non sit eadem, vel non eiusdem rationis, & solùm ratione annexę gloriæ inamissibilis? Ac tandem numquid Iudas numquam fuit in gratia, vt in semine regnauerit cum Christo, licèt non in effectu, quoniam iam non conseruauit finaliter? si ergo de solo regno in semine locutus fuisset Augustinus, quid est, quòd dicit, *non quomodò Electus est Iudas ad opus, cui congruebat*, non verò, vt regnaret cum Christo, sicut reliqui Apostoli? Nec mirum, quòd agens Augustinus in prædicto capite de electione ad gratiam, plura etiã commisceat de Prædestinatione ad gloriã: cùm enim electio gratiæ, de qua in toto illo libro agit Augustinus, sit specialis, & Electorum, & hæc gratia sit medium ad gloriam, tamquam in finem, medium autem sit volitum propter finem, congruum erat, vt agens de medio, aliquando tangeret finem.

1139 Quartus locus sit ex capite 9. eiusdem libri, vbi habet, *Hi ergo Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati, & secundùm propositũ vocati, quorum nullus perit: ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus, finit hanc vitam: quoniam sic est ordinatus, & ideò Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitam æternã.* Vbi euidenter patet non indè prędestinatos non perire, & vitam habere æternam, quia quilibet eorum in bono finit hanc vitam: sed econtra, quia sic est ordinatus, vt non pereat, sed habeat vitam æternam, per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam. Neque hic locus vllus datur, vt fiat recursus ad vitam æternam in semine: nam etiam hæc ponitur per Augustinum tamquam volita in ordine ad vitam æternam, vt ad finem: non enim, nisi per gratiam datur Christo prædestinatus, quia per hanc fit membrum viuum illius: cùm ergo dicit Sanctus Doctor, *Quoniam sic est ordinatus, & ideò Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitam æternam*, nonne de gratia, quæ est semen gloriæ agit, tamquam ordinata ad ipsam gloriam?

1140 Quintus locus sit ex cap. 13. eiusdem libri, vbi probans certum esse numerum Prædestinatorum taliter, *Vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis*: difficultatem ponit super verba illa Apocalypsis 3. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*: quo quasi videtur insinuari posse aliquem prędestinatum deficere, & alium in illius locum subrogari: & respondet hęc dici, non respectu Dei, cui certa sunt omnia: sed respectu nostri, quibus, etiam si prædestinati sumus, incertum est, an tales simus, volente Deo id prædestinatis in hac vita occultari, ad curandam elationem, quæ impediret, non proficeret ad prædestinationis vltimum finem acquirendum. Ecce Augustini verba, *Quod autem etiam perseueraturis Sanctis, sic ista dicuntur, quasi eos perseueraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent, quibus expedit, non altum sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium quamdiù in hac mortalitate viuitur, in numero Prædestinatorum se esse præsumat, quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Sathanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus? Hinc & Apostolis dicebatur, si manseritis in me, dicente illo, qui illos vtique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam, si volueritis, & audieritis, cùm sciret ipse, in quibus operaretur, & velle. Et similia multa dicuntur propter huius vtilitatem secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam, qui benè currunt, timeant, dum occultum est, quò perueniant.* Ex quo loco dupliciter conuincitur Prædestinatio gloriæ ante, & tãquam causa meritorum. Primò quidẽ, quia Deus vult occultari prędestinatis

natis

natis finem, ad quem peruenturi sunt, ad ipsis tollendum motiuum, vel occasionem superbiæ; ergo non ipsos prædestinauit, quia perseueraturos prauidit in bono, & non casuros: sed econtra, quia voluit eos peruenturos ad finem prædestinatum, noluit eos casuros: & ne caderent elatione, occultauit illis mysterium suę voluntatis, qua eos prædestinauit. Secundò, quia, si Prædestinatio esset ex præuisis meritis, præcipuè esset ex merito præuiso finali: qui autem præuisus est discessurus ex hac vita in bono, impossibile est, vt tali supposita scientia, deindè cadat; ergo nullum esset periculum elationis in eo, qui se tore prædestinatum sciret ex finali merito, & non præcisè ex meritis antecedentibus.

1141 Neque datur hic sententiæ oppositæ locus recurrendi ad Prædestinationem gloriæ in semine, seù gratia: quia ista est medium, non finis, ad quem tandem peruenire debet prædestinatus. Tum quia post præcedentia verba clarè se explicat Augustinus, quid Prædestinationis nomine intelligat, dum concludit, *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam vsque in finem perseuerantia, illic integer perducetur, & illic integerrimus, iam sine fine beatissimus, seruabitur, &c.* Vident ne Aduersarij non loqui Augustinum de peruentu ad gratiam, etiam finalem, sed de peruentu ad regnum beatitudinis in se, mediante gratia, & dono perseuerantiæ.

1142 Sextus tandem locus fit ex libro, in quo respondet ad 16. articulos, à Pelagianis ipsi falsò impositos, vbi in secundo loco prædicti hæretici Sancto Doctori attribuebant, quasi doceret, *Quòd Deus nolit omnes saluare, etiam si omnes saluari velint.* In his autem verbis non esse sermonem de sola salute in semine, sed præcipuè de salute æterna in effectu, nemo ambigere potest: si enim aliqua in his præcisio dabilis est, potiùs omnes appetunt salutem vitæ æternæ beatificantis, præscindendo à gratia, quàm salutem gratiæ, seu in semine, præscindendo à salute gloriæ. Sermo ergo est, saltem etiam de salute gloriæ in se, vt Deus nolit aliquos futuros in alia vita beatos, etiam si omnes appetant se tales futuros. Huic autem impositurae respondens Augustinus, non eam omninò negat, sed distinguit duplicem in Deo voluntatem saluandi: alteram efficacem, & de hac concedit nolle Deum saluare aliquos, volentes saluari: & econtra velle saluare quamplures, nolentes saluari: loquens deindè de inefficaci, negat omninò Deum nolle aliquem saluari. Ecce Sancti Doctoris verba, *Cùm veritas dicat, si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester cælestis dabit bona petentibus se, quomodò fieri potest, vt Deus, qui etiam illos saluat, de quibus dici non potest, quòd saluari velint, nolit aliquos saluare, qui etiam saluari velint, nisi aliqua causæ existant? De quibus, quamuis sint nobis incognoscibiles, ita tamen iudicat, de quo dici non potest aliter eum quidquam facere debuisse, quàm fecerit. Remota tamen ergo hac discretione, quam diuina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet, sincerissimè credendum est, atque profitendum Deum velle, vt omnes homines salui fiant: siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, sollicitè præcipit, quòd in omnibus Ecclesijs piissimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur, &c.* Ex quo loco ita Prædestinationē gloriæ ante merita conuinco: si Prædestinatio gloriæ, nec ordine intentionis præcederet merita, neminem Deus, nec vllo modo saluaret nolentem, quia non saluaret, nisi merentes, nemo autem meretur nolens, sed volens; cùm ergo Augustinus, respondens impositurae, asserat Deum sua voluntate discretiua, & efficaci saluare aliquos, de quibus dici non potest, quòd saluari velint, necesse erit dicere, quòd hæc voluntas saluandi antecedit voluntatē eorum, qui saluantur, taliter vt, non quia volentes, merentur, ideò Deus velit saluare: sed econtra, quia Deus vult eos saluare, adhuc nolentes, ideò ipsos faciat ex nolentibus volentes efficaciter, ac simul merentes.

1143 Dupliciter huic loco occurrere possunt Aduersarij. Primò dicendo, quòd Augustinus refutat in eo Pelagianos, qui docebant salutem acquiri per voluntatem, & meritum naturale, & Augustinus docet Deum saluare in semine per gratiam, etiam naturaliter nolentes, faciendo deindè volentes, & merentes, per gratiam discretiuam. Secundò dicere possunt, quòd etiam si Pelagiani loquebantur de salute in effectu, quia tamen eorum error fundabatur in negatione necessitatis gratiæ ad merendam salutem, Sanctus Doctor respondet destruendo priùs fundamentum erroris, & deindè consequenter docet salutem æternam, etiam dari ex se nolentibus, licèt nonnisi priùs gratia saluante fiant volentes.

1144 Sed ita respondere est satagere, quomodò verus Augustini sensus obtegi valeat, non quærere qualis re vera sit. Contra vtramque ergo responsionem vnico, eodemque euidenti medio insurgo: quia in præfato loco non impugnat S. Doctor Pe-

Pelagianorum errorem: sed imposturam, ipsi ab illis attributam, à se abijcere curat eo modo, quo erat impostura. Quoniam ergo Augustinus pluries docuerat non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis esse saluare, & liberare à massa perditionis mediante gratia efficaci subleuante, qui saluantur: ex his, vera falsis miscentes Pelagiani, imposturam struxerunt, fingentes, quòd Augustinus doceret à Deo esse, vt damnentur, qui damnantur, & non ex voluntate horum, dum Deus noluit eos saluare, licèt ipsi saluari voluerint. Hoc autem ex principijs Augustini machinantes conuicium, non poterant loqui solùm de voluntate naturali, sed præscindebant, volentes dumtaxat ostēdare, quòd per Augustinū Deus saluat, quos vult: reliquos verò idem Deus ex se nolit saluare, volentibus ipsis saluari. Et Augustinus respondet ex sua doctrina benè colligi aliquos voluntate discretiua Dei, etiam nolentes, saluari: reliquos verò omnes esse volitos saluos, non tamen simili voluntate discretiua, sed præcisè remittendo eorum arbitrio, vt saluentur, si velint, prout possunt, vi gratiæ sufficientis. Vndè non loquitur specialiter, nisi de voluntate saluante intentiuè finaliter, & non in solo semine, quando hæretici de illa, & non de hac imposturam construxerant.

1145 Probatur tertiò eadem assertio authoritate Angelici Doctoris, cuius doctrinā, & si Vasquez tertia parte cap. 7. fateatur suæ propriæ opponi, hic tamen disp. 89. cap. 12. conatur explicare: Angelicus ergo prima parte quæst. 23. articul. 4. in corpore ita ad intentum discurrit, *Dicendum, quòd Prædestinatiò secundùm rationem præsupponit electionem: & electio dilectionem. Cuius ratio est, quia Prædestinatio est pars prouidentiæ; prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem: non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vndè Prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundùm rationem, quòd Deus illorum velit salutem. Ad quòd pertinet electio & dilectio: dilectio quidem, in quantùm vult eis hoc bonum salutis æternæ: nam diligere est velle alieni bonum: electio autem in quantùm hoc bonum aliquibus præ alijs vult, cùm quosdā reprobet.* Tria ergo, in Prædestinatione distinguit Angelicus nempe ipsum formalē actum voluntatis Dei prædestinantis, & rationes dilectionis, & electionis, quas præsupponit: atque actū Prædestinationis dicit consistere in eo, quòd sit *ratio in intellectu existens præceptiua ordinationis aliquorum in finem*, quo pacto est dispositio, & præparatio gratiæ, & auxiliorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur: & ratio præceptiua, siue præparatio ordinandorum in finem, non præcedit ex Angelico, sed subsequitur ad voluntatem Dei de gloria, (quæ est dilectio, eò quòd est voluntas Summi boni tribuendi prædestinantis: est item electio, in quantùm ex omnibus hominibus aliqui eliguntur, relictis alijs,) vtpotè, quia, *non præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis.*

1146 Neque hic datur vllus locus explicandi Angelicum Doctorē de salute æterna in semine: loquitur nāq. de Prædestinatione, ordinante aliqua in finem, quam dicit presupponere debere voluntatem finis: gratia autē, quæ est salus æterna in semine, non est finis creaturę rationalis: quis autem sit hic finis, explicauerat Angelicus in articulo 1. in corpore his verbis, *Finis autem, ad quē res creatæ ordinantur à Deo, est duplex: vnus, qui excedit proportionem naturæ creatæ, & facultatem: & hic finis est vita æterna, quæ in diuina visione consistit:* & quis non videt, quòd semen, seu causa finis non habet rationem finis, sed medij ad finem, cùm finis sit ille, in quo sistit appetitus, siue motus?

1147 Totum hoc ipsum clariùs docuerat quest. 6. de Veritate artic. 1. in corpore, vbi, loquens de ipsa Prædestinatione, ita discurrit, *Dicendum, quòd destinatio, vndè nomen Prædestinationis assumitur, importat directionem alicuius in finem: & quantùm ad hac duo, Prædestinatio sub prouidentia collocatur.* Distinguens deindè Predestinationē à prouidentia duplicem assignat differentiam: vnam in quantum *Prouidentia dicit vniuersaliter ordinationem in finem: vndè se extendit ad omnia, siue sint rationabilia, siue irrationabilia: siue bona, siue mala: Prædestinatio autē respicit tantùm illum finem, qui est principalis rationali creaturæ, vtpotè gloriam.* Est ne hic vltra locus dicendi, quòd Angelicus loquatur de gloria in semine, cùm dicat, *finem, qui est principalis rationali creaturæ?* Sed legant, quid deindè dicat Angelicus, Aduersarij, assignando aliam differentiā, *Differt etiam, ait, alio modo: in qualibet enim ordinatione ad finem, est duo considerare, scilicet ipsum ordinem: & exitum, vel euentum ordinis: non enim omnia, quæ in finem ordinantur, finem consequuntur. Prouidentia ergo ordinem in finem respicit: vndè per Dei prouidentiam omnes homines ad beatitudinem ordinātur: sed Prædestinatio respicit etiam exitum, vel euētum ordinis: vndè non est, nisi eorum, qui glo-*

gloriam consequuntur. Prędestinatio ergo duo dicit, ordinem mediorum in finem, & positionem finis vi eorum, quæ ponit ipsamet Prædestinatio: *Sed ad directionem in finem*, subdit Sanctus Doctor, *praexigitur voluntas finis: nullus enim aliquid in finem ordinat, quem non vult*. Quis autem sit ille finis explicat deindè dicens. *Ad Prædestinationem verò duo sequuntur, scilicet consecutio finis, qui est glorificatio: & collatio auxilij ad cōsequendum finem.*

1148 Præterea sententiam Aduersariorum, prout in terminis ab ipsis defenditur, tamquam contrariam Scripturæ, & dictis Sanctorum, refutat Angelicus in eadem quæstio. artic. 5. in corpore, vbi probans, *Quòd ordo Prædestinationis est certus, non solùm respectu vniuersalis finis; sed etiam respectu particularis, & determinati: quia ille, qui est ordinatus per Prædestinationem ad salutem, numquā deficit a consecutione salutis: vndè*, subiungit, *difficile videtur concordare infallibilitatem Prædestinationis*, quòd nimirum vi Dei prædestinantis, qui est ordinatus ad salutem, non deficiat à salute, *cum libertate arbitrij*, quo liberè benè operando, liberè eamdem consequatur salutem: ita habet: *Non enim potest dici, quòd Prædestinatio supra certitudinem prouidentiæ*, secundùm quam, vt patet ex numero præcedenti, per Angelicum Deus ordinat omnes homines ad beatitudinem, *Nihil aliud addit, nisi certitudinem præscientiæ: vt si dicatur, quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut, & quēlibet alium: sed hoc de prædestinato scit, quòd non deficiet à salute: sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ euentus: & sic præscientia esset causa Prædestinationis, nec Prędestinatio esset per electionē prędestinantis*. Nonne, quod hic negat Sanctus Doctor dici posse, id ipsum affirmant Aduersarij? non enim de præscientia meritorum naturalium contra hæreticos agit hic Angelicus, sed de præscientia meritorum præsupposita respectu omnium vniuersali ordinatione Dei ad salutem, quæ non stat, nisi in præparatione auxilij, saltē sufficientis: & hunc modum dicendi adducit, quia ita non possit Dei Prædestinatione de salute, nisi post præuisa merita, videtur, præsupponendo iam libertatem exercitam, eā non offendere, prout videtur offendere certus ordo Prædestinationis ante præscientiam exercitæ libertatis? Sed vide vndè hunc dicendi modū refutat, *Quod est*, inquit, *contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum*.

1149 Tripliciter huic loco possunt occurrere Aduersarij. Primò dicendo, quòd refutet Angelicus in eo præscientiam operum independenter à Prædestinatione gratiæ, quam docebant Pelagiani, & Semipelagiani. Secundò, quòd etiam si loquatur de præscientia, subsequente ad Prædestinationem gratiæ, solùm refutet eos, qui nō admittunt specialem Prædestinationē gratiæ efficacis respectu Electorum præ Reprobis, ita vt quasi Deus æqualem omnibus preparet gratiam; & non vi diuinæ Prædestinationis discernantur Electi à Reprobis, sed ex propria libertate adiuti æquè, ac illi diuino auxilio. Tertiò tandem, quòd loquatur de efficaci Prædestinatione operis boni, & non de Prædestinatione gloriæ, probando nimirum, quòd ordo Prædestinationis bonorum operum sit certus vi voluntatis Dei, ea ordinantis efficaciter, & non sola præscientia: & ideò dicit, quòd sit difficile concordare Prędestinationem cum libertate creatæ voluntatis: gloria namque non est libera nobis, nisi ratione operū meritoriorū, nō verò ratione sui: vndè solùm sequitur fuisse à Deo Electis prædestinata efficaciter opera bona, & certa vi Prædestinationis, non verò dumtaxat præuisa: nullo autem modo, quòd gloria fuerit prædestinata ante præuisa merita per Angelicum Doctorem.

1150 Hęc tamen sunt adinuenta pro obtegendo germano Angelici Doctoris sensu, non autem in eiusdem Doctoris doctrina fundamentum vllum habentia. Primam ergo responsionem obruendo clarissimè iū ex verbis præciati textus, cùm ait Sanctus Doctor, *Vt, si dicatur, quòd Deus ordinat prędestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sed hoc de prędestinato scit, quod non deficiet à salute*; loquitur ergo de præscientia supponente ordinationem diuinam de prædestinati salute: non est autem ordo diuinus, sed figmentum, quòd per opera independentia à gratia dirigi possit quis ad acquisitionem salutis; ergo non loquitur de præscientia operum naturalium, sed de ea, quam quis posset tueri de operibus bonis ex sola Prędestinatione vniuersali, & omnibus communi. Tum ex his, quæ deindè habet articul. 6. in corpore, vbi quærens, vtrum Prædestinatio possit iuuari precibus Sanctorum, respondet, conformiter ad doctrinam, de qua agimus, non posse adiuuari ordine intentionis, secundùm quem Deus prædestinat independenter à meritis tum propriis, tum alienis: benè verò ordine executionis, in quo merita poterunt esse instrumenta executiua diuinæ

uinæ voluntatis: id autem nullo modo cōpetere operibus naturalibus liberi arbitrij, benè verò operibus gratiæ, quibus gloria, tamquam merces, & corona executioni mandetur, articulus est fidei contra Pelagianos, & Semipelagianos. Ecce verba Sancti Doctoris, *Respondeo dicendum, quòd Prædestinationem iuuari precibus Sanctorum dupliciter potest intelligi: videlicet vno modo, quòd orationes Sanctorum iuuent ad hoc, quòd aliquis prædestinetur: & hoc non potest esse verū, neque de orationibus secundùm quòd in propria natura existunt, quia temporales sunt, Prædestinatio autem æterna: neque etiam secundùm quòd existunt in præscientia Dei, quia præscientia meritorum, vel propriorum, vel aliorum, non est causa Prædestinationis, vt dictum est.* Notent Aduersarij tò, *vt dictum est*; quia se refert ad doctrinam, quam habet in præcedenti articulo 3. *Alio modo*, subsequitur, *potest intelligi prædestinationem precibus Sanctorum posse iuuari, quòd oratio iuuet ad consequēdum Prędestinationis effectum, sicut aliquis iuuatur instrumento, quo suum opus perficit: & sic est inquisitio de hac quæstione ab omnibus, qui Dei prouidentiam circa res humanas posuerunt, &c.* Cui deindè dubio post oppugnatos aliquorum errores respondet, *Et ideò est aliter dicendum, scilicet quòd Prędestinatio diuina numquam mutatur: sed tamē orationes, & alia opera bona valent ad consequendum Prędestinationis effectum, &c.*

1151 Ex quo etiam loco rursus patet Angelici sententia de Prædestinatione gloriæ ante merita, dum hæc asseritur causata per merita ordine executionis, non ordine intentionis, vt ideò Deus voluerit his gloriam, quia præuidit eorum merita. Quod, præclusa omnia via tergiuersationibus, post pauca ad dicta, replicat his verbis, *Dico igitur, quòd Prędestinationis effectus est salus humana, quæ à Deo procedit, sicut à causa prima: sed eius possunt esse multę alię causę proximę, quasi instrumentales, quę sunt ordinatę à diuina Prędestinatione ad salutem humanam, sicut instrumenta applicantur ab artifice ad effectum artis explendū. undè, sicut Prædestinationis diuinę est effectus, quòd iste saluetur: ita & quòd per orationes tales, vel merita talia saluetur.* Ad salutem ergo humanam, qui est effectus finalis Prædestinationis, applicantur tamquam causæ proximæ, & instrumenta expletiua, orationes, & merita, quibus Electi consequuntur salutem: causa autem applicatiua præcedit, non subsequitur illi rei, quā applicat; ergo Prædestinatio salutis antecedit præscientiam orationum, & meritorum, quæ non possunt præuideri, vt futura absque causa applicatiua eorum, quæ requiruntur ad futuritionem meriti: non verò subsequitur talem scientiā: aliàs, si meritum, vt futurum antecederet Prædestinationem salutis, iam non esset illius effectus, contra id, quòd dicit Angelicus, *Vndè sicut Prædestinationis diuinæ est effectus, quod iste saluetur, ita & quòd per orationes tales, vel merita talia saluetur.* Neque enim de duplici Prædestinatione hæc asserit Angelicus, sed de illa vna, & eadem, de qua, quia affirmat salutem humanam esse illius effectum, affirmat etiam per eamdem debere applicari causas proximas, tamquam instrumenta ad suum explendum effectum.

1152 Contra autem secundam responsionē patet tum ex modo dictis, quibus probatū est refutare Angelicum sententiam, quę docet merita esse causam Prædestinationis salutis ordine intentionis, & se refert ad ea, quæ docuerat in articulo 3. Tum quia in eodem 3. articulo loquitur Angelicus de certitudine infallibili, atque indefectibili effectus Prædestinationis, non verò de sola certitudine morali: hæc namque facilè concordat cum libertate arbitrij: sed difficultas est in cōcordāda infallibilitate consecutionis gloriæ, vt mercedis meritorum, cum fallibilitate, & contingentia liberi arbitrij ad eadem merita; si ergo ibidem habet Angelicus, *Vndè difficilè videtur concordare infallibilitatem Prędestinationis cum libertate arbitrij*, non agit solùm probando diuersam Prædestinationem gratiæ respectu Electorum à Reprobis, quæ non affert infallibilitatem, nisi moralem: sed efficacem Prædestinationem gloriæ, quæ omninò indefectibiliter affert futuritionem gloriæ.

1153 Contra tertiam responsionem non est hic multùm immorandum, cùm ex dictis pateat Angelicum Doctorē in præfato articulo 3. non distinguere Prædestinationem à prouidentia, quia hæc respicit ordinem operis liberæ voluntatis, non verò euentum, sicut respicit Prædestinatio: sed explicitè de Prædestinatione asserit, quòd, *Ille, qui est ordinatus per Prædestinationem ad salutem, numquam deficit à consecutione salutis*: de prouidentia autem vniuersaliter asserit, quòd *In prouidentia ordo non erat certus respectu peculiaris finis, nisi quando causa proxima necessariò producebat effectum, &c.* Non ergo agit præcisè Sanctus Doctor de Prædestinatione operum bonorum, sed præcipuè de Prædestinatione salutis æternę: sed quoniam hæc supponitur ex Sacra Scriptura prędestinata, vt merces operum bonorum, supponit etiam Angelicus prędestinata

nata opera ipsa in eadem Scriptura: & indè consequenter sequitur, quòd difficilè sit concordare Prædestinationem gloriæ, vt mercedis, cum libertate arbitrij: non verò formaliter, quasi de Prædestinatione meritorum ibi agat Angelicus, cùm in tota illa quæstione semper agat de Prædestinatione, prout respicit finem vltimum hominis, & non nisi consecutiuè aliqua tangat de Prædestinatione auxiliorum, & meritorum: præcipuè verò in præfato 3. articulo, quęrens, num Prędestinatio sit certa, dum ponit argumenta in contrarium, nullam prorsus mentionem facit de incertitudine futurorum operum bonorum, sed semper & in omnibus argumentis incertitudinem infert, pro sententia opposita, gloriæ, & salutis æternę; ergo de certitudine huius disputat ex professo, non de certitudine meritorum.

1154 Relinquo hic authoritatem Concilij Valent. cap. 3. dicentis, *Fidenter fatemur Prędestinationem Electorum ad vitam, & Prædestinationem Impiorum ad mortem: in electione tamen saluandorum Dei misericordiam pręcedere meritum bonum: in damnatione autem perituorum meritum malum pręcedere Dei iudicium*: eo quod firmiter credo agere Concilium contra errores Pelagianorum, & Semipelagianorum, obtundens pręcedentia merita ad misericordiam Dei subleuantis: non verò reprobans sententiam, contra quam agimus: eò quòd non dicit Concilium Prędestinationem vitę pręcedere meritum bonum, *sed Dei misericordiam*, quæ verba verificantur de miserente Deo per Prædestitionem gratiæ efficacis, sicut, *Dei iudiciū*, potest etiam benè proximè intelligi de Deo non ita subleuante per gratiam efficacem: vndè ex prælibatis verbis Concilij nihil pro difficultate, de quâ agimus, decerni potest.

1155 Relinquo etiam rationem quamdam Theologicam, quam aliqui adducunt in confirmationem nostræ conclusionis: nimirum, quòd magis reluceant Dei misericordia simul, & iustitia, atque scientia in prædestinatione gloriæ præcedente sciētiam meritorum, quàm si fuisset post eorumdem præuisionem: quandoquidem in illa componuntur respectu eiusdem glorię, quòd sit opus gratiosum ordine intentionis, & ex iustitia ordine executionis: in ista verò sententia gloria, decretata post præuisa merita, non esset ratione sui gratiosa, sed debita ex iustitia meritis, solùm autem esset gratiosa in causa, nimirum in collatione gratiæ, facientis operari, quæ tamen nō esset pręstita ex gratuita intentione gloriæ; ergo diminueretur ratio gratiæ, & beneficij. Relinquo quidem, quia, & si totum hoc verùm sit, quia tamen liberum est Deo quantam, & quomodò velit suam gratiam, & beneficia communicare creaturæ rationali, cùm defacto gratiam suam efficacem aliquando communicet Reprobis, & non ex intentione gratuita gloriæ: ideò qualiter defacto se gesserit Deus cùm prædestinatis, non ratione, sed authoritate Scripturæ, & Patrum possumus, & debemus venari.

§. VIGESIMVS TERTIVS.

Soluuntur Aduersariorum obiecta.

1156 OBijciunt primò contra nostrum assertum Aduersarij plurima Scripturæ loca, in quibus gloria asseritur danda ex meritis, qualia sunt Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum ab origine mundi: esuriui enim; & dedistis mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* Et in eodem capite, *Quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Eiusdem item 16. *Reddet vnicuique secundùm opera eius*. Ioannis 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Secunda ad Timotheum 6. *Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* Ad Galatas 6. *Quę seminauerit homo, hęc & metet: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Apocalypsis 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

1157 Respodeo ex ijs, quæ notaui in principio antecedentis §. adducta in argumento, & alia, quæ possunt innumera adduci similia Scripturæ loca, procedere de gloria, vt danda ordine executionis, non verò, vt volita, & ordine intentionis: secundùm namque ordinem executionis, etiā ipsa gloria ratione sui est gratia, iuxtà Apostolum ad Romanos 6. *Gratia autem Dei vita æterna*. *Quod Deus*, ergo, *velit alicui dare gratiam, & gloriam*, & non solam gratiam, vt habet Angelicus quæst. 6. de Veritate artic. 2. in corpore, *hoc ex mira liberalitate procedit: in his autem, quę liberalitate procedunt tantùm causa volendi est ipsa superabū dans affectio volentis ad finem: nec oportet*, prout

ut docet in responsione ad 9. *quòd ratio electionis, qua unum eligit, sit meritum*: quãuis ipsa gloria, quia fuit volita à Deo ex parte obiecti, tamquam præmium, & corona, nunquam sit executioni mandanda, nisi præsupposito merito, cui sit merces, & debita ex iustitia, pro cuius doctrinæ euidentiori dilucidatione.

1158 Noto ex eodem Angelico loco mox citato, certissimum esse voluntatem non agere, seu non velle, nisi ut motam aliquo fine: ad hunc tamen potest moueri, vel ex debito, quo pacto omnis voluntas necessitatur ad volendum suum proprium finẽ, etiam diuina: sed finis proprius voluntatis Dei non est, nisi sua vera intrinseca bonitas, quam de necessitate amat: in ordine verò ad operandum ad extra, ad nihil volendum Deus necessitatur; cùm sit perfectissimus, sine quocũque bono extra se; In hæc ergo non mouetur primò ab obiecto ex debito, cùm, sine Deo præuolente, nulla sit bonitas in obiectis extra se: sed ex pura sua liberalitate, qua se vult, alijs communicare, & se in opere suo manifestare; nihilominùs ex suppositione, quòd se vult ita liberaliter communicare, debitum cõtrahit ad ponenda media, vel ad ea applicanda pro executione finis voliti: hoc tamen debitum non tollit, etiam respectu mediorum, rationẽ liberalitatis, quoniam sicut poterat nolle finem, ita poterat nolle media: vndè stat simul liberalitas absoluta tum de fine, tũ de medijs: & necessitas ex suppositione voluntatis finis, ad velle, & ad applicãda media: sicut ad executionẽ finis, suppositis iam medijs: necessitas quidẽ orta ex Deo, volente liberaliter iam finem, nõ verò aliunde. Conformiter autem ad hæc potuit Deus liberaliter, & gratuitò velle creaturæ rationali gloriam, ut præmium, & coronam: quia hoc non tam bonum est in se, verùm etiam Dei perfectiones manifestat, nimirum bonitatem, liberalitatem, misericordiam, & iustitiam, sicut & scientiam, atque potentiam: quoniam verò gloria huiusmodi nõ potest haberi, nisi retribuenda sit meritis, & merita haberi nõ possunt, nisi voluntas creata sit adiuta supernaturali gratia, non potest Deus, illa præsupposita voluntate finis, nõ velle, sed ex debito tenetur vi suæ præcedentis voluntatis, & non aliunde, ad applicanda, quantùm ad se spectat, merita, & ponendam gratiam auxiliantem efficacem ad hoc, ut vi suæ eiusdem voluntatis executioni mandetur gloria, tamquam præmium, & corona, prout fuit volita: sed quia merita, respectu quorum gloria, iam volita, induere debet rationem mercedis, non sunt ponenda à solo Deo, verùm etiam per liberũ concursum creaturæ rationalis, ad Deum, ut volentem finem, pertinet eamdem naturam rationalem ita applicare, ut per eam infallibiliter sint ponenda merita. Ex hoc autem discursu euidens cuique fit, quòd tota Dei voluntas, & ut volitiua finis, & ut applicatiua creatæ voluntatis ad merendum, atque ut eamdem præparans sua gratia, futuritionem præcedit meritorum, estque consequenter gratuita, & liberalis tota, quanta est, ex parte sua: gloriæ autem executio, non quidem actiua, quæ non est, nisi eadem voluntas, præcedens adæquatè futuritionem meritorum: sed passiua, nõ erit, nisi positis iam meritis, quibus gloria retribuatur, ut merces. Ac proindè talia merita nullo prorsus modo mouent Deum, ut velit, siue gloriam, siue gratiam præparantem creaturam rationalem, sed dumtaxat se habent, ut instrumenta moralia, quibus sit debita executio passiua gloriæ, alias antecedenter, gratuitò, & liberaliter volitæ a Deo, & vi eiusdem voluntatis iam futuræ: sicut vi eiusdem, & gratia, & merita fiunt futura: imò etiam concursus ipse creatæ voluntatis, *qui de statu futuritionis conditionatæ transit vi Dei ad statum futuritionis absolutæ*, ut alibi probaui. Atque ita concludo, quòd omnia prærecensita, nimirum infallibilis futuritio gloriæ, & meritorum, sunt vi Dei, gratuitò ea volentis, & consequenter gratiæ: executio tamen ipsa gloriæ, tamquam coronæ, & mercedis, quia non est à solo Deo volente, sed etiam instrumentaliter à merito creaturæ rationalis, induit per hoc rationem aliquam debiti, & fit corona, non gratiosa dũtaxat, sed quoquo modo iustitiæ.

1159 Instabis ordo executionis gloriæ, ut præmij, & coronæ, est in tempore, & non ab æterno: sed præadducta loca Scripturæ, procedunt de Deo, ut retribuente præmiũ ab æterno, prout præcipuè patet ex primo loco, in quo dicitur regnum paratum ab origine mundi; ergo non possunt intelligi de ordine executionis.

1160 Respõdeo primò in nullo loco Scripturæ adducto, vel qui posset adduci, significari gloriam fuisse siue datam, siue volitã ab origine mundi pascentibus Christum, aut potum ei dantibus, &c. sed tales vocantur in tempore, ut executiuè glorificãdi, eò quòd operati fuerint benè. In primo autem adducto loco, in quo dicitur gloria parata ab origine mundi, uterque ordo intentionis, & executionis continetur: primus per illud participium *paratum*

ab

ab origine mundi: secundus per illa verba, *venite possidete*: sensus namque præfati loci Scripturæ est, venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum ab origine mundi: iam namque adimplevistis ea, quæ voluit Pater in vobis, tamquam media executiua regni, & finis præuoliti: esuriui enim, & dedistis manducare, &c. quia ergo fuerant isti benedicti à Patre, & paratum eis fuerat regnum, ideò Christo cibum, & potum dederunt: & indè postea executiuè vocantur ad executionem possessionis regni. Secundò dico, quòd perperam confunditur ab Aduersariis executio passiua regni cœlestis, cum executione actiua: cùm enim Deus agat per sua decreta, quæ sunt ab æterno, & immutabilia, agere Dei est immutabile, & ab æterno: solus autem effectus est in tempore: prout liquet ex Augustino tractatu 106. cap. 17. in Euangelium Ioannis, dum ait, *Qui enim certis, & immutabilibus causis omnia futura prædestinauit, quod facturus est, fecit*. Gloria ergo, vt data, vel danda in se Electis, est in tempore, sed donatio actiua Dei de eadem immutabiliter, & ab æterno fuit in Deo: vndè benè stat, quòd paratio Dei, etiam vt executiua ipsius gloriæ, quę non importat actualitatem mutationis eiusdem glorię, sed determinationem ex parte Dei, actiuè executiuam, dicatur fuisse in Deo ab origine mundi.

1161 Vrgebis tum ex Vasquez, tum ex Maignano: Deus ab æterno prędestinans, vel intendens aliquid, codē ordine, & lege, atque circumstantiis exequitur in tempore, aliàs executio esset diuersa ab intentione: sed gloriam Electis non aliter tribuit Deus, nisi post merita; ergo nec de facto voluit, & intendit, nisi post præuisa merita.

1162 Respondeo hos Authores, ita obijciētes, non reflexisse, quòd, si Deus velit ostēsionem suorum attributorum, & ex hoc fine creare creaturas rationales, illisque plura communicare bona, non indè, quia priùs vult ostensionem suorum attributorum, propterea etiam executiuè priùs se ostendit, & deindè producit creaturas rationales: nec item, quòd, qui vult pristinam recuperare salutem, & propterea vult scissionem venę: vt perseueranter velit, necesse est, vt priùs recuperet salutem, & deindè scindat venam: imò potiùs, quia perseuerat in voluntate recuperandi salutē, ideò priùs executiuè scindit venam, & deindè salutem acquirit. Quid ergo est, quòd inferunt isti, quòd, si Deus nō eodem ordine, & lege prioritatis, & posterioritatis intenderet, ac exequeretur, executio esset diuersa ab intentione, cùm potiùs essentiale sit causæ finali, vt quod est priùs in intentione, sit in executione posteriùs? Et ratio à priori est, quia finis non causat, vt in se existens, & tamquàm causa efficiens: sed vt cognitus, mouēdo ratione propriæ amabilitatis agens ad sui amorem, & positionē: at quia ponibilis non est, nisi per suas causas, & media, indè, quia amatur ipse, mouet idem agens ad volenda, & ponenda media, quibus causetur, & ponatur: vndè, quod in ordine mouendi agens, est prius & causat motionem ad cætera, in ordine deindè physicæ existentiæ in se est post cætera, & causatum ab illis.

1163 In forma autem ad argumentum distinguo maiorem, Deus intendens aliquid ab æterno, eodem ordine, lege, atque circumstantiis illud exequitur in tempore, quoad rationes causæ, & effectus, nego maiorem: nam intentio est causa mouens agens, non exequens: itē quod mouet ad aliud, est deindè causandum ab ipso, non causaturum illud. Eodem ordine, lege, & circumstantijs illud exequitur in tempore, hoc est per eadem in executione causari, quæ fuerunt in intentione volita, & non per quid noviter volitum, vel additū, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Iisdem ergo causis, & circumstantijs, quibus Deus voluit ab æterno causandum fore finem, exequitur deindè in tempore, sed non eodem ordine causarum: nam ordo intendendi est ordo causæ motiuæ, ordo verò exequendi est ordo causæ efficientis. Item in intentione media non semper sunt, sed finis aliquando mouet agens, vt ea ponat: in executione verò media ideò causant, quia iam sunt. Vndè ponderanda, & reflectenda sunt in materia, de qua agimus, verba aliqua æquiuoca, quæ, nisi benè pensentur, res cōfundunt, non explicant: qui enim vult finem, non illum vult exequendum sine medijs, sed ex medijs, siue per media, quę vel supponantur esse: vel, si non supponūtur, ponenda sint ab agente: dum verò exequitur, etiam per media, & ex meritis exequitur, sed quę omninò necesse est, vt supponantur: atque ita, etiam cū Deus vult gloriam, vt pręmium, & coronam ante præuisa merita, verissimum est, quòd Deus illam vult ex meritis, & per merita, sed quæ sint ponenda, vt deindè causent executiuè finem, non quę iam sint præuisa, vt iam extitura: quia enim Deus vult hoc modo gloriam, vult etiam, vt sint futura merita: non econtra, quia videt futura merita, vult gloriam, vt illorum premium,

& coronam: in executione verò, quia iam sunt merita, erit finis: non quia est finis, erunt merita; verum ergo est, quòd executio sit diuersa ab intentione quoad rationes causarum, & effectuum, sed non quoad aliquam nouitatem volitionum, vel causarum, aut circumstantiarum: imò si non esset ista diuersitas, idem esset executio, ac intentio, & non benè vna diceretur intentio, alia executio.

1164 Insurges. In Deo non datur diuersitas ordinis intentionis, & executionis, sicut datur in creaturis; ergo fuit tota responsio. Probatur antecedens: ibi datur talis diuersitas ordinum, vbi finis mouet agens per sui amorem ad volenda, & ponenda media: sed talis motio in solis creaturis mutabilibus datur, non in Deo immutabili; ergo. Probatur minor: motio ista amoris in agente, habita ex cognitione finis, vel necessariò mouet, & ita Deus necessitaretur ad amandum hominibus gloriam suam, quòd est chimericum: vel liberū relinquendo Deum, vt amet, aut nō amet talem finem: & hæc non sufficit ad diuersitatem ordinis; ergo in Deo non datur motio, quæ inducere possit diuersitatē dictam ordinum intentionis, & executionis. Secunda pars antecedentis probatur: Deus, vt liber, non potest moueri passiuè, sed solùm actiuè, vndè communiter dicitur Deus non moueri ab obiectis extra se, sed per se ipsum se actiuè mouere ad illa; ergo solùm habere potest ordinem, quē seruat potentia actiua, vt actiua: atqui ordo potentiæ actiuę est ordo executionis; ergo in Deo ipsissimum velle, & intendere, est formalissimè exequi, & non datur ordo intentionis diuersus ab ordine executionis.

1165 Respondeo nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem, ibi datur talis diuersitas, vbi finis mouet agens rigorosa motione, & passiua dumtaxat ad volenda, & ponenda media, nego: vbi aliquo modo mouet, concedo maiorem: & distincta eodem modo minori, nego consequentiam. Ad probationem minoris dico finem, vt cognitum mouere Deum aliquo modo ad sui amorem, relinquendo ipsum liberum, vt amet, vel non amet: nego autem hanc motionem non sufficere ad prælibatam diuersitatem ordinum. Ad cuius probationem concesso antecedente, & prima consequentia, nego minorem vniuersaliter acceptam: est enim vera respectu agentium creatorum: cùm enim ista, vtpotè mutabilia, capacia sint mutationis passiuę per receptionem actus intentionalis, non mouentur à fine actiuè, sed passiuè, & ita totus ordo actiuus est executiuus. Ex opposito autem, quia Deus non est passiuè mutabilis, mouetur largè, & quodammodo in genere actiuo à fine; & non passiuè: non inquam, mouetur passiuè, quia nihil de nouo potest ratione finis, vel ab eodem fine recipere, per quod trahatur ad amorem liberum illius: mouetur nihilominùs Deus quodammodo à fine in genere actiuo, in quantùm finis est capax talis bonitatis tribuendę actiuè à Deo, vt Deus possit se ad illum mouere ratione bonitatis illius: & propter illam mouendam mouere etiam alia, quæ iuuent, vt media, ad quę hic, & nunc non se moueret, si nō esset se moturus ad bonitatē illius. Et vt ad subiectam materiam, de qua agimus, veram doctrinam, dico Deum non ideò determinare se actiuè ad productionem glorię, quia determinat se ad producendam gratiam, & merita: sed econtra, quia determinat se ad gloriam amabilem ratione sui, ideò determinat se actiuè ad gratiam, & merita; ecce ergo in ordine determinationis actiuę quomodò vna determinatio est in Deo, quia est alia, & aliter nō esset: quoniam autem non posset se Deus ita determinare ad gloriam, vt finem, nisi gloria esset ratione sui bona, & amabilis, & ad quā essent ordinabilia gratia, & merita: indè est, quòd quodāmodò gloria dicitur mouere Deum ad sui amorem, vt finē, & propter se mouere ad gratiā, & merita: iste ergo est ordo intentionis in genere actiuo, quia est purus ordo obiecti ad agēs per voluntatē, & non ad reliqua principia, secūdùm quem ordinem agens liberum liberè se determinat ad vnum propter se, & ad reliqua propter illud: sed quia ista determinatio agentis Dei nō exit ad opus quousq; non accedunt reliquę concausæ ad idem opus finale producendum requisitæ, ex quo intelligitur accessus reliquarum causarum supra puram determinationē actiuam Dei, tunc intelligitur incipere ordo executionis. Respectus ergo Dei liberè se determinantis ad obiecta actiuè, qui antecedit, imò ponit reliquas concausas, est prior ordo intentionis, secundùm quem quodammodò finis mouet Deum ad se, & reliqua propter se: inceptio autem operis finalis, quæ esse nō potest, nisi præintelligantur omnes concausæ, est inceptio secundi ordinis executiui, & ambo sunt in eodem genere actiuo.

1166 Obijciunt secundò, etiam ex Scriptura: nam, vt probauimus à numero 825. contra Lutheranos, & Caluinistas, gloria no-

nobis promittitur danda, tamquam merces, & corona: sed istæ rationes non stant sine præexistentia meritorum, saltem præuisa, & non sufficit, si merita sint præuolita à Deo; ergo gloria de facto fuit volita ex præscientia meritorum. Minor patet, quia merita non causant mercedem, & coronã, nisi mouendo agens ad retribuendum: sed non mouent, nisi, vt cognita, tamquã existentia; ergo.

1167 Respondeo in argumento fieri transitum de vno ad alium terminum: nam præmissæ procedunt de donatione executiua gloriæ, & sunt veræ: in consequentia autem deinde non agitur de executione, sed de voluntate intendente, & est falsa. Concedo ergo, quod gloria promittitur nobis danda, tamquam merces, & corona meritorum, vnde numquam dabitur, nisi præcesserint merita: Concedo item, quod istæ rationes non stant in se, nisi præexistant merita: possunt tamen esse volitæ, non præexistentibus meritis, sed ea causando, vt cùm quis, quia vult honoribus afficere parentem, nondum habentem merita, procurat, vt ea acquirat: & nego deindè consequentiam; quod gloria sit de facto volita ex præscientia meritorum. Merita ergo nõ causant gloriam sub ratione mercedis, nisi vt præuisa iam existentia: sed quoniã possunt dupliciter cogitari, tamquam existentia: vno modo causaliter, scilicet in Deo volente efficaciter, vt illa sint, & volente propter illa reliquas causas: & quia Deus, tãquam meritorum causa, non meretur ipse gloriam, iam merita, vt hoc modo futura, non adhuc causant gloriam. Secundò, vt iam futura in se per accessum voluntatis creatæ, & hoc modo, quia creatura est capax meriti, & mercedis, causant ipsimet creaturæ gloriam: atque ita quando merita futuritionem acquirunt causalem vi Dei, ipsa efficaciter volentis ex fine gloriæ, non possunt causare futuritionem intentionalem gloriæ, quam supponunt; sed purã futuritionem exequutiuam, quæ non est, nisi accedentibus omnibus alijs concausis: si verò merita aliundè existunt, aut sunt futura, quàm ex intentione Dei de gloria, vt fine: puta, si Deus vellet gratiam efficacẽ finalem alio fine, quàm gloriæ, sicut eam vult aliquando, & non finaliter in Reprobis, tunc, quia gloria non adhuc supponitur futura, mouebunt etiam Deum, vt efficaciter intendat gloriam, vt mercedem. Hoc autem probauimus iam esse possibile, sed nõ ita esse de facto ex quo fit, vt de facto futuritio gloriæ in causa, causante reliqua, nec sit merces, nec præmium, aut corona, sed purè donum Dei gratuitum: sit verò merces, & corona, vt in executione ponenda, seu ordine executionis, in quo accedunt reliquæ concausæ, à Deo præuolitæ, & inter eas merita, quæ gloriam causant moraliter, & meritoriè.

1168 Instabis: vel Deus in priori ordine intentionis voluit dandam gloriam Electis ex meritis, vel præscindendo à meritis: si primum; ergo numquam gloria fuit futura independenter à futuritione meritorum, & pura gratia: Si secundum, ergo, etiamsi Electus non operaretur benè, daretur illi gloria: atque ita merita non illam causarẽt, vt mercedem, quod est contra Scripturam.

1169 Huic argumento responderi solet ferè communiter gloriam in priori ordine intentionis fuisse à Deo volitam ex meritis terminatiuè, non verò motiuè: seu potiùs fuisse volitam cum meritis, non ex meritis, quatenus nimirum, non quia fuerãt præuisa, vt futura merita, voluit gloriam, vt præmium, & coronam: sed econtra, quia voluit hanc, vt præmiũ, & coronam, voluit etiam, vt sint merita, quibus retribuatur: hoc autem solùm facere, vt gloria ipsa sit volita, vt onerosa, & non gratuita: non verò, vt Dei voluntas de ipsa gloria sit onerosa, & non gratuita. Ad eum modum, quo habens in potestate vendere æstimabilem equum, vel non vendere: & vendere huic potiùs ex pluribus, qui emere desiderant, gratiosa est voluntas vendendi huic præ alijs, licèt venditio sit onerosa, & opus iustitiæ.

1170 Sed, quamuis horum responsio de volitione gloriæ per merita terminatiuè, & nõ ex meritis motiuè, sit optima: modus tamen explicandi, quomodò gloria sit gratia, & Dei donum: ac exemplum, quo vtuntur, sunt omninò abs re, & valde diminuentia rationem gratiæ, & doni: non enim sola Dei voluntas, sed etiam gloria ipsa; vt corona, & merces est donum, atque Dei gratia; prout habetur Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*: Ipsamet ergo ratio coronæ, quæ iustitiam importat, donum Dei miserẽtis est. Quod etiam docet Tridentinum Sess. 6. capit. 16. *Benè operantibus vsque in finem proponenda est vita æterna, & tamquam gratia, filijs Dei per Christũ Iesum misericorditer promissa: & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Vbi non sola promissio, verùm vita ipsa æterna promissa dicitur gratia, & Dei donum. Et sanè ego non valeo satis mirari, quod homines tam subtilis ingenij, non aduertant, in exemplo vendentis equum totam onerosam esse venditionem,

 eò

eò quòd pretium emptoris nullatenus est donum venditoris; & nisi aliunde esset pretium, numquam dominus vellet equum suum vendere: non ita autem res se habet in casu nostro, vbi Deus non ex amore meritorum vult dare gloriam, sed ex pura antecedenti gratuita dilectione, & deindè ex voluntate gloriæ vult merita, quæ principaliùs sunt à Deo donante, quàm ab homine merente.

1171 Respondeo ergo clariùs argumento non solam voluntatem Dei prædestinantis esse prędestinatis gratuitam, sed etiam ipsā gloriam ratione sui: & quidem non tam ordine intentionis, secundùm quem est totaliter gratia, verùm etiam ordine executionis, secundùm quem est opus iustitię, quod totum euidenter ostendo: nam gloria ideò dicitur corona, & merces in executione, quia redditur meritis, sed merita non sunt nobis ex nobis, sed principaliùs à Deo, nos sua gratia faciente operari; ergo gloria non debetur nobis ex aliquo nostro omnimodè; sed ex aliquo ita nostro, vt magis, & principaliùs sit Dei: vndè Augustinus, prout notaui num. 845. asserit dona sua coronare Deum, non merita nostra; ergo gloria ita datur nobis in executione ex debito iustitiæ, vt magis, & principaliùs, etiam in ordine ipso executionis sit donum gratiæ. Quòd autem ordine intentionis sit totaliter gratia, patet ex iam dictis, quia videlicèt fuit volita ante merita præuisa, & vi talis volitionis iam euasit futura infallibiliter; ergo, vt taliter futura, est totaliter gratia, & Dei donum. Huius autem doctrinæ proportionatum exemplū est, si Rex ex sola beneficētia vellet pauperem eleuare ad gradum nobilitatis, & propterea adscriberet suæ militiæ, taliter illum specialibus armis, aliisque protegens auxiliis præ aliis, vt indè victorias reportans, dignus euadat, cui præstetur gradus nobilitatis: in hoc namque casu, citra dubium nobilitas ista acquisita opus esset iustitiæ, relatè ad merita pręcedentia hominis, victorias speciales è prælijs deportantis: sed relatè ad Regem, non tam data nobilitas, sed etiam merita hominis illius dona forent, & gratia Regis.

1172 Neque obstat, quòd titulus donandi gratis dicit carentiam debiti, & titulus retribuendi ex iustitia importat debitum: carentia autem debiti, & debitum opponuntur; ergo contradictionem importat gloriam dari gratis, & simul ex iustitia. Nō obstat inquam; quia debitum, & non debitum tunc opponuntur, quando sunt de eodem indiuisibiliter accepto; non verò quando sunt relatè ad diuersa, vel ad diuersos gradus eiusdem rei: lux enim vt tria non opponitur cum tenebris, vt quinque: quoniam autem opus meritorium, cui redditur gloria non est indiuisibiliter à solo homine, sed simul, atque principaliùs à Dei gratia, sicut meritum est quidem opus liberi arbitrii creati, sed principaliùs opus gratiæ; ita gloria, reddita meritis, est quidem opus iustitię secundùm quòd redditur merito, prout ab homine, sed principaliùs est opus gratiæ, quatenus redditur merito, prout à Deo. Hæc dico de gloria secūdum ordinem executionis: nam ordine intentionis, sicut antecedit omnimodè merita, ita omnem excludit rationem debiti iustitiæ.

1173 Vrgebis Deus in puniendo nec ordine intentionis potest efficaciter intendere pœnam ante præscientiam culpæ, sed duntaxat retribuendo ex iustitia; ergo neque in pręmiando potest efficaciter decernere præmium ante præuisa merita, sed dūtaxat ex debito iustitiæ.

1174 Respondeo, quòd sicut non valet, Deus nulli potest velle mala gratis; ergo nec velle bona gratis, aliàs nec primam gratiā posset dare, nisi ex meritis naturæ: ita nec valet paritas adducta in argumento. Ratio disparitatis est, quia velle alicui malum, nisi intercedat coactio aliqua ex debito, esset effectus voluntatis crudelis, quòd longè abest à summa Dei bonitate: at verò velle alteri gratis bona est effectus voluntatis bonæ, & beneficæ, Deus autem est ipsa bonitas, & beneficentia: & indè benè potest velle donum gloriæ ante pręuisa merita: non potest autem velle malum pœnæ, nisi quasi coactus ex bonitate iustitiæ, exigentis retributionem proportionatam debito culpæ.

1175 Obiciunt tertiò adhuc ex Scriptura ita: Deus æquè vult ex se omnes homines saluos fieri, & non aliquos præ aliis: sed Prædestinatio efficax aliquorum ante merita non stat cum ista ęquali voluntate saluandi omnes: benè verò subsistit ęqualis voluntas in Deo saluandi omnes, si dicatur, quòd Deus ante præuisa merita duntaxat vult conditionatè saluare omnes, si benè operentur: voluntate verò efficaci saluandi istos præ aliis non velle ex se, sed ex debito pręuisorum meritorum; ergo sententia de Prædestinatione ad gloriam post præuisa merita est magis conformis Scripturæ. Maiorem argumenti probant illo primæ ad Timotheum 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*. Tum ex secunda Petri 3. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam*.

nitentiam adduci. Tum tandem ex illo Actorum 10. *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus, &c.*

1176 Respondeo hæc omnia fuisse Augustino obiecta, & non soluisse per recursum ad præuisionem meritorum in his, & non in illis: sed pro soluendo primo loco distinxisse duplicē rationē Prędestinationis, nēpe efficacis, & inefficacis: & de prima dicit lib. de Correct. & grat. cap. 14. sicut & in pluribus aliis locis, quòd adductus Apostoli locus intelligi debeat de generibus singulorum, non verò de singulis generum, *Ita dictum est*, inquit, *omnes homines saluos fieri, vt intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in eis est*. De quo supra egi contra Ianſenium. De voluntate verò inefficaci Dei saluandi omnes, & singulos generum sermonem habet in libro, in quo soluit articulos sibi à Pelagianis falsò impositos, inter quos secundus erat, quòd Deus nolit omnes homines saluos fieri, etiā si omnes saluari velint: vbi postquam id concedit de voluntate efficaci discretiua, cuius causam asserit esse nobis incognitā, ita subiungit, *Remota tamen hac discretione, quam diuina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet, sincerissimè credendum est, Deum velle, vt omnes homines salui fiant: siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, sollicitè præcipit, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur, &c.* Ex Augustino ergo locus præadductus Apostoli non saluatur de sola voluntate condirionata, & inefficaci, quæ communiter dicitur voluntas antecedens, estq; vera, & sincera Dei voluntas: sed etiam de voluntate Dei efficaci, & discretiua Electorum à Reprobis, prò qua non assignat merita præuisa, tamquam causam motiuā, sed secretum diuinæ iustitię, cuius est exigere debitum, à quibus vult, & dimittere quibus placuerit, prout sæpè explicat verba illa Apostoli, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, &c.* Et eodem modo intelligendus est secundus locus, cùm non differat, quoad significatum, à primo, nimirum quòd voluntate antecedenti, & inefficaci neminem Deus vult perire, sed omnes ad pœnitentiam adduci, dando omnibus sufficientia auxilia: sed voluntate efficaci, & discretiua eos dumtaxat vult non perire, *Quos*, iuxtà Apostolum, *præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, non verò omnes. Tertium verò locum, obiectum Augustino, soluit libro 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. vbi, *Acceptio*, inquit, *personarum ibi rectè dicitur, vbi ille, qui iudicat, relinquens causę meritum, de qua iudicat, alteri cōtra alterum suffragatur, quia inuenit aliquid in persona, quod honore, vel miseratione sit dignū: si autem quispiam duos homines habeat debitores: & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere, cui vult donat, sed neminem fraudat: nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est.*

1177 Ab his tamen, qui ista obiiciunt, scire vellem, quid ipsi sentiant ex parte Dei, num videlicet saltem vocatione gratiæ siue affectu, & dilectione discernat Electos à Reprobis: an verò Deus æquè omninò se habeat cum omnibus: & hominum arbitria inter sese discernunt? Si primum, concedunt ne indè sequi Deum esse acceptorem personarum, alios ab aliis gratia efficaci, vel affectu, & dilectione secernendo? credam, quod non admittant contra Scripturam; sicut ergo non erit acceptor personarum, secernendo gratia, siue antecedēti dilectione prædestinatos à Reprobis: ita nec similiter erit personarum acceptor, secernendo Prædestinatione gloriæ. Si secūdùm reflectant benè ad verba illa Apostoli primæ ad Corinthios 4. *Vt in nobis discatis, ne vnus aduersus alterum infletur pro alio: quis enim te discernit? quid autem habes, quòd non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* In quæ verba Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 5. *Sed non se ille, ait, quem coercebat Apostolus, aduersus pecus inflabat: nec aduersus hominem alterum de aliquo naturali munere, quod inesse posset, & pessimo: sed aliquod bonum, quod pertineret ad vitam bonam, sibi, non Deo tribuēs, inflabatur, quando audire meruit, quis enim te discernit? quid enim habes, quod non accepisti?* Si autem ex parte Dei nulla esset discretio, ne propterea diceretur acceptor personarum, iam tota discretio esset per hominum arbitria: & benè responderet rectè operās, discernit me à non operante liberum arbitrium meum, à quo est ista discretio, & nō à Deo æquè mecum, ac cum ipso se habēte. Sed non ita prædicto loco paulò ante ad allata verba loquitur ex Apostolo Augustinus, nam ait, *Quid autem habes, inquit, quod non accepisti? A quo? nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi?* Non ergo libera hominum arbitria sese discernunt in bono: sed Deus ea discernit, dando bona aliquibus, quæ aliis non dat, & non indè acceptor est personarum, vt obiiciunt aliqui ex Aduersariis.

1178 Obiiciunt quartò alii cum Amico illa Apostoli verba ad Romanos 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis*

filij

filij sui, &c. vbi, ait Amicus, fit sermo de vtroque ordine volendi, nempe intentionis in illis verbis, *quos præsciuit, & prædestinauit, &c.* deindè de ordine executionis, cùm additur, *Quos autē prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit, &c.* ergo per Apostolum in ordine intentionis ad Prædestinationem gloriæ, qua Electi fiunt conformes imaginis filii Dei, præcedit præscientia meritorum, vt quos benè operaturos præuiderit, eos ita prædestinauerit.

1179 Respondeo, quòd omnes Catholici, anathematizantes Pelagianos, & Semipelagianos, debent particulam illam, *præsciuit*, sumere pro scientia Dei practica, & non purè speculatiua, vt nimirum in illa etiā includatur diuina Prædestinatio: nihil quippe boni potuit Deus præscire, nisi ipso prædestinante siue gloriam, siue gratiā adiuuantem, quòd totum de fide est: hoc autem stante, difficultatur inter nos, & Aduersarios, vtrum pro tò, *præsciuit*, Intelligenda sit præscientia practica includēs Prędestinationem gloriæ: vt idem sit *præsciuit*, ac sua dirigente præscientia prædestinauit gloriam, quibus voluit: sicut nos dicimus? an potiùs intelligenda sit præscientia operum ex Prædestinatione gratiæ, vt prætendunt Aduersarij? pro quo in primis ad verborum contextum trutinandum aduoco Aduersarios: pręcitata namque Apostolus, tamquam rationem adducit eorum, quæ immediatè antea dixerat: ita namque procedit, *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti: nam,* subiungit, *quos præsciuit, & prædestinauit, &c.* quam autem discursus connexionem inuenire possunt Aduersarii in præfatis verbis, si per tò, *præsciuit*, veniret scientia operum? Si enim Prędestinatio gloriæ est post præscientiam operum, non solum non est causa, sed neque signum, quòd operantur omnia in bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti: nam si Prędestinatio gloriæ, vt finis, non est directiua mediorum, sed consequitur ad bonum meritum finale, benè stat Prædestinatio gloriæ post pręuisum finale meritum, etiam si reliqua neq; in malum, neque in bonū operentur: at verò, si Prædestinatio gloriæ præcedit præparationem mediorum, ipsa dirigit omnia pro sui consecutione: vndè vel malas tentationes, & obuiantia cętera non permittit: vel, quæ permittit, dirigit in bonum: atque ita benè valet, quòd si eis præparat, seu prædestinat media, quia præsciuit iam ad gloriam, necesse est, vt omnia ab eodem proposito glorificandi dirigantur in bonum: & hoc est, quod significatur, dum dicitur, *ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*, nimirū iis, qui vocantur, vt sint Sancti, secundùm propositum, quod Deus cum ipsis habuit glorificandi. Secundò aduoco, vt bene pensēt, quæ habet Augustinus, quasi explicās præcitata verba Apostoli, lib. de bono perseuerantiæ cap. 14. *Hæc Prædestinatio Sanctorum, ait, nihil aliud est, quàm præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Vbi agere Sanctum Doctorem, de Prædestinatione Sanctorum ordine intentionis euidentissimum est: præparatio namque beneficiorū Dei est efficax voluntas dandi, non donatio actualis, siue actualis exhibitio; quæ nā ergo est illa præscientia, quæ Prædestinationem, siue pręparationem hanc beneficiorum Dei præcedit: non enim dicitur pręparatio, & præscientia, *sed præscientia, & præparatio, &c.* an non legerunt Aduersarij, quod monet Augustinus ipse cap. 18. eiusdem libri, *Vndè aliquando eadem Prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, non repulit Deus plebem suā, quam præsciuit. Hoc quod, ait, præsciuit, non rectè intelligitur, nisi prædestinauit.* Sed dicere possent Aduersarij nomine pręscientię intelligi Prædestinationem ipsam gratię alio nomine significatam, vt idem sit præscientia, ac præparatio beneficiorum Dei. Contrà: si ita est: atque idē esset intelligendum, cùm Apostolus dicit, *Nam, quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*; non staret sensus verborum Apostoli: relatiuum namque, *quos*, supponit implicitè suum substantiuum: puta illos aut in rectò, vel in alio casu: quod quidē substantiuum nullum regeret verbum, nisi sensus esset, quòd illos prędestinauit, quos pręsciuit. Pręterea, si nomine pręscientię, cùm agitur de bono pręstinato, non intelligeretur Dei voluntas antecedens pręordinationem, & Prędestinationem mediorum pro executioni mandando eodem bono, sed ipsamet preparatio mediorum dūtaxat, quid est, quòd Augustinus numquam particulam vllam ponit, qua significentur, tamquam idem, dicendo v. g. prędscientia, siue Prędestinatio: sed semper eas ponit, tamquam diuersa significantes, vt in libro de Correctione, & Gratia capit. 7. *Illi ergo Electi, vt sæpè dictum est, qui secundùm propositum vocati, prædestinati, atque præsciti.* Et cap. 9. *Illa omnia iam facta sunt præsciuit, prædestinauit, vocauit, iustificauit: quoniam*

niam; & omnes iam præsciti, ac prædestinati sunt, &c. Et infra, *Quicumque ergo in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, &c.* Videant tandem quantùm per Augustinū differat prælibata sciētia practica Dei à prædestinatione, quę est preparatio mediorum, & beneficiorum Dei, ex libro 6. hypognosticon, vbi postquam distinguit scientiam practicam Dei bonorum operum à præsciētia speculatiua operum malorum, ita loquitur de prima. *Quidquid, antequam, fit præscit, prædestinat: & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit: ideò Apostolus, nam quos præsciuit, inquit, prædestinauit:* præscientia ergo causa est Prædestinationis ex Augustino, non Prædestinatio præsciētiæ, vt quia Deus voluit aliquid futurum, ideò media præparet pro illius executione, sicut deindè explicitiùs loquitur, inquiens, *Quos præsciuit, misericordia gratuita præparat, idest prędestinat in æternam vitam.* Et infra, *Diximus namq; de damnabili humani generis massa Deum præscisse misericordia, nō meritis quos & electione gratiæ prædestinauit ad vitam.* Videsne misericordiam in præsciendo, & indè Prædestinationem, ac directionem gratiæ, vt per eam reducātur ad vitam, quam misericordia Electis præscierat Deus?

1180 Obijciunt deindè quintò ex Augustino lib. 1. ad Simpl: quæst. 2. vbi exponens illud Apostoli ad Romanos 9. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret*, ita loquitur, *non electio precedit iustificationem; sed electionem iustificatio: nemo enim eligitur; nisi iam distans ab illo, qui reycitur: vndè quod dictum est, qui elegit nos ante mundi constitutionem, non video quomodò sit dictum, nisi præsciētia.* Loquitur autem Augustinus non de electione gratiæ, quam præcedere debere iustificationem de fide est, sed de electione ad gloriam, vt patet ex eodem paulò ante ad relata, dū ait, *Non quia inuenit Deus opera in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum iustificationis ipsorum: sed quia illud manet, vt iustificet credentes*, quod est propositum gratię, qua simus credentes, *ideò inuenit opera, quæ iam eligat in regnum cælorum.* Ergo, concludūt Aduersarii, electio ad gloriam non præcedit iustificationem, sed ex huius præscientia eligit Deus, quos eligit ad regnum Cœlorum.

1181 Respondeo, quòd, si Aduersarii vellent recta intentione locum adductum inuestigare, nullatenus extra propositum, contra doctrinam, quam propugnamus, adducerent: agnoscerēt namque, quòd in præfato loco Augustinus non quærit vtrū Prædestinatio ad gloriā præcedat, vel subsequatur merita: sed qualis, & vndè sit electio, cùm dicit Apostolus, *vt secundùm electionem propositum Dei maneret*: antecedenter namque ad dicta habet, *Quamobrē, vndè illa electio facta sit, quæritur? quia si non ex operibus, quæ non erant in nondum natis: nec ex fide, quia nec ipsa erat, vndè igitur?* Quærit ergo vndè prędestinati dicantur Electi, *Nam nisi esset electio*, ait, *non essent Electi, nec rectè diceretur, quis accusabit aduersus Electos Dei?* Et quoniam tunc temporis Augustinus non agnoscebat rationem electionis, nisi precessisset distantia ex parte eligendi ab eo, qui non eligitur, vt patet, cùm dicit, *Quomodò est enim iusta, aut qualiscumq; omninò electio, vbi nulla distantia est? si enim nullo merito electus est Iacob, non dum natus, & nihil operatus, nec omninò eligi potuit, nulla existente differentia, qua eligeretur.* Et deindè, *An quemadmodùm ex eadem terra idem Creator produxit diuersa animantium, atque gignentium genera, ita ex eodem hominum coniugio, atque complexu produxit in geminis diuersam prolem, vnam, quam diligeret, alterā, quam odisset? nulla ergo electio est, antequam esset, quod eligeretur: si enim bonus factus est Iacob, vt placeret, vndè placuit antequam fieret, vt bonus fieret? non itaque electus est, vt fieret bonus; sed bonus factus eligi potuit.* Sentiebat tunc, quod neque præparatio gratiæ efficacis, quę vni præ alio tribueretur, vt fieret bonus, nec dilectio Dei erga Iacob præ Esaū, antecedens merita, nomen habere posset electionis. Quod deindè recognoscens, retractauit doctrinam præfatam de distantia prærequisita ad electionem, asserens etiam reperiri electionē, vbi electio ipsa facit, & non supponit iam dictam distantiā, prout patet tum libro de Prædestinatione Sanctorū cap. 3. citans similem doctrinam, quam tradiderat in libro expositionum epistolę ad Romanos, his verbis, *Item disputans, quid inquam elegerit Deus in nondum nato, cui dixit seruiturum esse maiorem*, vbi docuerat, *si enim, cui vult, donat Spiritum Sanctum, per quem dilectio operetur bonum; quomodò elegit, cui donet? si enim nullo merito; non est electio, æquales enim omnes sunt ante meritum: nec potest in rebus omninò æqualibus electio nominari.* Hoc namque retractans prænominato loco, ait, *Nondum diligentiùs quæsiueram, nec adhuc inueneram, qualis sit electio gratiæ: de qua idem dicit Apostolus, reliquiæ per electionem gratię saluæ factę sunt.* Tum libro 1. retractationum capit. 23. vbi eadem omninò repetit verba.

1182 Loco ergo adducto ab Aduersariis in argumento, quærens in quo consistat ratio

tio electionis, secundùm quam Prædestinati dicuntur Electi, sicut non agnouit electionem in præparatione gratiæ efficacis Electis præ Reprobis, eò quòd talis gratiæ præparatio non poterat supponere distantiā meritorum in illis præ istis: ita nec cognouit rationem electionis in speciali antecedenti dilectione Electorum præ Reprobis, eò quòd antecedebat, non subsequebatur merita: cognouit autem præcisè rationem electionis in præcognita executione gloriæ, quæ solummodò supponit distantiam meritorum: sicut nihilominùs, non inde quia præparationem gratiæ secundùm propositum non cognouit habere rationem electionis, propterea negauit præcedere merita in præfato libro ad Simplicianum: ita nec, quia non alibi agnouit rationem electionis, nisi in præcognita retributione executiua gloriæ, propterea negauit gloriam ordine intentionis fuisse his præ alijs volitam ex gratuita dilectione horum præ alijs, & antecedenti meritorum præuisionem.

1183 Obiiciunt sextò itē ex Augustino lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 8. vbi in illud Apostoli ad Romanos 6. *Gratia autē Dei vita æterna*, difficultans quomodò vita æterna dici possit gratia, si non tribuitur, nisi meritis, quibus ex iustitia debetur, respondet, *Ista quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad gratiā Dei pertinere*. Quod etiam repetit lib. de Correctione, & Gratia cap. 13. vbi, *Verumtamen*, ait, *quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine vlla dubitatione confitendum est, ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini*. Ex quibus locis concludere credit Pennottus gloriam ex mente Augustini nullo modo fuisse à Deo volitam ante præuisam futuritionem meritorū, ita arguens: si agnouisset Augustinus gloriam fuisse à Deo volitam ante præuisam futuritionem meritorum, iam non solùm esset gratia, quia gratia sunt merita, quibus redditur: verùm etiam in se ipsa, vt gratuitò volita ordine intentionis ante præuisa merita; ergo etiam præciso, quòd reddatur meritis ex gratia, adhuc gloria gratia est in se antecedenter, vt gratuitò volita ante merita; ergo si Augustinus dicit sibi videri nullo modo vitā æternā posse dici gratiā, nisi quia gratia sunt merita, quibus redditur, euidens est, non agnouisse voluntatem gratuitam gloriæ in Deo, antecedentem ad præuisionem meritorum.

1184 Respondent cōmuniter Doctores nostræ sententiæ Augustinum loqui ordine executionis, non ordine intentionis: & aliqui argumentum Pennotti retorquent de voluntate antecedenti, & inefficaci saluādi omnes, quæ sine dubio gratuita est; & nihilominùs Augustinus non recurrit ad hanc Dei voluntatem, vt saluet quomodò vita æterna sit gratia: ex quo euidens fit non loqui, nisi de ordine executionis.

1185 Hæc tamen responsio non sufficienter soluit argumentum: nec retorsio subsistētiam habet, estque omninò aliena à germano sensu Augustini. Non soluere sufficienter argumentum ita ostendo: quamuis Augustinus in libro de Correctione, & Gratia videatur loqui de temporali retributione gloriæ, quoniam de hac erat contextus præcedentiū verborū, nihilominus in lib. de gratia, & libero arbitrio non ita loquitur, sed difficultatem simpliciter exagitat: post quam namque dicit, quòd vita æterna redditur à Deo cuique secundùm opera eius, subiungit, *Et nascitur indè nō parua quæstio, quæ Domino donante soluenda est: si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit Scriptura, quoniam Deus reddet vnicuique secundùm opera eius, quomodò gratia est vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur?* Cùm ergo non paruam putet Augustinus difficultatem, qua ratione possit dici gratia id, quod non redditur, nisi meritis, debuisset omnem rationem, secundùm quam vita æterna dicitur gratia, explicare: & non solo ordine executionis, & diminutè, quando difficultatem non sumit ex solo ordine executionis, sed volens explicare illud Apostoli, *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro*, prout videre est in eodem capite.

1186 Non subsistere item retorsionem indè patet, quia id, quod affertur, assumitur, non probatur: Deum siquidem antecedēter ad electionem gratiæ voluisse omnes saluare voluntate inefficaci, assumitur gratis, non probatur: nam possunt Aduersarii dicere Deum priùs ex alio fine, quam saluandi, voluisse vel omnibus gratiam sufficientem: vel solū aliquibus efficacē, & deindè voluisse primis inefficaciter gloriam, ne inanis fuerit voluntas gratiæ, qua homo posset etiam gloriam mereri: & secundis efficaciter ex præuisione meritorum: quo pacto sola voluntas gratiæ fuisset gratuita, non subsequens voluntas gloriæ conditionata, & ex suppositione, quòd essent merita: nam hæc semper esset fundata in suppositione meritorum, quæ homo haberet,

vel

vel posset habere. Non esse tandem respõsionem iuxta mentem Augustini probatũ remanebit mox in responsione, quam tradam, probando, quę fuerit Augustini mẽs, pręcipuè in libro de gratia, & libero arbitrio, ex quo videtur argumentum Pennotti magis vrgere.

1187 Respondeo ergo argumento clarissimè ex contextu verborum: agit enim loco prędicto à capite 7. Augustinus, vt probet etiam ipsam fidem, secundùm quam dicit Apostolus ad Ephesios 2. *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, donum Dei esse, excludens ad iustificationẽ opera legis, non tamẽ ea, quæ ipsamet fides per dilectionem operatur; & ad hunc finem citat errorem, in quem deindè lapsi sunt Semipelagiani, his verbis; *Possent enim dicere, ideò accepimus gratiam, quia credimus, tamquam fidem sibi tribuentes: gratiam Deo*: & hoc errore, sicut & illo, quem deindè propugnauit Lutherus, quòd nimirum sola fides sufficiat ad salutem, oppugnatis, cõcludit, *Sed quia & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est, & dilectio: propterea idem ipse Doctor gentium etiã ipsam vitam æternam gratiam nuncupauit.* Hoc autẽ ideò tetigit, vt difficultans deindè quomodò vita ęterna sit gratia, si operibus redditur, ex difficultatis solutione probet idẽ intentum, quòd fides donum Dei sit, & non ex nobis, quasi ex nobis. Pone nãq; tamquam præsuppositum verum, præcisè arguendi gratia, quòd fides sit ex nobis, & merito huius fidei debita sint auxilia, quibus homines benè operentur, operibus deindè debita sit tunc gloria, nulla esset gratia, *Nam, si gratia, iam non ex operibus*, atque, *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*, ait Apostolus. Volens ergo Augustinus concludere omnia nostra bona opera, ac etiam fidem ipsam dona Dei esse, & gratis data, nõ debita, respondet quæsito, *Ista quæstio mihi videtur non posse dissolui*, nimirũ, quòd vita æterna sit gratia, quocumque ordine, *nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.* Vbi notare deberent Aduersarij, quòd solutio Augustini nõ consistit in affirmando, quòd vita æterna sit gratia, quia redditur meritis ex gratia: sed è conuerso in hoc, quòd, si merita nõ essent gratia, nullatenus posset stare, quòd vita ęterna esset gratia: vndè conuincitur, quòd sensus pręcipuus Augustini non sit ostendere, qualiter gloria sit gratia, sed quòd non esset gratia, si merita essent ex nobis, & non ex gratia: & ideò deindè totus est in conuincẽdo, quòd opera bona in nobis sint ex gratia, & non ex nobis, subiungens immediatè, *Propter illud, quod ait Dominus Iesus; sine me nihil potestis facere: & ipse Apostolus, cùm dixisset gratia salui estis per fidem: & hoc non ex vobis, sed donum Dei est: non ex operibus, ne forte quis extollatur*, & plura alia ad eumdem finem subtexit, quæ longum esset referre.

1188 In forma ergo ad argumentum Pennotti concedo antecedens, & primam cõsequentiã, & distinguo 2. consequens, nimirum, ergo, si Augustinus dicit sibi videri nullo alio modo vitã ęternã posse dici gratiã, nisi quia gratia sunt merita, quibus redditur, &c. Et hoc dicit Sanctus Doctor considerans pręcisè quomodò gloria possit dici gratia in ordine ad vera merita supernaturalia, siue nimirum etiam antecedenter, siue solùm consequenter ad ipsa, nego consequentiã: & hoc dicit, vt probet gloriam nullo modo siue ordine intentionis, siue executionis, potuisse ab Apostolo dici gratiã, nisi supponerẽtur & opera, & fides effectus gratię, & non opera nostra ex nobis, concedo consequentiam. Primo modò accipiunt Aduersarii verba Augustini, in quo sensu, si iste locutus fuisset, vim haberet eorum argumentum: sed non ita locutum fuisse, crederem me satis probasse.

1189 Obijciunt septimò ex eodem Augustino, vt credunt, in libro de Prędestinatione Dei, vbi cap. 3. habetur, *Ex præscientia igitur offensionis, Prædestinatio emanauit vltionis, sicut ex præscientia virtutis Prædestinatio fieri solet remunerationis: vndè Apostolus quos præsciuit, hos prædestinauit*, Et capite vltimo, *Quos enim Deus suos fideles opere futuros esse præsciuerit, hos prædestinauit ad gloriã, quos abiq; correctione Diabolicę persuasioni militaturos esse pręsciuit, hos pro certo prędestinauit ad pœnam.* Quę loca, ait Pennottus, ita euidenter conuincunt sensum Augustini de Prędestinatione ad gloriam post pręuisionem meritorum, vt contrarium tuẽtes, desperando ea posse declinare, adstringantur dicere pręfatum librum non esse Augustini ex pręciso asserto Erasmi, id sententis.

1190 Respondeo pręfatum librum non esse Augustini non gratis asseri ab Erasmo, sed euidenter ostendi, tum ex duritie styli, valde alieni ab eo, qui est Augustini: tùm ex maxima breuitate materię: tum quia de tali libro nullam mentionem facit in libris Retractationum, vbi omnia sua opera, quę vsque ad illud tempus ediderat, recenset: tum tandem, quia contrarium continet iis, quę ex professo docet de Prędestinatione

ad gloriam, vt patet ex iam dictis. Sed admisso, quòd liber præfatus sit Augustini, quid prohibet verba adducta in argumẽto, ne contraria sint iis, quę ex eodem Augustino pro Prędestinatione ante pręscientiā meritorum ordine intentionis adduximus, explicare de ordine executionis? sicut nāque infra ex eodẽ S. Doctore,& ratione proba bo, quòd Reprobatio post demerita non est,nisi solo ordine executionis:ita,dū pari passu equiparat Prædestinationē ad gloriā post opera pręuisa virtutis,vel fidei viuę, in ordine executionis loquitur. Nec enim obstat, quòd afferat verba Apostoli ad Romanos, *quos præsciuit, hos & præstinauit*:non enim verba illa Apostoli affert, prout extant in epistola ad Romanos de Predestinatione ad gloriam ordine intentionis: sed potiùs totum sensum verborum Apostoli, nimirum, quos præsciuit, predestinauit, vocauit, glorificauit, &c. duobus explicat verbis, *quos præsciuit, hos & predestinauit*: nec enim per Aduersarios potuit Deus sine Predestinatione gratiæ præscire bona opera; ergo in verbo, *præsciuit*, debet intelligi, vel præsupponi Prædestinatio gratiæ:& ego dico, quòd debet etiam intelligi intẽtio finis, in ordine ad quem sit Prædestinatio gratiæ, nempe intentio gloriæ: atque ita quidquid se tenet ante consecutionem gloriæ, quæ est executio prædestinationis, intelligendum est restrictum, & compilatū in verbo illo, *præsciuit*: cui deinde addit gloriæ executionem per aliud verbum, *prædestinauit*.

1191 Obiiciunt octauò adhuc ex eodem Augustino, qui in libro 83. quæstionum quæst. 68. ita scribit, *Prorsus cuius vult, miseretur, & quem vult obdurat: sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest: venit enim de occultissimis meritis*. Ex quibus verbis sic arguit Faber. Augustinus hic non potest intelligi de misericordia Dei in prædestinando gratiam, quia ad hanc non datur meritum; ergo de misericordia Prædestinationis ad gloriam:& tamen hanc dicit prouenire ex meritis.

1192 Respondeo in citato loco Augustinū nec agere de misericordia Prædestinationis ad gloriam, nec de misericordia Prædestinationis primæ gratiæ: sed de misericordia indulgentiæ erga pœnitentes, sicut & de iustitia erga obstinatos in malo, quorum non miserendo permittit obdurari: agit nāque de pœnitentia populi Israel tali, quæ meruerit apud Deum misericordiam: & de obstinatione Pharaonis, & Ægyptiorum, propter quam meruerint à Deo permissionem obdurationis in malo; statim namq; ad citata verba subiungit Augustinus, *Quia & ipsi peccatores, cùm propter generale peccatū vnam massam fecerint, non tamen nulla est inter eos diuersitas:pręcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamuis non sint iustificati, digni efficiantur iustificatione: & item precedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione. Habes eumdem Apostolum alibi dicentem, quoniam non probauerunt Deum habere in notitia, dedit illos Deus in reprobum sensum. Hoc est,quod indurauit cor Pharaonis, &c.* Crederem,quòd hæc legerit Faber, atque inde mirum sanè, quòd verba Augustini de merito indulgẽtiæ in his,& obdurationis in aliis,velit trāsferre ad meritum Prædestinationis gloriæ. Adhuc tamen si hoc esset verum, nonne verba ipsa ostendunt sermonem esse de misericordia, & obduratione actuali,ac consequenter ordine executionis, secundùm quem omnes tenemur fateri merita præcedere coronam gloriæ?

1193 Obiiciunt nonò alium locum Augustini ex libro de gratia, & libero arbitrio cap. 6. vbi, afferens Pelagianorum errorem per hæc verba, *Sed, cùm dicunt Pelagiani hāc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam verò, quę datur in finem, idest æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi*, sic subiungit, *respōdendum est eis: si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ex semetipsis habere homines dicant, prorsus rectissimè respōdet Apostolus, &c*; ergo, inquiunt Aduersarii, sententiam de Prędestinatione ad gloriam post præuisa merita Augustinus putat non esse reprobandam.

1194 Respondeo in primis Augustinū præaddućto loco non approbare sententiam, quam refert, sed duntaxat dicere non esse reprobandam, sicut reprobanda est illa, quæ merita tuetur in hominibus, tamquā ex se ipsis, quę est vndequaque hæretica, & euacuans gratiam Christi Redemptoris, quòd etiam nos fatemur: non enim asserimus Aduersariorum sententiam hęreticam, cùm numquam, vt talis fuerit ab Ecclesia damnata: sed Theologicè probamus non esse conformem Scripturę, & dictis Sanctorum, sicut eam vocat Angelicus Doctor. Secundò dico Augustinum propterea asserere allatam sententiam non fore reprobandam, quia licèt non contineat explicitè Prædestinationem gloriæ antecedẽtem ad merita ordine intentionis; nec tamen negat, cum verba adducta sint de solo ordine executionis: dum enim dicitur: *Illam verò, quæ datur in finem, idest æternam* vi-

vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, ordo executionis in fine vitę. Electorum importatur, non ordo electionis ab æterno. Nec item in præfatis verbis hęc negatur esse gratia, sed dũtaxat quòd non sit talis gratia, quę nulla supponat merita, qualis est remissio peccatorum in baptismate paruulorũ: vndè, cùm verum contineat prędicta sententia circa executionem glorię, & quoad intentionem pręcisè se habeat, non est reprobanda, sed potiùs vlteriùs explicanda: adhuc namque Scriptura sæpè de gloria dicit reddi meritis, nulla mentione facta de gratuito illius antecedenti Prædestinatione, sed pręcisè se habendo.

1195 Obiiciunt decimò alium insuper locum ex Augustino in sermone 7. de verbis Domini, vbi habet, *Elegit autem; sicut dixit Apostolus, & secundùm gratiam, & secundùm iustitiam*: ergo, inquiunt Aduersarij, prior est ex Augustino electio gratiæ, & deindè electio iustitię ad gloriam. Quod clariùs in subsequentibus explicat, dicens: *Ego illos elegi, quia vidi mentes eorum de me præsumentes; non de se, non de Baal: non sunt mutati; sic sunt, vt à me facti sunt*. Ex confidentia ergo in Deo per electionẽ gratię fuerunt Electi ad gloriam.

1196 Respondeo in adducto loco sermonẽ habere Augustinum de electione gratię, & gloriæ ordine executionis, secundùm quẽ procul dubio prior est gratia faciens mereri, quàm corona iustitię: explicat namque illud Lucæ 9. *Nemo ponens manum suam super aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*, quę verba euidenter sunt de ordine operũ actualium.

1197 Obiiciunt vndecimò itidem ex Augustino, eò quòd, quamuis non reperiatur apud ipsum illud vulgatum dictum, si non es prędestinatus, fac vt prędestineris: reperitur tamen apud eumdem aliquid simile, quale est illud tractatu 26. in Ioannẽ, *Si non traheris, ora vt traharis*: huic autem dicto, aiunt Aduersarij, non esset locus, si tractio à pręcedẽti Prædestinatione ad gloriam deberet prouenire: nam si supponitur prædestinatus, vi Prædestinationis trahetur: si autẽ non ita supponitur, impossibile erit trahi oratione vtiliter.

1198 Respondeo, quòd, nisi velint contra Apostolum Aduersarii pretendere Electos non à Deo, sed per propria arbitria discerni à Reprobis, debebunt reflectere idem argumentum posse fieri de gratia discernente, & non æquè trahente vtrosque: hæc namque sine dubio à Dei Prædestinatione est, & antecedẽs merita; si ergo fuit prędestinata gratia efficaciter trahens, ita orit; & si prædestinata non fuit, non poterit vtiliter oratione expectari. Dico ergo, quòd Dei Prędestinatio siue glorię, siue gratiæ diuersimodè, dumtaxat est inclusiua horum, & non inclusiua aliorum: cæterùm nullius est exclusiua; quandoquidem nulli negat Deus gratiam sufficientem, vt possit, siue per opera, si sit adultus, siue per applicationem baptismatis, si sit infans, saluari, vt probaui contra Iansenium: quãuis aliquibus voluntate efficaci voluit Deus salutem, & gratiam efficacem, & non omnibus; & si ergo non omnes à Deo fuerint efficaci voluntate prædestinati, & tracti, cum hoc adhuc stat, quòd alii possunt, si velint, saluari, & esse prædestinati: possunt adhuc, si velint, Deum ita orare, vt obtineant oratione efficaciter trahi. Vndè, sicut non solis Electis præcipitur obseruantia mandatorum, sed omnibus, eò quòd omnes possunt: ita quid mirum, quòd dicatur, si non es prædestinatus, fac, vt prædestineris, &c. cùm etiam non prædestinatus sit obligatus procurare suam salutem, propterea quòd potest obtinere; quamuis, quia nõ orabit, non procurabit, proprij liberi arbitrij defectu, nec erit prædestinatus; atq; indè, *Nouit Dominus, qui sunt eius*.

1199 Obiiciunt duodecimò ex Angelico Doctore duo loca, quorum primum desumunt ex tertia parte quæst. 1. artic. 3. ad quartum, *Dicendum, quòd Prædestinatio præsupponit scientiam futurorum*; ergo, inferunt, Prædestinatio ex Angelico fit ex iam futuris meritis præuisis. Secundum desumunt ex prima parte quæst. 23. artic. 1. ad quartum; in quo loco, sermonem habens de Prædestinatione, ait, *Non conuenit, vt reueletur omnibus: quia sic illi, qui non sunt prædestinati, desperarent: & securitas in prædestinatis negligentiam pareret*; ex quo ita arguũt. Non minùs quisque est securus, quòd prædestinatus in genere Prædestinatione antecedenti, & gratuita non potest damnari, quàm si in indiuiduo esset sibi reuelata sua Prædestinatio, cùm non minùs defectibilis non sit efficax Dei voluntas, quàm eiusdem reuelatio: ergo sicut per Angelicum securitas propriæ reuelatæ Prædestinationis redderet prædestinatum negligentem: ita etiam sciẽs Deum ex se ante præuisa cuiuscumque opera prædestinasse, quos voluerit prædestinare, securus erit, quòd, si ex numero horum sit, perire non potest: sin autem, nullum sibi profecturum opus, & negligens fieret ad suam salutem, vel mortem, Dei independenti dispositioni in totum remittendo.

1200. Reſpondeo non latere ita arguentes per Angelicum Doctorem nomen Prædeſtinationis ordinariò nõ ſumi pro intẽtione finis, ſed pro ordinatione mediorum ad conſequendum finem, prout docet prima parte quæſt. 23. in corpore; *Prædeſtinatio*, inquit, *eſt pars prouidentiæ. Prouidentia autem, ſicut & prudentia, eſt ratio in intellectu exiſtens præceptiua ordinationis aliquorum in finem: non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis: vndè Prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam præſupponit ſecundùm rationem, quòd Deus illorum velit ſalutem.* Quapropter ad primum ex adductis locis concedo Prædeſtinationem, quę eſt ordinatio mediorum ad aliquid cõſequendum, præſupponere hoc fuiſſe à Deo efficaciter volitum, ac conſequenter iam vi talis voluntatis futurum: ſed ordine intentionis, non autem adhuc ordine executionis, quouſquę accedat ordo mediorum, quibus iam futuris; fiat etiam finis, priùs intentus, executiuè futurus. Vndè in eodem citato loco ſubiungit Angelicus; *Et ideò, ſicut prædeſtinat ſalutem alicuius hominis per orationes aliquorum implendam, &c.* Non dixit prædeſtinat, vel vult alicuius hominis ſalutem ex aliorum oratione, ſed implendam, quòd importat executionem per aliorum orationes. Non ergo Prædeſtinatio gloriæ præſupponit ex Angelico præſcientiam futurorum meritorum, vt malè intelligi volunt Aduerſarii primum locum ex adductis, ſed Prædeſtinatio mediorum ad conſecutionem alicuius rei præſupponit illam iam priùs intentam, & vi talis præcedentis voluntatis futuram, licèt intẽtiuè, non adhuc executiuè.

1201 Ad ſecundum dico debuiſſe etiam obijcientes reflectere, quòd vnum ex illis, quæ Semipelagiani Auguſtino obiiciebant cõtra gratuitam Dei Prædeſtinationem ſiue gloriæ, ſiue gratiæ ſeparantis, & diuidentis ex ſe lucem à tenebris, erat, talem Prædeſtinationem *Et lapſis curam reſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem teporis afferre*: vndè nolebant talem fidelibus prædicandã Dei Prædeſtinationem. Cui obiecto reſpõdet Auguſtinus in libro de bono perſeuerãtiæ à cap. 15. & 1. dicit, quòd ſicut non debet nos terrere, vel negligentes reddere prædicatio diuinæ præſcientiæ, ſecundùm quam ſcimus, quòd abſque dubio tales erimus, quales nos Deus ab æterno præuidit futuros: & hoc indè, quia per eam non aufertur liberum arbitrium à nobis, ſed potiùs quidquid in tempore liberè operamur, Deus, qui tempore non menſuratur, immutabili ſcientia cognouit: ita etiam quia diuina Prædeſtinatio, quomodocumque antecedat, liberum in Sanctis non aufert arbitrium, per quod poſſint cadere: nec Reprobos ratione ſui excludit, ſed dũtaxat non includit, relinquens eorum arbitrio, vt ſi velint, ſaluentur, & includãtur: atque ita, & Electi tenentur ſuam curare ſalutem, quod & faciunt, & ideò faciunt, quia Deus eos elegit ante mundi conſtitutionem, vt eſſent Sancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate: & Reprobi ad id ipſum tenentur, ſed non facient, non quidem defectu Dei, non eos prædeſtinantis, cùm hic non neget eis liberè poſſe ſaluari: ſed quia praua eorum voluntas concupiſcentiis cedit, potens non cedere. Secundò ſimilem caſum adducit Auguſtinus, inquiens, *Sunt, qui propterea non orant, vel frigidè orant, quoniam, Domino dicente, didicerunt ſcire Deum quid nobis neceſſarium ſit, priuſquam petamus ab eo: num propter tales huius ſententiæ veritas deſerenda, aut ex Euangelio delenda putabitur, &c.* Sicut ergo alia dat Deus non orantibus, ſicut ſunt prima auxilia, alia non niſi orantibus: & ideò præcipitur, vt petamus, quæramus, pulſemus; quamuis aliquando adhuc Deus non orantes, ſed rebelles voluntates ad ſe trahat, ſicut fecit cum Saulo, qui & deindè Paulus: ita, non quia Deus aliquos ante præuiſa merita prędeſtinauit ad gloriam, propterea, vel ipſi non tenentur curam ſuę ſalutis habere: vel qui prędeſtinati non ſunt, ſed adhuc poſſunt ſaluari, poterunt innoxij propriam negligere ſalutem.

1202 Diſpar eſt autem caſus de reuelatione ſalutis, vel damnationis in indiuiduo: quia qui eſt certus de ſua ſalute, ſcit ſibi non fore defectura aliunde media: qui autem certus eſt de ſua damnatione, ſcit etiam ſibi nihil profecturam quamcumque diligentiam: vndè & primo motiuum negligentiæ, & ſecundo deſperationis inducitur: at ſecuritas in genere, ſecundùm quam nemo ſcit, ſi ipſe ſit in numero eorum, qui cooperante libero arbitrio, adepturus ſit æternam vitam; omnibus relinquit locum, vt per opera, & propriam cooperantem diligentiam ſperare poſſit ſe futurum in numero ſaluandorum: imò ex operibus ipſis aliquam curare poterit acquirere coniecturam, in quonam numero ſit; atque ita nemo negligere, nemo deſperare, niſi imprudenter, poteſt, indè motiuum accipiens, quòd nemo ſaluatur, niſi Deo antecedenter prædeſtinante, Prædeſtinatione tamen cuique ignota.

1203 Obiiciunt decimotertiò plurimorum Sanctorum Patrum authoritatem, nempe

ex

ex Fulgentio ad Monimum cap. 14. vbi ait; *Prædestinauit ad regnum, quos ad se præsciuit redituros*. Ex Prospero in Capitulis Gallorum ad obiectionem 3. dicente, *Quia Dei præscientiam non latuit, nec fefellit, sine dubio talem numquam elegit ad promissa talia capessenda*. Et libro de Vocatione Gentium cap. vltimò: *Frustra dicitur*, ait, *quòd ratio operandi non sit in Electis, cùm etiam ad hoc operentur, vt Electi sint*. Ex Hilario in Psalmo 64. quo in loco scribit, *Non res indiscreti iudicij electio est: ex meriti delectu facta discretio est*. Ex Hieronymo in Expositione textus ad Romanos 8. ita scribente; *Quos prouidet conformes in vita, voluit facere conformes in gloria*: Et epistola 150. quæst. 10. *Non* (*salnat*, inquit, *irrationabiliter Deus, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus*. Ex Ambrosio in illud ad Romanos 9. *Scimus quoniam diligentibus Deum, &c.* ita loquente, *Istos, quos præsciuit sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda*. Atque in illud, *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*, in quæ verba ita scribit; *Præscientia Dei flagitat in his causis*. Et deindè, *Vnum elegit præscientia, alterum spreuit*. Ex Chrysostomo supra illud Matth. 20. *Esuriui, &c.* vbi habet, *Nam antequam nati sitis, quia sciebam vos huiusmodi futuros, hæc vobis à me parata fuere*. Et tandem ex Clemente Romano, diui Petri discipulo, in libro 3. Recognitionum vbi, *Prævidens*, inquit, *Deus, quod ista potestas arbitrij alios quidem faceret bona eligere, alios mala, per hoc in duos ordines necessariò propagandum esse humanum genus, &c.*

1204 Respõdeo has omnes adductas authoritates procedere de electione, siue de discretione, & Prædestinatione ordine executionis, non verò ordine intentionis: quãdoquidem, vt ex dictis patet, nulla in Deo potuit esse præscientia de opere bono, sine præcedenti gratia discretiua: ac consequẽter sermo in illis semper est de præscientia practica, electiua, & discretiua: vndè ẽ lectio deindè, & discretio subsequens, electio est, & discretio ordine executionis, nõ intentio gloriæ, quæ supponitur ad electionem discretiuam gratiæ præcedẽtis merita.

1205 Quòd si replicant verba Hilarij, & Hieronymi eamdem vi habere ordine intentionis, ac ordine executionis: nam per ipsos esset indiscreti iudicij, & irrationabilis electio, si fieret absque præcedenti differentia meritorũ; ergo, si hoc verũ est ordine executionis, cur nõ erit verũ ordine intẽtionis? Respõdeo ex Augustino lib. de Prædestinatione Sanctorũ, petendo ab obiicientibus, quid sentiant de electione decidentium ante vsum rationis, quorum aliqui decidunt cum baptismate, & saluantur, & quod est mirabiliùs, vt notat Augustinus, aliqui ex istis nascuntur ex peccato parentum: alii verò nati ex legitimo matrimonio, procurantibus ipsis parentibus baptisma, moriuntur antequam ad illud perueniant, & damnantur: numquid irrationabilem, aut indiscretam hanc Dei discretionem dicent Aduersarij? pariter vnam Deus elegit Filio suo humanitatem, illi hypostaticè vniendam, & nullis præuisis meritis, cùm numquam fuerit futura sine diuinitate: vndè ergo hoc meritum, vt fieret hæc humanitas, & non aliæ, Deus an hæc discretio fuit irrationabilis, & indiscreti iudicij? Alia ergo est discretio, secundùm quam vni tribuatur bonum, & non alteri; alia secundùm quam vni tribuatur bonum, & alteri malum. Prima stat in puro arbitrio tribuentis, eò quòd dominus sit, vt tribuat, vel non tribuat: & si vni tribuat, & nõ alteri, dominiũ refert tribuentis, non verò indiscretionem, vel opus irrationabile. Secunda verò competere non potest Deo ex parte mali, quia non potest malum damnationis velle ex præciso dominio creaturæ rationali; eò quod redoleret crudelitatem: & secundùm hanc partem discretionis non potuit Deus velle efficaciter aliquẽ damnare, nisi præcedentibus malis meritis, vt suo loco dicã: & in hoc sensu locuti sunt Hilarius, & Hieronymus.

1206 Obiiciũt decimoquartò ratione theologica. Si Deus voluit gloriam de facto omninò antecedenter ad præuisionem operum, & gratuitò, cùm Dei decretum nõ possit esse confusum: constituitur namque per immutare, & rationes confusæ non immutantur, sed indiuiduales: necesse etiam erit, vt antecedenter voluerit tantã determinatam gloriam: sed hoc esse non potuit; ergo neque illud. Probatur minor: tum quia præmium gloriæ debet proportionari meritis; ergo non potest Deus velle tantam gloriam, vt præmium, nesciens quanta sint futura merita. Tum quia, si Deus ante præuisa merita vellet tantã gloriam: vel, hac supposita Dei voluntate, homo posset plus mereri, vel non. Si primum; ergo frustrari posset Dei voluntas de tanta gloria, excedente merito tantitatem gloriæ. Si secundùm, ergo Dei decretum præiudicaret libero arbitrio in ordine ad plus merendum, contra illud Apocalypsis 22. *Qui Sanctus est, sanctificetur adhuc.*

1207 Re-

1207 Respondeo negando minorem: & ad primam probationem concesso antecedente, nego consequentiam: quia Deus habet in suo dominio, vt faciat in homine tanta futura merita, quantam ei voluit gloriam, & seruetur proportio: magis enim Deus habet in suo dominio nostras voluntates, etiã vt liberas, quàm habeamus nos ipsi, sicut in antecedentibus ex Augustino dictũ est. Ad secundam etiam patet ex dictis, quid sit dicendum, nimirum, quòd Dei decretum in nihilo lædit nostram libertatem, sed præscit Deus scientia media quantùm operaretur homo cum tantis, vel tantis auxilijs, &c. vnde potest Deus facere, vt tantùm sit liberè operaturus homo, potens ex se magis, vel minùs liberè operari.

1208 Obijciunt decimoquinto etiam ratione Theologica. In Scripturis vniuersali regula, & omnibus communiter promittitur gloria sub conditione, si præcepta obseruauerint, & si perseuerauerint vsque in finem: atque de singulis verum est, quòd; si non ita perseueranter operati fuerint vsq; in finem, damnabuntur; ergo respectu nullius supponitur decretum absolutum saluandi, sed dumtaxat conditionatum.

1209 Respondeo ex dictis Deũ nihil cõfuse velle, quando omnia sunt nuda, & aperta oculis eius: quapropter non vnum, & vniuersale decretum est tum respectu Electorum, tum respectu Reproborum: sed, vbi isti conueniunt, vnum singuli respiciunt decretum: vbi verò disconueniunt, non possunt vnum respicere decretum, nisi prætendant Aduersarij, non Deum Electos à Reprobis discernere, sed discerni à se ipsis per eorum arbitria: nec esse in potestate figuli ex eadem massa alios condere in vasa honoris, alios in vasa contumeliæ; sed in hominum potestate, contra doctrinam Apostoli. Cùm ergo Deus nolit gloriam indignis, eam namque vult, vt præmium, & mercedem, priùs vniuersali decreto, & conditionato vult indignos, nisi resipiscãt, & fiant digni, fore puniendos ad ostensionem suæ iustitiæ: deindè succedunt decreta discretiua, nimirum vnum Electorũ, quibus efficaciter vult gloriam, & propterea dignitatem meritorum, vt ostendat cũ ipsis suam bonitatem, & misericordiam supra iustitiam: relatè tamen ad effectus, respectu quorum in excessu verificatur, quòd, *Superexcedit misericordia iudicium*: & aliud respectu Reproborum, quos, & si videat in massa perditionis per originale, & indignos gloria, non tamen per hoc omninò cõtrahit suam misericordiam ab illis, quoniam adhuc de hominibus post originale loquitur Apostolus, cùm dicit, *Deus vult omnes homines saluos fieri*: sed voluntate inefficaci: contrahit tamen ab illis suam efficacem misericordiam: & indè est, quòd ab originali initium habet Reproborum damnatio, & Deus dicitur in pœnam massæ corruptionis condere in vasa contumeliæ. Quoniam autem omnia præfata decreta nulli libertatem adimunt: nec conueniens sit Electos scire suam Prædestinationẽ, vt supra dictum est ex Angelico Doctore, sed potiùs permixtè omnes adhortari ad bonum, & compesci à malo, indè est, quòd per Scripturã non reuelatur nobis decretũ discretiuum, & absolutum Electorum, sed decretum antecedens commune promissorium, & comminatorium: non quia illud non sit in Deo, sed quia non conueniens fuisse reuelatum.

1210 Obijciunt sextodecimò. Communiter cum Angelico electio efficax Dei ad gloriã dicitur voluntas consequens, decretum verò inefficax dicitur voluntas antecedens: at qui hæc differentia non aliundè ortum habere potest, nisi quia inefficax antecedit merita & sequens ea præsupponit, vt patet præcipuè ex Damasceno lib. 2. de fide cap. 29. & Chrysostomo homil. 1. in *epistola* ad Ephesios, vocantibus *voluntatem antecedentẽ voluntatem beneplaciti*: subsequentẽ verò, quæ ex nostro *vitio* ortum ducit; ergo.

1211 Respondeo ex dictis patere Angelicũ Doctorem docere, quòd voluntas de fine præcedit Prædestinationem gratiæ: & multò magis præscientiam meritorum; non ergo hoc modo dicitur consequens, quasi talem Dei scientiam subsequatur. Voluntas Dei de gloria dupliciter ab Angelico consideratur, & cum eo communiter: vno modo secundùm denominationem omninò extrinsecam prioritatis, & posterioritatis obiectorum, vt nimirum dicatur volũtas antecedens, quæ respicit dumtaxat id, quòd est primum in obiecto appetibili: dicatur verò consequens, quæ respicit totũ obiectum, etiam secundum vltima. Et hoc modo voluntas Dei inefficax, quia vult in homine solùm posse saluari, non verò efficaciter ipsum actum secundũ saluationis, dicitur voluntas antecedens, quasi de solo antecedenti ipsius obiecti: voluntas verò efficax de ipso actu secundo salutis, ad distinctionem primæ, dicitur consequens, quasi voluntas de toto obiecto, etiam quoad vltima. Legatur Angelicus Doctor prima parte quæst. 19. artic. 6. ad primum, vbi id ipsum adamussim explicat: alio modo relatè ad finem, & media executiua,

cutiua, vtrum scilicet voluntas efficax finis antecedat præparationem mediorum, quibus finis est executioni mandandus: an potiùs ex præuisione futuritionis mediorũ fuerit à Deo volitus finis gloriæ: & hoc modo iam probatum est ex Angelico Prædestinationem, & præparationem gratiæ efficacis præsupponere efficacẽ voluntatem finis, à qua debet causari: nec potest efficaciter medium executiuũ finis esse volitũ ex sola volũtate inefficaci finis: cùm volũtas media causet in ordine ad finẽ, atq; ita nõ possit excedere, in eam causando, respectũ, quem habet ad finem, propter quem causat. Eadem ergo voluntas Dei efficax de gloria dicitur antecedens vno modo, & alio modo dicitur consequens, secundùm diuersas considerationes: sed non quia subsequatur præscientiam meritorum, nisi in solo ordine executionis.

1212 Obiiciunt vltimò; Si Deus Electos prædestinauit saluandos efficaciter ante præuisa merita, aut eos ita prædestinauit ante præuisum peccatum Adæ, aut post huius præuisionem. Non primum, quia sequeretur, vel quòd decretum fuerit mutatum, vel quòd aliud sit priori additum, quod ita conantur ostendere: post namq; Adæ peccatum aliqui homines nascuntur, & saluantur, qui si peccatũ Adę non fuisset, non fuissent nati, puta qui nascuntur ex illegitima copula per hominem, habentẽ iam suam vxorem: alij præterea tunc fuissent saluandi, qui nunc nec nascentur: si enim peccatum Adæ non fuisset, nec fuisset vniuersale diluuium, nec tot occisiones hominum, sic nec abortus, totque immaturæ mortes, & impossibile est creditu nullos homines ex his, & ex eorum descẽdentibus futuros fuisse saluandos; vel ergo fuisset priùs decretum mutatum: vel nouũ, relatè ad alios saluandos necesse fuisset accedere decretum. Nec secundum, nam ita necessarium erit admittere, quòd prima gratia, data Adamo, non fuerit data ex intẽtione efficaci eum saluandi, sed alio fine; ergo ita dicendum erit de reliquis hominibus.

1213 Respondeo breuiter ex dictis numero 242. & 243. Prædestinationem efficacem hominum Electorum ad gloriam fuisse de facto post præuisum peccatum Adæ: antecedenter verò nullam fuisse Prędestinationẽ efficacem gloriæ, sed tantùm conditionalem, & promissoriam. Sed nego ita dicẽdum de eodem Adamo, & ab eo descendentibus post originale. Rationem assignat Augustinus lib. de Correct. & grat. cap. 10. quia videlicet Deus in prima conditione hominum, & Angelorum, in qua creauit eos rectos, & sopitis omnibus concupiscẽtiis, atq; cõuersos ad ipsum, noluit ostẽdere, quid posset sua gratia: sed quid posset liberũ arbitrium: deindè verò quid posset suę gratiæ beneficium: itaut quidquid etiã boni operati iidẽ fuissent in illo primo statu, nõ speciali modo gratiæ, sed libero tribueretur arbitrio, quidquid verò deinde boni post originale operarentur homines, nõ libero arbitrio, sed gratiæ principaliùs tribueretur: si autem gloria fuisset efficaciter Electis prędestinata ante præuisum peccatũ, iam, qui operati fuissent benè, ex præcedẽti amore id habuissent, & ex gratia: & qui stetissent ex Angelis, ex speciali gratia stetissent; non ergo plus nunc, quàm in prima conditione, gratiæ tribuendum esset opus, quòd est contra mentem Augustini, & conuenientiam, vt paulò post dicam.

1214 Admisso tamen, quòd gloria fuerit Electis prædestinata ante præuisum originale, nõ sequitur propterea absurdum, quod inferunt Aduersarii: tum quia per scientiã mediam saluari possunt omnia, vt nimirũ post eam voluerit Deus ostendere suam misericordiam, & indè misericorditer prædestinare, & propterea permittere peccatum, iuxta sententiam eorum, qui tenent posse Deum prædefinire pœnitentiam, & indè permittere peccatũ: pari .n. modo potuisset prædestinare misericorditer, & indè permittere peccatũ. Tum quia, iuxta opinionẽ eorum, qui hoc ipsum negant, benè stat, quòd illi, qui fuissent efficaciter prædestinati ante præuisum peccatum, fuerint omninò nascituri, siue deindè fuerit, siue nõ fuerit peccatum: cum hac differentia, quòd si non fuisset peccatum, alij tunc fuissent parentes, quàm sint nunc supposito peccato: benè enim idem effectus, qui nunc est ab vna causa, potuisset esse ab alia, & multò magis loquendo de sola anima rationali, quæ semper est creanda ab eodem Deo, siue filius sit ab his, siue ab aliis parentibus quoad dispositiones, & vnionem cũ corpore gignendus.

1215 Colligo ex his, & ex dictis à numero 201. vsque 238. exclusiuè. Prædestinationẽ Angelorum, qui defacto saluati sunt, non fuisse talem, qualis est Prædestinatio hominum Electorum, sed dumtaxat promissoriam, conditionatam, & indifferentem ex se: si enim, qui steterunt ex Angelis, vt in prærecensitis numeris ex Augustino probo, libero arbitrio steterunt, licèt non sine gratia dante posse: qui verò stant ex hominibus, vel lapsi resurgunt, gratia id faciunt, non libero arbitrio, quamuis non sine

sine ipso; ergo Angeli, qui steterunt, non fuerant antecedenter efficaciter prædestinati: nam aliàs vi huius antecedentis, & gratuitæ Prædestinationis esset determinatus Deus ad danda eis auxilia, quibus starent; ergo etiam in illis ostendisset quid posset suæ gratiæ beneficium potiùs, quàm quid posset eorum liberum arbitrium. His accedit, quòd, cùm omnia propter se ipsū operatus sit Deus, nimirum in sui gloriam, & ostensionem suæ potentiæ, scientiæ, bonitatis, misericordiæ, atque iustitiæ, dicendum est de facto seruasse Deum omnem modum, quē cum prædestinatis seruare poterat, ac sciebat: atque ita, quòd priùs æquè suam bonitatem in promittendo, & suam iustitiam in comminando seruauerit cum Angelis, creatis omnibus rectis, & in statu perfectissimo viæ: & non aliquos præ aliis diligeret ante vllum eorum demeritū: neque autem necessariam duco Prædestinationem efficacem Dei post præuisa merita, imò existimo superfluam, cùm Prędestinatio conditionata, purificata conditione, non possit suum non sortiri effectum: deindè verò cum hominibus factis iam per originale omnibus desertoribus, nec solam iustitiam, nec solam misericordiam ostenderet: atque ita aliquos speciali misericordia eligeret, alios verò iustitia, nō contracta omnimodè sua bonitate, puniret: nec scilicet per solùm originale reprobando, nec efficaciter miserando, sed dando media, vt possint saluari: ac tandem hac sua longanimitate, & bonitate abutentes puniret æternaliter.

1216 Colligo secundò relatè ad Electos ex hominibus omne donum gratiæ, siue intrinsecæ, mouentis, vel eleuantis physicè potentias: siuè extrinsecæ, prouidentiæ nimirū specialis, non permittentis eos tētari supra id, quod posūt, esse effectus in genere causæ finalis electionis efficacis eorumdem ad gloriā, in quantum volitas efficax finis est siue electio de necessitate medii necessarii: siue motiua absq; necessitate, huius, vel illius medij conducentis, licèt nō necessarii ad eumdem finem: relatè verò ad Angelos Sanctos non ita, sed proximè omnia dona, ipsis collata, fuisse effectus voluntatis Dei, prout intendentis liberum arbitrium perfectum, & tale, vt perfectam haberet indifferentiam in suo proportionato genere ad operandum, etiam supernaturaliter: & ne deindè bona operatio remaneret sine præmio, atque vt ad bonum incitarentur, & retraherentur à malo, accessisse promissa gloriæ bene operaturis, & comminationē gehennæ recessuris à bonitate, in qua creati fuerant.

1217 Solet autem hic quæri, an saltem Prædestinatio Electorum hominum fuerit intētiuè ex præuisis meritis Christi? Sed solutio huius difficultatis pendet ab illa, an Verbum fuerit incarnatum ex intentione remedii peccati: si enim hoc modo fuit incarnatum; ergo fuit prior intentio amoris Dei subleuandi Electos ex miseria peccatorū, & consequenter nō præcessit præscientia meritorum Christi. Quapropter transferenda est hæc difficultas ad materiam de Incarnatione. Pro nunc sufficit, quòd saltem executiuè Christi merita fuerunt de facto vnicū mediū efficax, sine quo nūquā potuissent ex iustitia subleuari Electi à prædicta miseria.

ARTICVLVS VLTIMVS.

An permissio peccati, præcipuè mortalis, sit, vel possit esse in Electis effectus Prædestinationis?

1218 Effectus Prędestinationis ille dicitur, vt patet ex modo dictis, qui siue sit necessarius ad consecutionem finis, siue dumtaxat conducens, tamen indè ponitur, vel est volitus hic, & nunc, quia est volitus finis: ita namque euidens fit, quòd elus positio hic, & nunc vi voluntatis finis est, & consequenter ab eodem causatus in genere causæ mouentis, & finalis.

1219 Non disputo autem nunc, an executio finis sit effectus eiusdem, vt intenti, cùm certum sit, ideò executioni mandari, quia fuit efficaciter intentus. Nec disputo an dona gratiæ siue intrinsecæ, siue extrinsecæ sint effectus gloriæ, vt intentę, cùm etiam euidens sit hæc à Deo esse volita ex eo, quòd voluit gloriam efficaciter. Nec tandem disputo, an custodia Angelorum, & dona, siue defectus naturales, qualia sunt diuitiæ, siue paupertas, sanitas, vel infirmitas corporalis, subtilitas, vel durities ingenij, pulchritudo, vel difformitas, nasci hic vel in illo loco, ab his, vel illis parētibus, &c. sint in prædestinatis effectus Prædestinationis, cùm regulam habeamus vniuersalem ex Apostolo ad Romanos 9. quòd *Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositū vocati sunt Sancti.*

1220 Difficultas autem, quæ hic offertur discutienda, atque non parua, in eo sita est, vtrum

vtrum permissio peccati, seu gratiæ purè sufficientis collatio; ad quam subsequitur aliquando in Electis peccatum, & præcipuè quando hoc est mortale, sit annumeranda inter ea, quæ cooperantur quoquo modo in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti: atque consequenter possit esse, & sit defacto effectus Prædestinationis; quę difficultas eadem est, ac si quæratur, vtrum Deus, quia vult gloriam aliquibus media pœnitentia, vel speciali actu humilitatis; ideo permittit peccare, vt nimirum cognoscentes hinc suam vilitatem, & miseriam, humiliter resurgant, vel deplorent ardenter peccata sua, &c.

1221 Prima sententia est affirmatiua, eamq; tuentur omnes Thomistæ, & ferè communiter Neutrales, vt videre est apud Ioannē à Sancto Thoma hic disput. 9. articul. 6. num. 4.

1222 Secunda sententia negatiua tum defacto, tum de possibili, defenditur à Patre Vasquez hic disput. 93. cap. 2. cui adhærent Atrubal, Vellegas, Alarcon, Heri̇ce,& alij: vtriusque autē sententiæ sequaces prætendunt Patronos propriæ habere sententiæ Augustinum, & Angelicum Doctorem.

1223 Dico consequenter ad mea principia ex parte cum secunda, & ex parte cum prima sententia, non præsupposita scientia media implicare Deum velle aliquem prędestinare media pœnitentia, vel humilitate, & propterea permittere peccatum: supposita verò scientia media non solùm posse, verùm etiam defacto ita Deum aliquos prædestinasse. Duas habet partes conclusio, & ambas fundatas in iis, quæ à numero 593. attuli ad probandum ante scientiam mediā nō posse Deū prędefinire nostros actus liberos, vt liberos: benè verò post illam.

1224 Prior ergo assertionis pars ex iis, quæ attuli num. 594. euidenter conuincitur: nā si ponatur quæcumque Dei imaginabilis voluntas de aliquo fine, & ab ea præscindatur, quòd sit volitio, vel applicatio medii necessarij pro consecutione talis finis, implicat concipi talem intentionem finis, vt efficacem: quādoquidem illa est intentio efficax, quæ vi sua facit, vt executioni, quantùm necesse est, mandetur finis: atqui sine positione medij necessarij ad consecutionem finis implicat hunc executioni mādari; ergo omnis eiusdem finis voluntas, vt sit efficax, aut debet medium necessariū supponere aliundè, aut si nō supponit, debet per eam, & vi sua poni: sed implicat actum pœnitentiæ, vel humilitatis, ortum ex cognitione propriæ miseriæ ratione peccati, executioni mandari absque præexistentia peccati; ergo, vt Deus possit efficaciter velle actum pœnitentiæ, aut prælibatæ humiliationis, debet, vel præsupponere infallibiliter aliundè peccati existentiam, vel ratione suæ voluntatis afferre: ante omnem autem scientiam, etiam mediam de peccato, iam istud Dei voluntas explicata nullatenus supponeret aliundè ponendum; ergo necesse esset, quòd Deus vellet efficaciter, vt ponatur peccatum ipsum, & non sola permissio illius, quæ sola, & sine peccato, non est medium pœnitentiæ: hoc autem asserere est blasphemare de Deo; ergo.

1225 Scio sanè respondere huic argumento Thomistas, quòd, sicut post scientiam mediam de futuritione conditionata peccati, voluntas de pœnitentia absoluta non est voluntas de peccato necessariò ad pœnitentiam, sed dumtaxat de collatione gratiæ sufficientis, propterea quòd hæc sufficit, supposita scientia media, ad infallibilem consecutionem finis: ita, quia scientia simplicis intelligentiæ scit Deus permissionem suam esse connexam cum peccato, sufficit hæc scientia, vt Deus, volēs pœnitentiam, non dirigatur ad volēdum peccatum, sed solam permissionem, cum qua est annexum peccatum, vt infallibilis sit positio pœnitentiæ.

1226 Non nego hac responsione posse, & optimè Thomistas tueri Prædestinationem efficacem pœnitentiæ ante præuisionē peccati, si subsisteret suppositio, quòd Dei permissio ex se, & ante scientiam mediam connexionem habeat cum peccato: hæc tamen suppositio independenter à scientia media, vel facit Deum authorem peccati, vel homines brutorum more trahi à suis concupiscentijs: aut enim Dei permissio, seu gratia sufficiens ex se trahit peccatum, & ita iam per præcisam Dei permissionem, antecedentem ad vsum nostræ libertatis, peccatum fit futurum: vel peccatū fit futurum, quia deficiente gratia efficaci, voluntas hominis infallibiter trahitur ab obiecto turpi, & ita homines trahētur ab obiecto more brutorum. Ex principiis tamen Thomisticis hæc infallibilitas oritur ex determinatione præcedenti Dei ad materiale peccati, à quo non est separabile à nobis formale culpæ, & quia permissio Dei supponit Deum determinasse materiale peccati, indè est infallibiliter connexa cum peccato; vi ergo Dei determinantis ad materiale peccati fit futurum formale illius, connexum infallibiliter cum materiali, & ita numquam euitabunt Thomistæ,

mistæ, quòd peccatum euadat futurũ antecedenter ad nostrum arbitrium vi præcedentis decreti Dei de materiali, connexo cũ formali.

1227. Respondere solent secundò Thomistæ peccatum non esse medium conducens ad bonitatem actus pœnitentiæ, sed potius materiam repellendam à pœnitentia, & veluti terminum, à quo recedere debet pœnitens; verùm est autem, quod medium cõducens, & de necessitate requisitum ad positionem finis, non potest non amari, volito efficaciter fine, sed non ita materia repellenda, quæ, vt talis, potius terminat actũ odij.

1228 Sed istæ sunt phrases æquiuocæ potius, quam responsa ad argumentum: vt quid enim vim argumenti obtegere sub equiuocis, quòd non sit medium ad pœnitentiã, sed terminus à quo, & materia repellenda, quando idem prorsus fiet argumentum de termino à quo, & materia repellenda? nimirum, quòd implicet esse ex se efficax illa voluntas, vi cuius aut non supponitur, aut non ponitur materia repellenda, & terminus à quo necessariò requisitus; quãdo implicat poni obiectum illius sine præsuppositione, aut positione termini à quo, vel materiæ deindè repellendæ; atqui pœnitẽtia est impossibilis sine termino à quo, vel materia repellẽda peccati; ergo nõ erit efficax, sed potiùs de obiecto impossibili, illa voluntas de pœnitentia, quæ nec supponit, nec ponit terminum à quo, vel materiam repellendam peccati: voluntas autẽ de pœnitentia ante scientiam mediam non supponit vllo modo futuritionem peccati; ergo non erit efficax similis voluntas, nisi ipsa afferat ex se futuritionem peccati.

1229 Nec ad meam doctrinam roborandã deficiunt exempla euidentia, & valde diuersa ab iis, quæ Aduersarii in medium adducunt: non enim potest Deus efficaciter velle destruere aliquid, nisi vel hoc iam sit, vel si non est, priùs illud ponat, quamuis esse rei in destructione sit terminus à quo; nec potest quis transfretare, nisi priùs sit in termino à quo, & si non est priùs, se illuc transferat, atque vniuersaliter, si ad acquirendum aliquid requiritur motus, nemò poterit illud acquirire, nisi antecedẽter ad motum sit in termino à quo, & si non supponatur, priùs ponatur, aliàs voluntas non erit efficax; numquam enim vi sua ponet terminum volitum, si ad hũc ponendum necesse est præcedat terminus à quo, siue materia repellenda, & hæc non supponitur, nec ponitur vi ejusdem volũtatis. Quantùm autem sint abs re Aduersariorum exempla, cuicumq; ea consideranti, patere potest: aiunt namque, quod non est necesse, vt semper qui vult rẽ, velit conditiones annexas: non enim qui vult hominem mortalem vult necessario famẽ, & ægritudinem, quamuis istæ sint cum mortalitate annexæ: neq; qui vul ferrum, necesse est velit ferrugine: qui vult pannũ, velit tineam; qui vult mulierẽ, velit immũda, & imperfecta eius, & si isthæc omnia sint annexa cum obiectis volitis. Quis quæso non videt in his exẽplis cõditiones obiectorum volitorum non esse conditiones prærequisitas, vt ponantur obiecta volita: sed vel comitantes, vel subsequentes, quibus præcisis staret positio totius obiecti voliti: non sic autem vel diuinitus potest stare pœnitentia præciso peccato? Rursus, vel adductæ conditiones obiectorum sunt indispensabiliter connexæ cum iisdẽ obiectis, vel non. Si secundum benè poterit esse efficaciter volitum obiectum, imò, & positum sine illis, ac consequenter stat efficacia voluntatis sine eo, quod ponat vi sua illas. Si autẽ Aduersarij dicant esse indispensabiliter connexas, implicabit, vt voluntas sit efficax positio obiecti, & non ponat prædictas conditiones, siue eas velit, siue patiatur; concedant ergo, *si possunt*, nequire Deum ponere, *siue velle in Electis* efficaciter pœnitentiam, nisi vi sua peccatum infallibiliter connexum, & non præsuppositum, afferat in nobis; quidquid deindè sit, nũ volẽs, vel patiẽs ex se ipso afferat in nobis.

1230 Secunda pars autẽ meæ assertionis nõ minori euidentia ostenditur ex iis, quæ dixi à numero 595. quia nimirum intendẽs finẽ, non vult, vel ponit medium ratione sui, sed ratione finis voliti, secundum quod necessarium est amari, vel poni pro executione finis, & non vltra: vnde, qui vult efficaciter transfretare, si nauim non habeat, necesse est, vt fieri curet vi eiusdẽ voluntatis: si autẽ habeat, non necesse est fieri curet, sed applicari; si vero nauim ab aliis applicatam supponit pro transfretando, nec ipse applicabit; tantùm ergo vi voluntatis de fine obligatur quis ad media, quantùm sufficit applicari, aut ponere de illis pro consecutione finis, ac cõsequẽter quantùm de mediis præsupponit, vel cognoscit aliundè ponẽdum, non solùm non necessitatur ad velle, vel ponere, verùm etiam talis voluntas, vel positio superuacanea esset. Et ratio à priori est, quia voluntas non fertur cæcè ad finem, & ad media, sed directa à cognitione: vnde, cum media non repræsententur, vt per se amabilia

bilia, sed secundùm quod iuuant, vel necessaria sunt ad finis, per se amati, consecutionem, tantùm vi cognitionis necessariò mouetur quis à fine ad volenda, siue ponēda media, quantùm agnoscit esse necesse amari, vel poni pro finis executione. Cùm ergo Deus per sciētiam mediam cognoscat, quòd sit executioni ponibile bonum pœnitentiæ per hoc præcisè, quòd ipse velit idem bonum, & gratiam purè sufficientē, secundùm quam videt aliunde, & à nobis futurum peccatum; sicut peccatum potest permittere alio fine, absque eo, quòd illud velit, vel ponat: ita multò magis poterit permittere ex bono finè pœnitētiæ, amando huius bonitatem; & propter ipsam gratiam sufficientē; non amans, nec ponens peccatum, vt medium; sed præcisè permittens, & non impediens, quòd sufficit ad consecutionem finis pœnitentiæ. Qua ratione probaui numero 596. quòd Deus potest prædefinire actus nostros liberos, absque eo, quòd efficaciter velit nostram determinationem, quæ, vtporè se tenens ex parte causæ executiuæ, est medium necessarium pro executione meriti, à Deo prędefiniti. Quapropter, qui tenent actus nostros liberos posse à Deo prædefiniri post scientiam mediam, reflectere debent, quòd non possunt, si cohærentes esse volunt, negare posse Deum eadem ratione prædefinire pœnitentiam ante præscientiam absolutam peccati, post tamen mediam.

1231 Hęc pro possibilitate Prędestinationis pœnitentię, vel humiliationis ante præuisū absolutum peccatum. Quòd autem de facto aliquos Deus prædestinauerit ex hominibus media pœnitentia, vel humiliatione, ostendo tum ex Augustino, tum ex Angelico Doctore, tum tandē ex Damasceno. Ex primo quidē lib. de natura, & gratia cap. 24. in illa verba Psalmi, *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*, in quæ sic habet, *quæ conturbatio contra superbiam fuit medicinalis operatio*; sicut ergo ex Augustino, ad euitandum defectum salutis aliquando sumitur in statu salutis medicina: ita ad euitandum defectum superbiæ in bono, permittit Deus aliquando cadere, vt indè cognoscat non fuisse suum, quòd stabat. Et cap. 27. opponens sibi ex Pelagianis, quòd malè doceret permitti à Deo aliquando peccatum ad finem humiliationis, non id negat; sed Pelagium redarguēs, sic loquitur; *Acutè sanè tractat, & versat, & quantùm sibi videtur, redarguit, atque conuincit, quòd eis dicitur etiam necessariū fuisse homini ad auferendam superbiā, vel gloriæ occasionem, vt absque peccato esse non posset: absurdissimum quidem, & stultissimum putat peccatum fuisse, ne peccatum esset, quia & ipsa superbia vtique peccatum est; quasi non & vlcus in dolore sit, & sectio dolorem operetur, vt dolor dolore tollatur*: & concludit cap. 28. *Non itaque dicitur homini necesse est peccare, ne pecces: sed dicitur homini, deserit aliquantum Deus, vndè superbit, vt scias non tuum, sed eius esse, & discas superbus non esse.* Sicut ergo ex Augustino homo permittit sibi dolorificam sectionem vlceris, vt tollatur maior dolor, atque periculosior ipsius vlceris: ita homini, vel superbienti de bono, vel iam periclitanti, permittit Deus cadere à primo statu bonitatis per peccatum inferius, vt agnoscens non fuisse suum, quòd bonus erat, surgat deindè humilis, & caueret odibilius peccatum superbiæ, quo homo tribueret sibi, quod Dei esset. Quomodo alibi non semel loquitur Augustinus. Ex secundo verò idē patet in lect. 6. super Epistolam ad Romanos 8. vbi, *Ex hoc autem*, inquit, *quòd iustus cadit, resurgit cautior, & humilior: vndè in glossa subditur, postquam dixerat, quòd hoc ipsum faciat eis in bonum proficere, &c.* Et clariùs in prima secundæ quæst. 79. artic. 4. vbi habet, *Excæcatio est quoddam præambulum ad peccatum: peccatum autem ad duo ordinatur: ad vnum quidem per se, scilicet ad damnationem: ad aliud autem ex diuina misericordia, seu prouidentia, scilicet ad sanitatem, in quantùm Deus permittit cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes, humilientur, & conuertantur: sicut Augustinus dicit in libro de natura, & gratia, &c.* Ex tertio tandem in libro 2. de fide cap. 29. in quo docet, *Deum aliquando velle permittere peccata propter gloriam suam: aliquando propter bonum aliorum, aliquando propter bonum ipsiusmet peccatoris.*

1232 Obiicies tamen nunc primò contra secundam partem assertionis. Si Deus antecederet ad præuisam futuritionē peccati vellet efficaciter actum pœnitentiæ ab aliquo, non posset non velle futurum formale culpæ: id autem Deus velle non potest; ergo neque illud. Maior probatur: quia volens Deus pœnitentiam ante præuisum futurum peccatum, non potest nolle permittere peccatū: sed in hac necessitate ex suppositione voluntatis de pœnitētia, non solum necessitatur Deus ad velle bonum permissionis, verùm etiam malum culpæ subsequentis; ergo. Maior patet: nā, si post efficacem voluntatem pœnitentiæ posset Deus nolle permittere peccatum; ergò, cùm sine præcedenti peccato non possit stare pœnitentia, iam adhuc pœnitentia ipsa posset non poni, atque consequenter

voluntas Dei de pœnitentia non fuisset efficax. Probatur ergo minor antecedentis syllogismi: Ideò Deus, volens efficaciter pœnitentiam, non posset nolle permissionē peccati, etiam post sciētiam mediam, quia sine Dei permissione de peccato non esset ponibilis ipse actus pœnitentiæ; ergo ideò ex voluntate pœnitētiæ determinatur Deus ad permissionem peccati, quia per eam fit ponibilis actus pœnitentiæ; ergo ad id ex vi voluntatis pœnitētiæ determinatur Deus, quo formaliter fit ponibilis ipse actus pœnitentiæ: atqui posita tota bonitate diuinæ permissionis, & præciso subsequenti malo culpæ, adhuc non est ponibilis pœnitentia: & econtra, posito peccato, & præcisa bonitate diuinæ permissionis fit ponibilis eadem pœnitentia; ergo voluntas de pœnitentia, vt ponenda, non trahit secum necessitatē permissionis diuinæ quoad eius bonitatem præcisam, sed præcipuè quoad subsequentem malitiam.

1233 Respondeo clarissimè ex dictis, negādo maiorē. Ad cuius probationem nego secundam partem minoris, Ad cuius probationem distinguo causalem antecedētis, ideò præcisè volens Deus pœnitentiam nō posset nolle permissionem peccati, quia sine hac Dei permissione non esset ponibilis actus pœnitentiæ iam volitus, nego causalem; per hoc & etiam ex eo, quia permissio ista non est ab alio ponibilis, nisi à solo Deo, concedo causalem antecedentis. Eodem modo distinguo primum consequens; ergo ideò ex voluntate pœnitentiæ determinatur Deus ad permissionē peccati, quia præcisè per eam fit ponibilis pœnitentia, nego; & per hoc, & quia permissio à solo Deo, & non aliundè potuit procedere, vt conditionatè ponenda, concedo consequentiam. Pariter distinguo secundum consequens; ergo ad id ex vi voluntatis pœnitentiæ determinatur Deus, quo formaliter fit ponibilis actus pœnitentiæ, si hoc non est ponibile, nisi à Deo, concedo; si aliundè est ponibile, & per scientiam mediam cognoscitur, vt ponendum, nego consequentiam. Concessa deindè minore subsumpta, nego vltimam cōsequentiam. Ex dictis patet ex vi efficacis voluntatis finis tantùm Deū necessitari ad velle media, quantùm, secundùm directionem intellectus requiritur, vt finis sit executioni mandandus, & non vltra; quia ergo ad hoc, vt pœnitentia si ponibilis, prærequiritur peccatum, de quo pœnitēs pœniteat, & peccatum non possit esse, nisi Deo permittente, ex vi voluntatis efficacis pœnitentiæ, volitæ ante præuisum absolutè peccatum, tantùm relatè ad permissionem, & peccatum necessitatur Deus, quantùm per scientiam mediam dirigitur esse necessarium, vt ponatur à Deo: quoniam autē diuina permissio, seu collatio gratiæ sufficientis non potest esse, nisi à solo Deo, & hæc prærequiritur ad actum pœnitentiæ, ad huius voluntatem determinatur Deus vi voluntatis de pœnitentia: peccatum verò, quod proximiùs requiritur ad subsequentē pœnitentiam cognoscitur per sciētiam mediam, vt aliundè ponendum, nimirum à nostro arbitrio: atque ideò vi voluntatis de pœnitentia, vt ponenda, non requiritur, vt Deus velit peccatum, imò talis voluntas superflueret; ergo nō sequitur, quòd, si Deus ante præuisum futurum absolutè peccatum velit efficaciter pœnitētiam, debeat velle, aut vllo modo complacere de peccato, quæ Deo repugnant.

1234 Obiicies secundò diuina permissio, seu collatio gratiæ purè sufficiētis secūdùm se potest indifferenter esse volita à Deo, siue in pœnam antecedentis culpæ, siue ex præciso suo dominio; ergo velle permissionem istam, seu collationem istius gratiæ præcisè secundùm se non est medium ad pœnitentiam, nisi quatenus annexam habet culpam; ergo velle gratiam, vt mediū ad pœnitentiam præuolitam non est eam velle secundùm se, & secundùm suam bonitatem; sed præterea velle eam, vt includentem culpā; atqui implicat Deum velle gratiam, vt formaliter includentem culpam; ergo implicat Deum velle permissionem peccati ex præuolita fine pœnitentia.

1235 Respōdeo etiā ex iā dictis cōcesso antecedēti; distinguo primū cōsequēs: ergo velle collationem gratiæ purè sufficientis præcisè secundùm se non est medium ad pœnitētiam, nisi quatenus annexam habet culpā vndecumque hæc proueniat, concedo: nisi quatenus annexam habet culpam, vt ponēdam ab eo, à quo ponenda est gratia secūdùm se, nego primam, & secundam consequentiam. Gratia purè sufficiens, præcisa subsequenti culpa, non est certè medium ad pœnitentiam, sed prout annexam habet culpam: & quia ista duo habēt valdè diuersa principia, nēpe prima Deum, secunda liberum arbitrium defectibile, non erit volibilis gratia purè sufficiens à Deo ex præuolita pœnitentia secundùm se sola, sed cùm accedit scientia media dirigens, quod aliundè ponetur culpa: tunc namq; ex futuritione conditionatè præuisa culpæ euadit ipsa gratia sufficiens medium remotum, aptum ad pœnitentiam per accessum culpæ aliunde, scilicet à libero arbitrio defectibili,

fectibili, tamquam præ requisiti medij proximioris ad pœnitentiam: ad quòd totũ ex parte Dei sufficit, si velit gratiam sufficient ẽ,& nõ impediat liberum arbitriũ defectibile ab opere culpabili conditionatè præuiso: nullatenus autẽ requiritur, imò superflueret voluntas de culpa, iam cognita, vt aliunde futura.

1236 Solet hic communiter agi de signis Prædestinationis, quibus homo possit aliqualiter cognoscere, si sit ex numero Prædestinatorum. Dixi aliqualiter, nam non solùm probauimus ex Scriptura cõtra Lutheranos, & Caluinistas neminem scire, si amore, vel odio dignus sit, sed præterea nemo, præcisa reuelatione, etiam hic, & nunc Sanctus, scire potest, si in eadem Sanctitate perseuerabit vsque ad mortem, cùm donum perseuerantiæ, nulli quantũuis Sancto, sit debitum, sed specialis gratia, quam Deus tribuit, cui placet. De hac ergo qualicumque certitudine signorũ Prædestinationis, quæ potiùs spectat ad Concionatores, quàm ad Scholasticos, ego nẽ omninò sileam, dicam duo esse specialia signa Prædestinationis: primum ex ore Christi in Euangelio, *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Qui ergo cùm verba salutis audit, libẽter audit, atq; sæpè compũgitur, arguere aliqualiter potest ex Deo esse. Secundum autẽ est illud, quod ex eodẽ Euangelio habemus, & sæpè inculcat Augustinus, dimittite, & dimittetur vobis: qui enim in se experitur facilè dimittere ex corde offẽsas illatas sibi ab alijs, aliquid videt in se ratione cuius moueat Deum, vt dimittat illi offẽsas in ipsum factas. Hæc inter opera bona video specialiter, tamquã specialia signa alicuius stabilis seminis gratiæ, quibus simile est, vel potiùs idẽ principiũ habẽs radicalis amoris in proximũ, commiseratio necessitatum proximi, & voluntas subleuandi; hæc enim indè originẽ ducunt, vndè nascitur voluntas remittẽdi offẽsas, sibi illatas à proximo. Et hæc sufficiant de materia Prædestinationis.

QVÆ.

QVÆSTIO TERTIA, ET VLTIMA DE REPROBATIONE.

1237 Hic præcipuè magis elucet necessitas scientiæ mediæ, vbi ipsius oppugnatores, vt aliquos euitēt scopulos, quò se vertant, non habēt: cùm enim sententia, negans scientiam mediam, totum in eo fundamentum habeat, quòd omnia opera liberi arbitrij creati reducit, tamquam in primam causam, in Deum, vt primum illorum determinatiuum, saltem quoad positiuum, suos nunc defensores coarctat, vt asserant, quòd Deus, qui in prima hominum, & Angelorum conditione eos fecit rectos, & conuersos ad se, quasi pœnitēs deindè eius, quod fecerat, ipse, nullo præsupposito illorum demerito, tamquam primum principium, & hominem, & aliquos Angelos physicè voluerit, & determinauerit, vt, relicta prima conuersione ad Deum, cōuertantur positiuè ad se ipsos: & antequā ab vllo quoquo modo desereretur, ipse eosdem, quos protexerat, desereret, tribuendo tale auxilium, cui esset infallibiliter connexa recessio à Deo. Coarctat insuper, vt asserant, quòd idem Deus, qui sua bonitate omnes creaturas rationales eleuauerat ad regnum, volens vniuersali lege saluare, qui in ea bonitate, quam acceperant, permanerent, quasi hanc vniuersalē suæ bonitatis communicationem fastidiēs, ex se ipso, & nulla habita ab hominibus, vel Angelis occasione, siue motiuo, priùs decretum euacuans, aliud statim absolutū, & discretiuum habuerit, quo, secundùm aliquos sciētiæ mediæ Oppugnatores, quos voluit, prædestinauit ad regnum, reliquos verò initiatiuè excluserit, nolens tribuere media, quibus saluarentur; sed alia tribuens, quibus esset infallibiliter annexum meritum damnationis: secundùm alios verò eiusdem scientiæ Oppugnatores, non tam initiatiuè, sed adhuc completè voluerit Deus, quos non elegit, actu positiuo excludere à regno, & propterea permittere, vt peccent: non attendētes vtiq; quòd secundùm eorum principia, Deum, de quo ex Scriptura habemus, quòd *superexcedit eius misericordia iudicium*, faciunt magis delectantem ex se ipso de perditione creaturarum rationalium, quam de earūdem sublevamine: cùm doceant eumdem Deum siue initiatiuè, siuè completè plures ex hominibus sua sola voluntate, & nullo habito motiuo ex parte hominum voluisse excludere à regno, & destinare ad mortem, quam ad vitam. Hæc autem omnia iuxtà principia scientiæ mediæ ita euanescunt, clarèque componuntur Dei bonitas relatè ad omnes, misericordia relatè ad pauciores, atque iudicium relatè ad plures ex hominibus, vt mirum sit, quòd reperiatur, vel vnus, qui doctrinam de sciētia media non toto conatu amplectatur. Ad hæc ostendenda accingor: vndè sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An detur, qualis, & quid sit Reprobatio?

1238 Dari Reprobationem tum aliquorum Angelorum, tum hominū,

myſterium eſt fidei, vt patet ex illo Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Et ex Apoſtolo ad Romanos 2. *Qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius: his quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, ira, & indignatio.* Quod etiam pluribus alijs innumeris Scripturæ locis indicatur. Quapropter circa hoc pũctum non eſt nobis immorandum. Id porrò, quod præſentem materiam confuſam reddit, & vbi non pauci ſatis illepidè decurrunt, eſt, quòd in Reprobatione plura includuntur, quæ, niſi omnia, prout oportet, diſtinguantur, Lectores, ſiuè audientes potiùs maioribus afficiũtur ſcrupulis, & confuſione, quàm ediſcent: non enim ſufficit, prout plures faciunt, dumtaxat dicere, quòd Reprobatio ſit reiectio à gratia, & gloria, ſiue quòd ſit Dei volũtas excludendi aliquos à gratia, & à gloria: hinc enim niſi ordo ipſe excludendi, & differentia intercedens inter hoc, quod eſt excludere, & hoc quod eſt non includere, explicentur, tota naſcitur confuſio.

1239 In primis ergo ex ipſa nominis Etymologia ſciendum, atque animaduertendum eſt aliud eſſe aliquem non approbari, aliud reprobari, ſicut aliud eſt non includi, aliud excludi: qui enim numquam fuit quoquo modo approbatus, ſeu nullũ vnquam habuit ius ad approbationem, nec vnquam potuerit dici reprobari: ſicut, qui numquam fuit admiſſus in aliquorum ſocietate, vel in domo, non incluſus in illis dici poteſt, ſed non excluſus: vndè ſi Deus prima ſua voluntate gratuita elegiſſet aliquos ad gloriam, & alios nullo modo voluiſſet ad hoc donum eleuare: ſed ſolùm voluiſſet, vt potuiſſet, relinquere in puris naturalibus, iſti non poſſent dici reprobati, nec reiecti, aut excluſi, ſed dumtaxat non approbati, non electi, & non incluſi: vt verò dicantur reprobati, reiecti, & excluſi, neceſſe eſt, vt priùs aliquod ius ad gloriam habuerint, aut poſſe, à quo deindè cadentes, dicantur excluſi, reiecti, & reprobati relatè ad illud ius, vel poſſe; quo pacto eſſet, ſi Deus prima voluntate promiſſoria, ſimul & comminatoria voluiſſet omnes eleuare ad gloriam, eamque promiſiſſet cuicumque benè operanti infra determinatum tempus, quo elapſo malè operantes deperderent iam habitum poſſe: iſti certò ſic à iure, & poſſe ſaluari cadentes, euaderent reprobati, reiecti, & excluſi. Ex quo habeas, quòd aliud eſt quærere, an Deus ſuo dominio, & liberrima volũtate potuerit, aliquibus electis, alios nõ eligere; aliud autem, vtrum aliquibus electis, & incluſis, alios eodẽ dominio reijcere, & excludere potuerit, de quo ſuo loco.

1240 Cùm autẽ ex Scriptura habeamus hominem ab initio ſuæ conditionis fuiſſe eleuatum ad vitam, antequam peccaret, prout docemur Eccleſiaſtici 15. ac pari modo omnes Angelos, ſicut habetur in Ezechielis 28. Ioannis 8. & in epiſtola Iudæ Apoſtoli, conſequenter certum eſt, quòd antequam in peccantibus ex his Deus præuidiſſet futurum peccatum, quod neceſſe eſt ſuppoſuerit ſtatum gratiæ, & eleuationis ad gloriam, habuit relatè ad eos decretum conditionatum ſaluandi, ſi permanſiſſent in rectitudine, in qua creati fuerant: non ita, ſi caderent: cùm aliqua tamen differentia, quòd relatè ad Angelos decretũ iſtud fuit indiſpenſabile, nullius nimirum cadentis miſerendi: relatè verò ad homines reſeruata fuit alia conditio, puta, niſi miſericorditer voluerit, cum quibus placuerit, eos liberare: atque ita relatè ad omnes poſt præuiſũ originale, in quo omnes peccauerunt, & debitum contraxerunt damnationis, & excluſionis à gloria, qui ab hoc debito liberati ſunt, hi ſunt miſericorditer prædeſtinati nouo efficaci decreto Dei, volentis cum his ſuam miſericordiam oſtendere; quorum verò non ita miſertus fuit, hi relicti ſunt in maſſa perditionis: An autem nouo decreto eos excludente, vel non includente cum alijs, infra dicam; quibus tãdem deindè executiuè retribuitur pœna dãnationis.

1241 Ex quibus conſtat non eodem modo diſcurrendum fore de Reprobatione malorum Angelorum, & malorum hominũ: nam cum primis nullum fuit decretum nouum in Deo poſt præuiſum eorum peccatum, miſerendi, & eligendi miſericorditer hos, & non miſerendi, ſed reijciedi, vel non includendi alios: ſicut fuit relatè ad homines, prout ex Auguſtino probaui numero 242. & colligitur infinitis Scripturæ locis, in quibus opus ſaluationis hominum Electorum dicitur opus miſericordiæ, & non puræ bonitatis Dei: miſericordia autem ſubleuatio eſt alicuius à miſeria.

1242 Itaque concludo ex his, tãquam omninò certum, Reprobationem malorum Angelorum eſſe voluntatem Dei conditionatam damnandi malè operantes ex Angelis, & permittendi, ſeu non impediendi in eis flexibilitatem liberi arbitrij, ſiue ad bonum, ſiue ad malum. An autem præter hos actus diuinæ voluntatis aliuſ ſiue

ante,

ante, siue post præuisum eorumdē Angelorū peccatum, includat, dicam infra, quòd non. Ex his autem duobus quis sit prior in Deo, puto fuisse voluntatem permissiuam, & deindè conditionatam comminatoriam pænæ: quandoquidem, vt millies probatū est ex Augustino libro de Correctione, & Gratia cap. 10. Deus in prima conditione hominum, & Angelorum noluit gratiam ad ostensionem suæ misericordiæ, & iudicij, sed ad ostendendam suam bonitatem in communicando libero arbitrio perfectū posse liberè operari, etiam supernaturaliter, quo pateret, quid hac gratia posset idem liberum arbitrium; vndè collatio ista gratiæ fuit purè sufficientis, & nulli efficacis, sicut ex eodem Augustino demōstraui in toto cap. 7. & præcipuè num. 109. ac consequenter gratia hæc sufficiens non fuit illis collata ex voluntate Dei promissoria, & comminatoria: sed ex voluntate constituendi liberum arbitrium creatū perfectè potens in suo genere: & deindè, ne operatio, quæ futura esset bona, & mala sine præmio, aut pœna remaneret, voluit saluandos, qui in bonitate starent, dānandos, qui caderent: & indè est, quòd Augustinus, vt videre est in antecedenter dictis num. 157. semper quòd loquitur de creatione hominum, & Angelorum, quos præscierat peccaturos, numquam dicit, quod prædefinierat iam quid de ipsis faciēdum sit, sed semper, quòd sciebat, quid ageret, vel quid esset facturus; ergo decretū faciendi, quòd expediret de eorumdem peccatis, supponit voluntatem creandi illos cum potentia ad vtrumlibet, & consequenter cum gratia, sine qua non staret ista potentia, nec peccatum. Neque opponi huic doctrinæ potest, quòd posita voluntate Dei permissiua de peccato, hoc euaderet absolutè futurum, & non esset locus voluntati Dei conditionatè promissoriæ, vel comminatoriæ subsequenti: nō inquam, dici potest, quia cùm promissio, & comminatio præmii, & pœnæ volūtatem moueant, & concurrant ad actus, numquam peccatum potuit cognosci, vt absolutè futurum, adhuc stante voluntate Dei permissiua, nisi præcognitis in statu absoluto omnibus ijs, quæ possent retrahere ab illo, & non retrahunt, & consequēter, nisi post voluntatē Dei de præmiando, vel puniendo, & huius reuelatione.

1243 Quoad verò Reprobationem damnādorum ex hominibus idem proportionaliter est intelligendum: pari namque modo loquitur Augustinus præcitato loco de Correctione, & Gratia de Angelis, atque hominibus: imò specialiter de hominibus loquitur, hac dumtaxat reseruata differentia, quòd relatè ad homines decretum primum conditionatum damnandi malè operantes aliam incluserit conditionem, nisi Deus scilicet, cum quibus placuerit, misericordiam exercere voluerit, quod non reseruauit cum Angelis: & rursus, cùm ex Apostolo, adhuc post originale peccatum, voluerit omnes homines saluos fieri; quod clariùs patet ex Ezechiele 18. vbi refertur, quòd murmurantibus Hebræis de originali, tamquam causa omnium malorum, atque dicentibus, *Non est æqua via Domini, quia Patres nostri manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*; responsum fuit illis à Domino, *Numquid voluntatis meæ est mors impij? an non, vt conuertatur, & viuat?* Et deindè, *Numquid via mea non est æqua? an non magis viæ vestræ prauæ sunt: cùm enim auerterit se impius ab impietate, & fecerit iustitiam, ipse animam suam viuificabit*: necesse erit dicere, quòd vi soliùs prioris decreti conditionati non adhuc sufficienter sunt reprobati, qui damnantur ex hominibus, sed aliquid aliud requiritur ex parte Dei reprobantis, de quo articulo sequenti agam.

1244 Definiri hinc potest Reprobatio *in communi*, prout comprehendit *tum illā malorum Angelorum*, *tum illam hominum damnandorum*, quòd sit retributio debitæ pœnæ mortali peccato, non remisso. Hanc definitionē esse optimam, & breuiorem, quoad fieri potest, iuxtà definitionis regulas, clarè conuinco. In primis eadem definitio continet tum ordinem intentionis, tum ordinem executionis, dum per illam particulam, retributio importatur siue retributio, vt volita, siue vt executioni demandata, in quo differt Reprobatio à Prædestinatione, quæ ratione particulæ, præ, additæ nomini destinationis, anterioritatem significat, & potiùs ordinem intentionis, quàm executionem. Reprobatio autem non ita: nam non est prææreprobatio. Secundò includit præsuppositiuè peccatū per illas alias particulas, debitæ pœnæ: eò quòd pœna ex debito soli peccato competit, & cùm peccatum non possit esse, nisi Deo permittente, includit etiam voluntatem permissiuam Dei præsuppositam. Tertiò includit omnem Dei voluntatem conuenientem, ratione cuius Deus executiuè potest pœnam retribuere. Quartò significat æternitatem pœnæ, tum priuatiuam gratiæ, & gloriæ, tum positiuam cruciatus: quia æternitas pœnæ nō potest esse debita, nisi mortali peccato, nō condonato, & huic

vtra-

vtraque pœna æternaliter debetur. Ergo hæc definitio includit omnia, quæ includit Reprobatio: constat aliunde genere, & differētia: nā retributio se habet, vt genus: cæteræ autem particulæ, vt differentia; ergo optima est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An in Deo fuerit aliqua absoluta voluntas reprobandi? & an ante, vel post præuisa peccata, vt absolutè futura?

1245 EX dictis in articulo antecedenti constat fuisse in Deo ante præuisū peccatum, vt absolutè futurum, actum conditionatum, quo tum ex Angelis, tum ex hominibus voluit saluandos, qui operaturi essent benè, & permansuri in ea rectitudine, quam à Deo, dū eos condidit, acceperant: damnandos verò, qui caderent; reseruata alia conditione ex parte hominū, nisi misereri aliquorum voluerit: qui quidem actus potest dici Prædestinatio conditionata, prout respicit, sub conditione operis boni, gloriam: & simul Reprobatio, prout sub conditione operis mali respicit pœnam. Quærimus nunc an, præter hunc actum Reprobationis conditionatæ, fuerit in Deo aliquis actus absolutus, quo siue ante, siue post præscientiam absolutam peccati, voluerit absolutè aliquos damnādos.

1246 Insuper, cùm, sicut Prędestinatio aliquādo sumitur pro preparatione gratię, facientis operari: aliquando pro voluntate meritorum: aliquando pro voluntate gloriæ: & aliquando pro omnibus his: ita Reprobatio sumatur nō semel pro preparatione talis gratiæ, quæ, licèt det posse benè operari, absolutè tamen, vel saltem magis connectitur cum opere malo, & hæc dici solet Reprobatio inchoatiua: nō semel etiā sumatur pro ipsomet peccato, sicut loquitur Apostolus, cùm dicit, *Ne, cum alijs prędicauerim, ipse reprobus efficiar*: rursus aliquando, & ordinariò pro exclusione à gloria, quæ dicitur Reprobatio positiua, & simpliciter: aliquando verò pro non inclusione, quæ dicitur Reprobatio negatiua: ac tandem pro omnibus his: quærimus an Deus quoquo modo ex dictis aliquos ante præuisum quodcumque mortale reprobauerit? an potiùs post præuisum siue actuale, siue originale peccatum? Circa quas difficultates.

1247 Prima sententia est plurium Thomistarum, vt videre est hic apud Ioannem à Sancto Thoma quæst. 23. disput. 10. artic. 1. num. 5. quibus ipse subscribit, & cum eo ex Societate Pater Granados tract. 8. de causa Reprobationis disput. vnica, sect. 1. & 2. Isti in primis distinguūt in reiectione Reproborū duo, nimirū primò negationē gloriæ, quæ est beneficium indebitum: & secundò, quòd talis negatio inducat rationē pœnæ, & punitionis: secundùm autē horum duorum distinctionem dicunt certissimum esse, quod reiectio à gloria, prout est actus iustitiæ punitiuæ: & ipsa exclusio à regno, prout est pœna in executione inflicta, habēt pro causa demeritum culpæ. Legatur idem Ioannes à Sancto Thoma loco citato artic. 2. num. 1. Si verò eadem negatio gloriæ sumatur, quatenus est negatio beneficij indebiti, omnes Reprobos de facto, Angelos quidē ante omne præuisum peccatum, homines verò post præuisum originale, nō tamē ex illo, tāquā causa motiua, sed indepēdēter ab illo, atque sola Dei liberrima voluntate ex motiuo ostendendi suam iustitiam, fuisse exclusos à gloria, & indè permissum in eis peccatum: eò modo, quo prædestinati ante præuisa merita fuerunt Electi ad gloriā, & inde prædestinata illis gratia efficax: ita idem Ioannes à S. Thoma num. 14. & 28.

1248 Quis hic non videat in Reprobatione, tum Angelorum, tum hominum, (paruulis exceptis, decedentibus sine baptismate ante vsum rationis) non solum reperiri exclusionem à gloria, quæ solet dici pœna negatiua, verùm etiam æternum cruciatū ignis, quæ vocatur pœna positiua? quid ergo de ista sentiunt? an etiam in isto cruciatu inueniunt isti Doctores rationem exclusionis beneficij indebiti, & rationem punitionis? Quid de eo dicunt? quòd absolutè Deus voluit ad ostensionem sui dominij, & iustitiæ, indepēdēter, & non propter peccatum, aliquas ex suis nobilioribus creaturis in æternum cruciandas? & solùm executionè deindè tales cruciatus inducere rationem pœnę, & punitionis? de pœna hac positiua quid sentiant, ego sanè non lego, forsan, quia satis durum agnoscunt talia cogitare de Deo?

1249 Rursus transitum faciunt isti de dominio Dei secundùm se, & nulla præsupposita promissione, ad statum determinatæ promissionis: & vtrumque statum confundūt. Nulli dubium est Deum potuisse, spectato

suo dominio, vel Angelos, & homines non creare: vel eos creare in puris naturæ, & non eleuare ad gloriam: aut tandem eleuare aliquos, & non omnes: eò quòd ista eleuatio nulli erat debita, & Domini est gratiam facere, cui placuerit. Hæc incōcussa sunt, spectato dominio Dei secūdùm se. At supposito, quòd Deus voluerit omnes Angelos creare rectos, & conuersos ad illum cum gratia sanctificante, quæ importat ius ad gloriā: sicut etiā & omnes homines in Adamo, tamquam in capite, nonnisi ineptè eodem modo discurritur: quamuis namque neque Angeli, neque homines habeant ex se ius ad gloriam, habent tamen ex suppositione talis gratuitæ creationis: quis enim ita insaniet, vt dicat, quòd, si omnes Angeli, & Adam stetissent, vt poterant, in statu, in quo fuerant creati, potuisset adhuc Deus non dare illis gloriam absque offensione suipsius, & suorum promissorum? nisi ergo accessisset peccatum, non potuisset Deus ex suppositione talis gratuitæ creationis vllum ex Angelis, vel hominibus damnare: non quidem ratione iuris proprij, & naturalis, sed ratione iuris gratuiti, dati in tali creatione, quod, nisi per peccatum amisissent, non poterat à Deo absque offensione suæ immutabilitatis euacuari; ergo pari modo, nec idem ius poterat enacuare ante prēuisum peccatum per prēcisam libertatem Dei, & dominium, absque offensione suę antecedentis promissionis, ratione cuius voluit omnes creare in gratia, & cum iure ad gloriam: neque enim hæc voluntas promissoria, & conditionata esset illa absoluta, & exclusiua posterior: esset namque voluntas omninò illusoria, vt postquam Deus voluerit aliquos efficaciter exclusos à gloria ex suo dominio, & libertate, velit eos eleuare, & promittere eisdem gloriam: quandoquidē esset voluntas supponens decretum impossibilitans ipsis gloriam.

1250 Insuper, cùm isti dicunt, quòd reiectio à gloria, prout est actus iustitię punitiuę: & ipsa exclusio à regno, prout est pœna in executione inflicta, habent pro causa demeritum culpæ, vellem, vt non æquiuocè, sed clarè loquantur, explicando quid intelligāt nomine actus iustitię punitiuę, an scilicet actum in ordine intentionis? an verò actum in ordine executionis? Si enim dicant hoc secundum, ad quid distinguere exclusionem à gloria, vt indebita, & exclusionem à gloria, vt pœna, cùm vtraque ordine intentionis antecederet præuisionem peccati, vtraque in executione subsequeretur? nec enim in exercitio negari posset Angelo non cadenti gloria ex se indebita. Si dicant primum, videant sanè isti Doctores, quid dicant: nam ita peccatum solo titulo pœnę puniretur, non verò in re: quandoquidem exclusio à gloria, vt indebita, iam esset futura vi decreti antecedentis præuisionem peccati, & non intendentis pœnam, cùm hæc intentio subsequatur præuisionem culpæ; ergo hęc intentio puniēdi nō poneret in re aliquod, quod aliàs nō esset, sed dūtaxat exclusioni gloriæ, quæ iam esset vi prioris decreti, adderetur titulus pœnæ. Tota ergo punitio peccatorum in solo titulo pœnę consisteret, non in reali passione, & mulctatione, quo nescio, si aliud ridiculosius excogitari possit.

1251 Secunda sententia est plurium Scotistarum, qui, & si procurent discedere à duritie antecedentis, reuera tamen non videntur discedere. Isti ergo negantes etiam scientiam mediam, & tuentes decreta Dei comitantia, vt suo loco probati, in præsenti difficultate dicunt, loquendo de Angelis reprobis, quòd Deus in primo suo decreto voluit antecedenter ad præuisa merita: vel demerita saluos eos, qui defacto saluati sunt, & propterea voluit in illis merita, circa reliquos verò præcisiuè se habuisse: nec quidem volendo saluare, nec dānare voluntate efficaci, sed dumtaxat nolēdo voluntate antecedenti saluare eum reliquis: quare non inclusionem vocant Reprobationem negatiuam: deindè verò viso eorumdem futuro peccato, voluisse in pœnam decreto positiuo, & efficaci, damnare. Loquendo verò de hominibus, nullum volunt efficaciter prædestinatum ante originale præuisum, nisi solùm Christum Dominum, quem volunt prædestinatum, etiam si Adam non peccasset: sed supposita prēuisione originalis, asserunt aliquos Deum voluisse misericorditer saluare, & propterea prædestinasse in eis decreto concomitante opera bona: cum reliquis verò præcisiuè se habuisse, quod est reprobasse negatiuè: adhuc tamen voluisse inefficaciter saluandos, sed deindè post præuisa etiā propria peccata voluisse damnare, loquendo de adultis; eos verò, qui decidunt sine baptismate ante vsum rationis, voluisse exclusos à gloria in pœnam originalis. Itaque sententia ista nullum vult fuisse positiuè reprobatum ante præuisum peccatum, sed dumtaxat negatiuè: post verò præuisum originale fuisse positiuè aliquos exclusos à gloria, sed non puniendos pœna sensus: & istis determinasse mortem ante vsum rationis: aliquos verò fuisse vtraq; pœna, & dā-

ni, & sensus volitos puniendos post præuisa peccata propria.

1252 Displicet ista sententia in duobus: in vno quidem, quòd fundata in negatione scientiæ mediæ, durissimum quid continet, non minus, ac præcedens sententia, vel paulò minùs: & in alio, quod superfluè ponitur. Primum ergo ex duobus in eo cōsistit, quia ista sententia, negans scientiam mediam, & decreta indifferentia, adstringitur, vt doceat, quòd Deus, postquam voluit omnes Angelos, & homines in suo capite, creare rectos, conuersos ad ipsum, & in gratia, se solo, & ex præcisa propria voluntate determinauerit in aliquibus decreto concomitante, nullo habito per eos defectu, nec respectu vllo ad illorum determinationem, sed omninò independenter, positiuum recessum ab eodem Deo, & cōuersionem ad se ipsos, quasi ex se solo pœniteret, quòd fecerit omnes rectos: quandoquidem in istorum sententia ad primum hominum, & Angelorum defectum debuit præcedere decretum concomitans, & efficax Dei determinans ipsum ad concurrendum in materiale peccati, nimirum in physicum recessionis à Deo, & conuersionis ad se ipsos; non ergo Deus desertores deseruit; sed, quia ipse priùs eos deseruit, desertores, & culpabiles facti sunt, quod est contra cōmunem loquendi modum Sanctorum Patrum, & præcipuè Augustini in responsione ad 14. articulum ex falsò à Pelagianis sibi impositis, vbi ita loquitur, *Si in Sanctitate viuitur, &c. si autem ab his receditur, & ad vitia; atque peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit: & recessurum non deserit, antequam deserat*. Est item nimis inconueniens diuinæ bonitati, & sapienti in Deo scrupulum mutabilitatis, cumq; ista Dei desertio non fuerit cæca, casualis, & sine fine, nec Dei determinatio ad materiale peccati, à quo est inseparabile malum culpæ creaturæ rationalis, alium possit habere finem, quàm vel ostensionem diuini dominij, aut iustitiæ puniitiuæ, iam hæc sententia vocibus, & non rebus differt à prima Thomistarum. Secundum autem, in quo displicet, est, quòd ponit superfluè, vt infra probabo, nouum decretum reprobatiuum post præuisum peccatum, quando sufficit antecedens conditionatum: cùm hoc, posita conditione peccati, euadat absolutum.

1253 Tertia sententia est plurium Patrum Societatis, & neutralium, asserentium Deū, prædestinando aliquos ante præuisa eorum merita, & non reliquos, hos consequenter etiam negatiuè reprobasse ante præuisa eorum demerita: reprobasse verò eosdem deindè positiuè post præuisa peccata. Ex his autem quidam, nec mentionem faciunt, si Electorum Prędestinatio facta fuerit ante, vel post originale peccatum.

1254 Nec etiā placet hęc sentētia: tum quia nescio, quomodò vocari debeat Reprobatio negatiuè, quæ præcisè est negatiuè non approbatio: approbando enim aliquos, & alios non approbando, sed præcisiuè se habendo, est negatiuè se habere in non eos approbando, sed non ideò quoquo modo potest dici reprobasse, cùm reprobare dicat aliquid plus, quam dicat non approbare, sitque hic status medius inter approbare, & reprobare. Tum quia etiam superfluè ponit positiuam nouam Reprobationem post præuisum peccatum, siue solùm originale respectu paruulorum, siue etiam actuale respectu adultorum damnatorum. Pro maiori ergo præsentis difficultatis claritate.

1255 Dico primò ad hoc, vt Deus voluerit ostendere se esse iustum punitorem, & vindicatorem malorum, nulla fuit necessitas, vt id voluerit decreto absoluto, & efficaci, quod sit causa permissionis peccati, infallibiliter futuri: sed sufficientissimè id ipsum haberi, per decretum conditionatum comminatorium vindictæ, & punitionis debitæ peccantibus.

1256 Probatur conclusio primò ex Scriptura, & deindè ex Augustino. Ex illa quidē ad Romanos 3. *Quomodò non veritas lex, per quam cognitio peccati, & quæ testimonium perhibet iustitiæ Dei?* Lex autem non est volūtas ostensionis iustitiæ Dei efficax, & absoluta: nec permissio: sed prohibitio peccati, & comminatoria pœnæ peccantibus, & tamen per Apostolum est testimonium iustitiæ Dei. Paucis id ipsum ostendit Augustinus in explicatione Psalmi 118. in illis verbis, *Iustum quippe se probat, mandando iustitiam*.

1257 Ratio etiam hoc ipsum conuincit: nā qui peccatis minatur pœnam, atque ab eis creaturas rationales compescere procurat, ostendit se amare iustitiam, & velle malis debitam retribuere pœnam; ergo per hoc, quòd Deus conditionatè voluit mala punire, si erunt, atque per legem se taliter puniturum profiteatur, se ostendit iustum malorum punitorem. Quòd verò, vt id exercitè præstet, ipse media procuret, potiùs crudelitatem in decretando suis creaturis durissima tormenta nō adhuc debita, redoleret, quàm ostensionem iustitiæ, vel simplicis dominii.

1258 Dico secundò nullum Deus defacto, siue ex motiuo ostendendi suum dominiū, aut iustitiam, siue quocumque alio, absolutè exclusit à gloria, etiam ordine intentionis, ante omne præuisum peccatum, siue actuale proprium, siue originale; nec quidem exclusione negatiua. Hæc assertio ex diametro opponitur sententiæ Thomisticæ; & eam quoad exclusionem positiuam.

1259 Probo primò authoritate Angelici Doctoris: qui prima ad Annibaldum dist. 40. quæst. vnica artic. 3. sic scribit, *Voluntati diuinæ de salute hominum duplex voluntas opponi videtur, scilicet voluntas de cōtradictorio, secūdùm quòd vult aliquē non saluare: & volūtas de cōtrario, secūdū quòd vult dānare aliquē. Prima quidē voluntas non requirit aliquā rationem ex parte voliti, cùm salus gloriæ, non sit debita humanæ naturæ: non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo: sed volūtas damnationis respicit rationem voliti in damnato, cùm damnatio ex debito inferatur, quia finis damnationis est Dei iustitia: detrimentum autem damnationis ex parte nostra non solùm sunt opera mala, sed etiam naturæ infectio. Reprobatio ergo, quæ vtramque prædictarum voluntatum includit, habet causam, quasi finem, diuinam iustitiam: habet verò quasi rationem voliti non de necessitate, præscientiam operationum: sed ad hoc sufficit præscientia infectionis naturæ.* Hunc eumdem locum adducunt Thomistæ pro ipsorum sententia; & non mirum, quia, considerant ex Angelico verba disiunctim, secundùm quòd possunt ad suum adducere intentum; hic ergo præcisè cōsiderant illa Angelici Doctoris verba, *Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm salus gloriæ non sit debita humanæ naturæ, &c.* reliqua verò cōtextus pertranseunt. Cur namque non reflectunt, quòd Angelicus de eadem Dei voluntate de cōtradictorio, de qua dicit, quòd *non requirit aliquam rationem ex parte voliti*, deindè asserit, *habet verò quasi rationem voliti, non de necessitate, præscientiam operationum*? non enim hæc verba appellant, etiam in sententia Thomistica, supra aliam voluntatem diuinam de contrario; quandoquidem hæc de necessitate habet pro causa rationem voliti, *Sed voluntas damnationis*, ait Angelicus, *respicit rationem voliti in damnato, cùm damnatio ex debito inferatur*. De illa ergo eadē voluntate, de qua dixerat, quòd, *non requirit aliquam rationem ex parte voliti*, de eadem dicit, quòd habeat defacto talem rationem ex parte voliti, sed non de necessitate, cùm nō requirat: habet tamē Reprobatio defacto ex suppositione. Aliud ergo est considerare voluntatem, & dominium Dei secundùm se, & ante omnem sui volūtatem saluandi: aliud verò considerare eādem, facta suppositione, quòd voluerit omnes creare rectos, & cum promissione saluandi benè operantes, & damnandi eos, qui non starent in accepta rectitudine. Primo modo poterat Deus aliquos velle saluos, & nolle alios saluare; quia salus gratia est, non debita naturæ; & ita, vt aliquos Deus noluerit ita saluare, in dominio suo omnimodè habebat: & non requirebat rationem culpæ præuisæ in non saluandis; at supposito, quòd Deus voluerit omnes creare rectos, & promittere benè operaturis gloriam, impossibile est ex se solo, nulla præuisa culpa, aliquos velle excludere à gloria: exinaniret namque per se ipsū sua promissa, & redderet illa illusoria, & fictitia. Quia ergo defacto Deus voluit actu cōditionato, & promissorio omnes saluare, si starent in accepta rectitudine, habet causam ex parte voliti, quamuis id non requirat ex necessitate, & secundum se absolutè. Vndè in eodem loco Angelicus, soluēs obiectiones tum illas, quas attulerat pro probando, quòd Reprobatio requirat præuisionem demeriti: tum alias, quas posuerat pro probando, quòd Reprobatio habet pro fine diuinæ iustitiæ ostensionem, eas concordat ad meum, non ad Thomistarum intentum: ita namque subiungit, *Et per hoc patet solutio ad obiecta: nam primæ rationes concludunt, quod Reprobatio habeat pro ratione voliti præscientiam operationum, vel cuiuscumque, ex quo ista determinatio sequatur. Secundæ verò, concludunt; quod operā præscita non sint causæ Reprobationis principalis, sed magis diuina iustitia, quæ est quasi finis, & concernit debitum ex parte damnandi.* Non ergo Reprobatio, quę respicit, quasi finē, diuinā iustitiam, antecedit, nec præscindit, sed cōcernit debitum ex parte damnandi: & nō indè sequitur, quòd opera mala præuisa sint principalis causa Reprobationis, cùm potiùs sint dispositiones ad actualem ostensionē diuinæ iustitiæ, quæ est finis Dei cōditionatè reprobantis, vt probaui conclusione antecedenti.

1260 Secundus locus sit ex quæstione 6. de Veritate artic. 1. ad 9. vbi habet, *Dicendū, quòd Electio Dei, quæ vnum eligit, & alium reprobat, rationabilis est: nec tamen oportet, quòd ratio electionis sit meritum, sed in ipsa electione ratio est diuina bonitas: ratio autem Reprobationis est in hominibus peccatum originale, vt dicit Augustinus: vel in futuro per hoc ipsum, quod est, non habere debitum ad hoc, quòd eis gratia conferatur, &c.* Ex quo loco in primis apparet tam per Angelicum, quàm per

per Augustinum originale assignari, vt causam Reprobationis: & Thomistæ dicunt, quòd etiam, si Reprobatio fuerit relatè ad homines post originale, non tamen hoc vllo modo fuit causa; sed nullo habito ad illud respectu, ex motiuo ostendendi suum dominium, & iustitiam Deum reprobasse, quos reprobauit. Addit autem Angelicus, quòd Reprobationi ex originali superadditur etiam respectu aliquorum, scilicet adultorum, alia futura Reprobatio, per quam Deus non dat aliquibus originali infectis, ratione cuius omne ius ad promissa in capite Adamo deperdiderunt, gratiam, qua benè operentur, & saluentur; quæ gratiæ denegatio propriè, vt infra dicã, extrinsecalis, & positiua ex parte Dei Reprobatio.

1261 Quantùm autem insubsistens sit sensus, quem Thomistæ volunt præfato loco Angelici Doctoris attribuere, curiosè animaduertendum volo: dicunt namq; quòd in præfato loco nõ est locutus Diuus Thomas resolutoriè, sed disiunctim, dicendo, quòd ratio Reprobationis vel est originale, vel ostensio diuini dominij in non dando gratiam facientem benè operari, quam non debebat. Quis porrò hic non manibus contrectat non attendere Thomistas ad totum contextum Sancti Doctoris, sed duntaxat ad verba, quæ solitariè accepta possunt trahere ad eorum sensum: quæro namque, numquid inaniter, & extra propositum apposuit Angelicus Doctor in præfato loco particulam illam, *in futuro*? non ergo sensus est disiunctiuus de eadem Reprobatione: non enim eadem Reprobatio esset præcedens, si esset ex peccato originali; esset autem futura, si facta dicatur independenter à peccato: imò potiùs hæc, quàm illa, esset antecedens, quia hæc non penderet à peccato, non illa. Quia ergo peccatum originale ratio est punitionis pœna damni, non sensus; huius autem ratio est subsequens peccatum personale, quod reperitur in damnatis adultis, non verò in decidentibus sine baptismate ante vsum rationis, propterea ait Sanctus Doctor, quòd originale est ratio Reprobationis quoad pœnã damni, sed quoad aliã Reprobationẽ subsequẽtẽ pœnæ sensus, ratio Reprobationis est per hoc, quòd Deus nõ dat gratiã, quã non debet, ijs, quos exclusit per originale à gloria: ex quo euadit futurũ peccatũ, & eadẽ pœna. Vel potiùs dicendum, quòd Angelicus attendit aliquos excludi à gloria ratione solius originalis non remissi, vt dictum est de damnatis paruulis: alios verò damnari, etiam remisso originali: sed quia remissa eis culpa, non remittitur tota pœna, nempe motus concupiscentiales, qui vincentes motus gratiæ, trahunt ad peccata, & ad Reprobationem tum pœnæ damni, tum pœnæ sensus, propterea ait, quòd vel originale solùm est causa Reprobationis, vt in paruulis; vel ad aliam futuram Reprobationem per peccata subsequentia tum damni, tum sensus respectu aliorum, ratio est denegatio gratiæ facientis operari, quam Deus nõ debet infectis originali, in pœnam illius non remissam, etiam si fuerit remissa culpa, de qua clariùs infra.

1262 Probo secundò authoritate Augustini, ac præcipuè quinque euidentioribus locis, quorum primus sit ex libro 6. Hypognosticon illis verbis, *Diximus namque de damnabili humanis generis massa Deum præscisse misericordia, non meritis, quos & electione gratiæ prædestinauit ad vitam: cæteros verò, qui iudicio iustitia eius hac gratia efficiuntur expertes, præsciisse tantùm vitio proprio perituros: non, vt perirent, prædestinasse*. Vbi, vt omnis Thomistis tergiuersandi occludatur locus, aduerto primò loqui Augustinum ordine intentionis, non ordine executionis: nam hoc ordine Prædestinatio ad vitã est ex meritis: & solo ordine intentionis præcedit merita, at non ita Prædestinatio ad mortẽ. Secundò noto non loqui de morte, vt pœna præcisè, sed quatenus est mors æterna: tum quia Augustinus solùm dicit non prędestinasse, vt perirent, non autem non prædestinasse, vt punirentur: tum quia dicit præsciisse tantùm, non prædestinasse: si autem prædestinasset eorum mortẽ, quatenus mors est, & non vt pœna, nec verum esset, quòd præscierit tantùm: nec discrepantia Prædestinationis ad vitam à præsciẽtia ad mortem esset sufficienter ab Augustino assignata. Quibus omnibus, concludẽdo, addo in præfato loco obiecto Pelagianorum respondere Augustinum, qui contra eius doctrinam obiciebant, quasi doceret, *Quòd Deus quosdam homines sic prædestinet ad vitam regni Cœlorum, vt si nolint orare, aut ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, eos omninò perire non posse, &c. quosdam verò sic prædestinauit in gehennæ pœnam, vt etiam, si credere velint, si ieiunijs, & orationibus, omnique se voluntati diuinæ subiecerint, in his Deum non delectari, & vitam illis æternam in toto dari non posse, sic electione prædestinatos esse, vt pereant*. Vbi apparet, non agere Pelagianos de morte æterna sub ratione pœnæ strictæ sumptæ, cùm obiciunt eam, veluti ex doctrina Augustini, infligendã nullo modo peccatibus ex sola Prædestinatione.

tione Dei, vt pereant: & huic obiecto respondens Augustinus, dicit tales Deum, *præscisse tantùm vitio proprio perituros, non, vt perirent, prædestinasse.*

1263 Similis huic est locus, qui habetur in libro, in quo respondet ad 16. articulos, sibi falsò à Pelagianis impositos, quorum quintus est, *Quòd Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum*. Hoc docent Thomistæ isti, dum asserunt Deum, quos exclusit à gloria, independenter à peccato, & solùm ad ostensionem sui dominii, & iustitiæ exclusisse: an forsan excludi ab æterna vita, non est in æternum perire? sed non ita sentit Augustinus: respondet namque, *Omnium quidem hominum Deus Creator est, sed nemo ab eo ideò creatus est, vt pereat: quia alia est causa nascendi, & alia pereundi: vt enim nascantur homines est beneficium: vt autem pereant, prævaricatoris est vitium*. Sed scio statim Thomistas respondere loqui Augustinum ordine executionis, & de morte æterna, vt pœna. At si ita est, concederet Pelagianis Augustinus voluisse Deum ordine intentionis, vt maior pars humani generis periret, considerata æterna morte, quatenus mors est: non ergo solueret articulum per distinctionem beneficii creationis, & vitium propriæ voluntatis; cùm adhuc, præciso vitio, ex Deo creante staret horum æterna mors. Legant autem Thomistæ quid præcisè diuinæ Prædestinationi ralatè ad Reprobos tribuat Augustinus, respondēdo ad vndecimum articulum, *Atque ita*, ait, *ad Prædestinationē eius nihil ampliùs referri potest, nisi quòd aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitā pertinet gratiæ largitatem*; Prædestinatio autem exclusionis à regno, & vita æterna independenter à peccato non est debita iustitiæ retributio, cùm adhuc nō sit præuisum peccatum, cui debeatur similis exclusio: nec certè continet gratiæ largitatem indebitam, supposito Dei decreto promissorio; ergo ex Augustino non est Dei Prædestinatio, sed quid in Deo confictum, quam Aduersarii tuentur, Reprobatio.

1264 Tertius locus fit ex primo libro ad Simplicianum quæst. 2. vbi supra illud ad Romanos 9. *Iacob dilexi, Esau odio habui*, & quidem, *cùm non dum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*. Et, *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori*: postquam probat ex gratia, & misericordia habuisse Iacob, vt fuerit à Deo sic dilectus, quærit, *An fortè quemadmodum illud de Iacob nullis meritis bonæ actionis dictum est: ita Esau nullis meritis malæ actionis odiosus*? Atque etiam dixerit, quòd nihil Deus oderit eorum, quæ fecit ex Sapientia 11. *Neque enim odio habens aliquid constituisses, & nihil odisti horum quæ fecisti*: cōcludit de Esau, *vt autē odisset Esau, nisi iniustitiæ meritò, iniustū est*. & infra, *Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem*: erat autem adhuc non dum natus peccator, quia vt paulò post, ait, *Vna est ex Adam massa peccatorum, & impiorum, & figulus luti ex eadem conspersione facit aliud vas in honorem, aliud vas in contumeliam*. Ex Augustino ergo iniustum est Deum odio habere quemquam, nisi iniustitiæ merito. An autem non est odio habere, quòd Deus excludat positiuè à gloria, & prædestinet ad æternam mortem? quid namque est est odio habere aliquem, nisi velle illi malum, quando præcipuè iam priùs voluerat eidem oppositum bonum, imò & conditionatè promiserat? Nec autem Thomistis datur hic qualecumque effugium, cùm ipsi, prædicto loco Apostoli, *Iacob dilexi, Esau odio habui. Et, cùm non dū nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, non distinguēdo opera propria ab originali conspersione, vtantur ad suam stabiliendam sentētiam.

1265 Quartus locus similis præcedenti desumitur ex libro Enchirydion cap. 98. & subsequenti, vbi agens de præscripto loco ad Romanos 9. post quam dicit, *Ambo itaque gemini natura filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter in Adam vinculo damnationis obstricti*, subiungit, *sed qui dixit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per iudicium debitum*. Et deindè cap. subsequenti, *Miseretur magna bonitate, obdurat nulla iniquitate; vt nec liberatus de suis meritis glorietur: nec damnatus, nisi de suis meritis, conqueratur*. Damnatus autem non dolet de præciso titulo pœnæ, sed præcipuè de cruciatu ignis, & damno exclusionis à gloria, prout in se illi mala sūt: si autem mala ista fuissent à Deo illi volita independenter à debito culpæ, iam posset nō de solo merito, sed præcipuè de Deo dolere, quòd independēter ab omni sua culpa, infelicem per æternitatem voluerit. An hoc negabunt Thomistæ? Legant Augustinum in loco, quem modò afferam.

1266 Vltimus ergo locus fit ex epistola 106. vbi ita habet, *Si hæc massa generis humani ita esset media, vt quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vasa in contumeliam*. Numquid autem, qui excluderetur à

regno

regno, & deiiceretur ad Inferos fine demerito, non in pœnam, sed ex Dei dominio, non esset vas contumeliæ? quis id negabit? hoc fieri posse concedunt Thomistę, imò defacto ita prædestinasse damnandos Deũ, cùm tamen hoc ita fieri iniquum asserat Augustinus. Videant ergo iidem Thomistæ, quantùm aberret eorum doctrina à sẽsu Augustini.

1267 His duobus Sanctissimis Ecclesię Doctoribus addo Damascenum lib. 2. de fide cap. 39. vbi ait, *Illud quoque nos ne fugiat Deum, vt bonitate præstantem, primariè quidẽ omnes homines seruari, ac regni sui compotes esse velle: nec enim supplicij, aut cruciatus causa, verùm ad hoc, vt bonitatis ipsius participes simus, effinxit: vt iustum autem, ijs quoque, qui peccant, pœnam inferre nihilominùs velle: ac priùs antecedens voluntas, seù beneplacitum, dicitur ex ipso manans: secundò autem insequens voluntas, à nostro vitio ortum ducens*. Nullum ergo Deus effinxit, vt medio supplicio, & cruciatu ostenderet suum in eum dominiũ: sed, vt omnes suæ bonitatis participes fierent. Vt se autem iustum ostendat voluntare subsequente, reddẽte debitam peccato pœnam, & nulla voluntate beneplaciti id præstat. Addo etiam Fulgentium, qui lib. 1. ad Monimum cap. 22. Thomisticam sẽtentiam, prout ab ipsis propugnatur, explicitis verbis suffocat, dicens, *Quin potiùs maior erit iniustitia: si lapso Deus tribuat pœnam*, ecce ordinem pœnæ in executione iam debitæ lapso, *quem stantem prædestinasse dicitur in ruinam*. Nonne hic exprimitur Prædestinatio, non quidem pœnæ, sed ruinæ, stanti: & consequenter præciso, & independenter à peccato? à Fulgentio tamen hæc dicitur iniustitia, etiam si lapso deindè tribueretur, vt pœna.

1268 Probo tertiò assertum authoritate Cõcilii Valentini capit. 3. in quo habetur, *Fidenterque fatemur Prædestinationem aliquorũ ad vitam, & Prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione periturorum meritum malum præcedere iustum iudicium*. Vbi occluditur locus Thomistis, quòd recurrant siue ad ordinẽ executionis, cùm in hoc etiam electio saluandorum sit post merita: siue ad Reprobationem sub ratione pœnæ, cùm etiam electio glorię, vt coronę, nonnisi meritis retribuatur. Neque quidquam dicunt, qui aiunt, electionem glorię esse adhuc initiatiuè in ordine executionis ante merita, quia ista sunt ex gratia. Non inquam, iuuat, nã etiam per Aduersarios permissio peccati est effectus Reprobationis, & hæc ordine executionis præcedit peccatum, & meritum malum. Insubsistens tandem est Ioannis à Sancto Thoma responsio, quòd in electione etiam meritum bonum sit à Deo, non sic meritum malum respectu Reprobatorũ. Quid namque interest hoc, vt Prædestinatio præcedat, vel subsequatur meritum bonum, & non ita Reprobatio? numquid enim qui defacto volunt Reprobationem fuisse post peccatum, tenentur dicere, quòd Deus sit author peccati? Quòd ergo Deus non sit causa peccati, & sit causa meriti, non refert ad Reprobationem, vt dicatur facta ante, vel post præuisum demeritum.

1269 Probo tandem quartò ex Scriptura idem assertum. Et quidem primò ex illo primæ ad Timotheum 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*. Et si enim hæc voluntas non sit omninò efficax, ponens ex se omnia requisita ad salutem: est tamen ingenua, non ficta, neque illusoria, atque talis, quòd, si ex parte hominum non esset defectus, sed omnes, vt possunt reuerterentur ad Deum, impossibile esset, vt ex parte Dei ponatur impedimentum salutis; ergo, si non posito impedimento ex parte nostra, nulli Deus posset, supposita prædicta voluntate saluandi omnes, denegare gloriam, quia talis denegatio, vel Deum redderet inconstantem, vel infidelem in promittendo, euacuans per se ipsum, nullo habito defectu ex parte nostra, sua promissa: nec poterit independenter etiam à demerito nostro quemquã excludere à regno, præfata præsupposita voluntate: quia iam sic per se ipsum dumtaxat voluntate efficaciori euacuaret antecedentem voluntatem promissoriam: ita nãque, adhuc non posito peccato per solam voluntatem excludendi aliquos à regno efficacem, isti excluderentur, sicut indepẽdenter ab eo voluntas esset efficax. Rursus, pone Deum voluisse voluntate antecedenti, & inefficaci promissoria omnes saluare, & deindè nullo habito respectu ad peccatum, aliquos velle excludere à gloria secundùm se, & non sub ratione pœnæ: peto, si isti non peccarent, vel si præscindatur ab eis peccatum, essent ne adhuc vi subsequentis voluntatis excludendi à gloria, an non? si primum; ergo priùs decretum euacuaretur ab ipso Deo, nulla supposita aliundè causa; vbi ergo Dei immutabilitas, vbi fidelitas promissionum eius? Si secundum, ergo decretum subsequens ex se est minùs efficax, quàm antecedens, cùm tamen adhuc illud sit inefficax; ad quid ergo addere, cùm vi antecedentis sufficienter excludantur à regno malè operaturi, nisi Deus misereatur? Secundò omnibus ijs locis, in-

qui-

quibus negatur Deo voluntas nostræ perditionis, & in quibus non agitur de titulo pœnæ, sed de malo talis perditionis secūdū se, vt cùm dicitur Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium*, Quomodò mortē non fecit, qui independenter à peccato voluisset plurimos æternaliter morituros? an Deus nō fecit, quæ efficaciter vult, vt fiant? Tobiæ item 3. *Non delectaris in perditionibus nostris*. Rursus Oseæ 8. *Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum*. O certè quàm benè cohærent ista duo, *tantummodò in me auxilium tuum*, & independenter ab omni tua culpa, vt me ostendam Dominum, te volo vas perditionis, & ruinæ? an forsan hoc dicent Dei auxilium, quòd velit eos æternaliter perdendos, vt verificent, *tantummodò in me auxilium tuum*? Quid autem refert, quod dicant Thomistæ hæc verificari ordine executionis, & sub ratione pœnæ? Numquid propterea ordine intentionis, & secundùm se, æterna mors, non erit dicēda mors, vt verificetur, *Deus mortem non fecit*? numquid ordine intentionis Deus delectatur de ruina, & perditione hominū ante debitum, & solùm magnificat se ipsum, quia non delectatur in executione? Numquid intentionem Dei de perditione aliquorum auxilium Dei dicent Thomistæ, vt verificent, *tantummodò in me auxilium tuum*? Sed his sepositis, quid dicent ad illud Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, an non vt magis conuertatur, & viuat*? quòd & legimus cap. 33. atque secunda Petri cap. 3. Quæ quæso adhortatio, procedens ex ore Altissimi, esset ista, qua homines peccatores hortabatur, vt de sua bonitate, & misericordia nō diffiderent, asserens se magis velle, vt viuant, quàm, vt pereant, si eos voluit efficaciter perdendos; inefficaciter verò saluandos, & quidē ex suo beneplacito? an hic proponetur ordo executionis, & mors sub titulo pœnæ? quid iuuant tales considerationes, si ordo intentionis trahit ordinem executionis, nō econtra, atque exclusio à gloria secundùm se præcedit, & connectitur cum ratione pœnæ, non econtra, vt vnquam supposita Thomistica sententia, stare vllo modo possit, quòd Deus simpliciter velit magis vitam, quàm mortem impiorum, atque hinc in eis spem, & fiduciam inducat, & nō potiùs desperationem?

1270 Retorquent hoc argumentum Thomistæ, & præcipuè de prima permissione culpæ, saltem in Angelis, & Adamo, pluribus modis ad hominem arguendo. Primò nimirum, quia, non obstante, quòd Deus voluit voluntate antecedenti omnes homines, & Angelos saluos fieri, non per hoc deindè, quòd voluntate subsequenti, & efficaci independenter à culpa, alios elegit, & præmuniuit gratia, alios nō elegit, & permisit primò peccare, euacuauit respectu alicuius illud antecedens decretum conditionatum; ergo neque per Reprobationem efficacem euacuabitur: sicut namque omnes voluit saluos, si benè operarētur: ita omnes voluit damnandos, si malè operati fuerint; ergo sicut decretū saluandi aliquos, etiam malè operantes, non destruit conditionem damnandi: ita neque decretum damnandi aliquos ante peccatū, destruit conditionem saluandi. Secundò, quia Deus ante omne præuisum peccatum, aliis Angelis præstitit gratiam efficacem, saltē initiatiuè eos prædestinans, aliis inefficacem, connexam cum peccato, & Reprobatione; ergo pari modo independenter à culpa potuit alios prædestinare, alios reprobare. Tertiò quia gratia inefficax est magis connexa cum peccato, & morte, quàm cum opere bono, & vita: sed Deus defacto, siue ante, siue post præuisum peccatum, pluribus voluit gratiam inefficacē, quàm efficacem; ergo saltē initiatiuè plures sunt, quos vult perire, quàm sint, quos vult viuere; quomodò ergo verificabuntur loca iam adducta ex Scriptura, quæ sunt de Israelitis post lapsum originale, *An voluntatis mea est mors impij, & non magis, vt conuertatur, & viuat*, &c.? Quapropter, aiunt Thomistæ, difficultas hæc non est specialis contra adstruentes Reprobationem independenter à peccato, sed soluēda ab omnibus.

1271 Verùm retorsiones istæ, si vim aliquā habent, contra eos dumtaxat valent, qui negantes scientiam mediam, necessitantur ponere omnem Reprobationem initium ducere à Deo, suo decreto efficaci antecedente, vel concomitante, determinante in pluribus materiale actionis malæ potiùs quàm benè operari: hos autem ego non minùs oppugno, vt patet ex dictis, quàm Thomistas: sed contra me procedunt de subiecto non supponente. Vndè.

1272 Ad primam retorsionem dico non esse ex Augustino eodem modo discurrendum de electione, vel Reprobatione Angelorum, ac hominum. Respectu ergo Angelorum nego, quòd Deus aliquos elegerit, & non alios ante merita, vel demerita: imò respectu horum nego omnem rationē electionis, vel Reprobationis diuersam à voluntate antecedenti, & conditionata saluandi, qui permanerent in rectitudine

accep-

accepta, & damnandi ab ea cadentes: hæc namq; conditionata voluntas, purificata cōditione, euadit absoluta: atque adeo omnis alia subsequens voluntas superfluit. Nego item ex parte Dei fuisse aliquibus datā gratiam efficacem, aliis verò gratiam sufficientem: sed dico, vt millies probaui ex Augustino, Angelos, qui steterunt, vi liberi arbitrii stetisse, non vi specialis gratiæ, quamuis non sine gratia, sed tali, qualem habuerunt, qui ceciderunt, quique eodē libero arbitrio potuissent, non minùs, ac illi, stare. Quapropter respectu Angelorum tota quanta est prima retorsio est commentitia, & fundata in falsis suppositis. Venio nunc ad eamdem relatè ad homines, & dico, quòd respectu horum duæ sunt voluntates in Deo conditionatè saluandi omnes, vel dānandi: vna in origine, nimirū Adamo, & alia in secundo Adamo, nempe Christo, in quo adhuc, *Deus vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Per primam in capite non potuit Deus bonus, nec quidem voluntate conditionata, comminari cruciatum pœnæ sensus in solo peccante capite: prout de facto non punit, nisi pœna damni mortuos sine baptismate paruulos cum solo originali: poterat autem comminari damnum omnium eorum donorum, quæ, & gratis, supra donū creationis, tribuit capiti: & in capite, si nō caderet, promisit reliquis, originem ex eo ducentibus: quæ quidem voluntas damnandi originali lapsu adstrictos, vt sæpè notaui, non exclusit aliam conditionē, nisi voluerit in Christo misereri. Per secūdam, Deus vult omnes homines saluos fieri & in agnitionē veritatis venire per propria voluntatis opera, saltem finalia, & aliàs damnari tum pœna damni, tum pœna sensus. In ordine ad primam verò falsò supponunt Thomistæ tribuisse Deum Adamo gratiam sufficientem talem, quæ magis fuerat connexa cum peccato, quàm cum opere bono, vt hęc voluntas permissiua initium esset damnationis aliquorum in mea sententia: fuit namque gratia constituens Adamum in æquilibrio potentē bonum, ac per naturam poterat malum, ad quod deindè liberum arbitrium eius tradidit manus: & ex hoc initiū sumpsit Reproborum damnatio: post autem casum originalem, & Prædestinationem Christi in omnium hominum remedium, elegit Deus aliquos misericordia gratuita, & præmunitionem præparauit gratiæ efficacis, vt ostenderet in illis diuitias bonitatis, ac misericordiæ suæ: dico cum Apostolo, diuitias, quia totam in eis efficaciam ostendit suæ miserentis voluntatis: alios verò non ita elegit, sed nec propterea adhuc negatiuè exclusit à gloria, ne decretum saluandi omnes vel negatiuè euacuaret: sed permanens in misericordi voluntate eos saluādi, non tamen efficaci, sed sufficienti, voluit illis sufficientia media tribuere: non minora, quantùm est ex parte ipsorum, iis, quæ habuerunt Angeli, & Adam: minora tamen per accidens, & aliunde nempe ex motu concupiscentiarum, quæ sunt pœnæ peccati originalis: ex quibus initium moraliter est damnationis eorum, propterea, quòd isti motus fortiùs trahentes ad turpia, voluntatem, potentem non peccare, inducunt, vt se illis accomodet, & peccet. Qui ergo adhuc possunt simpliciter benè operari, & saluari, nec negatiuè possunt intelligi exclusi à salute, sed dumtaxat nō inclusi efficaciter ex parte Dei in salute cū Electis: at quoniam ex parte pœnæ peccati originalis non remissæ, nempe concupiscētiarū, principiū in se habent, moraliter eos trahens ad peccata, iam per originale initiū morale habent eorum futurę damnationis.

1273 Hinc cuique ex terminis ipsis esse debet notum duplicem esse permissionē peccati, & eodem modo gratiam purè sufficientem: vnam negatiuè, quatenus peccatum non impedit: aliam positiuè, quatenus præsupponit aliquod, positiuè trahens ad peccatum, nimirum motus concupiscētiæ: primo modo, non secundo permisit Deus Angelos peccare, & Adamum: secundo modo, non primo permittit peccare ex Adamo descendentes. Pariter primo modo gratia data Angelis, & Adamo fuit negatiuè purè sufficiens, quatenus ex se trahebat opus bonū. Gratia verò, quæ datur sufficiens posteris Adæ, est secundo modo, & positiuè purè sufficiens: non ratione sui, sed ratione præsuppositæ concupiscentiæ, ratione cuius gratia positiuè remanet in suo posse, & retrahitur ab opere bono, ad minùs moraliter.

1274 Ex quibus funditus euanescit prima Thomistarum retorsio: per electionem enim efficacem Dei aliquorum in salutem æternam nullum decretum Dei euacuatur: non enim euacuatur decretum damnandi pœna damni peccantes in Adamo: quia hoc decretum fuit cum admixtione conditionis, nisi Deus voluerit in Christo mediatore aliquos, in ostensionē diuitiarum suæ misericordiæ, liberare: & purificatio conditionis non destruit, sed decretum reducit ad actum. Neque euacuatur aliud decretū saluādi omnes in Christo: nā hoc nec est decretū saluandi quemcumq; benè operantem

rantem quocumque tempore; nec damnādi quandocumq; aliquis malè operatus fuerit: sed solùm saluandi, vel damnandi, finaliter benè, aut malè in suo opere se habentem. Huic autem decreto non se opponit electio specialis aliquorum, quia hæc executioni mandat decretum saluandi benè finaliter operantes; vndè addit illi nouam efficaciam, non autem illud euacuat: nec eidem se opponit non inclusio aliorum, quia hæc non aufert illos posse benè, vel malè operari: & saluari, vel dānari, conformiter ad decretum inefficax saluandi omnes in Christo, si benè voluerint sua gratia vti: vel damnandi, si abusi fuerint. Euacuat autem quodcumque decretum saluandi ea diuina voluntas, quæ se sola, & nulla requisita, vel præuisa conditione ex parte nostra, vellet absolutè excludere à regno, quos priùs incluserat sub conditione bonæ operationis: quandoquidem absoluta exclusio hanc conditionem euacuat, & si non euacuaret: adhuc permaneret conditionatum, & non esset absoluta Reprobatio.

1275 Ad secundam retorsionem patet ex modo dictis, quid sit dicendum: nego nāque differentiam fuisse gratiæ in Angelis, qui steterunt ab ijs, qui ceciderunt: sed differentia ortum habuit ex opere liberi arbitrii eorum, vt admussim, iuxtà Augustinū, videre est in toto cap. 7. & præcipuè numero 209.

1276 . Ad tertiam etiam ex modo dictis respondeo, negando, quòd vlla gratia in Angelis, vel Adam ante peccatum fuerit magis connexa cum peccato, & morte, quàm cum bono opere, & vita: in hominibus verò post lapsum dico esse magis cōnexam cum opere malo, & morte, non ratione sui, sed ratione debiti peccati originalis, in cuius pœnam non solùm iustè insurrexit concupiscentia, trahens ad malū, sed etiam debitum carendi omni gratia, & dono: & tamen, adhuc stante hoc debito, Deus misericorditer vult omnes saluare, & nulli denegat noua gratuita sufficientia auxilia; ergo plus Deus vult eorum vitam, se mouens de nouo ad amandam eorum salutem, & danda auxilia: quàm voluerit corū mortem, de qua displicet, etiam post cōtractum ab ipsis mortis debitum. Et hinc iuxtà Scripturam, excedit misericordia iudicium: si autē plures homines indepēdēter à peccato voluisset Reprobos, quam saluos, certè simpliciter maior esset ostensio iudicii, imò crudelitatis, quàm misericordiæ: quid enim prodest, quòd cum Electis ostendat magis suam misericordiam, si maiores sunt damnati, in quos crudelitatem potiùs, quàm iudicium exerceret, in ostēsionem sui dominii?

1277 Ex his autem probata remanet secūda meæ assertionis pars, quòd nimirum nec negatiuè Deus vllum reprobauerit ante omne præuisum peccatum; neminem quidem ex Angelis: quia respectu horum nullum in Deo fuit decretum, nisi æquè omnes saluandi, si per manerent in accepta rectitudine; vel damnandi, si caderent; atq; indè æquè sufficiens fuit omnibus præstita gratia: consequenter ex parte Dei nemo præ aliis fuit inclusus. Et eodem modo omnes homines ante Adæ peccatum fuerunt in eo, tamquam in capite inclusi, & exclusi sub cōditione operis boni, vel mali: quomodo autem post Adæ peccatum Deus se habuerit cum Reprobis, dicam postea.

1278 Dico 2. Reprobatio quoad pœnā sensus, quatenus scilicèt includit, respectu adultorum, decidentium cum proprijs culpis, æternum cruciatum ignis, non solùm de facto, sed nec de possibili potuit esse in Deo ante præuisa peccata personalia. Hæc conclusio est communis, quamuis, qui admittunt reiectionem à gloria in Deo ante præuisum in Reiectis peccatum, ita loquātur, vt ferè confundant Reprobationem secundùm quòd includit pœnam damni, & prout includit pœnam sensus: seu, vt æquiuoca tollam, æternum cruciatum ignis.

1279 Probo autem conclusionem istam speciali ratione ita: quia, quamuis Deus ratione sui dominij posset de creaturis rationalibus facere quodcumque voluerit: ratione tamen bonitatis non potest velle illis, tam grande malum, qualis est æternus cruciatus ignis: si enim videntes hominem, canem, cuius est dominus, absque causa cruciantem, sæuum, & crudelis animi dicimus: quis non crudelitatis, & seuitiæ nota Deum affici credat, si dicatur, quòd, vt præcisè creaturæ rationalis se ostendat Dominum, eam velit æterno cruciari igne? Ratio a priori huius doctrinæ est: quia Dominium in rē dicit posse vti re in vtilitatē Domini: si autem vsus est malus seruo, & non vtilis Domino, non est rectus, sed excessus, nascens ex animo, se delectante in malo serui: cùm autem Deus suum dominium in creaturas rationales sufficientissimè ostendat in eo, quod aliàs creet, aliàs non. Item in eo, quòd benè operantibus promittat magna præmia, non benè operantibus comminetur debitas pœnas, quo modo etiam ostendit suam iustitiam punitiuam: quòd non hoc modo, sed etiam ex suo præciso beneplacito ante omne debitū

in

in sui dominii, vel iustitiæ ostensionem, velit aliquas creaturas rationales cruciandas, non esset præcisè delectari in sui dominij, & iustitiæ ostensione, sed excedere rectū vsū dominij,& delectari in perditione suarum creaturarū. Ex quo euanescunt tergiuersationes Thomisticæ, qui duritiē eorum sententiæ emollire satagunt, dicentes, quòd Deus in reprobando nō attendit, vel amat cruciatum suarum creaturarum, sed præcisum respectum huius ad ostensionem diuini dominii, & iustitiæ vindicatiuæ.

1280 His addo Augustinum in Supplemento lib. 1. cap. 136. vbi arguens Iulianum Pelagianum, negantem communicationē peccati originalis, ex necessitate baptismi, vt possit quis introire in regnum Dei, & respondēte illo baptisma nō delere originale peccatū in paruulis,sed dumtaxat per illud adoptari baptizatum in Dei regnum, ita oppugnationem prosequitur, *Quòd etiam vos de paruulis cogimini fateri, quorum certè omnium vnam esse massam non potestis negare, qualemlibet eam putetis: ex qua tamen alios in Dei regnum adoptare fatemini, quos procul dubio vasa in honorem facta conceditis: alios verò non adoptari, quos facta vasa in contumeliam, nisi intelligenter consentiatis, impudenter negatis: neque enim, si non est pœna damnationis, sicut vultis, non erit saltem contumelia imaginis Dei separari à regno Dei. Sed vos, si illam perseuerantem negabitis gratiam, ad hoc iudicium vos pertinere monstrabitis, quod vtique in paruulis iniustum esset, si peccatum originale non esset.* Si autem Augustinus iniustum vocat aliquas Dei imagines, & consequenter habentes rectitudinem ad Deum, præcisè non adoptari per baptisma in regnum Dei nulla præuia culpa; quid quæso sentit, si quis adderet, imò prædestinari ad cruciatus æternos, ortos ex priuatione gloriæ?

1281 Neque explicari potest Augustinus de solo ordine executionis, vel de exclusione à regno, vt pœna. Si enim ordo executionis, est iniustus non præcedente culpa, nisi quid poterit esse iusta intentio, quæ executionem intendit iniustam? Ex verbis præterea Augustini patet eum loqui de exclusione à regno secundùm se, & non vt pœna, dum ait, *Neque enim, si non est pœna dānationis, vt vultis, non erit saltem contumelia imaginis Dei separari à regno Dei*. Ruit etiā hic alius Thomistarnm asilus, secundùm quem dicunt Augustinum in similibus locis arguere Pelagianos secundùm eorum principia. Non enim admittebant Pelagiani, quòd iniustum esset separari imaginē Dei à regno Dei,sed potiùs arguebant Deū iniustum, si paruulos castigaret in pœnam peccati primi parentis; id ergo, in quo eos arguebat Augustinus, non ex illorum principijs, sed ex proprio affirmabat sensu, quòd nimirum iniustitiam præfert, vt, cùm creauerit Deus creaturas rationales, perfectas in suo genere suipsius imagines, nimirum rectas, & conuersas ad se, & promittendo in eadem rectitudine perseuerātibus regnum, deindè sua præcisa voluntate, nulla præsupposita culpa, hoc iure promissionis spoliaret, reijciendo eas à regno promisso.

1282 Dico quartò relatè ad Angelos damnatos nulla alia fuit in Deo Reprobatio, nisi antecedens conditionata, & comminatoria damnationis non perseueraturis in rectitndine, quam ab eodem Deo conditore habuerunt.

1283 Probatur hæc assertio euidenter ex principiis Augustini, imò & communibus: quia decretum conditionatum Dei, purificata tota conditione, quam includit, euadit absolutum, & suum sortitur effectum: atqui Deus, volens creare Angelos rectos, & ad ipsum conuersos rectitudine supernaturali, habet etiam voluntatem eleuandi eos ad gloriam, si in rectitudine accepta permanerent: puniendi verò eos igne æterno, si caderent, & nullum reliquit locum eorum miserendi, prout defacto nullius misertus est; ergo purificata conditione casus aliquorum, hoc decretum exequitur suum effectum damnationis præuolitæ iis, qui ceciderunt; ergo quodcumque aliud decretum reprobatiuum superfluè poneretur. Neque hìc datur locus Reprobationi, seu non inclusioni negatiuæ; quandoquidem hæc consistit in eo, quòd electis efficaciter aliquibus, non ita alii fuerint electi: similis autem electio relatè ad Angelos est contra doctrinam Augustini in libro de Correctione, & Gratia, vt sæpè dixi, cùm in eo docet Augustinus cap. 10. in prima conditione Angelorum, & hominum voluisse Deum ostendere, quid posset eorum liberum arbitrium: & deindè post lapsum Adæ, quid posset in hominibus suæ gratiæ beneficium; ergo in eleuatione Angelorū ad gloriam nihil peculiare gratiæ ostendit Deus cum aliquibus, & non cum aliis; ergo nullos præ aliis gratuitò elegit, sed omnes æquè eleuauit, omnesque æquè gratia sufficiente, & necessaria ad posse operari bene præmuniuit.

1284 His accedit, quòd tali modo prædestinādi, & reprobādi in prima hominū, & Angelorū cōditione, sicut eligēdi, vel reprobādi deindè, modo infra dicēdo, homines post originale, ostendit non solùm specialissimo

mo modo diuina attributa, seu mirabilē dispositionem diuinæ Prouidentiæ, ordinātis omnia suo proportionato modo in numero, pondere, & mensura, vt infrà explicabo; ergo ita, & non aliter dicendum est.

1285 Dico quintò relatè ad damnatos ex hominibus, siue sola exclusione à regno, sicut damnati sunt paruuli, decidentes sine baptismate cum solo originali; siue cum additione pœnæ sensus, sicut sunt damnati, qui cum proprio peccato mortali moriuntur, præter Reprobationem conditionatā, quam habuit damnandi omnes descendētes ex Adamo, si iste peccaret, reperitur in Deo alia Reprobatio absoluta, & positiua initialis, consistens, non quidē in nolle dare gloriam, sed in nolle dare gratiam efficacem, ad se mundandos, siue à solo originali, siue ab actualibus, & personalibus. Hæc conclusio est de fide, & à nemine negari potest.

1286 Probatur autem ita; nam, & si ex Apostolo ad Romanos 5. *Iudicium quidē ex vno in condemnationem*, ac consequenter ex vno originali peccato omnes homines iudicētur adstricti damnationi, hoc tamen iudicium ex vno peccato in omnium damnationem dumtaxat est ex parte debiti, ab omnibus contracti; non tamen tale est ex parte Dei, vt non valeat adhuc ex eadem massa luti alios condere in vasa misericordiæ, alios in vasa contumeliæ, prout habemus ex eodem loco in subsequenti capite 9. ergo adhuc, stante primo decreto damnandi omnes in Adamo peccante, liber remanet Deus, misereri, vel non misereri, cuius voluerit: atqui relatè ad damnatos ex hominibus non habuit Deus vi peccati originalis absolutū decretum damnādi eos, sed etiam post peccatum istud *Voluit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quod decretum non est euacuabile sine aliquo obstaculo ex parte nostra; ergo dumtaxat per id incipit futura Reprobatio, per quod, vel non abluitur homo à peccato originali, vel illi adduntur alia; aut abluti ab originali, tandem finaliter decidunt in mortali proprio: horum autem omnisi prima, saltem moralis origo respectu adultorum est duplex, scilicet concupiscentia, & defectus gratiæ superantis, qui ambo sunt effectus originalis, & positiuè à Deo politi in eiusdem pœnam, dum voluit carentiam iustitiæ originalis, ex cuius defectu expergefacti sunt motus concupiscentiæ, atque carentia gratiæ eos superantis: respectu verò damnatorum infantium, peccatum originale in eis initiatiuè non deletur defectu gratiæ efficacis, qui etiam est in pœnam originalis, cùm etiam, vt in supradictis contra Iansenium probaui, gratia sufficiens vincatur ex concupiscentia parētum, vel aliorum, qui sunt causa, vt infās non baptizaretur; ergo in Reprobatione hominum, præter decretum comminatorium in Adam peccante, requiritur aliud decretum initiatiuè reprobatiuum, saltem moraliter, nimirum voluntas aliquorum, quæ sunt deindè causa, vel vt non auferatur originale, vel vt incurratur in actualia mortalia, præcipuè finaliter.

1287 Dico vltimò, hoc, quod est Deum post originale aliquos misericorditer elegisse ad gloriam, & propterea præmunisse gratia efficaci; non est vllo modo aliorum, non ita electorum, negatiua Reprobatio: sed pura non inclusio, seu non talis illorū, sicut aliorum, electio. Hæc assertio, ni fallor, est clara, quamuis communi loquendi modo opponatur, non distinguenti Reprobationem negatiuam simpliciter à non inclusione particulari; sicut si, quis Petrum diceret simpliciter non existentem, quia non existit hic.

1288 Probo ergo assertum. Quia, cùm Deus non vno solo modo possit prædestinare ad gloriā, sed siue ante merita absolutè præuisa, siue postea, vt probaui paulò post principium antecedentis quæstionis; cùm item Deus gratiam efficacem non ex solo motiuo gloriæ possit velle, sed etiā ex alio motiuo, quandoquidem non semel Reprobis vult gratiam efficacem, & non ex motiuo prædestinatæ gloriæ, quod quidem motiuum posset eodē modo mouere ad gratiam efficacem finalem; per hoc, quòd Deus eligendo aliquos ad gloriam vno modo, & præmuniēdo ex hoc speciali motiuo eos gratia efficaci, alios non ita eligat, nec ex eodem motiuo gratia efficaci præmuniat, non indè sequitur, quòd isti non sint alio modo prædestinabiles, & quòd possit illis gratia præparari efficax alio motiuo; ergo non, quia non sunt electi illa speciali electione, poterunt vllo modo dici simpliciter reprobati negatiuè, neque à gloria, neque à gratia efficaci; sed præcisè non electi illo speciali modo.

1289 Colligo ex dictis Reprobationem malorum Angelorum numquam fuisse ordine intentionis determinatè reiectiuam, sed purè comminatoriam, siue ante, siue post præuisa peccata; fuisse tamen deinde talē ordine executionis, eo quod purificata cōditione peccati in his determinatè, ii deinde determinatè incurrunt comminatam pœnam: in ordine verò ad damnatos homines Reprobatio vel solùm est à gloria,

& gra-

& gratia, ficut damnantur paruuli, decidẽtes sine baptismate: & in his dicit dumtaxat decretum comminatorium talis pœnæ non renascentibus ab originali in Christo, & voluntatem non dandi gratiam efficacẽ his determinatè, vt renascantur quo ad ordinem intentionis; quo ad ordinem verò executionis reiectionem à gratia, & gloria in æternum: vel in damnatis adultis importat decretum comminatorium tum pœnæ damni, tum pœnæ sensus, & præterea ordine intentionis voluntatem puniendi originale pœna priuationis iustitiæ originalis, ex quo ortum ducit expergefactio concupiscentiarũ, & non dãdi gratiã superantem earum motus; ordine verò executionis vtriusq; comminatæ pœnæ retributionem, & nihil aliud.

1290 Obiiciunt primò Thomistæ contra primam conclusionem plurima loca Scripturæ, & primò illa verba Apostoli ad Romanos 9. *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Vbi, aiunt Thomistæ, clarè apparet Deum ex motiuo ostendendi suam iustitiam, atque potentiam sustinere, idest permittere, vt explicat Angelicus hic articulo 5. ad tertium, vasa iræ: ac consequenter ipsa prima permissio peccati effectus fuit Reprobationis antecedentis, per quam volens ostendere iram, & suam potentiam, aliquos reprobauit, & ideò permisit fieri vasa iræ, apta in interitum.

1291 Secundò ex eodem loco, cùm de Pharaone dicitur, *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*: in quibus verbis etiam significatur propter ostensionem virtutis Dei, & eiusdem gloriam, permissam fuisse indurationem Pharaonis.

1292 Tertiò ex eodem item loco, cùm dicitur de Iacob, & Esau, *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ex quo loco constat Apostoli intentionem in eo totam esse, vt ostendat totum negotium Prædestinationis, & Reprobationis quoad ordinem intentionis, nõ esse ex operibus præuisis, siue bonis, siue malis: sed ex Deo, in cuius potestate situm esse docet, vt ex eadem massa alios condat in vasa honoris, alios in vasa contumeliæ, vt deindè subiungit idem Apostolus.

1293 Quartò illud Sapientiæ 12. *Cùm sis iustus, iustè omnia disponis: eum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exterum existimas à tua virtute*; ergo, inquiunt Aduersarij, Deus condemnat aliquos antequam mereantur puniri.

1294 Quintò tandem illud Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Ergo, inferunt, Deus propter semetipsum, hoc est sui gloriam, ostendendo suam iustitiam, permittit iniquitatem.

1295 Respondeo prænarrata Scripturæ loca nonnisi distortè adduci ad roborandam durissimam illam Reprobationem, quæ defenditur à Thomistis: quapropter Ad primum locum dico Thomistas considerare verba adducta, discerpta à contextu: illa namque verba adducuntur ab Apostolo ad ostendendum, quod antea dixerat, quòd Deus nimirum, *Cuius vult, miseretur, & quem vult, obdurat*: & indè probat non misereri eorum, per quos voluit ostẽdere iram, & potentiam suam, reliquos verò esse vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, vt ostenderet diuitias gloriæ suę: vt quid autem Aduersarij non reflectunt, quòd non stat misericordia, vbi nõ est miseria, à qua fiat subleuatio? illa ergo Apostoli verba sunt de Deo relatè ad homines supposito originali, & vna corruptionis massa infectos: ex quibus alios elegit, miserendo, in vasa honoris, vt ostenderet diuitias gloriæ suę; alios iã factos per originale vasa contumeliæ, apta in interitum, sustinuit, eorum non misertus, sicut illorum, in multa patientia, hoc est permisit, volens ostendere cum eis comminatam iram, & suam potentiam, ipsos obdurari, addendo peccata peccatis: & hoc propter vasa misericordiæ, vel scilicet in horum patientem exercitationem: vel ut ex malo illorum agnoscant, qualem illis præstiterit Deus gratiam, vt sæpè explicat Augustinus. Quapropter ex hoc loco non arguitur decretum absolutum in Deo ostẽdendi iram suam, & potentiam, sed modo iam supra explicato, decretum comminatorium, antecedens originale: & deinde decretum absolutum non dandi gratiam efficacem, sicut illis, quorum miseretur: per hæc enim decreta sufficientissimè ostendit se iustè iratum, & posse ab hominibus omnibus exigere debitum; & quòd, si ab aliquibus non exigit, misericorditer id facit, Et eumdem sensum habent alia verba, quę procedunt de obduratione Pharaonis, quęque secundo loco adducuntur.

1296 Ad

1296 Ad tertium dico, vt legant, si adhuc non legerint Aduersarij, quid de odio Dei erga Esau dicit Augustinus, prout retuli num. 1245. asserit namque, *Vt autem odisset Esau, nisi iniustitiæ merito, iniustum est*. Et, *Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Esau peccatorem*. Ipse item Augustinus in libro Enchyridion explicat verba Apostoli, *Cùm non dum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus, &c.* dũ in prædicta verba sic habet, *Ambo itaque gemini natura filij iræ nascebantur, nullis quidẽ operibus proprijs, sed originaliter in Adam vinculo damnationis obstricti, &c.* An hoc ipsum non totum continet verborum Apostoli contextus? si enim Deus in reprobando nulla opera attendit, cur Apostolus post supradicta verba concludit: *ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*, cùm non sit misericordia, vbi nulla supponitur miseria? Rursus cur non reflectunt Aduersarij ad illa alia Apostoli verba, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* Et ad illa alia, *Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus?* Contra eos ergo loquitur Apostolus, qui prætendebant gratiam Christi deberi operibus exterioris obseruantiæ legis scriptæ, & propterea volebant, qui ad baptisma ex gentibus peruenirent, debere circumcidi, & obseruare legem Moysis, vt ex operibus legis mererentur gratiam, quæ si operibus esset debita, iam non esset gratia, vt alibi ait idem Apostolus: & ad hos conuincendos adducit Paulus exemplum duorum geminorum, quorum vnum Deus dilexit, alterum odio habuit antequam nati fuissent, ac potuissent, aut legem obseruare, aut in eadem deficere: sed per hoc non excluditur originalis infectio, à qua alios liberat, miserendo, ante propria opera, quibus id mererentur: alios verò relinquit, non miserendo, non quidem quia proprijs operibus malis id non mereantur, sed quia non miseretur efficaciter, sed debitum ab eis exigit pœnæ peccati originalis.

1297 Ad quartum dico in vulgata Sixti V. non legi verba, quæ adducuntur in argumento, sed opposito modo, nempe, *Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum extimas à tua virtute*. Et sanè contextus verborum, prout adducuntur in argumento, non subsistit: quomodò namque commendari potest Dei iustitia, dum dicitur, *Cùm sis iustus, iustè omnia disponis*, si deindè additur, *eum quoque, qui non debet puniri, condemnas?* Numquid actus iustitiæ est condemnare innocentem, & qui non meretur puniri, cùm potiùs actus appareat iniustitiæ? Cùm ergo vulgata Sixti Quinti verba, in argumento adducta, reprobet, reprobat insimul cum illis Thomisticam sententiam, idem continentem: Sed dato, quòd verba adducta in argumento subsistant, quid inde? nonne optimè staret explicatio Liræ dicentis, quòd sermò sit de condemnatione ad pœnas temporales in maius bonum prædestinatorum, in meritum nimirum patientiæ, & humilitatis, in quo videntur, quasi exteri quoad tempus à Dei virtute, & quasi derelicti?

1298 Ad quintum dico ibi non nominari pœnam, sed impietatem, quid ergo? prætendunt Thomistæ, quòd Deus, qui operatur vniuersa propter seipsum, faciat etiã, vt aliquis sit impius? an solùm impium ordinat in diem malum? primum certè non dicent; solùm ergo Deus subsequenter ad impietatem ordinat impium in diẽ malũ: non quidem nouo decreto, sed executione decreti comminatorij, cum additione voluntatis non miserendi.

1299 Obijciunt secundò plurima loca Augustini, quorum præcipuus est, quem desumunt ex libro de Prædestinatione, & Grat. cap. vltimo, vbi hæc habet, *Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis, & peccati origine nasceretur; & ex eis creator omnipotens nonnullos damnare vellet in interitum, quis omnipotenti creatori diceret, quare sic fecisti: qui enim, cùm non essent, esse donauerat, quo sine essent, habuit potestatem. Nec dicerent cæteri, cur paribus omnium meritis diuinum discreparet arbitrium? quia potestatem habet figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam*. Ergo, inferunt Aduersarij, Augustinus sentit, quòd, si nullũ esset peccatũ originale, in potestate Deus habuisset aliquos damnare in interitum, & nemo potuisset ei rectè dicere, cur ita fecerit.

1300 Secundus desumitur ex Epistola 107. vbi sic loquitur, *Multi salui non fiunt, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult: quod absque vlla caligine monstratur in paruulis*. Ergo ex Augustino, qui damnãtur, indè originaliter damnantur, quia Deus id vult in sui dominij, & iustitiæ ostensionem.

1301 Tertius adducitur ex tractatu 26. in Ioannem, quo in loco ita scribit, *Quare istum trahat, illum non trahat, noli iudicare, si non vis errare*. Trahere ergo ex intentione saluandi, vel non trahere ex intentione damnandi non debet reduci ad causam ex parte nostra, sed ad inscrutabilitatem iudiciorum Dei.

1302 Quartus affertur ex Epistola 157. in qua dicit, *Cur autem creentur etiam illi, quos Creator præsciuit ad damnationem, non ad gratiam pertinere, Beatus Apostolus tantò succinctiori breuitate, quantò maiori authoritate commemorat: Deum enim dicit volentem ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulisse in multa patientia vasa iræ, &c.* Ex quo loco sic arguūt Aduersarij: homo, antequam Deus illum voluerit creare, non fuerat præuisus cùm merito peccati, quia futurum conditionatè non habet rationem meriti, vel demeriti, & tamen adhuc Augustinus ex Apostolo asserit Deum voluisse illum creare, & permittere, quòd peccet, vt ostenderet iram, & potentiam suam; ergo hæc intentio in Deo præcedit, non subsequitur præuisionem peccati.

1303 Quintus tandem, similis antecedenti, ducitur ex libro 11. de Ciuitate capit. 18. cùm ait Sanctus Doctor, *Neque enim vllum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset, nisi prior nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret.* Ergo, inquiunt, per Augustinum Deus permitiit peccata ex præuolito fine ordinandi peccatum in bonum: nullum autem maius bonum excogitabile est, ad quod ordinari possit peccatum, quàm sit ostensio diuini dominij, atque iustitiæ, & potentiæ in eiusdem laudem, & gloriam.

1304 Respondeo etiam omnia Augustini loca distortè, & non in sensu recto, secundùm quem prolata fuerunt ab Augustino, ab Aduersarijs intelligi, quod ostendam, singula districtè examinando.

1305 Ad primum ergo dico, vt videăt Aduersarij, quomodò cohæreant, quæ ipsi afferunt ex Augustino lib. de Prædestinat. & Gratia, cum his, quæ scribit Epistola 106. *Si Deus quemquam immeritum, & nulli peccato obnoxium, damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Atque cum illis, quæ habet in libro primo quæst. 2. ad Simplicianum, *Vt autem odisset Esau, nisi iniustitiæ merito, iniustum est.* Et tandem cum iis, quæ vltimo scripsit in Supplemento libr. 1. cap. 136. contra Iulianum Pelagianum, *Neque enim, si non est pœna damnationis, sicut vultis, non erit saltem contumelia imaginis Dei separari à regno Dei: sed vos, si illam perseuerantem negaueritis gratiam, ad hoc indicium pertinere monstrabitis, quod vtique in paruulis iniustum esset, si peccatum originale non esset.* Videant, inquam, quomodò cohęreant ista cum adducto loco ab Aduersarijs, *Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis, & peccati origine nasceretur; & ex eis Creator omnipotens nonnullos damnāre vellet in interitum, quis omnipotenti Creatori diceret, quare sic fecisti, &c.* Distinguant ergo Thomistæ distinguenda; quòd tunc, quomodò ista benè cohæreant, percipient: aliud namque est quærere, quid possit absoluiè Deus de suis creaturis rationalibus facere: aliud quid possit facere, supposito quòd eas voluit creare rectas, & conuersas supernaturaliter ad se, cū eleuatione ad vitam æternam, & promissione regni, si starent in accepta rectitudine. Primo modo, sicut potuit Deus creare, quas voluit, & non omnes, quas poterat: item sicut voluit carnem sumere pro Redemptione hominum, & non ita Angelorum peccantium: ita poterat creando, & ante omne peccatum, aliàs eleuare ad vitam æternam, & reliquas non eleuare, sed priuatas relinquere omni iure, vel spe vitæ æternæ, quod esset destinare eas ad æternū interitum: & hoc modo loquitur lib. de Prædestinat. & Grat. vbi Pelagianos oppugnat, qui peccatum originale negabant, propterea quòd iniustū credebant Deum punire priuatione vitæ æternæ homines propter Adæ peccatum, quasi Deus, qui gratis in Adamo promiserat descendētibus æternam vitam, vel mortem, non potuisset absque iniustitia id facere, quando, vt arguit Augustinus, poterat absque vlla culpa nec propria, nec aliena, eodem modo creare priuatos iure ad gloriam & nemo potuisset ei rectè dicere, quare me sic fecisti, &c. Secundo autem modo, quoniam Deus ita rectas, & conuersas creando, ac promittendo, tum ratione gratiæ, quæ est hæreditas ad regnum, tum ratione promissionis, iam supponitur tribuisse illis gratis ius ad æternam vitam sub conditione perseuerētiæ in rectitudine accepta, non potest deinde ex se, absque iniustitia, nullo præsupposito debito in iisdem creaturis, illas spoliare, & destinare ad interitum: atque hoc modo desacto loquitur Sanctus Doctor in alijs locis, à me relatis.

1306 Ad secundum patet ex dictis, quid sit dicendum: loquitur namque Augustinus desacto, & supposito originali, à quo non liberantur, & saluantur, qui, vt somniabant Pelagiani, contra quos loquitur, antecedenter ad gratiam volunt saluari, vt quasi hæc voluntas sit meritum gratiæ: sed econtra, qui liberantur, certè non malè operantes liberantur, sed operantes benè voluntate sancta: at ideò hoc ipsum volunt, quia priùs Deus, volens eos liberare, conuertit corda ipsorum, vt efficaciter id volentes, benè operentur, &c.

1307 Ad tertium dico, vt reflectant Aduersarij ad casus, qui in dies eueniunt: si quoque iudex humanus ex duobus, mortem merentibus, alteri gratiosè remittat, alterum condemnet, & interrogetur quare in paribus dispar proferat iudicium, rectè respondet, quia potestatem talem habeo: sed si petatur: quare Titium v. gr. dānauit ad mortem, non respondet, præcisè quia potestatem talem habeo, non enim potest condemnare innocentem: sed quia mortem meretur. Similiter qui creditor est duorum, & vni velit remittere, ab altero exigere debitum, si interrogetur, quare non illos pares faciat in gratia, qui pares erant in debito, rectè respondet, ita mihi placet, qui Dominus sum, & nulli huius teneor rationem reddere: sed, si dumtaxat de eo interrogetur, à quo exigit, quare nimirum solutionem quærat, non dicit, quia mihi placet: sed illam exigo, quia eam mihi debet, nec posset solutionem non debitam iustè exigere. Quænam ergo est connexio inter casum adductū ab Aduersarijs, quare Deum hunc trahat miserendo, & alium non trahat, cum hoc; quare hunc, vel hos damnet? In primo benè stat, nolle iudicare, si non vis errare, quoniā in potestate figuli est ex eadē luti massa alios condere in vasa honoris, alios in vasa contumeliæ; & in secundo non benè stat, quòd in potestate figuli sit condere rectitudinem in contumeliam, & velle condemnare: sed, si ita condat, ideò ita condit, quia taliter condi meretur. Aliud ergo est quærere comparatiuè, quare hunc trahat miserendo, illud non trahat, relinquendo ipsum in sua perditione: aliud absolutè quærere, quare hunc damnet. Verba Augustini procedūt de primo casu: & mea assertio, in qua à Thomistis dissentio, procedit de secundo: vndè extra propositum confunditur vnus casus cum alio à Thomistis.

1308 Ad quartum dico, quòd decreta conditionata tandiù talia manent, quousque non purificetur conditio: hac autem transacta in statum absolutum, etiam decreta ita transeunt quoad effectum, ponendo nempe illum in statu absoluto. Illa ergo Apostoli verba, quòd, *Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitū, &c.* quæ sunt de statu absoluto ratione purificationis conditionis, quoniam procedunt de vasis iam aptis ad interitum, transfert Augustinus suo proportionali modo ad statum anteriorem non adhuc purificatæ conditionis; quoniam loquitur de culpa conditionatè dumtaxat, & non absolutè præuisa, nimirum cur Deus voluit creare, quos præsciuit, si crearet, futuros pertinentes ad damnationem, & non ad gratiam: & respondet modo proportionato, quia non indè Deus debuit abstinere se ab ostensione suę iræ, & potentiæ: sed adhuc voluit ostendere se irasci contra peccatum, & sua potentia fore punitutum, si fiet: vndè non loquitur de voluntate absoluta dānandi: sed de sola voluntate conditionata, vt ostenderet hac voluntate comminatoria se esse iustum, & potentem punire peccatū, prout num. 1237. ex eodem Augustino probaui.

1309 Ad quintum tandem respondeo eodē modo, quo præcedenti loco, quòd scilicet neminem futurum peccatorem Deus crearet, nisi priùs suo proportionato modo, ad ostensionem suorum attributorum, voluisset bonorum vsibus accommodare; inter quos principalior est illius honor, & gloria: sed hæc non stat in damnando absolutè, qui non adhuc merentur damnari: sed in comminando damnationem, si ita operentur, vt damnari mereantur.

1310 Obiiciunt tertiò plurima loca ex Angelico Doctore: & primò ex prima parte quæst. 23. artic. 3. vbi habetur, *Sicut Prędestinatio est pars prouidentia respectu eorum, qui diuinitùs ordinantur in æternam salutem; ita Reprobatio est pars prouidentia respectu eorum, qui ab hoc fine decidunt; vnde Reprobatio non nominat præscientiam tantùm, sed aliquid addit secundùm rationem: sicut & prouidentia, vt supradictum est: sicut enim Prędestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam: ita Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Ex quo loco, qui est basis Thomistarum sententiæ, ita isti arguunt: prouidentia est dispositio mediorum in finem præintentum, vt executioni mandetur: sed Reprobatio per Angelicum est actus prouidentię circa eos, qui deficiunt à salute, & includit voluntatem permittendi culpam, & voluntatem inferendi damnationis pœnam; ergo hanc includit, vt ad finem præintentum, & illam, vt medium ad finem; ac consequenter voluntas reprobandi præcedit voluntatem permittendi culpam.

1311 Secundò ex eadem quæstione, & articulo in solutione ad secundum, vbi ait, *Reprobatio non est causa eius, quod est in præsenti, scilicet culpæ: sed est causa derelictionis à Deo: est tamen causa eius, quòd redditur in futuro, scilicet pœna æternæ: sed culpa prouenit ex libero arbitrio eius, qui reprobatur, & à gratia deseritur.*

tur? Vbi sic arguunt Thomistæ: Reprobatio per Angelicum est causa cur homo deseratur à Deo, non tribuendo illi gratiam efficacem: atqui in hoc consistit permissio peccati; ergo Reprobatio antecedit, tamquam causa, permissionem peccati.

1312 Tertiò ex articulo 5. eiusdē quæstionis ad tertium argumentum, vbi, *Sed quare*, inquit, *hos elegit, illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem*. Ex quo loco arguunt Thomistæ sicut circa similia verba arguunt supra ex Augustino.

1313 Respondeo mirum valde esse, vt præfatis Angelici verbis inducantur Thomistę ad asserendum, quòd tam Sanctus Doctor docuerit ex solo Deo esse, nullo habito respectu ad peccatum, vt plures homines dānentur, quàm saluentur, quasi plus delectetur in perditione hominū, quàm in eorumdem salute, contra illud Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium*. Dico ergo in præfatis locis nihil prorsus contineri, quòd sententiæ Thomisticæ, vel leuiter faueat: vndè.

1314 Ad primum dico optimè docere Angelicum, quòd Reprobatio sit actus prouidentiæ, sicut est Prædestinatio: sed in suo proportionato genere, non verò, vt currat in omnibus paritas, sed in ijs dūtaxat, quæ explicat idem S. Doctor: quòd nimirū, sicut Prædestinatio includit voluntatem dandi gratiam efficacem, & gloriam, ita Reprobatio includat voluntatem permitēdi peccatum, & inferendi damnationis pœnam. Non tamē quòd etiā, sicut Deus bonus potest velle dare bonum non merenti, ita possit velle dare malum nō demerenti, pręcipuè postquàm creauit rectum, & promisit saluare, si in rectitudine accepta steterit. Nec item, vt, sicut potest velle gratiā efficacē gratis pro eliciēdo opere bono, ita possit gratis velle aliquid, coniunctum cum opere malo. Deus ergo in prima hominum, & Angelorum conditione, quia neminem prædestinauit, vel reprobauit efficaciter, sed dumtaxat vtrumque fecit conditionatè, prouidit pro Prædestinatione de sufficientia auxiliorum: pro Reprobatione verò pari modo ordinauit non impeditionē liberi arbitrii, ne prorumperet in malum, sicut potuisset impedire: quòd est permissio peccatum purè negatiuè. Post Adæ verò peccatum, quando voluit ostendere misericordiam suam in Christo Redemptore, voluit aliquorum efficaciter misereri, prædestinando eos ad gloriam, & hos prouidit de medio efficaci. Alios verò nec prædestinauit, nec eiecit à gloria, sed voluit saluandos, si benè operati fuerint, damnandos si malè: & prouidit de mediis tum gratiæ, tum permissionis peccati, scilicèt illud non impediendi: sed quoniam non prædestinauerat efficaciter, motus concupiscentiæ, relicti in pœnam peccati originalis, superantes sufficientiam gratiæ, trahūt ad peccata: indè initium executiuum incipit comminatæ damnationis: initium verò intentiuum situm est in eo, quòd non vult illis gratiam superantem motus concupiscentiæ, sed purè sufficientem, & supponentem motus concupiscentiæ in pœnā originalis: sed hoc non ex motiuo damnādi, cùm adhuc velit omnes saluare: sed ex motiuo ostendendi cum illis suam iustitiā vindicatiuam, relinquendo in illis motus concupiscentiæ tales, qui non vincuntur à gratia, licèt possint vinci à libero arbitrio cum eadem gratia, si homo velit. Semper ergo verùm est, quòd docet Angelicus, quòd Reprobatio sit actus prouidentiæ ex fine præintento, sicut talis est Prædestinatio: sed vnaquæque in suo proportionato genere. Videat antē nunc benignus Lector, quomodò hic procedant Thomistæ: ipsi docent, & probant ex Angelico damnationem, vt pœnam, non posse esse præuolitam ante præuisam culpam, vt notaui numero 1247. & tamen nunc pro probanda Reprobatione antecedēter ad pręuisionem peccati, siue independenter ab eo, textum afferunt Angelici, in quo explicitè loquitur de damnatione, vt pœna, dum dicit, *Ita Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpā, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.*

1315 Instant tamen Thomistæ contra hanc responsionem, dicendo, quòd Angelicus præadducto loco non loquitur de prouidētia speciali post peccatum Adæ: sed de prouidentia, vt sic præcisò peccato: nec de prouidentia supponente voluntatem finis conditionatam: sed absolutam: primū autem ex his probant ex eodem articulo, in quo paulò ante ad dicta habet, *Ad prouidentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quæ prouidentia subduntur, vt dictum est supra*, nempe artic. 2. ad secūdum, vbi dixerat, *Sed Prouisor vniuersalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius*. Loquitur ergo Angelicus, de prouisore vniuersali in genere, & de prouidentia, vt sic, non de tali prouidentia. Secundùm probant tum iisdem verbis, quoniam bonum vniuersale est motiuum remotum permittendi defectum, bonum autem vniuersale est efficaciter à Deo volitum; ergo loqui-

tur de prouidentia efficaci, & non conditionata: Tum quia deueniens loco citato ad exemplum, ait, *Nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio Tyrannorum*; ergo, sicut est à Deo efficaciter volita patientia Martyrũ, ita efficax debet supponi prouidentia mediorum.

1316 Respondeo negando tum primam, tũ secundam partem antecedentis: & quidem quoad primam, si Angelicus materiam pertractat specialem Reprobationis, quomodò fieri potest, vt de prouidentia in communi agat? Aliquid ergo de prouidẽtia in communi affert, vt concludat, quæ de speciali prouidẽtia probare debet. Quoad secundam autem partem dico non esse confundendos in diuina prouidentia finẽ remotũ, & vniuersalem, cum finibus proximis, & particularibus: certum est finem vniuersalẽ, & remotũ semper esse per diuinam prouidentiam efficaciter volitum: at non ita omnem finem specialem: sed sicut congruit suæ bonitati, suoque honori, & gloriæ per ostensionem suorum attributorum: atque ita in prima hominum, & Angelorum conditione, in qua suam bonitatem, sicut & iustitiam æquè cum omnibus suis creaturis rationabilibus voluit ostendere, necnon vestigiũ dare suæ liberrimę potestatis; omnes æquè prædestinauit conditionatè, omnibusque æquè comminatus fuit pœnam, si in accepta rectitudinę non starent: ac pariter omnes prouidit de gratia sufficienti, vt liberum haberent in æquilibrio, & perfectum in genere suo arbitrium: ad quem finem necesse fuit permittere defectum, quem futurum præuiderat in aliquibus, sed permissione purè negatiua. Post præuisum autem Adæ peccatum voluit ostẽdere cum aliquibus quid posset suæ miserentis gratiæ beneficium, ab aliis verò exigere ex parte pœnam, debitam originali, non miserendo modo, quo supra: sed neque excludendo à gloria, vt indè magis ostenderetur Christi Redemptoris, etiam relatè ad omnes, licèt non eodem modo, pietas: atque indè eos, quorum efficaciter misertus est, prouidit de medijs efficacibus: alios autem de medijs sufficientibus, permittendo peccatum permissione positiua: & consequenter etiam hic permittit defectum, sed modo, debito ex parte peccato originali. Ad ea autem, quæ adducuntur ex Angelico pro probanda secunda parte antecedentis patet ex dictis in vltimo articulo antecedẽtis quæstionis, quid sit dicendum: nam ad hoc, vt Deus velit efficaciter aliquem finem, solùm necesse est, vt efficaciter ponat ea media, quæ non aliunde, quam ab ipso poni possunt: cæterùm, quæ præuidit fore aliunde ponenda, sufficit, si non impediat; nec ergo pro bono communi necesse est, vt Deus velit aliquos reprobare, & deficere, neque pro habenda patientia Martyrum, sed sufficit, si nolens eorum efficaciter misereri, vel prædestinare, permittat defectus modis, quibus supra.

1317 Ad secundum autem locum respondeo ex modo dictis Angelicum sermonem ibi habere de Reprobatione comminatoria, simul & initiatiua, consistente, vt supra dixi, in voluntate nõ dandi, in pœnam originalis, gratiã victricem motuum cõcupiscentiarũ, per quod Reprobus relinquitur à Deo, & ex quo etiam originem ducit debitum pœnæ æternæ: vnde solum sequitur Reprobationem initiatiuam hanc, non verò voluntatem efficacem damnationis ęternæ, esse causam permissionis peccati.

1318 Ad tertium patet ex responsione, supra data simul loco Augustini, quid sit dicendum, nec opus est, vt ea iterum repetamus; videantur, quæ dicta sunt numero 1307.

1319 Obijciunt quartò ratione. Reprobatio debet esse specialis Dei prouidentia, opposita immediatè, saltem ratione finis proximi, diuinæ Prędestinationi; ergo est specialis præordinatio mediorum *ex præsupposita voluntate sui specialis finis proximi*: atqui iste specialis finis, ita præuolitus, nõ alius potest esse, nisi *exclusio* aliquorum à regno; ergo ista voluntas excludendi aliquos à regno præsupponitur in Deo ex ratione prouisoris vniuersalis, & non ex præsupposito peccato.

1320 Respondeo distinguendo antecedens Reprobatio debet esse specialis prouidentia opposita immediatè, saltem ratione finis proximi diuinæ Prædestinationi, præcisè ex parte obiectorum, quia vna tendit ad gloriam, alia ad exclusionem gloriæ concedo: opposita ex modo volendi, vel potiùs similis cum Prędestinatione in modo tendendi ad finem, vt vtraque tendat efficaciter ex se, nego antecedens. Distinguò pariter primum consequens; ergo est specialis præordinatio mediorum ex præsupposita voluntate efficaci sui specialis finis proximi, nego: ex præsupposita voluntate conditionata, concedo consequentiam. Nego autem deinde minorem: iste namque finis Reprobationis non est exclusio determinata aliquorum, sed omnium: cõditionatè tamen, si fuerit demeritum culpę. Ratio huius distinctionis patet ex dictis: quia finis Prædestinationis est vndequaque

bo-

bonus: vnde potest Deus bonus esse solo, & absolutè illũ vellet: at finis Reprobationis est malus, cruciatiuus creaturæ rationalis; qui si esset volitus ex præcisa Dei voluntate, & non ex debito illũ inferẽdi, Dei bonitatẽ inficeret: & ideò non potest esse volitus, nisi cõditionatè, si accesserit debitum iustitiæ.

1321 Instant Deus per prouidentiam Reprobatiuam, antecedentem omne peccatum, præparauit determinata media; ergo ex determinata, & absoluta voluntate finis. Respondeo, distinguo antecedens per prouidentiã reprobatiuã, antecedentẽ omne peccatũ, etiã originale, præparauit determinata media, nego. Per prouidẽtiã reprobatiuam, supposito iam peccato originali, præparauit determinata media; subdistinguo, physicè, nego; moraliter, cõcedo antecedẽs: distinguo etiam consequens; ergo ex determinata, & absoluta voluntate finis, si sermo sit de Reprobatione ante omne peccatũ, nego: si sermo sit de Reprobatione moraliter initiatiua post peccatum originale, concedo consequentiam. Ante peccatum præuisum Deus dedit omnibus æqualem sufficientiam ad benè, vel ad malè operandum; imò ad malè operandum non dedit Deus sufficientiam; sed hanc habet natura ex se, quia facta est ex nihilo, & indè ex se defectibilis est: vndè ante peccatum nihil dedit Deus speciale pro reprobando, sed pro conditionatè prædestinandis omnibus, si defectus moralis naturæ non accesserit. Post peccatum verò originale aliquorum voluit Deus absolutè misereri, & prædestinare, ad ostendendas diuitias suæ misericordiæ: cũ aliis non se gessit ita, sed voluit absolutè ex parte ostendere suam iustitiam in eo, quòd noluit remittere debitum concupiscentiæ, contractum per peccatum, & noluit dare gratiam victricem, quod concedo initium esse, saltem morale, Reprobationis: adhuc tamen cum gratia sufficiente homo, si velit, potest saluari; quia autem adhuc post originale voluit omnes in Christo Redemptore saluos fieri, licèt non omnes efficaciter, dedit etiam illis, quos non prædestinauerat absolutè, gratiam sufficientem, quæ est determinatum medium, vt patet ex dictis, moraliter trahens ad peccata, ratione propriæ concupiscentiæ, exortæ in pœnam originalis, & non remissæ: & licèt hæc non remittatur physicè, etiam Electis, dum sunt in via, remittitur tamen moraliter per donum gratiæ victricis, & superantis illam, ex quo saltẽ moraliter est opus bonum.

1322 Insurgunt. Etiam in posteris Adæ datur permissio trahens ad peccata, siuè moraliter, siue physicè, & non in pœnã originalis; ergo ex alio præuolito fine, nempe reprobandi. Antecedens probatur quia pluribus hominibus post remissum originale tribuitur gratia sufficiens, qui prolabuntur in peccata personalia: sed ista non datur in pœnam originalis, iam remissi: ergo. Hoc argumento credunt eneruare Thomistæ omnes rationes, quas attulimus pro oppugnanda Reprobatione efficaci independenter à peccato.

1323 Respondeo tamen primò, quærendo à Thomistis, vndè fit in hominibus baptizatis carentia iustitiæ originalis, vndè motus concupiscentiæ, vndè mors, vndè vesci in sudore vultus, vndè dolores parturientium, & cæteri dolores, & infirmitates? an non ex originali, quod tamen eis remissum est per baptisma, & adæquatissimè sub ratione culpæ. Rursus, an non Sacramentum Pœnitentiæ, ritè susceptum, abluit perfectè homines baptizatos à culpa? numquid indè remittitur pœna, vt nihil remaneat purgandum in Purgatorio? Aliud ergo est remitti peccati culpam, aliud remitti omnem pœnam, etiam temporalem. Et ratio est, quia remissio non fit ex perfecta satisfactione debitoris, sed ex gratia creditoris, in cuius potestate est remittere quantùm vult. Ad argumentum ergo in forma nego antecedens: ad cuius probationem nego minorem: quoniam gratia positiuè purè sufficiens, quæ talis fit ratione cõcupiscentiæ superantis, pœna est peccati originalis.

1324 Obijciunt quintò. Natura rationalis, sicut creata est ex nihilo, & physicè est defectibilis, ita & moraliter vertibilis est ex se siue ad bonum, siue ad malum, quãuis ad bonum non sine Dei gratia; ergo ad Prouisorem naturæ spectat eam sic prouidere, vt non impediat, sed permittat ei defectus, atque peccata, præcipuè, vt locus tribuatur virtutibus, quæ peccata supponunt, qualis est patientia Martyrum.

1325 Respondeo argumentum plus probare: nam non aliqua, sed omnis creatura rationalis, est ex se moraliter defectibilis; ergo non aliquibus, sed omnibus debet permitti peccatum, & in omnibus debet relinqui locus virtutibus, supponentibus peccatum. Videant ne Thomistæ, qualia sunt eorum argumenta. Dico ergo, quòd ad prouisorem creaturæ rationalis, quà natura est, spectat eam prouidere

uidere de medijs indifferentibus in ordine naturæ: quatenus autem est ex gratia eleuabilis ad vitam sempiternam, cum in sua prima conditione prouidit in omnibus, & non in his præ illis, de sufficientia ad bonum: vt sicut ex se est vertibilis ad malum, fuerit ex gratia vertibilis ad bonum. Post Adæ verò peccatum natura humana tota deprauata est, & amisit omne donum gratuitum in pœnam peccati, hoc non obstante, adhuc in Christo Redemptore fuit, sed non æquè in omnibus indiuiduis, eleuata ad gratiam, & gloriam, modis supra explicatis: vndè in vtroque statu fuit constituta defectibilis, sed diuerso modo in prima conditione, ac in secunda, nempe in prima per permissionem purè negatiuam, communem omnibus, quando voluit Deus ostendere quid posset liberum arbitrium creatum: in secunda verò permissione positiua, relatè solum ad aliquos, volente Deo cum reliquis ostendere quid posset suæ miserentis gratiæ beneficium.

1326 Obijciunt sextò. Deus, quos defacto elegit, nullo habito respectu ad præsupposita merita, imò antecedenter ad hæc, elegit; ergo, quos non elegit, etiam nullo habito respectu ad demerita non elegit; sed ij, qui non fuerunt electi, omnes damnantur; ergo illa non electio fuit saltem implicita, sed efficax voluntas damnandi.

1327 Respondeo ex dictis, distinguo antecedens nullo habito respectu ad merita, neque ad demerita, tamquam materia à qua, & destruenda, elegit: nego: habito respectu ad demeritum saltèm originale, tamquam materia à qua, & destruenda, concedo antecedens, & nego consequentiam. Opus electionis opus fuit Dei miserentis, per quod figulus ex eadem luti massa quosdam condidit in vasa misericordiæ: hæc autem non stat, nisi sit subleuatio à miseria; ergo electio ista respicit miseriam peccati, tamquam materiam, à qua Deus voluit aliquos liberare. Reliquos autem nec elegit, nec reprobauit simpliciter, sed voluit ab illis exigere ex parte debitum peccati, partim remittere, rursus eleuando, licèt inefficaciter, ad gloriam conditionatè volitam, & dando illis gratiam sufficientẽ. Qui omnes, si damnantur, non Deo id efficaciter præuolente, damnantur; sed moraliter, & initiatiuè, ratione concupiscentiæ trahentis ad mala: physicè autem & completiuè ratione liberi arbitrij potentis vitare peccatum, & pœnas commissatas, & non cessantis physicè sua physica libertate.

1328 Solet hic communiter quæri, qui sint effectus Reprobationis, sicut in antecedenti quæstione inuestigatum fuit, qui sint effectus Prædestinationis. Verùm hic, præcipuè stante iam mea probata sententia, nulla restat difficultas, quæ non sit ex dictis facillimæ solutionis. Si enim sermo sit de Reprobatione à gloria, vel reiectione in æternos cruciatus, neganda est suppositio quæsiti: nam nullum Deus ita reprobauit, nisi vltimò, & ordine executionis post peccatum, vi decreti conditionati saluandi benè operantes, & damnandi malè operantes: quod decretum nihil speciale causat in vno præ alio, nec est minùs Prædestinatio, quàm Reprobatio: nisi velis vocare Reprobationem inadæquatè, & assignare, tamquam effectũ, etiam inadæquatum, damnationem, cùm etiam ad hanc debeat concurrere, tamquam causa demeritoria peccatum, sine quo numquam daretur vi antecedentis Reprobationis prædicta pœna in exercitio. Si verò sermo sit de Reprobatione speciali initiatiua in pœnam originalis, per quã Deus non excludit quidem vllum à gloria, vel deijcit in cruciatum ignis, sed dumtaxat vult exigere ex parte debitam pœnam originalis per hoc, quod non vult remittere hominem in statum pristinæ libertatis in æquilibrio, media iustitia originali, ex quo, expergefactis concupiscentijs, gratia, quæ illi datur, vincitur, & superatur, habet pro effectu carentiam specialis auxilij, & protectionis Dei, in quo consistit actiua derelictio, vndè damnantur quos Deus derelinquit: quæ quidem Reprobatio initiatiua, sicut non est Reprobatio, cùm adhuc homo possit physicè benè operari, & saluari: sed tantùm moraliter, quia, posita ista derelictione, nullus taliter derelictus saluabitur: ita non habet pro effectu physico, sed dumtaxat morali executionem damnationis, siue ad pœnam damni, siue etiam sensus. Gratia autem sufficiens secundùm se non est effectus huius initiatiuæ Reprobationis, sed voluntatis Dei miserentis inefficaciter, & volentis omnes homines saluos fieri: est autem effectus illius, prout est positiua permissio peccati, quatenus scilicet dicit carentiam alterius gratiæ, & supponit motus concupiscentiæ superantis, non impeditos à Deo in pœnam originalis peccati. Et hæc dixerim de hac, simul & tota materia, quam pertractandam

dam ſuſcepi: in qua, ſi aliquid forſitan tetigerim, quod non cohæreat cum ſenſu Sanctæ Matris Eccleſiæ, quod abſit, ex nunc Proteſtor, quòd volo, vt non dictum, toto animo me ſubmittens præciſo ſenſui, atque definitionibus eiuſdem, quæ fuerint, vel in futurum erunt, in omnibus, & per omnia.

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc Libro continentur.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

R.

S.

Semi-